
CHIRURGIÆ

—

ANDREÆ

1596



1667/ H V. Cro

[illegible] CHIRVRGIAE

VNIVERSALIS

Opus abſolutum.

[illegible]ANNIS ANDREAE

A CRVCE VENETI

Medici præſtantiſsimi.

[illegible] NOTÆ AFFECTVVM VNIVERSO

[illegible] ad Chirurgi curam ſpectantium, Notio, prædictio,

[illegible] & non medicorum inſignium authoritate,


[illegible]

[illegible] OFFICINA CHIRVRGICA

[illegible]

[illegible]

[illegible]



[illegible] Meietum. [illegible]

[illegible]

9. H. 18. 23893

CHIRVRGIÆ VNIVERSALIS Opus abſolutum.

IOANNIS ANDREAE A CRVCE VENETI Medici præſtantiſſimi.

IN QVO QVORVMCVNQVE AFFECTVVM VNIVERSO corpori humano obuenientium, & ad Chirurgi curam ſpectantium, Notio, prædictio, atque curatio perſpicua methodo narrantur, & tam medicorum inſignium auctoritate, quàm experimentorum approbatione confirmantur.

ADDITA INSVPER EST OFFICINA CHIRVRGICA, in qua nempe inſtrumenta omnia aliaq; Chirurgico conuenientia ſuis figuris delineata expreſſaque cernuntur.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, Apud Robertum Meiettum. 1596.

EXCELLENTISSIMO
VIRO
HIERONYMO FABRICIO
AB AQVAPENDENTE
Chirurgices, atque Anatomices in Schola Patauina Doctori

PAVLVS MEIETVS BIBLIOPOLA S. D.

IOANNIS Andreæ a Cruce libri de re Chirurgica quanto ſint olim applauſu excepti, nec tu ignoras, Vir Clariſſime, & in exemplarium penuria aſſiduæ ſtudioſorum efflagitationes teſtantur. Cum igitur inſtrumentorum, quibus vtiliter illi referti ſunt, typos eſſem nactus, nihil habui antiquius, quam vt prælo ſubiecti quam accuratiſſime recuderentur. Vt autem honorificentiſſimo nomini tuo inſcriberem, non leues me cauſæ adduxerunt. neque enim abſurde facere mihi viſus ſum, ſi Excellentiſſimi Chirurgi monimenta viro cum reliquis Medicinæ partibus præſtantiſſimo, tum Chirurgorum noſtri temporis Coryphæo nuncuparem. Illud etiam in primis me mouit, quòd hos tamquam monitores eſſe cupio, qui non tam Te hortentur, quam flagitent, vt interpretationes tuas Chirurgicas, quas Germani typographi inſcio te omnino, atque inuito edere præfeſtinarunt, ſub incudem reuocatas recognoſcas, augeas, itaque perficias, vt quæ cœteris ſunt hactenus valde illæ quidem commendatæ, tuo etiam ipſius politiſſimo iudicio comprobentur. Nihil dico in præſentia de eximio illo Anatomico opere, quòd iamdiu moliris: id enim, vt audio, & maiorum eſt vigiliarum, & otij diuturnioris, quam vt, per infinitas in medicina tum facienda,

cienda, tum etiam docenda occupationes tuas, adeo breui temporis ſpatio liceat ad vmbilicum perducere; expectatum tamen & ipſum aliquando, & nominis tui gloriam illuſtraturum. Ita præterea de me, totaque familia meæ promeritus es, quotidieque pro tua humanitate promereris, vt, cum beneficijs tuis reſpondere tenuitatis meæ non ſit, voluerim certe hac grati animi ſignificatione, quaſi publico chirographo, egregiam meam voluntatem, ſingularemque in Te obſeruantiam teſtificari. Vale.

Patauij, die XV. Iunij, M. D. XCVI.

CHIRVRGIAE

IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI,

Libri Primi Tractatus I.

In qua quicquid in materia Tumorum præter naturam perpendi ſolet, tùm vniuerſali, tùm particulari diſputatione tractatur.

De natura, & diffinitione Tumoris, ſeu Apoſtematis.

DIGRESSIO PRIMA.

VNIVERSI ferè, tum medici, tum qui non ſunt medici, cum in aliqua corporis humani parte tumorem aliquem apparere vident, ſtatim enunciant, ibi ægritudinem quandam generari, quod apoſtema nuncupant, quod quidem nomen videtur omnium tumorum præter naturam genus exprimere, ſiue magni ſint, ſiue parui; ſiue frigidi, ſiue calidi; ſiue in principio homini accidant, ſiue in incremento, vel in ſtatu, vel in declinatione. Quamobrem nos vniuerſam de tumoribus præter naturã doctrinam pertractaturi, videamus, num aliqua inter hæc nomina (apoſtema ſcilicèt, & tumor præter naturam) ſit differentia: verùm prius, quid ſit apoſtema, dicamus, tanquàm omnium tumorum commune nomen diffinientes. nam (vt docuit Philoſophus) in quolibet genere rerum, neceſſe eſt prius conſiderare communia, & poſtea propria vnicuiq; illius generis; Deinceps cauſas apoſtematũ, quot eę ſint, demonſtrabo, quotue modis generentur; tempora quoq; eorum, terminationes, & pronoſtica declarabo. *Lib. 2. de animal. 1. metaph.*

Duas aſsignarunt diffinitiones antiqui ipſorum apoſtematum, vna quarum fuit ſenſata, à Galeno allata multis in locis, quæ eſt huiuſmodi; Apoſtema eſt tumor præter naturam, impediens operationes membri, in quo gignitur; quæ diffinitio manifeſta eſt, & perfecta; nam, dum membrum aliquod attollitur in tumorem, & à ſuo naturali ſtatu recedit ſecundum aliquam dimenſionem, Medicus, qui artifex ſenſatus eſt, cognoſcit ibi generari tumorem non naturalẽ. Quamobrem Gal. 13. Meth. dicebat. *cap. 1.* De tumoribus præter naturam incipiam agere, in quibus manifeſtum eſt, quòd ſecundùm magnitudinem attolluntur membra ab eo, quod eſt ſecundum naturam. Et Auicenna dixit. Apparentia quidem apoſtemata declarantur ſenſu, & præſentia. Et quoniam dictum eſt impedire actiones naturales, hinc differt ab alijs tumoribus, qui id non efficiunt in membris. fiunt enim in hominibus tumores, qui operationem haud impediunt, & ſi formam corrumpant, quod in cibis conſpicitur, & in ijs, qui retento in ore ſpiritu, maxillas inflant, nec tamen apoſtema eſt, neq; actiones naturales impedit membrorum, vt verum apoſtemà impedire dicitur. Hanc diffinitionem laudauit Conciliator, Haliabas, Auenzoar, Auerroes, & alij; & omnes antiqui apoſtema per tumorem diffinierunt, quemadmodum Galenus aſſerit. Hoc etiam habetur ab Hippocrate in libris Aphoriſmorum. Confirmat eandem diffinitionem item Galenus, cum inquit; Fit Apoſtema, quando primò fit tumor conſtrictus cũ duritie, & rubore. nihil igitur aliud erit apoſtema, quàm tumor, vel eleuatio, quæ à diuerſa materia efficitur in omnes particulæ dimenſiones; quod idem Galenus annuit, dicens; Tumor eſt dimenſio in *Lib. de tumoribus c. 1.*

longitudine, latitudine, & profunditate. Alterum diffinitionis genus nobis rem diffinitam oſtendit, eiuſq; naturam, ac valde copioſa eſt; eaq; huiuſmodi apud Auicennam extat. Apoſtema morbus

2. par. c. 5. de ęgritudinibus compoſitis.

eſt, ex tribus morborum generibus compoſitus, ex mala complexione, ex mala compoſitione, & ex continui ſolutione, quibus tribus in vnum congeſtis, naſcitur ægritudo, quod apoſtema appellatur. Hanc damnant aliqui diffinitionem, vt tedioſam, & vulgarem; nec cogitant ſic neceſſarium Auicennę fuiſſe, vt diceret, cum exponere vellet, quod breuibus verbis in ſua diffinitione colligit Galenus. Cum enim ſe Galeni interpretem fateatur Auicenna, cogebatur pluribus verbis id explicare, quod com-

1. c. circa princ.

preſsius erat apud ipſum Galenum ſcriptum. nec tamen imminutus dicendus eſt Galenus; in eius .n. diffinitione virtute continetur, quicquid in optima diffinitione requiritur. Hoc idẽ placuit etiam Galeno, qui idem breuius cõplexus eſt. Ratio verò huius ea eſt; Nullus gignitur in homine tumor præter naturã, niſi ex materia quadam diuerſa, ex qua ſtatim inducitur in membrum ipſum tunc factum, mala quædam intemperies, quæ exttanea qualitas appellatur. Corrumpitur item ipſius membri forma, efficiturque in eo exceſſus quidam, quæ mala compoſitio dicitur, ac denique continuum ſeparatur; quamobrem rectè dictum eſt, in tumore hos tres affectus reperiri. Quòd autem tumor is præter naturam malam in membro temperiem efficiat, id Galenus aſſerit, inquiens.

Lib. de inęqualitate per. cap. 4.

Mala temperies diuerſa erit in membro, quodcunque membrum fuerit, quando in eo oritur tumor præter naturam. qua de re dicebat Auicen. Nullum accidit apoſtema, niſi ex complexionis ma-

2. par. c. 5. 1. de morb. diff. & 3. de art. med.

litia cum materia. Quòd autem formam corrumpat, & compoſitionẽ membri, idem Galen. docet, inquiens; Compoſita membra ab eorum natura deſciſcunt, vel in forma, vel in quantitate, vel in numero, vel in ſitu; manifeſtum autem eſt in forma deficere, cum in ipſis tumor aliquis præter naturam aggeneratur. & Auic. inquit; Non fit Apoſtema, niſi ab ipſo fiat nocumentum in figura, in magnitudine, & ſitu. Separari verò continuum in apoſtematibus Gal. oſtendit his verbis; Neceſſariò in tu-

1. de morb. diff. cap. 12. & 13. meth.

moribus pręter naturam ſeparantur ab extranea cauſa partes tumefacti loci. Hinc dicebat Auicenna; Non accidit apoſtema, quin continuitas ſoluatur. His igitur de cauſis ſatis Gal. fuit breuiſsimè dicere, apoſtema eſſe tumorẽ præter naturam, ex quo diuerſi morbi proficiſcuntur, actiones naturales impedientes. Nec Auicennæ viſum eſt, aliud eſſe apoſtema, quàm tumor, cum ipſe dicat; Eminentiæ

2. 1. c. de ægritud. compoſitis.

in cute ſunt de genere apoſtematis, & ſunt apoſtemata parua, ſicut apoſtemata ſunt eminentiæ magnæ. eminentia autem, & tumor idem ſunt. Quamobrem cum apoſtema aliquod generatur, licèt nihil aliud, quàm tumor, appareat, reperiuntur tamen in ipſo omnes ægritudinum ſpecies; eius verò præcipuum peccatum, & diuerſa complexio, atq; eius forma eſt tumor; eſtq; ſemper morbus organicus, & compoſitus; licèt aliqui dixerint, eum eſſe ſimplicem, cum vna tantùm indigeat cura, nempe contentarum in eo materierum extractione. Alij ab vnitate materiæ coniunctæ, ſimplicitatem morbi arguunt; at non viderunt, materiam ipſam, etiam ſi vna ſit, efficere tamen morbum compoſitum,

1. de morb. cap. 12.

quemadmodum fuit Galen. ſententia, cum inquit; quòd cum ſit triplex cõpoſitio huius morbi, apoſtema tamen eſt morbus compoſitus ex triplici compoſitione. & ideò antiqui (inquit Hippocrates) appellabant morbum hunc γυλοφόλα, ideſt aggregatiuum; atq; ex hoc oritur differentia inter hunc morbum, & ſimplices, ex latitudine inquam ſuæ naturæ. Ac forſan ideo rectè diceretur eum eſſe ęgritudinem commixtam; ſed vtro modo dicamus, ſiue Galeni, ſiue Auuicennæ diffinitionẽ aſſumentes, hoc non valde refert, modò cognoſcantur cauſæ tum efficientes, tum materiales ex proprijs, & non ex cõmunibus ſignis, ac indicationes præterea curatiuas percipiatis, topica medicamẽta idoneis et locis, & temporibus apponentes.

ADDITIO.

Quoniam in antiquis Galeni tranſlationibus aliqua verba leguntur, ex quibus dubitare quis poſſit, num idem ſignificent hæ voces, apoſtema, & tumor pręter naturam, an diuerſa; ideò meam hac de re

2. ad Glauc. diſt. 2. cap. 5.

ſententiam aperire conſtitui. ſunt autẽ Galeni verba. Nunc de collectionibus, & ſuppurationibus, breuiter narrabo, quæ ex diuerſis efficiuntur cauſis. nam ſæpè phlegmones, & eryſipelata phlegmonodes, ſi malè curentur, faciunt apoſtemata; quaſi verò aliud quicpiam ſit tumor, quod phlegmon dicitur; & aliud apoſtema, ac tumor nihil aliud ſit, quàm extenſio, excedens membri magnitudinem, in qua reperitur humor diuerſus quidem, ſed non putridus: apoſtema verò ſit extenſio, in qua reperitur materia diuiſa, putrida, ſeparans partes abinuicem, & petens exitum. Præterea alibi apud Galenũ

14. meth. c. 12.

ſic legitur. Mihi verò iam tẽpus videtur de alijs tumoribus dicere, quorum primum eſt vocatum apoſtema; duplex eſt huiuſmodi genus, vnum quidem, quando ex putrefacto phlegmone coaceruatum fuerit pus, veluti in ſinu aliquo; alterum verò ſine phlegmone, præcedente humido aliquo, ex quib. Gal. verbis elici poſſet, aliud eſſe apoſtema, aliud tumor, & aliud etiam phlegmon: ac multi credidere hanc fuiſſe ipſius Galeni ſententiam; qui tamen valde decepti ſunt. nam hæc duo nomina haudquaquam diuerſa ſignificant; nec in recentibus, & optimis translationibus aliqua habetur huius rei difficultas. nec fortaſſe abſurdum eſſet dicere (licèt id apud Galenum non ſit) ſi tumorem appellemus omne principium, & augmentum apoſtematum, pręcipuè cum defluunt materiæ diuerſæ, & præcipitantur in aliquam partem, dimenſionem efficientes in longum, latum, & profundum; ſtatus verò, cũ cauſa effecta eſt coniuncta, & morbus iam eſt in actu, apoſtema diceretur, cum nihil aliud hæc vox

ἀπό-

ἀπόστημα ſignificet, quàm ſeparatio; & hoc quidem rationi conſentaneum eſſet, quandoquidem ſtatus tempore, materia iam recepta, ſeparat ipſas membri particulas, & ibi ſibi locum parat. At declinante morbo, cum materia vel concoquitur, vel putreſcit, tunc morbus is appellaretur, vel, vt Galenus appellat, ſinus, vel vt Auicenna, & Arabes, exitura, vel Latinorum more, abſceſſus, collectio, aut ſuppuratio. nec immeritò omnia horum nominum ſignificata huic morbi tempori accommodantur; ſiquidem ſinus concauitatē ſignificat: at tempore declinationis tota materia in vnum collecta locum, ſiue concocta, ſiue putrefacta fuerit, ſinum, & cauitatem ſibi quandam efficit. iure etiam abſceſſus diceretur, tunc enim temporis partes diremptæ, & ſeparatæ manent. eodem etiam pacto & exituræ nomen conueniret; tunc enim materia coniuncta; ſiue laudabilis ſit, ſiue praua, exitum ſibi quærit. ſuppuratio item, cum nihil aliud ſignificet, quàm coctum, ſeu maturum, ſeu putridum, rectè ſic appellaretur. ſicut etiam non malè collectionem diceremus, omnis materia, quæ fluere debebat, eo tempore fluxit, & in locum collecta eſt. Verùm nominibus non eſt adeò attendendum; nam, vt millies Galenus admonet, diſputatio circa nomina non multum refert ipſi medico, modò rem ipſam cognitam, & perſpectam habeat, & curationis morborum rectè ab ipſa indicationem ſumat.

DVBITATIO.

Dixi, apoſtema eſſe tumorem præter naturam, neq; fieri apoſtema, quin tumor non ſit. dubitari igitur poteſt, num tumor ſit de eſſentia apoſtematis; non eſſe autem, ſic probari poſſet. Id, ſine quo aliquid eſſe poteſt, non eſt de eſſentia illius; ſed apoſtema poteſt eſſe ſine tumore, ergo tumor non eſt de eſſentia eius. reliqua huius rationis manifeſta ſunt, minor autem propoſitio ſic probatur. Oſſa poſſunt apoſtemari, vt eſt medicorum ſententia, & in eis non ſit tumor, non erit ergo tumor de eſſentia apoſtematis. Præterea, Eriſipelas eſt apoſtema, & tamen nullum efficit tumorem, vt docuit Auicenna in capite de eryſipelate. Tertiò ſic argui poteſt. ſi tumor eſſet de eſſentia apoſtematis, conſentaneum eſſet, vt vbi eſſet tumor, ibi & apoſtema eſſet, hoc verò falſum eſt; falſum autem eſſe, hinc elicitur. Caro addita, quam medici morū appellant, aut polypus, aut magna verruca, faciunt tumorem, & tamen ibi non eſt apoſtema, quia nec ſolutio continui, neq; diſcraſia ibi reperitur. Quartò, ſi tumor eſſet de eſſentia apoſtematis, ſequeretur, diffinitionem Auicennæ non eſſe bonam, cum in ea non poſitum ſit, tumor; at ea, quę ſunt de eſſentia alicuius, ponuntur in eius diffinitione. Poſtrema ratio eſt. Apoſtema fit ex tribus morbis in vnum collectis; tumor verò ex vno tantùm, igitur alter de eſſentia alterius nō eſt. Cuius rationis manifeſtum eſt antecedēs; etenim in apoſtemate peccatum eſt in intemperie, in mala compoſitione, & in ſoluta continuitate: at in tumorē mala tantùm compoſitio eſt in vitio; quoniam in quantitate peccatur tantùm. Pro huius rei explicatione, ſciendum eſt, tumorem in apoſtemate aliquando quidem eſſe adeò magnum, vt ſenſu ipſo comprehendatur, & in eo dimenſiones omnes pateant, aliquando verò ita paruum, vt nulla in eo conſpiciatur dimenſionis ſpecies, vt in eryſipelate, & in oſſium apoſtemate, licèt oſſa non verè apoſtementur. Notandum præterea eſt, tumorem apoſtematis eſſe, qui corrumpit temperiem, compoſitionem, & vnitatem; & hoc modo vera ſemper hæc propoſitio erit; vbi eſt apoſtema, ibi eſt & tumor; & vbi tumor adeſt, ibi etiam & apoſtema. Tertiò ſciendum et hoc eſt, quòd loca tumentia, & diuerſitates materialium cauſarum apoſtematum adducunt diuerſitatem in dimenſionibus. nam in oſſibus, vel chartilaginibus, aut in ligamentis, cum à flaua bile, vel pituita tumor gignitur, non conſpicitur manifeſta in tumorem eleuatio, vt à ſanguine, & atra bile, & in muſculis, atque carnoſis & mollibus partibus. Quartò ſciendum, quòd cum conſideratur tumor, tunc aut mala complexio, aut mala compoſitio, aut vnitatis ſolutio conſideratur, prout ab humore diuerſo cauſatur, qui prçter naturā in loco non ſuo conſtitit; quòd ideò dico, vt fracturas, & luxationes excipiam, quæ afferunt quidem & ipſæ malam compoſitionem, & ſolutionem continui, cum tamen ibi non adſit apoſtema. Præterea quandoq; facies ex aere in ore detento tumet, & tamen ibi non eſt apoſtema vllum, ne flatuoſum quidem, quamuis ibi aer reperiatur. Eodem modo vulnerum labra, dum contrahuntur, tumeſcunt & illa ſine apoſtemate, quoniam non adeſt ibi humor diuerſus alterans temperiem, compoſitionem, & vnitatem. His autem explicatis, facile eſt ad argumenta adducta reſpondere. & quò ad primum, negandą eſt conſequentia, & ad minoris propoſitionis probationem, dicendum, quòd & ſi os non eleuetur in tumorem ſecundùm omnes dimenſiones, fit nihilominus in eo aliqualis tumor, ſiquidem ſi patiatur apoſtema, corrumpitur eius compoſitio. Quò ad eryſipelas verò, inquit Auicenna. ſi eryſipelas fuerit purum, non impellit ſecundum omnem dimenſionem; ſi autem multiplicatur ſanguinis additio, aut ſucci alterius, impulſio eſt magis apparens; rarò enim dantur humores puri, & ſoli in apoſtematibus, vt medici docent, ſicut neq; in corpore humano.

Ad tertium verò argumentum reſpondetur, excreſcentias inter apoſtemata numerari, & aliquando triplici uitio peccare; verum ſi hoc remiſſè efficiant, ſunt tamen ſub latitudine trium morborum, qui in vero apoſtemate reperiuntur. Ad quartum, neganda conſequentia, & ad probationem dicendum, tum implicitè, tum explicitè tumorem poni in diffinitione Auicennæ; implicitè quidem, quia eſt morbus in complexione, compoſitione, & vnitate; explicitè vero quoniam inquit, ex quibus reſultat ęgritudo vna, ſicut apoſtema, ideſt tumor præter naturam. De quinto verò & poſtremo argumento dicimus,

Gal. 7. aph. cō. 74. 1. local. medic. vbi de dentibus agit.

Auic. 2. par. cap. de ęgritud. cōp. & 2. par. diſt. 2. ſup. c. 18. & 7. 3. cap. 1.

Auerr. 3. colig. cap. 5.

3. 4. c. de eryſip.

Hipp. lib. 1. de morb.

Gal. 2. reg. acut. com. 38.

Auic. 3. 4. c. 2.

cimus, quòd & ſi in apoſtemate tres reperiantur morbi, præcipuus tamen eſt deperdita compoſitio; quamobrem ex ſui natura ſemper tumor erit de eſſentia apoſtematis; & ideò ſemper poſſumus ipſum apoſtema denominare ex tumore non naturalis ex diuerſa effectus materia, qui naturales operationes tumentis membri, ſicut cæteri morbi omnes, impedit.

De cauſis tumorum, præter naturam. Digreſsio II.

Gal. 2. ad Glauc. cap. de cauſ. inflammationũ, & lib. de cauſ. procatarc. Auic. 2. par. doct. 2. ſup. c. 1. & 4. p. c. 25. Lib. de cauſ. procatar.

APOSTEMATVM cauſæ, vt medicis viſum eſt, tres omnes ſunt; quarum prima appellari conſueuit primitiua, prægreſſa, euidens, manifeſta, extrinſeca, & à Græcis procatarctica dicitur, cuius ea conditio eſt (vt ait Galenus) vt poſt effectũ, cum nulla ex parte cum corpore communicet, ſeparetur ab illo, illudque immutat, alterans ſubitaneo motu, vt lapis, vel quid huiuſmodi durum, & obtuſum, quod mẽbrum aliquod percutiat; quamobrẽ ibi poſtea oritur apoſtema, vel ferrũ, quod vel vulnus dolens, vel fracturam efficiat, aut deniq; aliqua alia exterior cauſa. Inter has cauſas enumeratur etiam ea, quæ ab exteriori cauſa fit attractio, vt calor magnus à motu ſuperfluo genitus, vel à longa ſolis actione, vel à multo igne, vel ab acri, & calido medicamento excitatus. dicebat enim Galenus. Medicamentum, quod ſit multæ caliditatis, humorem ex toto corpore attrahere ad eum locum, cui medicamentum ipſum adhæreat, non ſecus ac cucurbitula quædam; aut etiam alia cauſa veneni particeps. Inter cauſas procatarcticas præterea cõnumeratur improba victus ratio in ſex rebus non naturalibus appellatis, quæ ſic nominantur, quòd ex ſe ſe nihil ad conſtitutionem humani corporis conferunt; verum illud alterant, & corrumpunt.

Ariſt. in lib. de proprietati. elem. c. 3. Gal. lib. de diff. mor. Auer. 7. colig. c. 29. Auic. 2. p. cap. de cauſis inflammat.

Secundum cauſæ genus appellatur antecedens, internum, humorale, & à Græcis προηγούμενον. hæc cauſa valde efficax eſt ad gignendum apoſtema, cum ab ea potentia non regitur, quę totum corpus gubernat. quæ quidem antecedens cauſa diuiditur in efficientem, formalem, materialẽ, & finalem: efficiens iterum dicitur quatuor modis, videlicèt membri expellentis fortitudo, quod à ſe noxium humorem propellens, ad aliud debilius tranſmittit, vt Galenus docuit. Mittunt enim fortia membra, quando irritatur eius virtus excretiua, oppreſſa ex multa materia, vel quando pungitur ab acuta, & mordaci.

13. meth. c. 3.

Secundò recipientis membri imbecillitas, quod humorem aliunde expulſum admittit. hoc Galen. docet, inquiens; ſæpe membrorum imbecillitas cauſa eſt, vt in ipſis apoſtema generetur, & ſi membrũ ipſum malis humoribus minimè ſcateat. hoc autem inde proficiſcitur, quòd ad membrum illud multa tranſmittuntur excrementa aliunde; & debile exiſtens, proprium nutrimentum adminiſtrare non poteſt. Et Auicenna dicebat; licèt corpus non ſit multarum ſuperfluitatum, tamen quandoque aducnit, quòd ipſum debilitat, quare attrahuntur ad ipſum materiæ corporis, licèt non ſint materiæ diuerſę ſuperfluentes.

13. meth. c. 3. & in lib. de curat. per ſanguinis miſs.

3. 4. c. de cura phlegmonis.

Auic 4. 1. c. 25 Auerr. 3. colig. cap. 5.

Tertia eſt debilitas virtutis nutritiuæ, quę cum proprium nutrimentum in nutriti ſubſtantiam conuertere non poſſit, vel quia multum eſt aut viſcoſum, aut durum, aut mala qualitate infectum, eum inconcoctum ſeruat, quare in ea particula apoſtema eleuari contingit.

Lib. 3. de virtutib. naturalibus cap. 12. Et in lib. de bile acuta.

Quarta, debilitas virtutis expulſiuę; nam (vt inquit Gal.) ſicut in qualibet corporis parte eſt potentia, vel facultas quædam, quę id, quod bonum eſt, nutrimenti cauſa retinet, ſic alia facultas eſt, quæ id, quod noxium & ſuperfluum eſt, expellit. hæc autem cum non ſemper ſuo poſsit munere fungi, ſeu tenacitate materię, ſeu viarum anguſtia, materiam illam retinet, quæ apoſtema tandem efficit.

Cauſa verò materialis duplex eſt, aut in qua, & eſt corpus animatum; unde tumor interdum dicitur ægritudo cõmunis communitate ſubiecti: aut ex qua, & hęc à Gal. in mille locis auctoritate Hypp. fuit declarata.

2. fen. 1. doct. 3. ſum. 2. c. 18. 2. fen. 1. libri.

Dicebat Auic. harum cauſarum, quaſdam eſſe ex materia, & quaſdam ex diſpoſitione membri: quæ verò ſunt ex parte materiæ, ſunt repletiones ex ſex rebus prænominatis, vt conſtat in capite de ægritudinibus compoſitis. vbi dixit, quòd materiæ, vnde fiunt apoſtemata, ſunt ſex, ſcilicet quattuor humores, vt ſanguis, pituita, bilis flaua, & bilis atra, & præterea flatus, & aqua. Ab vnaquaque iſtarum materierum tumor gigni poteſt, vt patet in lib. de tumoribus pręter naturam, & 13. & 14. metho, atq; 3. fen. 4. per totum.

2. aphor. 15.

Tex. com. 45.

Finalis verò cauſa dupliciter conſideratur, aut ratione boni, vt principalia & nobilia membra, expulſis, & abiectis malis ſuperfluitatibus, à morbis tueantur, vt docet Galenus; & ideò natura, quæ nõ deficit in neceſsarijs, neq; abundat in ſuperfluis, vt 3. de anima habetur, cõſtituit nonnullas in corporibus humanis regiones, quibus primaria membra oppreſſa à malis ſuccis, eos in his locis proijciendo, releuentur, & talia ſunt loca adenoſa emunctoriorum, glandoſa, declarata à Gal. & à Principe cap. de cura abſceſſuum, & cap. de membris in fine, cum ait; Membra autem fortia ſuperfluitates ſuas ad mẽbra debilia ſibi vicina expellunt, ſicut cor ad aſcellas, & cerebrum ad loca, quæ ſunt poſt aures, & hepar ad inguina; hæc dicuntur particularia emunctoria, quia particularibus deſeruiunt membris in nõ naturalibus euacuationibus, ſicut in naturalibus euacuationibus, ſuperfluitates, quæ fiunt à digeſtione ſtomachi, per inteſtina hepatis per vrinam dimittuntur, vt docet Auic. vbi agit de qualitate generationis humorum, quaſi in fine, vbi etiam malorum humorum omnes euacuationes aſsignat. Interdum fit tumor ratione mali, quia eius effectus eſt, vt lædantur operationes membri, in quo eſt.

13. methodi 4. fen. 1. libri. & 3. fen. 1. libri.

3. 1. doct. 4. 5. 2.

AD-

ADDITIO.

Et quia dictum eſt à Galeno, Raſi, & Auicenna, quòd vna principalis cauſa tumórum eſt dolor, & nil magis affert apoſtemata, quàm dolor, & hoc, quia attrahit, videndum eſt, quomodo hoc verum ſit. Et primò ſciendum eſt, quòd dolor per accidens eſt cauſa attractionis. quod ſic declaratur ab Auer. Dolor eſt (inquit) cauſa attractionis, aut propter malam complexionem, quæ generat ipſum dolorem; aut propter ſuperfluitatem motus virtutis expulſiuę, cum expellit ſuperfluitates; aut propter ambas cauſas: cum enim dolet membrūm, debilitatur, quia corrumpitur eius complexio, & natura nititur dolenti regioni ſuccurrere; quare mittit ad locum & ſanguinem, & ſpiritum copioſè, vt eis mediantibus cauſam doloris expellat. Præterea membrum dolens calefit propter ſanguinem, & ſpiritū ad eum tranſmiſſum, vnde fit attractio; ideò dolor eſt attractionis causa per accidens, & mediantib. cauſis iam dictis, & non per ſe, cum non attrahat per aliquam virtutem ſibi annexam, cum ſit tale accidens. Prouenit ergo tumor, etiam propter aliquam ex cauſis iam dictis, ſcilicet dolorem, calorē, & membrorum debilitatem, & ſimilia: ſed dolor, & calor ſunt de cauſis fortibus: debilitas verò membri facit eum paratum ad recipiendum rheuma, aut propter ſui naturam; quia ſic eum creauit Deus, vt extraneos ſuccos reciperet, ſicut eſt cutis: aut propter eorum raritatem, ſicut caro laxa trium reflexionum, ſiue emunctoriorum, aut ſicut carnes glandoſæ, quæ hinc, indeq; per loca corporis ſunt expanſæ, & ſuſcipiunt ſuperfluitates, quę illis demandantur, vt 3. localium habetur, & in cap. de apoſtematibus, accidentibus in glandulis; quemadmodum ex attractione vlcerum, aut aliorum apoſtematum ſuper extrema, ad quę currunt materiæ, in viis quarum incedunt carnes iſtæ: Quare inuoluuntur cum eis, vt accidit inguini, & ſubaſcellæ ex apoſtematione amborum, in eo, qui habet ſcabiem, aut vlcera ſuper pedes, & manus; aut quia membrum eſt paruum reſpectu nutrimenti debentis nutrire; cum .n. membrum debile eſt, non reſiſtit materię fluenti, neque contrarię, & maximè ſi mittens fuerit repletum, & forte: & in eo conculcantur materię diuerſę, & generatur tumor.

3. meth. 4. & 5. meth. 4 & 3. meth. 7. ad Alm. cap. 1. — 2. fen. 1. cap. de cauſ. tum. — 3. art. med. 95. — 17 fen. 3. cap. 1. — 2. fen. 1. cap. 1. — 7. coll. cap. 29. — cap. 2. 3. fen. 4.

Et ſi quis diceret, quomodo dolor attrahit, cum attractio principaliter fiat à vacuo, à ſimili, à proprietate ſeu forma ſpecifica, aut à calido, vt declaratur ab Auerroe. Nec dubitandum eſt, quòd & ſi vacuum nihil eſt, vt in phyſicis demonſtratur, poſſit tamen attrahere, quia non attrahit, ſicut exiſtens, ſed ſicut eſſe non potens; quoniā priuatur corpore: ſic enim deſcribitur. Vacuum eſt locus priuatus corpore: attrahit igitur, vt patet in dextro ventriculo cordis, & in ventoſa; quia cū aer cucurbitulę ab igne reſoluitur, remanet concauitas ventoſę abſque corpore aeris, & ideò attrahit. A calido autem ſit talis actio, vt patet in appoſitione alicuius medicinę vehementer calidę alicui membro; nam immediatè attrahit, taliſque attractio à Gal., & Principe reducitur ad eam, quæ à vacuo; calor .n. euacuat humidum membri extenuans ipſum, humiditatem in vaporem ducendo, propter quod cogit aliquid recurrere ad replendum: prętcrea aperit meatus, & liquat materias vicinas, vt patet de calore ignis accenſi in ellychnio lampadis, qui euacuando ſubſtantiam ellychnij, facit conſequi oleum ad replendum. A ſimili, quia ignis attrahit ignem. A forma ſpecifica fit attractio, vt patet in ferro, quod à magnete attrahitur, & cholera à ſcamonea: talis .n. actio non fit neque à qualitate ſimplici, neque à compoſita perceptibili ſenſu, ſed à forma adueniente ei, quæ reſultat ex cōplexione primarum qualitatum, & talis forma eſt virtus actiua in paſſo determinato, vt magnetis in ferro; quia ferrum non attrahitur à quocunque, ſed à magnete; & tales actiones ſunt imperceptibiles, & inenarrabiles, non naturales, ſed ſupernaturales, & virtuales. Attractio verò, quæ fit à dolore, aut ſoluendo continuum, aut intròducendo caliditatem, reddit locum vacuum: prętcrea dico, quòd dolor attrahit rheuma, mediante mala complexione, quæ fit de nouo in membro, quæ eſt cauſa commotionis humorum præter naturam. Secundò dico, quòd principium, per quod humores mouentur ad membrum, eſt forma ipſius humoris mobilis cum qualitate acquiſita ab attrahente, aut ſibi data ab aliquo alio, hæc tamen qualitas eſt principium inſtrumentale. Et ſiquis diceret, quòd per ſolam præſentiam actiui ad paſſiuum, nulla qualitate interueniente, fit talis motus attractionis: dicò, ꝙ hoc non eſt verum; quia omnis forma ſubſtantialis agens exigit inſtrumentum actuale, uel virtuale in producendo ſui effectus. Ex his igitur dicendū eſt, ꝙ dolor attrahit; quia in dolore fit aliqua mala complexio, & ſimiliter ſolutio aut diſgregante calido, aut vniente frigido: vnde, ne detur vacuum, fit humorum concurſus, & ſequitur eorum attractio.

5. coll. — Gal. 1. de pot. nat. — Auic. 1. fen. diſt. 6. cap. 3. — 4. Phyſ. tex. cō. 6. & 63.

DIGRESSIO.

Et quia non datur cauſa abſque ſuo effectu, quoniam relatiua ſunt, videndum eſt, vtrùm in corpore humano poſſit generari tumor pręter naturam: Et videtur, quòd non; quia aut talis tumor eſſet ſimplex, aut compoſitus: non ſimplex, quia humores in venis ſunt permixti, vt habetur cap. de humoribus. & pariter idem ſunt, cum refudant, ſiue expelluntur. Secundò ſi talis tumor ſimplex poſſet generari, eſſet ex vno tantum humore, aliter eſſet permixtum, ſed non ex ſanguine; quia dum ſanguis nō regulatur à naturę regimine, putreſcit, & eius ſubtile ad choleram conuertitur, groſſum autem ad bilem atram, vt docet Galenus, nec remanet ſub forma ſanguinis. Hoc etiam verificatur de alijs humoribus auctoritate Auicen. in cap. de phlegmone dicit Princeps; ſcias, quòd rarò datur humor purus, ergo non datur tumor à pura cauſa. Ceterum neque datur tumor compoſitus; quia aut eſſet ex omnibus humoribus, aut ex aliquibus: ſi ab omnibus, tumor eſſet abſq; mala complexione. quod probatur, quia

1. fen. 1. — Lib. 2. de Criſib. 12. & 3. eiuſdem. atque 2. de diſ. feb. 9. — 6. Aphor. 20. — 3. Fen. 4. — 2. de morb. cap. 12.

quia humores ſunt contrarij in qualitatibus ſuis, vnde ordine refracto, cum coniunguntur, reſultat
Libro de natura humana. quędam temperies propter eorum adinuicem admixtionem, vt docet Hypp. Non etiam ex aliquibus;
& ratio eſt, quia nunquam daretur tumor, qui ad ſaniem perduceretur: nam eius materia aut eſ-
ſet ſic calida, quòd facillimè tranſiret de loco ad locum. at quę debet maturari, indiget quiete; nam
maturatio eſt quædam digeſtio, & ad digeſtionem requiritur quies: aut ſic frigida, quòd nullo modo
reciperet concoctionem, ergo &c. Pro ratione quæſiti ſciendum eſt, quòd experientia eſt in contrariũ,
atque omnium Doctorum auctoritates; & ratio talis. vbi poſſunt eſſe cauſę alicuius effectus, ibi poteſt
eſſe effectus: ſed mala complexio, mala compoſito, & cõtinui ſol. in aliquo membro reperiri poſſunt,
quæ ſunt cauſa immediata tumoris; ergo & tumor. Ad rationes in oppoſitum reſpondendo, breuiter
dico: Ad primum, quòd vterq; poteſt generari: ad probationem, negatur conſequentia, quia tametſi
humores ſint permixti, poteſt alicui humori tamen aliqua mala qualitas accidere, vnde natura illum
Cap. 5. expellit, & alios regulat, vt declaratur ſecunda primi: Ad ſecundum dico, quòd ex ſimplici ſucco
producitur tumor. Ad probationem, quòd non ex ſanguine, dico; quòd talis permutatio non accidit
ſanguini, niſi in termino putrefactionis; ſed poſſibile eſt, quòd ex ſanguine, vt ſanguis, fiat tumor. Ad
auctoritatem Auic. de alijs humoribus dico, quòd verum eſt, quòd rarò datur humor purus, ex quo &
tumor purus; non propter hoc negatur poſſibilitas, vt patet ex Gal. & Principe de eryſipelate, & ſcyr
rho. Ad argumenta de compoſito dico, contingens eſt vtrunq; poſſe generari. Ad primam improba-
tionem dico, quòd & ſi fit ipſorum mixtio, non propter hoc temperies reſultat, quæ fit pro corporis
operatione. Et eò magis quando humores ſunt in loco non ſuo: quia tunc quantò magis agitantur in
ter ſe, tantò magis ſuarum qualitatum diſproportio reſultat, & per conſequens mala qualitas, eò quia
ab agente ipſos contemperante relinquuntur. Ad ſecundam improbationem negatur ſequela; & dico,
quòd non eſt neceſſe, vt omnis tumor ad ſaniem conuertatur.

DE MODO GENERATIONIS TVMORVM.

2. ad Glauc. c. 1. 3. art. med. cap. 95. Lib. de tumoribus. Libro de inęq. intemp. 4. de tuend. val.

SCOPVS, & methodus curandi tumores ſtat principaliter in cognitione tempo-
ris, & modi generationis eorum; ideò hoc in loco aliqua de eorum productione
dicamus. Duobus modis tumores generari declarabat Gal. Primus modus eſt
per viam deriuationis, aut catharri, ſiue defluxus. Secundus eſt per viam con-
geſtionis, ſiue coaceruationis. Dicit etiam Gal. prima inflammationis differentia
eſt, ſecundum quam hanc quidem humidam, hanc verò ſiccam eſſe contingit; hu
midam quidem, quę ex calida fluxione membrum occupante contingit; ſiccam
verò, quando, nullo humore influẽte, calor naturalis efferueſcit: hoc autem, vſque
ad aliquid, quidem veluti febris eſt membri, & interdum humiditates ibi contentę putreſcunt. Dictum
Diſt. 2. cap. 5. eſt etiam ſecundo ad Glau. fit tumor, aut ex ipſius loci humore, in quo naſcitur, corrupto; aut ex
alijs corporis partibus illo in loco confluentibus; fit etiam ex vapore, vel ventoſitate corrupta: Hæc
fuerunt declarata à Gal. in lib. de cauſis morborum, & 2. de differentijs febrium cap. vltimo.
Explicans autem primum modum generationis tumorum, qui fit per defluxum, dicit idem Gal.
Lib. ſect. ven. ſum. 2. cap. 3. Virtutem habet omnis particula, quemadmodum propriorum attractiuam, ità alienorum excretiuam:
& quoniam duplex eſt, quod alienum exiſtit, alterum quidem peccans in quantitate, alterum verò in
qualitate: hinc etiam ſi vtique non grauetur aliqua particula ab eis humoribus, habet tamen aliquas
ſuperfluitates ſecundum qualitatem pręternaturales, ad quarum excretionem prorumpit ipſa natura p
eas, quę in ipſa ſunt, venas, quemadmodum per canales: ſed ſiue ſanguis fuerit, qui expellitur, ſiue
alter humor, neceſſe eſt primum quidem ad aliquam proximarũ venire particulam, in illa autem duo-
rum alterum facit, vel digeſtus, vel tranſpiratus non adhuc ad aliam transfluit tertiam, & ipſa forti exi
Lib. de inæquali intẽperie cap. 4. ſtente, ex ipſa ad aliam particulam tranſmittitur, & ſic non ceſſat, donec ad aliquam perueniat, quę
non adhuc ad aliam expellere poſſit, & in hac abundat. Dicit quoque Gal. faciunt tumores ve-
2. ad Glau. 3. art. med. 95. 13. metho. diſt. 2. cap. 2. nę, humores ſanguini miſcendo, quando in eas ſe effuderit: tunc plenæ, atque tęnſę in aliqua
imbecilliorum parte, pondus graue, ſe exuendo, atque purgando, deponunt, quæ ſine dubio
pars carens virtute, nolens neceſſariò ſuſcipit pondus. Dicit inſuper; Ex fortioribus particulis im-
pulſę ſuperfluitates ſecundum multitudinem, vel qualitatem, in imbecillioribus incuneantur. Decla-
rans autem primum euacuationis modum, & expulſionis ſcribit; Sponte euacuari è corpore dicimus,
4. aphor. com. 2. quęcunque ſine aliqua medicatione excernuntur, nonnunquam ea, quæ noſtrum regit corpus, potentia
ipſum expurgante, nonnunquam ex irritamento aliquo, aut quia in vaſis contineri non poteſt. Et ali
Lib. de ineq. in temp. cap. 4. bi hanc eandem materiam declarando dicit; Aliquando effunditur materia in aliquo membro, tuncque
maiores venę, quæ in ipſo ſunt, pulſatiles, & non pulſatiles implentur primò, & extenduntur; deinde
illę, quæ ſunt maiores; & inceſſanter procedunt ſic, donec ad minimas proueniat venas: quando po-
ſtea ſuperfluitas illa in illis redundat venis, & eam non continent, effluit aliquid eius ex orificijs illa-
rum, & reſudat ex eis aliquid, atque egreditur ex ipſo venarum corpore, & implentur foramina, quæ
inter prima exiſtunt membra, tali ſucco, donec illi accidat calefieri, & humectari, & fit tumor. Declara
tur

tur etiam hæc materia.3.artis med. vnde Auic. dicebat. Omne apoſtema,quod cauſam manifeſtam non habet, & eius cauſa corporalis monſtrat materiam de vno membro ad aliud, quod eſt ſub eo,fuiſſe mutatã,vocatur catharrus .i. defluxſus; membra autem debilia, quæ tale pondus inuitò recipiunt, aut talia ſunt,quæ illicò, dum formatur animal, noxam ſubiere,aut poſtea læſa fuere, aut ſuapte natura, vt cutis. Datur modus ſecundus tumorum generationis,ſcilicet per viam putrefactionis, ſiue coaceruationis, vel exacerbationis,qui declaratur à Gal. quando inquit; Dico magis aliquid calefieri propter calorem in eo augmentatum, augmentatur autem aut propter nimium motum, aut propter putrefactionẽ, vel quia corpus à corpore calidiore comprimitur, vel quia calor clauditur; A nimio motu ſupercaleſiunt membra, ſicut videmus in exercitantibus ſe pila, ſi nimis ſe exercuerint; & in lapidibus,& lignis,ſi nimis inter ſe fricarentur. Propter putrefactionem verò,ſicut fit in ſpermatibus, & ſtercoribus putrefactis; & ibi dicit Gal.Quadam vice aſpexi columbinum ſtercus putrefieri, & per ſe ipſum nullo igne appoſito comburi. In corpore compreſſo à calidiori corpore calor augmentatur,ſicut cõtingit in balneo, vel à ſole æſtiuo: ſimili itaq; ratione dicebat Gal. Naturalis inſitus calor, quo vegetamur, atque mouemur ſupramodum incenſus, & arefactus in loco, quem apprehendit,& in quo conſederit, in illo phlegmones acres facit. Ait quoque Auer. Interdum fit tumor, quando membrum nutrimentum,quod ei demandatur, nec digerere, nec permutare poteſt, propter eius qualitatem, aut quantitatem, & augmentatur in membro taliter, quòd dilatationem ſecundum omnes dimenſiones recipit: & tunc eius calor eiſdem menſuratus, ideſt naturalis, extinguitur, & in eo putredinalis generatur propter materiam extraneam congeſtam: vnde ſequitur neceſſariò tumor preternaturalis.

Et primo prognoſt. com. 46.

2. fen. primi cap. 5.

Libro de cau. morb. cap. 2.

2. ad Glauc. cap. 1.

3. coll.

DIGRESSIO.

Verum eſt,vt declaratur. 13. metho. quòd tumor per viam coaceruationis rarò datur; & cum contingit, eius ſucci nec præparantur, nec ad perfectam coctionem deueniunt: ſicut videtur in tumore per viam deriuationis; nam,dicebat Gal. Phlegmon, qui per influxionem ſanguinis fit, propria cauſat accidentia, & hoc quia vnus ex humoribus eſt: qui verò coaceruantur, non niſi ex malo humore fiunt: & verè vt plurimum tumores aut à cauſa intrinſeca, vel forinſeca producti,fiunt per viam defluxus: illi verò, qui ex humorũ coaceruatione, fiunt (vt dictum eſt) aut quia membrum ſuum non poteſt permutare nutrimentum, vel quod ſupereſt de nutrimento, expellere non poteſt, vel humor coaceruatur propter prohibitam tranſpirationem, aut comburitur ab aliqua extranea caliditate: & ſi vnitur talis humor, fit tumor: talis rarò contingit; quia facillimè cauſę,quæ apertisſimę ſunt, euitari poſſunt. ſed quia dubitari poteſt, nunquid in tumore primò concurrat aut mala qualitas, aut corrupta compoſitio, vel continui ſolutio, ideò pro ratione quæſiti ſciendum eſt, vt diximus, quòd cauſa tumorum, aut eſt intrinſeca, aut forinſeca: ſi intrinſeca, dico, quòd in tali tumore primò occurrit mala complexio, quæ poſtea ſoluit; & vltimò conſequitur, cum facta eſt ægritudo materialis, mala compoſitio: ſed in tumore à cauſa procatartica apparet primò ſol. continui, ſecundò mala qualitas, quia à ſoluta continuitate fit attractio, ne detur vacuum, vt tenet Conciliator, deinde mala compoſitio. Cognoſcenda ſunt etiam ſigna horum tumorum; in tumore coaceruato ſemper præceſſit aliqua cauſa membrum debilitans, & cum incipit, eſt paruus valdè, & paulatim augmentando tendit ad ſtatum; & non apparent venæ tumidæ in eius circuitu; paulatimq; ſuccedit dolor, nec apparent in corpore ſigna repletionis; neque cognoſcitur cauſa manifeſta, ſaltem de propinquo. Tumoris autem defluxi ſignificatio, eſt manifeſta corporis repletio, ac membri ſuperioris; & aliquando cognita eſt cauſa primitiua, trahens materiam ad locum, ſaltẽ de propinquo. & cum incipit, velociter augendo procedit: & tument venæ in circuitu, quæ prius non apparebant: & dolor fit crudelis &c. Et quia hic noſter ſermo eſt de extrinſecis tumoribus,omnia ſigna non ſunt declaranda,niſi proprijs locis. &, vt dicit Auicenna, ſigna tumorum declarantur ſenſu, & præſentia.

2. fen. primi libri.

DE TEMPORIBVS TVMORVM.

TVMOR prȩternaturalis, ſicut & aliȩ paſſiones, habet quattuor tempora, ſcilicet principium, augmentum, ſtatum, & declinationem. Fuit declarata hæc propoſitio à Gal. primo de Criſi. à Serapione, à Principe. verum tamen eſt, quòd iſte in capite de phlegmone nihil dixit de principio, ſed de incremento, quod cognoſcitur additione magnitudinis, & tenſionis: Manſio verò per finem eius, & quòd ibi aggregata eſt materia, ſi debet aggregari. Declinatio autem, cum incipit tendere ad lenitatem, & debilitatem: ſed ſecunda primi omnia tempora clarè ſignificauit, dicens; Apoſtema quidem habet principium, in quo humor ad exteriora egreditur, & apparet, quòd concauitas augetur; deinde (.i. in augmento) capacitas augetur, & extenditur: poſtea ſtat, cum ægritudo ad maiorem peruenit ſtatum, in quo eſſe debet: demum incipit minui in declinatione, & maturatur pus. Ait Gal. in lib. de quattuor morbi tẽporibus,loquendo de phlegmone, Incipit in illo tempore,ſecundũ quod impletur particula ſanguinea ſubſtantia: quando vero magis diſtenditur particu-

Quinto Breuiarij. Cap. 17.

Prima quarti, cap. 1.

2. primi tract. 2. ſum. 1. cap. 7

3. fen. quarti. Cap. 5.

Cap. 3.

3. aphor. 47. Lib. 14. Tet. cap. 30.

la,& caliditas quędam innaſcitur propter putredinem,ſecundū hoc eſt tempus augmentationis,quando autem ad pus mutatur, maximè vtique dolores tunc comprehendet, & febres; vocatur ſtatus paſſionis hoc tale tempus ex auctoritate Hypp. quando verò ſuppuratur,vel diaforatur rheuma,& tumor vel tenſio minoratur, morbus eſt in declinatione. Hæc etiam quatuor tempora optimè declarantur ab Aetio.

DIGRESSIO.

cap. 2. cap. 1. Lib. de quat. morb. tēp. cap. vltimo, & pri. de Criſib. cap. 2. 2. aphor. 30. pri. de Criſib. cap. 1. cap. 10. 3. coll. cap. 9. 13. Contin. S. Breuiarij. pri. de Criſib. cap. 5. cap. 3. 3. de Criſib. 9. pri. de Criſib. cap. 2.

Debet medicus, vt dicitur ſecundo ad Gla. & 4. primi. diligenter cognoſcere tempora ægritudinum: quæ niſi optimè intellexerit, maxime lædit, ignorando quid in initio, quid in augmento, quid in ſtatu, quid in declinatione ægrotanti adhibere, vel auferre debeat. Et notandum eſt, quòd accidentia in augmento, & ſtatu ſunt ſæuiora; ſed in ſtatu magis ſtant, in declinatione minuuntur, & hoc eſt, quod dicebat Gal. ex auctoritate Hipp. Circa initia, & fines omnia imbecilliora, cum verò conſiſtunt, fortiora. Vnde Gal. alibi dixit. Status ægritudinis eſt fortior horarum omnium, & vehementior: & infra adduxit vnam ſententiam, quam declarauit Auer. qua mediante poſſumus diſtinguere tempora tumorum penes digeſtionem materiæ, & poſſumus appellare principium totum tempus, in quo nulla apparet digeſtio, & calor ſtat in membro ſepultus: incrementum quando magnificatur membrum, & calor aliqualiter agit in materiam, & incipit putreſcere, & apparet aliqua digeſtio, ſeu præparatio ad digeſtionem. Status verò eſt tempus, in quo materia tota eſt aut digeſta, ſi debet digeri, aut corrupta, ſi debet corrumpi. Declinatio autem eſt, cum expurgata fuerit talis materia,& mēbrum deducitur ad diſpoſitionem, & formam naturalem, aut ex toto fuerit diaforata, vt dicit Raſis auctoritate Gal. Cum in aliquo membro aggregata fuerit ſanies, & euacuatur, aut diſpergitur abſq; aggregatione, incipit membrū detumeſcere, & minuitur eius extenſio. Secundò notandū eſt, vt dicit Serapion, & vt docet Gal. Apparent in ſalubribus paſſionibus huiuſcemodi quattuor tempora: nam ſunt aliquæ ægritudines, quę propter ſui malignitatem, aut propter virtutis debilitatem, in augmento aut ſtatu enecant homines: ſed quando expectant indutias, vt apparet in tumoribus extrinſecis, donec perueniant ad declinationem, dicuntur eſſe ſalubres, & eſt tempus, in quo non moritur æger, vt prima quarti ex auctoritate Gal. habetur, etiam ſi quandoq; dubitauerit Gal. num hæc propoſitio eſſet vera. Sed redeundo ad ſermonem noſtrum, dico, quòd perfectè cognoſcuntur hæc tempora in calidis tumoribus, & magnis, à quibus læduntur operationes. Tertiò notandum eſt, quòd quantò magis materia tumoris fuerit calida, & benigna, tantò citius expectandus eſt ſtatus, à quo ferè omnes curatiuæ operationes dependent. Sed ad hoc auxiliatur tempus calidum, mēbrum forte, & conſtans virtus, vt dictū eſt prima quarti cap. 4.

DE TERMINATIONE TVMORVM.

20. 3. tra. 4. cap. 1 3. 4. cap. 23. 2. primi. cap. 126. Lib. de inæq. intemp.

TRIPLICITER terminantur tumores, vt docet Auic. vbi de pleuritide agit, & vbi de iudicijs ſaniei, & cap. de ægritudinibus compoſitis, & Raſis in lib. diuiſionum. Nam aut reſoluuntur, aut collectionem faciunt, aut in duritiem conuertuntur. Idem voluit Gal. & horum effectuum rationem reddit, quia impoſsibile eſt, quin res ad vnum duorum modorum perueniat, aut vt vincat ſuperfluitas, quæ in membro effunditur, & corrumpat membrum, in quo eſt, aut vincatur ab innato calore, & redeat membrum, & lacertus ad naturalem diſpoſitionem. Et ſi vincit ſuperfluitas, manifeſtum eſt, quòd oportet ex dominio malitię complexionis, vt impediatur mēbrorum operatio, & corrumpatur ſecundùm temporis longitudinem; Vnde Auic. in cap. de phlegmone in fine, dicit; Et ſcias, quòd dum non ſubmergit naturā materia, non prouenit apoſtema, & reſpirat per ignem eius, quod reſpirat exterius. Similiter declarat Gal. quæ nam tumorū determinatio ſit melior, & laudabilior; & eam laudat, quæ per euaporationem, & reſolutionem fit. & reddens rationem dicit, quia ad collectionem, & putrefactionem materię ſequuntur duo, primum putrefactio, ſecundum eius collectio: ſed diaforeſis optabiliſſima ſanatio eſt. Et notandum eſt, quòd tumor reſoluitur, quando materia fuerit benigna, & virtus potens, & corpus mundum, & membri poroſitates fuerint latę. Dicit Raſis in lib. diuiſionum, & Auic. cap. de phlegmone, quando reſoluitur apoſtema, cognoſcitur; quia rarificatur tumor, & pulſatio incipit minui, & ſedari, & inflammatio incipit quieſcere; & ſcis illud, quod aggregatur per additionem pulſationis, & caliditatis, & fixionem vtriuſque; & ſcis illud, quod putrefit propter digeſtionis difficultatem, & loci tenebroſitatem, & vehementiā tenſionis: putrefactio enim aliquando cauſatur à magnitudine, interdum à malignitate tumoris, etiam quòd tumor ſit paruus. Tumor induratur, quando materia fuerit viſcoſa, aut dura, & calor naturalis fortis, adeo quòd partes ſubtiles reſoluantur, & craſſæ indurentur. Dicit Gal. Cholera quidem facillimè reſoluitur, & velociter ab omni, quod in ea agit: bilis atra verò laborioſè; & vniuerſaliter omne, quod eſt ſubtile, & tenue, eſt velocis reſolutionis; & omne, quod craſſum, & ſpiſſum eſt, tardæ reſolutionis. Induratur aliquando propter totius materiæ ingroſſationem, aut maioris partis in eo contentæ, quando excluditur, aut reſoluitur pars ſubtilis, & remanet groſſa, quę induratur, & lapideſcit: vnde oritur longa, & difficilis cura; imò Raſis in diuiſionibus dicebat, quòd interdum tumor fit ita durus, quòd non ſanatur.

tur. Tale accidens ſæpe ex malo medici regimine contingit, & maximè in melancholicis tumoribus. Fit frequenter ſcyrrhus ab indoctis medicis, qui non intelligendo, mox à principio vehementibus ea, quæ tali humore loca laborant, atque intumeſcunt, diaforeticis curant medicaminibus, ſublataq; humoris tenuitate, ſpiſſitudo, quę remanſit fæculenta, quaſi in lapidem concreſcit. pari modo in pituitoſis propter ſymboleitatem ſæpe etiam in ſanguineis. Ideo princeps cap. de cura phlegmonis dicebat; Et cum timetur, vt declinet ad duritiem, adminiſtra mollificantia; nam quæ fortiter repercutiunt, aut reſoluunt, non conueniunt, vt diximus ſecunda primi. Notandum eſt etiã, vt docet Gal. quòd interdum determinatio tumoris ad ſaniem ſit laudabilis, & bona, ſcilicet per comparationem ad modos deteriores; quia ſæpe corrumpitur membrum ex tumore, vt dicit Auic. quod fit propter oppilationem corporalem, ſicut apoſtema calidum, malum, fixum, magnum, groſſæ materiæ, oppilans meatus, & prohibens vitam tranſire, aut ſuo veneno corrumpens. Notandum eſt etiam, vt docet Gal. quòd tumorum reſolutio duplex eſt, ſcilicet rationalis, & irrationalis: prima habet quattuor cauſas, quarũ prima eſt paucitas, benignitas, & ſubtilitas materiei. Secunda eſt membri raritas, & viarum largitas. Tertia fortitudo innatæ virtutis. Quarta eſt corporis mundificatio. Cum enim iſtæ omnes ſimul fuerint cauſæ, aut plures, tunc permutatio erit ad bonum, & reſoluetur tumor, & materia permutabitur de nobili ad ignobile membrum, & ab intra ad extra; quæ ſunt laudabiliſsimæ determinationes, vt docet Gal. Secunda determinatio eſt irrationalis, quæ per cauſas irrationales fit, & tendit ſecundum plurimum ad malum; & eius cauſæ ſunt tres, quarum prima eſt multitudo materiei, aut eius viſcoſitas, ſeu groſſities. Secunda eſt ipſa mala qualitas, acuta, corroſiua, pungitiua cum mordicatione, aut etiã venenoſa. Tertia eſt impotentia virtutis regitiuæ: & cum operantur iſtę cauſæ, fit permutatio ad malum, etiam quòd reſoluatur tumor, quia permutatur de ignobili membro ad nobile, & de circunferentia ad centrum, & tales euaneſcentiæ ſunt malæ. Dicebat Hypp. Eriſipelas ab exterioribus verti ad interiora non eſt bonum, ab interioribus autem ad exteriora, bonum, ſic ex Gal. dicendum eſt de omnibus tumoribus.

Gal. 2. ad Glau. cap. 11. — De inæq. intemp. 3.4. cap. 15. — 1. prognoſt. — 6. Aphor. cõ. 15 — 1. de morbis, & 6. Aphor. 25. In com.

DIGRESSIO.

Poſſumus dicere, quòd tumor ſit ægritudo communis communitate ſubiecti; quia in omni parte poteſt contingere, vt declarant Auic. & Auer. in conſimilibus quidem vt oſſe, neruo, muſculis &c. in organicis, vt pulmone, hepate, cerebro &c: & determinatur vno prædictorum modorum. Sed dubium eſt, vtrùm oſſa apoſtementur, & videtur, quòd non, argumentando à ſimili: nam ſicut tumor non fit in membris valde mollibus, propter eorum raritatem, & fluxibilitatem; cum materiæ faciliter poſſint expandi per eius poros, vt dicit Serapion, pari modo nec in oſſe, cum ſit frigidum, ſiccum, & valde durum; nec in eo accidit ſolutio continui; quia eius durities reſiſtit, nec humores poſſunt ſubintrare eius poroſitates; vnde non fit ægritudo in cõpoſitione. Secundò argumentatur ſic; quæ patent ad ſenſum, nulla indigent probatione; nam dicebat Ariſt. Qui ſenſum dimittit propter rationem, debilis eſt intellectus. ſed clarum eſt, quòd tumor ſemper generatur in membro, quod eſt medium inter duritiem, & lenitatem, ergo non in oſſe. Pro ratione quæſiti ſciendum eſt, quòd tumor dupliciter intelligitur: aut verè præternaturalis, compoſitus ex tribus ægritudinibus; vel non vere præternaturalis, vt de tumoribus oſsium dicendum eſt ex Auic. quando dicit; Apoſtema accidit membris mollibus, & cum accidit oſsibus, accidit res, quæ apoſtemati aſsimilatur, per quam eius ingroſſatur concauitas, & eius augmentatur humiditas: neq; eſt mirum, dicebat ipſe, vt ſit illud, quia recipit augmentum nutrimenti, & ſuperfluitatum. Præterea loquendo de oſsibus dicit, quandoq; accidit eis ſpecies apoſtematum, & illud quidem non eſt mirum; nam omne illud, quod recipit extenſionem cum augmento nutrimenti, non elongatur, quin recipiat extenſionem cum ſuperfluitate; quia ſi non reciperet materias penetrantes in eos, augmentantes eos, non fierent virides, nec denigrarentur. Idem dicit Auic. cap. de vẽtoſitate ſpinę; Nõ enim vere apoſtemantur, etiã quòd eis accidat res, quę apoſtemati aſsimiletur apoſtemate omnino præternaturali. Serapion verò credebat, quòd nullo modo oſſa poſsint apoſtemari: quem reprehendit Auic. cap. de karabit; & dicit. Quidam medicorum exiſtimauerunt, quòd cerebrum non apoſtematur, quia quod eſt lene, ſicut cerebrum, & durum ſicut oſſa, non extenditur, & quod non extenditur, non apoſtematur, qui ſermo eſt erroneus; quia & quod lene eſt, extenditur, & oſſa etiam apoſtemantur. Et ibi dicit Auic. quòd Gal. hoc confeſſus eſt: & rationem huius rei declarat ſub iſtis verbis. Omne, quod nutritur, extenditur, & augmentatur cum nutrimento: & propter hoc concedendum eſt, quòd extendatur, augmenteturq; cum ſuperfluitate, & illud eſt apoſtema, quamuis non ſecundum omnem dimenſionem; ideo non verè, & ſimpliciter apoſtematur, ſed ſecundũ quid: ſed verus tumor eſt, qui accidit in membris medijs inter dura, & lenia, quia recipiunt materiam ſuperfluam, & fit tumor, in quo omnia requiſita ad eſſe tumoris reperiuntur; & eleuant ſecundum omnem dimenſionem. Et ſic patet reſponſio ad primum argumentum. Ad ſecundum verò dico, quòd rarò quidem accidit tumor in oſſe, non tamen propter hoc tollitur poſsibilitas: nam Hypp. dicebat, à corruptione abſceſſus oſsis. Et Gal. dicebat; vtrum verò ad oſsis corruptionem ipſius oſsis ſequatur abſceſſus, vel carnis circunſtantis, non manifeſtauit Hypp. vtrunq; autem poteſt eſſe verum.

2.1. cap. 5. 3. coll. 29. — 1. Breuiarij cap de karabis. — Lib. 8. phyſic. — 2.1. cap. 5. — 7.3. cap. 1. — Doct. 2. ſum. 2. cap. 15. — 1.3. tra 3. cap. 1. — 7. Aphor. 74. In Comento.

DE

DE MODO PRAEDICENDI IN TVMORIBVS.

In com. primi præſag.
Lib. de cõſt. art. mad. cap. 16.
1. Aphor. 1.

DICIT Hypp. lib. primo prædictionum in principio; Videtur mihi, quòd ſit ex melioribus rebus, vt medicus vtatur prognoſtico: hac de re nonnulla dicam, quæ ad iſtam partem in materia de tumoribus maximè pertinent, quibus mediantibus poterit quis rectum prognoſticum in medium afferre. Et cũ medicus (dicebat Gal.) vtitur prognoſtico, facilè recipiunt infirmi ab eo, quod eis præcipit. Secundò, ſi cognoſcit futura accidentia, præparat ſe ad obuiandum eis. Tertiò, ſi rectè prognoſticauerit, non exiſtimatur fuiſſe in cauſa mortis; laboret igitur medicus in recta prognoſticatione, quia iudicium difficile eſt. Dico igitur, quòd via prędicendi in tumoribus ſumitur à quinq; medijs, ſcilicet à qualitate ſucci peccantis, à tumoris forma, à ſimpthomatibus, à regione, in qua contingit tumor, & à ſitu particulari.

Lib. de nat. hu. 1. & 2. de alim.

A qualitate materię, dicendum eſt, vt docent Hypp. & Gal. quòd humores noſtri corporis ſunt quattuor principales abſq; ſecundis humiditatibus, ſcilicet ſanguis, cholera, phlegma, & melancholia. Sanguis enim eſt calidæ, & humidæ complexionis; cholera (quæ & bilis flaua dicitur) calidæ & ſiccæ. phlegma autem (quæ & pituita nuncupatur) eſt frigidæ & humidæ habitudinis. melancholia (quæ bilis atra dicitur) frigida eſt, & ſicca; Aliæ verò humiditates, ſicut cambium, ros, gluten, & nomen non habens, non cauſant tumores, quemadmodum veri humores, qui aliquando ſunt naturales, & puri; interdum aduſti, admiſti, vel venenoſi. Ab vno humore ſimplex tumor gigni poteſt: dico ſimplex ſimplicitate materiæ; vel ſimplex, quia cum eo non ſunt aliæ ægritudines, nec aliud accidens, nec alia cauſa, niſi propria, & eſſentialia illius tumoris; & tales, vt refert Auer. benigni appellantur. Sed raro huiuſce modi reperiuntur: nam, vt dicit Gal. vt plurimum tumor eſt compoſitus, & raro ſolus, quia vt ipſe dicit de mente Hypp. non datur humor purus in corpore. Ideo Auic. cap. de phlegmone dicebat; parum quidem contingit, vt phlegmon ſit ſimplex, ſed vt plurimum ei aſſociatur eryſipelas, aut durities: ſed quantò magis humor eſt ſolus, tantò minus cum eo apparent praua accidentia, & citò hi tumores, pręcipuè calidi, reſoluuntur, aut collectionem faciunt. Dicebat Auic. Exituræ quidem diuerſificantur propter ſpatium maturationis ſuæ ſaniei ſecundum ſubſtãtiam humoris in ſubtilitate, & groſſitie, & complexione, in calore, & frigore, & æqualitate: vnde quantò magis materia eſt ſola, calida, & benigna, tantò magis aut reſoluitur, aut putreſcit. Verum eſt, quòd debet eſſe calida radicaliter, vt ſanguis, & cholera, & non per accidens, vt alij humores, dum putreſcunt; quia coaceruantur in aliquo ſinu, ibi intranſpirati permanentes: & à calore apprehenduntur extraneo putredinali, & calefiunt. Ideò Princeps dicebat; Apoſtema aut eſt calidum, aut non calidum; neq; exiſtimandum eſt, quòd apoſtema calidum ſit illud, quod ex cholera, aut ſanguine generatur tantùm, ſed ex quacunq; materia, ſiue ſit calida per ſuam eſſentiam, aut accidat ei caliditas in termino putrefactionis. Ex his igitur dicendum eſt, quòd ſi tumor calidus per ſe non determinatur vno iſtorum duorum modorum, ſit malus. Vnde Auic. dicebat circa finem capitis de apoſtematibus calidis; Illa ſunt mala, quæ non excitantur, vel non perueniunt ad declinationem, quam ſequitur lenitas, & detumitio, neque ad aggregationem materiei, imò ad membri corruptionem. Et cap. de phlegmone dicebat; Mala phlegmon eſt, quæ non tendit ad declinationem, neq; aggregat ſaniem; quia eius qualitas eſt mala: ſi quis enim humorum putreſcit, eſt ſanguis, propter eius aptas qualitates, ſed non putreſcit, aut quia admixtus cum frigido humore, aut quia membri calor debilis eſt. Raſis auctoritate Gal. dicit; Apoſtema, quod non aggregat, neque diſpargitur, malignum eſt, & maximè cum producit membrum ad perditionem, aut propter multitudinem materiæ calidum innatum membri ſuffocantẽ, aut à malignitate eius, cum extraneatur calor, & recedit à ſua naturalitate. Frigidi verò tumores non ita citò reſoluuntur, aut maturantur, ſicut calidi, vt declarat Auic. cap. de exituris calidis. quia calor non eſt ita promptus, & potens agere in ipſam materiam; nam ex Ariſt. non quodlibet in quodlibet. Et ideò Hypp. dicebat; Mollis tumor dolorem non inferens, & digitis cedens, longiori tempore finitur, ſed non ita graue ab eo periculum pendet: quòd ſi intra ſexaginta dies neque febris definit, neque tumor reſedit, ſuppurationem expectare oportet. Et per mollem tumorem eum pituitoſum, quem œdema appellamus, intelligit; tales enim de facili ad intenſam duritiem, ſi malo regimine gubernantur, deueniunt, & longiſsimo egent tempore in cura eorum. A fortiori atrabiloſi tumores, quos ſcirrhos vocamus, minus reſoluuntur, & raro putreſcunt, vel ſuppurantur propter qualitatem frigidam, & ſiccam ſui ſucci. Cancros verò omnes, vt docet Hypp. melius eſt non curare, quàm curare; curati enim citò pereunt ægrotãtes, non curati verò longius tempus perdurant, & idem alibi ſcribit: Durus tumor, & magnus, dolore crucians, mortis periculum non multò poſt fore denunciat. De his tumoribus multa locis proprijs dicemus.

3. coll.
1. de diff. morb. cap. 12.
2. prognoſt. com. 38.
3. fen. 4.
3. 4. cap. 20.
1. fen. 1. cap. 5.
3. fen. 4. cap. 1.
3. fen. 4. cap. 20.
13. contin.
1. pręſagiorũ 39.
6. parte aphor. 38.
1. pręſagiorũ 40.

A forma tumoris interdum prædicimus, vt facit Hypp. quando dicit; Oportet te eſſe attentum in his, quæ cum putruerint ſecundum huiuſmodi diſciplinam, quod eminet, & omnino extra eſt, & minus eſt, & peracutum, laudabile; quod vero ſpatioſum, & minus acutum, peſſimum. Gal. reddit rationem, & inquit, quòd laudabile apoſtema illud eſt, cui ineſt pinealis figura, quia ſignificat fortitudinem virtutis ad

1. prognoſt. 44. In comento.

tis ad extra expellentis. Ideo dicebat Auic. cap. de exituris calidis: Quantò plus eſt apoſtema vehe-
mentioris eleuationis, & acutioris capitis, procedens ad pineam figuram, eſt velocioris maturationis:
quæ autem ſunt cum diuerſitate lata, profunda, paucæ rubedinis, & groſſæ materiei, mala. Et 6. Epi-
demiarum dicitur; Ea apoſtemata ſunt laudanda, quę magis extrinſecè apparent, & poſt hæc, quę magis Com. 12.
acuta videntur: peſſima verò habentur, quę huic naturæ ſunt contraria.

Ab accidēti pręnunciamus ſuppurationem, vt facit Auic. Cum videris pulſationem plurimam, aut du 3. fen. 4. cap. 21
ritiem prolungatam, & caliditatem, tunc enim exiſtima, quòd apoſtema ſit in via, vt fiat exitura. Et
cum videris lenitatem quandam, & doloris ſedationem, tunc ſcias, quòd eſt in via maturationis. Ait
Gal. ſi dolor eſt maximus, prænunciat tumoris putredinem: & ferè ſemper ſuppuratio magnum ſequi- 2. de loc. aff. cap.
tur apoſtema: & omne apoſtema ſolidum, magnum, cum vehementi dolore, horrendum eſt, & citò 3.
mortiferum: & omne apoſtema molle, ſine dolore, & ſub tactu curſibile, tardum. Dicit Auic. Scias 3. fen. 4.
quòd omne apoſtema in exterioribus, cum quo non eſt pulſatio, non facit ſaniem. Et durus magnuſq;
tumor, dicit Hypp. Dolore crucians mortis periculum non multò poſt fore denunciat. Dat vniuerſa- 1. præſag. 40.
lem regulam Hypp. cum dicit: Dum pus conficitur, dolores, ac febres magis accidunt, quàm iam con 2. aphor. 47.
fecto. Sed quando reſoluitur tumor, apparent ſigna, & accidentia ſuperius dicta, & gradatim minu-
untur, & remittitur dolor, grauitas, febris, & his ſimilia; paulatim diminuendo procedunt; & pulſus fit
fortis, quia virtus exoneratur à pondere. inflatio tollitur, ſecundum quòd materia minuitur. Quan-
do verò tumor induratur, & febris, & dolor, & pulſatio minuitur gradatim, donec ex toto ceſſant, tu-
mor autem in ſua permanet quantitate, nec grauitas à membro tollitur, etiam quòd materia aliqualiter
minuatur; quę remanet, paulatim induratur, donec ad ſcirrhum deueniat. Cum verò corrumpitur, co
gnoſcitur ſenſu; nam apparet fætor malus, & ex tumore egreditur virulentia, & membrum fit ſtupidum,
& interdum ſenſus omnino ab eo aufertur, vnde liueſcit primò, deinde vireſcit, poſtea nigreſcit.

Prognoſticatio eſt in medium aliquando afferenda, ex notitia regionis ferueſcentis, quæ periculum 2. art. med. cap.
in ſe continet, vt membra primaria, & ea, quæ prope ſunt; quæ nam ſint membra primaria, declarabat 9.
Gal. ſcilicet cor. hepar, cerebrum, & teſtes. Prope his verò ea ſunt, quæ eis ſubminiſtrant: vt nerui ce 3 fen. 4. cap. 20.
rebro, artheriæ cordi, & venę hepati. Ideo dicebat Auic. Non omnia membra ſunt apta, vt in eis oria-
tur tumor: nam cum ſupradictis membris occurrunt, pernitiem minantur. Sed ea, quę deforis naſcun 2. ad Gla. D. 2.
tur in cutibus, dicebat Gal. ſine periculo ſanantur: Et Auic. dicit, melior exiturarum eſt illa, quæ facit cap. 5.
incurrere lenitatem, & maturationem, & eſt vehementis inclinationis ad exteriora, & eſt longinqua à 2. 4. cap. 17.
membris nobilibus: & exituræ minoris malitię ſunt, cum membrum, ad quod declinant, eſt inferius, &
eſt præter hoc, quòd eſt, ex generatione ſua inferius ignobile, ampli loci, capiens totam materiam:
Mala ſunt apoſtemata, quę neruis contingunt. Vnde Auic. dicebat cap. de ſignis ſolutionis continui-
tatis; debes ſcire, quòd apoſtemata, quæ deteriora habent accidentia, ſunt illa, quæ in membris exi-
ſtunt neruoſis, fortis ſenſus: deinde deteriora ſunt illa, quę ſunt ſuper iuncturas, quando tardè matu- 2. fen. 1.
rationem recipiunt. Et rurſus in iuncturis minoratur egreſſio exiturę, quoniam in eis ſunt humores mu 3. fen. 4. cap. 20.
cilaginoſi, & loca eorum ampla, non ſuffocantia materiam, neq; retinentia egreſſionem putridi, & ſi
egreditur illic exitura, eſt propter rem magnam. Et deterior exiturarum, & malignior earum eſt, quę
egreditur ſuper extremitates lacertorum, & propriè lacertorum plurium neruorum.

Natura, & compoſitio membri particularis facit diuerſitatem in prognoſtico, vnde dicebat Gal. Apo 1. prorit. com.
ſtemata calida, quę accidunt in mirach, ſi non fuerint magna valde, non ex eis euenit timor. Et Hypp. di 39.
cit; Apoſtema circa ventrē minus colligit humorē, quàm quòd in hypochōdrijs: minime omnium, quod 1. prorit. 41.
ſub vmbilico eſt. Et Gal. reddit rationem iſtius actionis, dicens; Aggregatio ſaniei in apoſtematibus, In com.
quę accidunt in mirach ventris i. ſub hypochondrijs, quando non expirat, eſt velocior, & hoc propter
caliditatem illius loci: & ſecundum elongationem apoſtematis ab hoc loco ad inferiora, eſt diminutio
aggregationis ſaniei, & paucitas illius: & propter hoc fit, quòd apoſtema, quod accidit ſub vmbilico,
non tranſit, niſi raro, in pus. Hęc Gal. ſententia confert in omnibus tumoribus calidis, in quibus pus ge
neratur, ſcilicet quòd quantò magis caliditas membri fuerit eleuata, tantò citius pus concoquetur.
Dicit Hypp. Deſtillationes in ventrem ſuperiorem ſuppurantur intra viginti dies. & Gal. dicit, per ven 7. part. aph. 38.
trem ſuperiorem intelligere debemus, qui à thorace pręfinitur, quem pulmo obtinet. Non ab re igi- In com.
tur Auic. de pleureſi mouet quæſtionem de malignitate quo ad latera, & dicit: quòd deterior, quæ con
tingit in latere ſiniſtro; ſed eſt conuenientior ad hoc, vt maturetur, aut reſoluatur; ſi materia fuerit di
ſpoſita ad hoc, ſcire oportet (dicit Paulus) quòd eriſipelata, quæ capiti potiſsimū oboriūtur, plus faceſſe
re negotij, adeoq; eſſe periculoſa, vt niſi efficax conſequatur auxiliū, interim quoque affectos ſtrangulat. 10. fen. 3. tr. 4.
Loquendo Auic. de extrinſecis tumoribus, in fine dicit; loca conuenientiora ad expectandum, vt in eis cap. 1.
maturetur pus, ſunt loca carnoſa paucorum neruorum, & venarum. Pronoſticamus ex materia tumo Lib. 4. cap. 2
ris multotiens, ſicut facit Hypp. Quicunq; ſuppurati vruntur, vel ſecantur, ſi pus purum, & album flu- 3. fen 4. cap 27.
xerit, euadunt, ſi verò ſubcruentum, & fęculentum, ac fætidum, pereunt. Notandum eſt, quòd ſunt 7. aphor. 44
aliqua apoſtemata, vt pinealia eleuata, acutorum capitum, quæ ſicut dicit Auic. Parum indigent perfo 3. fen. 4. cap 27
ratione, neque ante, neq; poſt maturationem. Sciendum eſt etiam, quòd interdum medici de mor-
te, aut ſalute infirmi aliquid dicunt, ingenium accipiendo ab operationibus infirmi, vt faciunt Hypp.
& Gal.

& Gal. & Celſus. hi,quorum morbi ad ſanitatem tendunt, facilè ſpirant, non dolent, dormiunt noctu,
3. prorit. 10.
ac quoque reliqua ſigna eis pollicentur ſecuritatem: perituri verò difficulter ſpirant, delirant, vigilant,
1. de Criſib. 14.
ceteraque id genus peſsima ſigna eis accidunt. Et quia non ſumus in re determinata, ſufficit declaraſſe
Lib. 7. cap. 3.
nonnulla principia, quibus mediantibus poſſumus in particularibus paſſionibus prædictionem in medium afferre, conſiderando eſſentiam morbi, fortitudinem virtutis, complexionem totius, patientis membri compaginem, infirmi ætatem, anni tempora, & tandem omnia ea, quę conſiderantur à Gal.
2. prędict. 6.
verum eſt, quòd aliquando, dicit Gal. in prognoſtico melius eſt ſilere, quàm procedere cum errore ſu
1. de Criſib. cap. 12.
per iudicium. Dicebat Auic. Exiturę, quę eueniunt, & maximè in ſignificationibus, & occultantur
2. fen. 4. tr. 1. cap. 17.
abſque maturatione, earum diſpoſitio non caret duabus rebus, aut vt redeat maior, quàm fuit, aut redeat ægritudo, aut expellatur materia ad iuncturas, aut ad membra doloroſa, aut feſſa, aut debilia.

FINIS PRIMI TRACTATVS.

LIBRI PRIMI.

TRACTATVS SECVNDVS.

SECTIO PRIMA.

QVONIAM omnis noſtra cognitio ab vniuerſalibus eſt, atq; confuſis, ad particularia, & diſtincta, ideo non incongruum eſſe putauimus, ſi priuſquam de ſingulis tumoribus ageremus, in vniuerſali totum hoc negotium quaſi præ oculis poneremus hoc ſchemate; cuius doctrinam eò vtiliorem fore ſperamus, quoniam vnaquæque diuiſio ab humoribus deſumpta eſt, qui ſingulorũ morborum cauſſæ eſſe ſolent in humanis corporibus. Legat igitur vnuſquiſq; hunc laborem noſtrum, atq; legendo ſe componat ad exquiſitiorem, & promptiorem eorum, quę ſequuntur, cognitionem; nam omnium tumorum ſcientiam quaſi informatam amplexus, deinceps illam exactius delineare, atq; expolire valebit.

TVMOR
- Calidus
  - A ſanguine
    - Puro
      - Malo
        - Exituræ malæ, ſicut bubo, phygethlum, & phyma.
        - —taum, vel carbo.
        - Althohoin, vel antrax.
      - Laudabili
        - Groſſo. — Phlegmon.
        - Subtili
          - Panaritium.
          - Spina.i. Forũculus, velalde menul dothienes.
    - Non puro
      - Phlegmon
        - Eryſipelatodes
        - Scirhoides
        - Vndimiatodes
  - A cholera
    - Non pura
      - Eryſipela
        - Phlegmonodes.
        - Scirhoides.
        - Oedematodes.
    - Pura
      - Eryſipelas.
      - Herpes, vel ignis ſacer.
      - Herpes exædens Formica.
        - Miliaris.
        - —Ambulatius.
        - Corroſiua.
- Frigidus.
  - Aquoſus
    - Hydrops
      - Hypoſarca
      - —Aſcites
      - Anaſarca
    - Hernia
  - A pituita
    - nõ pura — œdema
      - Scirrhoides
      - Phlegmonodes
      - Eryſipilatodes
    - Pura
      - Molli — œdema
      - Dura
        - Nodus
        - --Glandula
        - Struma
  - Flatuoſus
    - Cachexia
    - --Timpanites
    - Inflatio
  - A bile atra.
    - Pura — Scirrus verus.
    - Non pura
      - —Lepra
      - --Scirrhus impurus
      - —Elephantiaſis.
      - —Cancer.

DE TVMORIBVS SANGVINEIS.

Et primum de Phegmone. Cap. I.

De tu.prçt.nat. cap. 10. Et 13. metho.cap.2.& 1.de diff. morb. cap. 12. 2. de loc. aff. cap. 7.

PHLEGMON ex ſententia Gal. eſt tumor ſanguineus, ex ſanguine puro, laudabili, groſſo. Signa eius hæc ſunt, tumor eleuatus, dolor crudelis, caliditas ardens, rubedo obſcura, pulſatio magna, & tactui renitentia. Hæc omnia ſigna, dicebat Gal. ſunt phelgmonantis particulæ, quorum aliqua ſunt ei propria, vt tumor, & pulſus: aliqua communia, vt calor, rubor, & dolor.

DIGRESSIO.

Gal. 2.ad Glau. cap. 1. 4. coll cap.34. 2.de Criſib.cap. 12.

Hæc omnia ſigna ſolent apparere in omni phlegmone, ſi tamen non ſatis inſenſibilis ſit locus. Vnde Auer. dicebat; Apparent hæc ſigna in phlegmone, niſi dum eſt in membro inſenſibili; & diuerſificantur ſecundum quòd tumor eſt magnus, & paruus. Gal. dicit, quòd & febris ſequitur interdum hãc paſſionem, ſecundum diuerſitatem loci, & habitudinem corporis: quę tantum lenis eſt, & ſalubris.

2.ad Glau.cap.1 2.de Criſib.cap. 12. 3.fen.4.cap. 1. Lib.4. cap. 17.

Quòd eius cauſa materialis ſit ſanguis laudabilis, groſſus, patet ex Gal. quando dicit; Sanguine igitur optimo, ac mediocrem craſſitudinem obtinente, ad particulam aliquam vniuerſim fluente, phlegmon contingit. Nec de hoc dubitandum eſt; nam ipſe ait; Sæpe ipſa inguinum inflãmatio ex bono ſanguine fit, & Paulus Aegineta de inflammatione dicit; Cum ſanguis probus, & craſſitie mediocris, in particulam aliquam vniuerſim confluxerit, ac propter copiam impactus inhęſerit, inflammatio propriè appellata naſcitur. Vnde Auic. diuidendo apoſtema dicit; & factum quidem à ſanguine laudabili, groſſo eſt phlegmon. Et Auer. dicit; Scias, quòd in apoſtematibus calidis ſanguineis, ſanguis mundus eſt à putredine; & quando putreſcit, generantur puſtulæ. Gal. primo de diff. morborum. poſtquàm dixit, quòd antiqui ſolebant nominare phlegmonem, omnem inflammationem, ſubdit; Intentio tamen mea in eo eſt, cui eſt dolor, rubor, calor, tumor, & pulſus tactui repugnans. Et rurſus; Verum phlegmon (ait) eſt continuus feruor in alto, cum dolore, tumore, tenſione, & pulſu. Et eſt ipſius ſententia, quòd phlegmonis nomen aſſueuit à Græcis fieri de eis, quæ in tumore maiori ſunt, carnoſis particulis, ſimul cum tenſione, & renitentia in dolore pulſuali, & caliditate, cum rubedine. Vnde Auic.cap. de phlegmone, dicebat; Scias, quòd nomen phlegmonis in lingua Gręcorum eſt abſolutum ſuper omne, quod eſt inflammatum, deinde dicitur de omni apoſtemate calido, poſtea dicitur de eo, quod eſt ex apoſtemate calido cum proprietatibus iam dictis, ſcilicet caliditate, inflammatione, dolore &c.

4. coll.cap.34. cap. 12.

2.ad Glau.cap.1 & lib. de quat. morb. temp. De tum. prçt. cap. 2. 3. fen. 4.

13.metho.cap.1 Lib. 4. cap. 17.

Et quia prædicta omnia ſimpthomata conſequuntur ad phlegmonem, ideò ab eo incipiendum eſt, vt docent Galenus, & Paulus; & eò magis quia ſæpiſſime fit, & ad eum multa conſequuntur accidentia, quæ faciunt ad eius cognitionem. Et verè paſsiones iſtæ, etiam quòd ſint extrinſecæ, cognoſcuntur per accidentia propria, quamuis habeant & communia; nam, dicit Ariſt. Accidentia conferunt magnam partem ad cognoſcendum, quod quid eſt. Et Auerr. exponit, quòd talia accidentia debent eſſe eſſentialia, & in re. Hæc proculdubio ſunt à medico conſideranda, quibus mediantibus venit in cognitionem materiæ peccantis, qua ignota, ignoratur & cura, teſte Gal. Vnde Auic. dicebat; Cura vniuſcuiuſq; ægritudinis conueniens fit cum auxilio ſignorum. Dicebat autem Gal. Natura ęgritudinis cognoſcitur ex accidentibus, quę ſunt ei propria, & fortitudo ægritudinis cognoſcitur ex quantitate eorum. Et rurſus; Stude in cognoſcendis proprijs accidentibus cuiuſque morbi, & in eis, quæ communia ſunt alijs paſsionibus. Et iterum; Quę propria ſunt morbi accidentia, ſimul cum morbo inuadunt, atq; incipiunt: reliqua verò omnia mox apparent. In phlegmone autem fit tumor, prout declarabat Gal. dicens; Tumor nequaquam circa corpus fiet, abſq; quòd ſubſtãtia eius duorum alterum patiatur, vel enim alteratur à qualitate diuerſa, vel debilitatur à triſti ſenſatione, & continuum ſoluitur: vnde ſagax natura ſibi magis dilectas humiditates ad dolentem particulam tranſmittit; vel extrorſum ſubſtantiam aliquam acquirit, quam excretiua virtus demandat, oppreſſa à quantitate, vel inſtigata à qualitate: quæ cum digeſtionem non recipit, incuneatur, & tumorem cauſat. Nec flatus in his tumoribus reperitur, ſicut in multis alijs, nec alter humor, niſi ſanguis. Quòd non contineatur alter humor, palam eſt ex inciſione; nam ſi ſecatur, ſanguis effuſus multus apparet, & regio tota euidenter ſanguine plena: ſicut in madefacta ſpongia, & color ſolius ſanguinis eſt & proprius, & inſeparabilis. Et quia fluxibilis, multus,

1. de An tex. 2. In com.

1. ad. Glau.cap. 1. & cap. 12. 1.fen. 1.cap.20. & 1.Cant.123. 3.de Criſib. 4. 5. de loc. aff. 7. 1. de Criſib. 5.

Lib. de tum. præ tor nat. 2.

& craſſus

& craſſus eſt, tumorem facit. Et ideò dicebat Auic. cap. de phlegmone; Apparent venæ illius membri 3. fen. 4.
plenæ, quæ occultæ erant. Et ſunt verba Gal.

Apparet rubedo fuſca, & ad nigredinem decliuis, quia materia ſtat vnita, & profundatur. Et ne-
ceſſariò apparet rubedo, quia nulla alia earum, quę in corpore ſunt, particularum, vel humorum ru- 3. art. med. 95.
bea eſt, quàm caro, vt dicitur cap. de ſignis dominij ſanguinis; at phlegmon non eſt multitudo carnis, 1. & 2. fen. 1. lib.
ſed ſanguinis. Et ſi ſtat multa carnoſitas ſecundum corpus, abſq; ſanguinis multitudine, tumor quidem
maior fit eo, quòd eſt ſecundum naturam, color tamen in ſanatiuis terminis manet, in nullo ab ea, quæ
à principio, alteratus natura; ſed cum materia ſanguinea fuerit, & regio plena, rubedo intenſa, & mul-
ta demonſtrabitur; Augentur ſiquidem loca à ſubſtantia, & alterãtur à qualitatibus (eſt enim color qua
litas) propter hoc itaque eſt aliud à multa carnoſitate phlegmon.

Pulſus in eo reperitur, quando adaucta fuerit ægritudo, eo quia in altum eleuat, & coartat. Et Prin 13. metho. cap. 1
ceps dicebat cap. prop. Et quantò plus fuerint artheriæ maiores, & magis grandes, erit pulſatio
eius vehementior. Et ratio eſt; nam cum artheriæ, & venę à materia diuerſa in quali, & quanto ſunt
oppreſſæ, & conculcatæ, motum proprium quærentes diaſtolando, & ſiſtolando, qui in loco fit, cum
difficultate, & violenter mouentur, in quo motu maior fit pulſus. Et Gal. dicit; Cum exortum fuerit 2. ad Glau. cap. 1
phlegmon, extenditur, atq; conſtringitur locus copioſitate ſanguinis abundantis: vnde dolor crudèlis
arripit hominem, & pulſus profundus, terribiliſque ſentitur. & rurſus; Inſeparabilis eſt pulſus à ma- De tum. præt. nat. cap. 9.
gno phlegmone. Et nota, quòd talis motus ibi reperitur abſque quòd generetur ſanies, quod non fit
in alijs tumoribus. Pulſatio tumorum duplex eſt, vna ex prohibita tranſpiratione propter oppilatio-
nem pororum, à quantitate materiæ: alia eſt, quæ fit in ebulitione, dum pus generatur, extranea ſuc-
cedente caliditate.

Dolor extenſiuus propter ſanguinis multitudinem ei coexiſtit: quod probatur, quia dolor cauſatur
à mala complexione materiali, quæ ſoluendo dolorem cauſat; & tantò magis, dum erit in ſenſibili 2. de rat. vict. in
membro; quia, vt docent Gal. & Auic. dolor, quencunq; obſederit locum, aut continuitatis ſolutio- acut. com. 1. & 2. proret. com. 1.
nem, aut ſubitam alterationem oſtendit. Videamus, an ſit vera iſta propoſitio, quòd mala qualitas in & 2. aphor. 47:
eo, quòd ſoluit, dolorem cauſet. Et primò videamus, quid ſit dolor. Dolor nil aliud eſt, niſi ſen- Atq; 12. meth. 7
ſus nocitiuus. vel vt dicit Princeps; Dolor eſt ſenſibilitas rei contrarię, quę nihil aliud eſt, niſi ſenſatio & 2. de loc.
triſtis. Nec credendum eſt, quòd ſit læſio in operatione ſenſitiua, quia non eſt ablatio ſenſus, quod eſt aff 5 & 2. art.
non ſentire. Neq; eſt debilis ſenſus, quod eſt non apprehendere impreſsionem factam à re ſenſibili. med. cap. de ſignis thoracis affecti.
Neq; eſt prauus ſenſus, quod eſt ſentire aliquid, nullo pręſente ſenſibili obiecto, vt non exiſtentes mu 2. 1. cap. 19. & 4
ſcas videre: ſed dolor eſt ſenſus rei nocentis, quę nil aliud eſt, niſi qualitas diuerſa. Dicit Gal. Mala 1. cap. 30.
complexio non eſt parum quid in dolore generando, & hoc quia credebat, quòd doloris immediata 2. de loc. aff. cap. 2.
cauſa eſſet ſolutio continui, & mala qualitas ſoluendo. Hoc patet ex Gal. in lib. de inæquali intem 2. fen. 1. cap. 19
perie, vbi dicit, quòd paſſio, & dolor non fit in his, quæ verè alterata ſunt, eo quia non fit amplius 2. de loc. aff. cap. 1.
ſolutio. Et in eodem lib. dixit, Non enim in eo, quòd tranſmutata eſt craſis, ſed in eo, quòd trãſmu- cap. 6.
tatur, & corrumpitur, dolores fiunt. Et primo de cauſis ſimptom. Dolor non fit, poſtquam mem- cap. 1. diſt. 2,
brum eſt inciſum, vel fiſſum, ſed donec in ipſa paſsione ſunt morſiones, atque ſciſſuræ, niſi cum acci- cap. 6.
dentaliter infirmo loco humores acuti decurrunt, aut cum apoſtema calidum locum illum extendat.
Et alibi de mente Hypp. dicit; Dolor tunc corpori accidit, quando à ſua natura mutatur, atq; corrum- 5. de loc. aff.
pitur, non quando mutata eſt, atque corrupta. Idem voluit mirabilis Hypp. Et ideò dicendũ eſt, quòd cap. 4.
& febris, & dolor poſt tumorum ſuppurationem quieſcunt; quia in saniei productione ſtat quidam ter 2. aphor. 47.
minus ebulitionis, à qua ſoluitur continuum. Atqui terminus iſte ceſſat, cum iam confecta eſt ſanies,
quare tunc nullus adeſt dolor; & pure euacuato, fuligo, quæ dum petebat cor, cauſabat febrem, ex-
purgatur. Et vt Gal. dicebat; res, quæ indiget, vt fiat pus, quandoque eſt caro, quæ atteritur, & pu- 5. ſimpl. Medic.
treſcit, & quandoq; eſt humor ibi coaceruatus. Adducit autem vnam rationem, qua demonſtrat, con Diſt. 2. cap. 4.
tinui ſolutionem principalem eſſe cauſam doloris, & dicit; Aqua feruens ſoluit continuum, ſi ſupra car
nem apponatur, adeo quòd cauſat dolorem: ſi verò ſupra cutem, non cauſat dolorem, quia non ſoluit.
Item frigidum in ſummo gradu in cuti non facit dolorem, ſed bene in carne. Et ratio eſt, quia caro 4. ſimpl. med.
eſt mollis, & cutis dura, & viſcoſa, nec in ea ſolui poteſt continuum. Et ſic etiam calidum remiſſum cap. 3. & 12.
cauſat dolorem in carne, & non in cute propter rationem prædictam. Si verò dolor cauſaretur à ma- metho. 7.
la qualitate ſola, vt tenet Auer. cum cutis poſſit calefieri, vt caro, ſequeretur, quòd in cute etiam fie 3. coll. cap. 31.
ret dolor, qui tamen non fit. Dicebat etiam Gal. Si aliquis acu pungitur, non patitur dolorem maio- 1. de elementis, & 2. de aff. inter. cap. 5.
rem, quàm ſi ab acutis pungatur humoribus, ſed ex vtriſq; his doloribus, ideſt acu, & humoribus, con cap. 9. & 3. art.
tinuatio perturbatur. Ad propoſitum redeundo, dico, quòd in phlegmone reperitur dolor; quia ca- cur. 3.
liditas mordicat, & humor multus diuerſus ſoluit, & partes adinuicem ſeparantur. Et ſciendum eſt, 3. coll. 31. & 5. coll. 7.
quòd caliditas, & frigiditas, quia ſunt qualitates actiuę, vt dicitur in lib. de conſtitutione artis. Et ab 2. 1. doct. 2. ſum. 1. cap. 19.
Auer. & à Principe, cauſant dolorem per ſe, ſiccitas verò per accidens, humiditas autem nullo modo 3. art. med. cap.
cauſat dolorem; quamuis aliter ſentiat Meſue cap. de dolore aurium. ſed Auic. vbi agit de ſoda facta 95. & 2. de cõp.
ex malitia complexionis, dicit; Complexio quidem humida, ſecundum quòd eſt complexio humida, med. ſecũdũ locos ſermone 1.
non efficit dolorem, niſi illic ſit materia humida, faciens dolorem ex parte euaporationis, & euentus 1. 3. tra. 2. cap. 1. & 2.

e.1.ſum.1.doct. 2. cap. 19. 2.localiũ cap.1. Lib.8. cap. 29. 12.meth.cap.7.

ventoſitatis facientis ſolutionem continuitatis. Et rurſus ex ſententia Gal. & Aetij dicit; Licèt vnum ex generibus cauſarum doloris ſit malitia complexionis diuerſæ,non tamen omnis malitia diuerſa, imò calidum eſſentialiter, & frigidum eſſentialiter, & ſiccum accidentaliter, & humidum nullo modo dolorem faciunt. & ratio eſt (dicit Gal.) quia ad dolorem cauſandum requiritur vehemens, & ſubita mutatio: quia dolor eſt ſenſibilitas rei contrariæ ſubitò imprimentis. & Gal. ſcribit; Alteratio, quæ fit paulatim, nunquam poterit facere dolorem, ſed humiditas non poteſt per ſe ſubitò mutare complexionem membri, cum ſit qualitas paſsiua; ſiccitas verò, ſi comparatur ad frigiditatem, & caliditatem, non cauſat dolorem, ſi verò ad humiditatem, paruum dolorem generat: ſed humiditas, nec paruum, nec magnum: ſiccitas verò tenet aliquid acuitatis.

Calor ardens huic paſsioni contingit, ratione qualitatis peccantis humoris: nam ſanguis calidus eſt, & humidus, & multus; & dum eſt extrà vaſa propria, dum non ſtat in latitudine ſuæ naturæ, acquirit caliditatem extraneam, & putredinalem, & magis cum à craſsitie, & viſcoſitate ſanguinis cutis pori oppilantur; & ad intra reſeratur calor.

ADDITIO.

Quæritur, vtrùm à ſanguine laudabili poſsit fieri apoſtema: Et videtur, quòd non; quia ſanguis laudabilis non expellitur à natura, nec criticè, nec ſymptomaticè; ergo ab eo non fit tumor. Secundò talis ſanguis malam qualitatem in membro introducere non poteſt, ergo nec apoſtema. Tertiò ſi à ſanguine laudabili generaretur omnis phlegmon, ſequeretur, quòd nullus ſuppuraretur: Conſequens probatur; quia potius natura eum in optimum nutrimentum conuerteret, quàm ad ſaniem deduceret. Aliter credunt Doctores, & pro ratione quæſiti ſciendum eſt, quòd tumor dupliciter conſideratur, aut quò ad fieri, & ſui initium: aut quò ad ſui eſſe. Sciendum eſt etiam, quòd ſanguis dicitur laudabilis per comparationem ad ſanguinem malum, venenoſum,aut ſubtilem,acutum, à quo ſæua producuntur accidentia. Vnde reſpondendo ad primum argumentum, dico, quòd ſanguis laudabilis non expellitur à natura, niſi ſtimulata à cauſa primitiua. Dum enim in corpore temperato boni ſucci accidit contuſio, dolet locus, & natura ſuccurrere intendens, mittit & ſanguinem, & ſpiritum in maiori quantitate, quàm ſit virtus membri, regulare ſufficiens; vnde incuneatur,& fit tumor: Tamen ille ſanguis pro tunc, & in tali latitudine eſt laudabilis. Nec aliter credendum eſt; quia emboriſma, vt dicit Auic. aut mater ſanguinis, vt Gal. eſt tumor ſanguineus, & tamen pro tunc ille ſanguis eſt laudabilis, qui egreditur venam. Verum eſt, quòd ſi per ſpatium temporis ſteterit extra vaſa ſua, non amplius remanet ſub forma ſanguinis, vt docet Gal. ſed ſecundum ſui naturam permanens fit phlegmon ex ſanguine, ſcilicet ſano, & vero.

Gal.3.art.med.

4. fen. 4.tr. 2. cap. 16. 5.methor. 4. 6.aphor.cõ.20. & 2. de Criſib. cap. 12.

Ad ſecundum argumentũ dico, quòd verum eſt,quòd non ponit in membro malam complexionem, niſi in eo acquiſiuerit caliditatem extraneam; quia talis ſanguis determinat ſibi certas qualitates, dum ſtat ſub cauſa antecedenti, quas deperdit,dum fit ſub cauſa coniuncta, & ſic fit ſucceſsiue illaudabilis,& poteſt introducere malam qualitatem.

Ad tertium dico, quòd ſi talis ſanguis non peccaret in quantitate, ſequeretur eius potius digeſtio, quàm putrefactio:quod patet, nam non ſemper phlegmon deuenit ad ſuppurationem, niſi quando ſuffocatur natura à ſanguinis multitudine, vt etiam infra declarabimus.

1. fen. 1.

Et ſi quis diceret;difficile eſt credere, quòd ſanguis laudabilis dicatur eſſe groſſus,cum talis ſit æqualis ſubſtantię, vt docet Auic. cap. de humoribus.igitur non habet partes nec groſſas,nec ſubtiles; Dico, quòd eſt groſſus per comparationem ad alios ſanguines malos, & talis debet eſſe calidæ, & humidæ complexionis; Et ideo ad eum non ſequuntur ea accidentia, quæ ad ſanguinem ſubtilem; Ideo Auic. dicebat;à ſanguine ſubtili, malo, accidet phlegmon, quod declinat ad eryſipelam cum malitia, & fraudulentia. Hæc de phlegmone dicta ſint. Ad eius curam modò deueniamus.

3.fen.4. cap.1.

De Cura Phlegmonis. Cap. II.

Aetius Lib.14. cap. 30.

3. art.med. cap. 95.

POSTQVAM medicus cognouerit morbi eſſentiam per propria ſigna, ad curam ſe conferat, quę ſumi debet à morbi eſſentia. & ſtatim inquirat, nunquid cauſſa fuerit antecedens, vel primitiua: & ſi deforis, nunquid inuenerit corporis repletionem, aut temperiem: quòd ſi inuenerit corpus mundum, nulla alia reſtat intentio, dicebat Auic. cap. de cura phlegmonis, niſi curatio apoſtematis, inquantum eſt apoſtema: & talis fit per extractionem cauſæ coniunctę. Talis autem extrahitur,vt docet Gal. aut retrocedendo, aut per patientem particulam. Et ſi obuiat repletio corporis, tunc reſultant diuerſę operationes, ſicut in cura cauſati ab antecedenti cauſa: prima eſt regimen in ſex rebus non naturalibus; ſecunda eſt curare tumorem ſecundum eius tempora; tertia ſi qua conſequuntur accidentia, ea corrigere.

DIGRESSIO.

Plerique eorum, qui hanc exercuere facultatem, omni ſtudio, omniq; diligentia conati ſunt, tumo

rum

rum omnium ſigillatim naturam declarare; dico ſigillatim, quia de tumoribus brachiorum, tibiarum, digitorum, & aliorum ſingularium membrorum multa dixere. Hinc eſt, quòd magna ſcripſere volumina. Ego verò breuitati ſtudens, breuia quædam enarrabo, quæ ſi operatoribus fuerint nota, paſsiones omnes exteriores naturæ auxilio ad priſtinam reducent ſalutem. Et ſi nonnulli tumores ſortiūtur nomina à particulari membro patiente, non dixero eo modo, quo pleureſis à pleura, & peripneumonia à pulmone, ſed ophtalmia, quia oculo accidit; lęthargus, quia cerebro, panaritium, quia digito; & alteri loco minimè occurrunt, aut ita non denominantur: attamen non propter hoc degenerant ab vna quattuor cauſarum materialium, quia ophtalmia non erit aliud à phlegmone, nam ophtalmia eſt phlegmon accidens oculo: nec lęthargus eſt aliud ab œdemate. Ideo ſi quis phlegmonis intentiones cognouerit curatiuas, eas aſſumendo ab eſſentia morbi, vt docet Gal. ſciet & ophtalmiam ad ſalutem reuocare; quia tumor ſanguineus eſt, nonnullis tamen requiſitis conditionibus adhibitis. Similiter qui eryſipelam cognouerit, omnem cholericum tumorem curabit. Volo igitur de extrinſecis tumoribus in vniuerſali ab vnaquaq; materiali cauſa cōtingentibus in his meis digreſsionibus tractare: vnde ſiquis in recta corporum ſectione, & in naturæ operationibus fuerit exercitatus, his theorematibus notis, has omnes paſsiones curabit. Sanguineum tumorem curandi modum nunc aggredior; & dico, quòd duplex eſt via ſanationis huius morbi, altera vniuerſalis, altera verò particularis: vniuerſals enim & prima erit regimen in ſex rebus non naturalibus: Et aer in primis eligendus eſt ſincerus, & clarus, non humidus ratione thalami, nec rheumaticus, ſed temperatè frigidus, & ſiccus. Cibus vſq; ad ſtatum ſit leuis, pauci nutrimenti: & dimittenda ſunt pinguia, & omnia dulcia, lacticinia, legumina, & ſanguinem groſſum, & multum generantia. Laudantur lactuca, ſpinachia, borago, & ſimilia: panatella cum zuccharo, aut in brodio pulli, condrum, ptiſana ordeacea cum amigdalis, aut ſeminibus communibus. Et ſummatim talis diætha ſit tenuis, & maximè, vt docet Raſis, ſi qua apparuerit febris, aut in magno tumore, ſiue propè membra fuerit primaria; & talis celebretur, donec vera tumoris determinatio apparuerit. Dimittendum eſt vinum, niſi granatorum, ſi ſtabit virtus, & in principio tumoris; aut vtatur vino lymphato. Febrientibus verò ſyrupus violaceus cum vino ex granatis, & coriandrata aqua exhibeatur. Dormiat in nocte, & fugiat à ſomno meridiano. Quieſcat patiens, quia motus ad dolentem locum materias diuerſas decurrere facit, quanuis aliter ſentiat Gal vbi dicit, eum cui crura phlegmone laborant, non eſſe vel ambulatione, vel curſu exercitandum, ſed nec ſtare illis eſſe iubendum: imò ſedenti plurimum fricari, mox manuum motu exercitari illi eſt ſatius: At ſi cui in ſupernis partibus cæpit pars aliqua phlegmone tentari, huic motus ex mambulatione, aut curſu eſt ſalutaris; ſimiliter & frictio his quidē ea potior eſt, quæ cruribus adhibetur illis, quæ in ſupernis partibus adminiſtrantur, quippe præceptum in contrarium auerſionis in omnibus caſibus commune eſt: Stet læti animi, abſque coitu, & malis cogitationibus, quia ex 2. Aphr. In omni morbo laetari bonum. Sed quod magis vrget, eſt corporis euacuatio, quæ aut pharmaco, aut venæ ſectione celebratur. Sed primùm ea conſideranda ſunt, quæ à Gal. dicuntur; quando incæperit aliqua phlegmonare particula, ſcrutandum eſt, nunquid propter calorem aliquem præter naturam in ea factum, ſiue propter dolorem, aut aliorum membrorum hoc euenire facientium, vt te ceſſare faciente cauſam, phlegmon non vltrà augeatur. Et confert talis conſideratio, quia Auicenna in lib. de cura phlegmonis dicebat: cum autem cauſa eſt antecedens, oportet, vt incipias cum euacuatione, aut per phlebotomiam, aut per pharmaciam. Sed neceſsitas euacuandi fit, aut quia corpus eſt immundum, aut quia ægritudo eſt magna. Et eò magis, quia phlegmon eſt ægritudo de repletione, quam inanitio, & euacuatio curat ex Hypp. Ideo Gal. dicebat; In qualibet plethora euacuatio eſt neceſſaria; & ſi adhuc (dicit ipſe) non appareat repletio, vt incipiente phlegmone ab vna qualibet cauſarum. ſimiliter octauo methodi in cura febris ex obſtructione, ait; vbi robur ægro non deeſt, ſecanda vena eſt, etiam ſi plenitudinis ſigna non adſunt. Et ideò Princeps cap. prop. dicebat; Aliquando euacuatio eſt neceſſaria, licèt corpus non ſit multarum ſuperfluitatum, ſed in membro accidit, quòd ipſum deb litat; quare ad ipſum attrahuntur multę ſuperfluitates corporis. Dicit Gal. hæc ſunt duo errata, quæ contingunt empiricis, totius corporis nullam habere conſiderationem, & membra indebitè aut calefacere, aut infrigidare. Sed quod & ratio, & experientia ſuadet, totum quidem corpus euacuandum eſt, quacunq; indiget euacuatione. Et Hypp. eos reprehendit, qui inter initia morbi, non premiſſa venæ ſectione, phlegmones medicamento ſoluere conantur: Vnde Auic. de curatione exiturarum apparentium dicebat; Euacuatio, & repercuſsio ſunt res, in quibus communicant apoſtemata calida, & in ipſis errant ſtolidi nullam de eis habendo conſiderationem. Dicebant Raſis, Auer. & Gal. Cum in aliqua corporis parte calidum exoritur apoſtema, eius curatio à ſanguinis detractione eſt incipienda. Et Auic. dicit; Inchoetur à phlebot. in omni phlegmone, habito teſtimonio certo ſuper ipſo. Et Gal. dicit; Cum accidit phlegmon, plethorico quidem exiſtente corpore, vel cacochymo, cura diſcola, ideſt difficilis, eſt; neutro verò exiſtente, ſanatio certiſsima eſt, & facilis. Clarè etiam locutus eſt Gal. 3. ar. med. vbi dicit; ſi igitur vniuerſum corpus plus æquo plenum fuerit, per patientem locum minimè euacuandum; nam ſi ſcarificationibus, aut ſectionibus ſenſibiliter euacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus: ſi verò calefacientibus diſpergere tentabimus, plus erit id, quod vi caloris ad partem attrahetur, quàm diſperſum: quòd ſi in

3. art. med.

In art. med. cap. 2. & 4. Maimir cap. 2. & 3. fen. 3 tr. 1. cap. 6. 3. metho. cap. 1. & 6. eiuſdem cap. 1. & 2. ad Glau. cap. 1.

7. ad Alm. cap. 11.

13. methodi medendi.

13. terr. D. 2. cap. 1.

2. aphor. 22. Libro de cur. per ſang. miſs.

2. ad Glau. cap. 2

4. re. act. tex. 19. & 20.

3. fen. 4. cap. 28. Lib. diuis. cap. 126. & 7. ad Alm. cap. 11. 7. coll. cap. 29. 14. metho. ſum. 2. cap. 3. 3. Canic. 78. 13. metho. ſum. 2. cap. 2. cap. 95.

eo elaborabimus, vt quod influxit, retrocedat, corpus plenum non admittet. Ad hæc igitur ambo totum corpus euacuare oportet. Vnde Auic. cap. prop. dicit; Cum inuenis corporis repletionẽ, non tangas apoſtema cum molitiuis, quoniam attrahetur ad ipſum, pluſquàm id, quod reſoluitur, ſed oportet, vt euacuetur materia per phlebotomiam; & fortaſſe indiget ſolutione ventris. Et hoc dixit, quia

13. meth. diſt. 2. cap. 3. Et lib. de cur. per ſãg. miſs.

ſunt aliqua corpora, quę non euacuantur per ablationem ſanguinis tantùm, vt plethorica multarũ ſuperfluitatum ex Gal. ſed cum pharmaco, ieiunio, exercitio, balneo, vomitu, & quę per vterum fit, & per ora venarum ſedis, & frictionibus, & clyſterijs, &c. Ex his dicendum eſt, apparente phlegmone, & plethora, ac tumoris initio, & conſentiente ętate, tempore, & virium qualitate, atq; his omnibus, quæ à Gal. in de curatione per ſanguinis miſsionem conſiderantur, venam ſeca, & eam, quam medici mediam, baſilicam, nigram, et hepaticam vocant. Sit quantitas ſanguinis ad menſuram virtutis, habitudinis corporis, ętatis, regionis, temporis, & quantitatis ęgritudinis. phlebotomiã etiam iubent Ae-

Lib. 14. cap. 30. Lib. 4. cap. 17. 4. fen. 1. Et 1. fen. 3. cap. 29. 6. aphor. 47. 4. de reg. acut. com. 19. In lib. de phleb. ſu. 2. Doct. 2. cap. 5. In lib. diuiſionũ cap. 126. In 6. epidemiarũ par. 6. com. 5.

tius, & Paulus. phlebotomia enim eſt vniuerſalis euacuatio, & præcipuè ſanguinis, vt habetur capite de phlebotomia ab Auic. Et Gal. dicebat, quòd eſt vera, & vniuerſalis medicina omnium morborum de repletione, & in ægritudinibus ſanguineis ſemper phlebotomia pharmacũ pręcedere debet ex Gal. Sed quæſtio eſt de loco, & ſitu ſecandi venam. Vnde duæ occurrunt conſiderationes, in prima nunquid corpus ſit plenum, & iuuenis, & fortis: ſecunda, nunquid tumor ſit in principio, & fluere iam incipiat ſanguis, aut dubitatur, ne fluat. nam his apparentibus à longinquo, & oppoſito ſitu, vena ſecanda eſt, vt Gal. dicebat: incipiente verò brachio phlegmonem pati, non eſt eiuſdem brachij vena ſecanda, quia non propinqua, ſed ipſius ægræ particulæ vena eſt; quare vel alterius brachij, vel cruris venam, quæ ſecundum rectitudinem laborantis eſt lateris, incidemus. Dicebat quoq; Gal. Incipiente phlegmone phleb. & maxime diuerſiua ſumere conuenit. Et Raſis dicit, cura ſanguinei apoſtematis eſt, vt prohibeatur eorum generatio, & illud quidem fit cum phleb. ex latere contrario. Idem voluit etiam Auer. & Gal. Et verè in pluribus locis à Galeno hæc opinio declarata fuit, & propoſitio diuulgata eſt, ſemper fluxionis motum ad contrarium trahere oportet: & vbi agit de cauſis inflammationis,

7. ad Almaris. cap. 11. 7. coll. 29. 13. metho. d. 2. cap. 3. & in lib. de cur. per ſang. miſs. 2. ad Glauconẽ.

caſum ponit in terminis, & dicit; ſi ad genu fluxus deferatur, atq; hoc ſubitò plurimum attollatur, tibi verò totum corpus plenum ſanguine appareat, & valida laborantis vis, tempus autem anni ſit ver, regio temperata, æger verò ſit adoleſcens, aut iuuenis, is ſanguinis euacuatione ex ſuperioribus partibus indiget, oportetque incidere eius in cubitu venam, aut interiorem, aut mediam: ſi verò aliqua pars ſuperior pateretur, per inferiora ſanguis eſt educendus. In veteri autem traductione dicitur, quòd vena debet ſolui per antiſpaſim, ideſt contrariam detractionem, vt ſi dextera pars corporis patiatur, ſiniſtram feriamus: ſi verò ſiniſtra, dextram venam aperiamus: ſi verò inferior pars moleſtetur, de ſuperiori parte ſanguinem detrahere debemus. Vnde Auic. dicebat cap. pro. Neceſſaria eſt euacuatio, & minoratio materiei, & attractio ad contrarium. Et pro nunc de hac re ſermonẽ prorogare minimè intẽdo; nam huius rei diſputatio habebitur, vbi de phlebotomia, & modo phlebotomandi agetur: ſed pro

Sũ. 2. d. 2. cap. 5.

hac parte ſufficiat dixiſſe, quòd phlebotomia debet celebrari, & aliter non conuenit in his paſsionibus, niſi in principio, ex latere oppoſito, vt declaratur in lib. de phlebotomia. Eſt enim eligendus locus om-

7. coll. 29.

nino oppoſitus tumori, vt conſequatur vera diuerſio in extrinſecis tumoribus, & ſit vnius diametri. Sunt, dicit Auer. ſex dimenſiones in noſtro corpore, duæ latitudinales, ſcilicet dextrum, & ſiniſtrũ; duæ longitudinales, ſcilicet ſurſum & deorſum; & duæ profunditatis, vt ante, & retro: & eſt doct. Ariſt. in ſe-

tex. com. 8.

cundo lib. de cęlo celebrata phlebotomia, ſi corpus adhuc plenum apparebit, in ſequenti die, aut die tertio exhibeatur patienti pharmacum ſecundùm eius virtutem, ætatem, & complexionem, in quo ſit tantùm intentio euacuandi materias exiſtentes in vijs cõmunibus, aliqualiter remittendo ebulitionem humorum; Quia ſperandum non eſt, ſicut à phlebotomia, ita à pharmaco ſanguinem poſſe euacuari: nã ex Gal. medicina ſanguinis euacuatiua non datur, niſi venenoſa: ſed per pharmaciã materias putridas,

4. reg. act. 20.

& ſanguinem alterantes purgamus. & minus conuenit fortis medicina, dum coniuncta materia digeſta non eſt; nam vt Hypp. dicebat; Qui ſtatim inter morbi initia inflammationes medicamento ſoluere conantur, ij à diſtenta, inflammataq; parte nihil auferunt, affectus verò, vt pote crudus, non remittitur, ac partes ſanæ, morbo reſiſtentes, colliqueſcunt; quo circa morbus imbecillum iam corpus vincens, curationi non obedit. huic opinioni ſuffragatur etiam Gal. Sint igitur medicinę huiuſmodi: R. floris caſſię nouit. ext. ʒ. xij. zuchari. q. s. pro bolis. Aut ℞. floris caſſiæ nouit. ext. ℥. j. ellect. lenit. ℥. v. cum zucharo fiant boli. Aut R. pulpæ caſſiæ nouit. ext. ʒ. x. ſucci roſ. puri ℥. s. ſyrupi roſat. ſol. ℥. xv. aquarum endiuiæ, lupulorum. an. q. s. m. & fiat p. 6. Aut R. floris caſſiæ nouit. ext. mannæ ellect. an. ℥. j. aquæ lupu-

1. aph. com. 22. & 4. par. aphr. com. 1. & 1. de Criſi cap. 9.

lorum q. s. pro 6. p. Aut R. ellect. lenit. ℥. j. diaprunis ſol. ʒ. iij. ſyr. roſ. ſol. ℥. j. aquæ boraginis. q. s. p 6. p. Tale pharmacum tepidum exhibeatur in mane, & tranſactis quattuor horis, cibetur patiens, vt dictum eſt. Et ſic peractis euacuationibus, medicus erit tutus, ne cauſa antecedens tranſeat in coniunctam: & pręſeruabitur, ne tumor in maiorem eleuetur dimenſionem. & Princeps dicebat; Ex reditu verò materiei ad membra principalia ſecurat euacuatio: Et quia hæ paſſiones velocitatem ſtatus demonſtrant, non expectant ſic, quòd materia digeſtionem, & præparationem appetat. Et ſi aut ratione febris, aut quia ægritud furioſa, & malignitatem oſtendens, ad eius præparationem cogimur: laudantur ſyrupi de endiuia, eo lupulis, roſatus, de fumaria, acetoſis ſimp. & ſimiles: Aquæ verò lupulorum,

lorum, boraginis, endiuię, fumarię, & ſimiles. Verum eſt tamen, ſicut dicit Auer. non in omnibus tumoribus ſumus coacti ad euacuationem; quia in phlegmone paruo, membrorum carnoſorum, cuius materia eſt benigna, & ei non conſequuntur praua accidentia, nulla eſt conſideratio, niſi ad rem non naturalem, & curare tumorem in eo, quòd tumor. 7.coll.cap.35.

Secunda intentio, & particularis eſt regere tumorem ſecundum eius tempora. Et dicendum eſt, ꝙ cura tumorum eſt remouere, & euacuare cauſam facientem ipſum tumorem. & hæc in eius principio fit cũ repercuſsiuis, & apocruſticis medicinis. Et hęc ē ſecunda operatio in cura phlegmonis, aut in augmento cum reſoluentibus; & hæc eſt tutior: aut in ſtatu cum digerentibus cauſam coniunctam; & hæc via vtplurimum eſt neceſſaria in ſanguineis tumoribus. Igitur de impulſione aliquid dicamus, & videamus, nunquid celebrata euacuatione, ſecunda operatio ſit repercutere materiam fluentem; & ſi eſt ſecunda operatio, in quo tempore, & in quibus tumoribus vtenda ſit. Non eſt dubium, quòd ſit ſecunda operatio ex Galeno, vbi dicit; Secunda operatio eſt ſuperlinire partem inflammatam, his, q̃ id, quod influit, repellendi vim habeant. Et mox; Poſt detractionẽ ſanguinis, tali vtimur cataplaſmate, quo poſsimus abijcere, & repercutere rheuma à loco, in quo fluit. Idem voluit Raſis, & Auic. qui dicit; Apoſtematibus calidis adhibenda ſunt in principio quæ repellant, infrigident, & inſpiſſent. Et cap. prop. dicit; Incipe cum repercuſsiuis. Dicebat Galen. de aſperitate, & lenitate; Siquidem morbus talis eſt, immoderata partis repletio. neceſſarium igitur eſt, vt ſuperfluitas retrocedens euacuetur, aut per ipſam patientem particulam. Retrocedet autem aut impulſa, vel attracta, vel tranſmiſſa, vel vno aliquo modorum, vel omnibus. Et notandum eſt, quòd tali medio vtimur in principio tumoris, & ẽt in augmento, vt docet Galen. Verum eſt, quòd reſoluentia cum repercuſsiuis in augmento admiſcenda ſunt. Nam ibi Galen. phlegmonem curare docet, vt eſt fiens, factum, & futurum, & ibi potiſsimas indicationes ſumit à tumore, qui fiens, & factus. & dicit; Phlegmonis verò, quæ in generatione adhuc eſt, duplex indicatio eſt, veluti in reliquis morbis omnibus, quicunque in gignendo adhuc ſunt, nec dũ abſolutionem ſunt aſſecuti: nam quod eorum generatum iam eſt, id medicinæ artis parti, quæ morbos curat, ſubijcitur: quod autem in generatione adhuc eſt, parti, quæ futurum morbum præcauet. Ideò fluxiones, videntes etiam, quòd paruæ & incipientes ſint, prohibere eas oportet, ne maiores efficiantur; & hæc eſt præſeruatiua. Galen. enim dicit; Quę phlegmonum adhuc in generatione ſunt, eorũ cauſas prius abſcindes: quæ verò iam facta, hæc vtiq; curabis ſola. Abſciſsio enim cauſarum non fit, niſi cum rebus obuiantibus materiam venire ad locum. Ergo ſecunda intentio completur infrigidãdo, & ſtipticando in principio tumorum, & augmento: quia quod factum eſt, ipſum ſolum cura: quæ verò fiunt, præcuſtodi, ne maiora efficiantur. Et per factum, materiam coniunctam intelligere debemus, quæ indiget cura, & non præcuſtodia. Et notandum eſt etiam primùm, vt docet Galen. quòd conuenit iſta intentio in cura tumoris per viam catharri, & non per viam coaceruationis, qui vtplurimum fiunt ex impotentia virtutis digeſtiuæ, aut expulſiuæ: vnde ſuccus redditur crudus, & ex medicaminum frigidorum appoſitione magis incrudeſceret. Deinde, quod dicit Galenus, magis profectò ad incipientia phlegmona frigidis, abſtringentibusque, quàm ijs, quæ digerunt, eſt vtendum: atq; etiam num magis vbi craſſum, quod confluit, non eſt, ſperanda eſt repercuſsio ex Gal. quando materia fuerit calida, ſubtilis, & benigna in membro poroſo, & carnoſo, & non ſicco. Et verè magna conſideratio adhibenda eſt huic operationi. Tertiò notandum, quòd in materia tranſmiſſa à nobili, & principali membro repercuſsio non laudatur. Dicebat Auic. cap. de cura abſceſſus; Si illud membrum, qđ apoſtemate laborat, fuerit veluti excretorium alicuius principis, vt ſunt loca adenoſa colli, & apud aures ipſius quidem cerebri, aſcellę autem cordis, inguinaq; hepatis, tunc nullo pacto debent eis applicari, quæ repellant; non quaſi hæc non ſit vera curandi ratio eorum apoſtematum, imò hoc eſt verè præſens remedium illorum apoſtematum, ſed nolumus ea apoſtemata ſanare, immo cupimus ea augere, materiamq; ad ea trahere: nec timemus addere læſionem illi particulæ, cum principi opitulari quæramus. Nã ſi materiam reuelleremus, nunquam ſine formidine eſſemus, quin materia ad nobile mẽbrum perueniret, vñ irreparabile ſubſequeretꝛ incõmodũ: Nam nos prælegimus membrum lædi ignobile, vbi nobili ſuccurratur; immo nos ſtudemus trahere materiam ad membrum ignobile, vt in eo apoſtema oriatur, ſiue cucurbitulis, ſiue emplaſtris calidis vim attractiuam habentibus. Et hęc eſt ſententia Gale. capite de tumoribus, qui fiunt poſt aures: ibi dicit Galen. In his alio modo procedendum eſt, quàm in phlegmone aliorum membrorum, ſcilicet pharmacis attractiuis vtentes, & ventoſam afferentes. volumus enim de profundo ad cutem triſtantem humorem attrahere. Quartò notandum, quòd cauenda eſt talis operatio, quando materia fuerit expulſa per viam criſis ex Auer. quia ſic vult natura; eſt enim motus naturę, & denotatur victoria eius contra morbum. Dictum enim eſt; quæ educere oportet, quo maximè natura vergit, per loca conferentia, eò ducere. Et Princeps dicit; Nullo modo agas contra operationem naturæ. Et rurſus; ſi fuerint per viam criſis, aut ſecundùm ſemitam expulſionis à membro principali, tunc non oportet, vt prohibeatur omnino. & Paulus dicit; In his autem tumoribus, qui ob febres, aut omnino humorum abundantiam procrearunt, caueri debent repellentia. Quintò nullo modo infrigidandus eſt locus, quando humor ſapit naturam veneni, quia ex Ariſt. Natura veneni eſt immediatè petens cor, & eſt naturæ inimica ex Galeno, ſed in his morbis fiat attractio,

2.ad Glauc.c.2 3.a' t.med 95.et 3.de ſimpl. d. 2 cap.5. 7 ad Alm.ca 11 1.fen.1.cap.1. 3 fen.4. 3.art.med.c.9. 13.metho.c.2. 13.methodi. 4 fen.1. 3.de comp.medic.2.loc. 7.coll. 1.aphor.2. 1 4.cap.de cura Tertianæ ... 3.fen.4.cap.19. Lib.4.cap.?

3. de temp. c. 4. 13. metho. 4. fen. 1. cap. de phlebotomia. 5. de ſimpl. d. 4. cap. 4.

quocunq; modo, vt dictum eſt, aut etiam, vt docet Galen. ſcarificando profundè, & reiterando corporis euacuationem, et cum phlebotomia: ſed, vt docet Auic. melior eſt multiplicatio numeri, quàm quantitatis, ne materia ad intra retrahatur. Et Galen. dicebat. Venenum mortiferum non euacuatur, niſi per medicinas, quæ ponuntur deforis, & iſtæ medicinę attrahunt hoc venenum, aut per caliditatē ſuam, aut per ſimilitudinem totius ſubſtantiæ ſuæ. Sextò, in corpore pleno non eſt laudata impulſio; quia (vt dicit Galen.) ſi in eo laborabimus, quod influit, vt retrocedat, corpus plenum non admittet.

3. art. med.

Septimò, in membro nobili extrinſeco abſolutè non ſunt applicanda medicamina frigida; quia facillimè mortificantur, & eò magis, ſi fuerint ſenſitoria, vt teſtes, concatenationes, & ligamenta: nec natura patitur horum medicaminum applicationem propter repentinam mutationem.

3. art. med. & 2. aphor. com. 51.

Octauò, & vltimò, cauenda eſt nimia infrigidatio in omni membro. Auic. cap. de cura phlegmonis circa medium dicit; Et quando cadit ſuperfluitas in infrigidatione, fortaſsè perducit ad corruptionem membri, & corruptionem humoris conſtricti in apoſtemate, & tendit apoſtema ad viriditatem, & nigredinem. Nec credendum eſt, quòd frigiditas ſit cauſa, quòd locus tumidus tendat ad nigredinem: nam qui moriuntur ex frigiditate, remanent albi: ſed caliditas membri, dum à nimia frigiditate conſtringitur in membro, agens ipſa in materiā calidam eam adurit, & ſpiritus per conſtipatas vias tranſire non poſſunt, vnde membrum putreſcit, & ad nigredinem tendit. Quæ nam ſunt tales medicinæ? Apocruſtica medicamenta ea ſunt, dicebat Galen. quæ impellunt humores, quibus occurrunt, ad profundum corporis;

5. de ſimpl. d. 4. cap. 4.

quorum ſubſtantia eſt frigida, & groſſa nam calidum ſemper attrahit, & frigidum impellit, & maximè frigidum, cum quo eſt maxima craſsities, ſicut res ſtiptica. Cum enim medicina eſt talis, habet conſtringere membrum, & retinere ſpiritum, confortando virtutem retentiuam. Auicen. verò dicit; Repercuſſiua medicina eſt illa, cuius proprietas eſt propter frigiditatem ſuam, vt in mēbro faciat prouenire frigus, & inſpiſſentur, & conſtringantur pori ipſius, & frangatur caliditas eius attractiua, & congeletur illud, quod ad ipſum decurrit, & inſpiſſet ipſum, & prohibeat ipſum, ne ad membrum currat, & prohibeat membrum à receptione ipſius.

2. can. doc. 1. c. 4

5. col. cap. 8.

Addit Auer. quòd nullo modo hæ medicinæ debent eſſe mordicatiuæ, quia expelluntur à poroſitatibus membrorum. Ad hanc perficiendam operationem aliqua ſunt ſimplicia, & aliqua compoſita. Ex ſimplicibus nonnulla ſunt ex plantis, & multa ex mineralibus: Ex plantis ſolatrum, cimolea, roſa, galla, glandes, iuſquiamus, acatia, plantago, mirthus, virga paſtoris, papauer, ſemperuiuum, vermicularis, portulaca, granata omnia, viola, nenuphar, ſanthalus, poma acetoſa, comæ rubi, balauſtia, vmbilicus Veneris, ſumach, coriandrum, & tales herbæ, aut earum ſucci, aqua roſarum, & acetum. Ex mineralibus plumbum, bolus armenus, terra ſigillata, ſanguis draconis, ceruſſa, tutia, camphora, lythargirium, antimonium, coralli omnes, &c. Dicit Auic. quòd ad talem operationem medicinæ debent eſſe mediæ, & temperatæ. & à leuiori eſt inchoandum. Vnde ipſe cap. de cura phlegmonis dicebat; Quæ fortiter repercutiunt in primis, & què fortiter reſoluuntur in fine, mala: caue ergo, quantum potes.

1. metho. d. 3. cap. 2. 7. col. ca. 29.

Dicebat quoq; Gal. quem ſecutus eſt Auic. cap. de cura eryſipelatis, & Auer. In cura phlegmonis debemus magis tendere ad euacuationem, quàm ad infrigidationem: in eryſipela verò è contra; quia materia phlegmonis eſt ſanguis craſſus. De compoſitis medicinis ad hanc operationem aliqua dicamus, nec multæ à me expectentur deſcriptiones, cum morbi eſſentia medicaminum diuerſitatem poſtulet. Horum medicaminum diuerſi ſunt gradus, quorum p. eſt talis: ℞. Albuminis ouorum, aquæ roſarum an. q. iiij. conquaſſentur adinuicem, & infuſis ſtupis accenſo loco ſupponantur: Aut ℞. boli arm. ſanguinis draconis an. p. æquales, aceti q. s. miſce pro linimento.

2. ad Glauc.

Gal. laudat ſpongiam infuſam in oxicrato aut vino auſtero, & ſuperpoſitam, Dicit etiam, quòd expedit emplaſtrum apponere ex ſemperuiuo, & corticibus malorum Punicorum in vino decoctis, & rhu, & farina hordei compoſitum: hoc enim in talibus optimum eſt, atq; ad omnia, quæ facere intendimus, efficax: repellit enim id, quod influit, atq; id, quod continetur, exſiccat, & membra circuſtantia corroborat.

2. ad Glauc. & 13. metho. & alibi ſæpè.

Mirum in modum Gal. laudat vnguentum diacalcitheos cum roſaceo, aut mirthino in formam linimenti. Et rurſus dicit; In phlegmone tantiſper eſt refrigerandum, quatenus ad incrementum eius ſiſtendum, inhibendumq; eſt commodum. Auic. dicebat cap. de cura phlegmonis;

1. ad Glauc. & 13. metho. cur.

Medicinæ repercuſsiuæ ſunt ſicut ſucci herbarum frigidarum, & propriè corpora earum præparata ad emplaſtrum, & ibi enumerat portulacam, cucurbitam, & fere omnia iam dicta; & dicit. Si quæris maiorem infrigidationem, vtere ſanthalis, acatia, lenticulis, memithe, & iuſquiamo albo: Et addit, quòd herba apoſtematum, quam nos cimpalariam, aut vmbilicum Veneris vocamus, in principio eſt valde bona. Sunt & multa vnguenta, quibus vti poſſumus ad hanc intentionem, vt roſatum Meſue, de corticibus caſtanearum, infrigidans Gal. quod à Principe ceratum cum aqua frigida nominatur vnguentum populeonis, album &c.

2. aphor. 51.

Et ſemper memoriæ tenendum eſt, quod dicit Hypp. plurimum, atq; repente euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, ſiue quouis alio modo corpus mouere, periculoſum; quoniam omne nimium eſt naturæ inimicum: ſed quod paulatim fit, tutum eſt, tum aliàs, tum cum ab altero ad alterum tranſitus ſit. Aliud aduertit Auicenna, & ſunt vltima verba cap. de cura phlegmonis, quòd talia apoſtemata liniantur cum penna, quoniam digiti lędunt ipſa: Malū eſt.n. addere calidū calido, quia contrariatur intentioni. Hæc ſint dicta de principio tumoris.

2. ad Gla. & 13. metho. c prop.

Verum eſt, quòd Gal. & Auic. vnum aliud conſiderant in tali tempore, quod medicum à tali operatione defi-

ne deſiſtere facit, ſcilicet cum maximus appareat dolor: cum magno enim dolore fluxu incidente non ſic oportet facere, neque aquam calidam, neq; oleum, neq; farinæ triticeę cathaplaſmata offerre. Hæc enim omnia fluxionibus aduerſantur, quamuis ab initio aliquid iuuare videantur. ſufficit autem in huiuſcemodi affectibus vehementiam doloris mitigare cum aliquo ex his, quod ex vino dulci, & oleo roſaceo, & pauca cera, quæ in vtroq; ſit liquefacta, conficitur. oportet autem hæc lanis excipere ſordidis, quæ plurimum æſipi habeant, & æſtate quidem frigida, hyeme autem tepida apponere. Sic etiam cathaplaſmata ex arnogloſſa, lente, pane, & roſaceo oleo adhibere. Quandoq; accidit (dicebat Auicen.) ex refręnatione vehementia doloris propter ſuffocationem materiei, & ſoliditatem membri; Et tunc reſultat noua intentio: nam, vt ipſe dicit, vehementia doloris facit te indigere medicinis mollificātibus abſq; attractione; & fortaſſe erit cum eis infrigidatio, non prohibens mollificationem. Et infra adducit verba Gal. dicentis; ſi volueris regere in principio cum ſedatione doloris, non approximes eis aquam calidam, & olea mollificantia, & emplaſtra facta ex huiuſmodi medicinis; ipſa enim ſunt contraria vehementer ei, quod eſt neceſſarium de prohibitione effuſionis: & redeas ad bolum armenum, ſolutum in oleo roſato, aut ad lentes decoctas cum roſis, aut merdaſengi cum oleo roſato. Et tandē recitat de verbo ad verbum ea, quæ laudantur à Gal. in prohibitione dolorum: qui omninò fugiendi ſunt, & maximè intenſi, quia dicebat Gal. Omnis dolor fluxiones commouet. Et rurſus; Dolor vehemens cauſat febrem. Et iterum; dolor facit repentinam mutationem, quam natura non tolerat. Et rurſus; Dolor vehemens virtutem proſternit; et tandem à tali accidente prouenit mors. Dicebat Princeps; dolor, qui validior fit, interficit quidem, ac primò corpori frigiditatem, rigoremque affert; mox minor redditur pulſus, deinde penitus amittitur, poſtremò tandem moritur æger. Apparentib. igitur huiuſcemodi accidentibus, duę reſultant intentiones, cum morbus ſit complicatus ex tumore, & moleſto accidenti: ad duas enim paſſiones duæ requiruntur intentiones: Eſt tumor in fieri, & dolor: his omnibus vnà incumbendum eſt: Tumor indiget repercuſſione, & dolor temperamento, aut virtutis ſenſitiuæ ablatione; & poſſunt hæ intentiones ab vno tantum medicamine ſimiliter perfici, ſcilicet per prius repercutere materiam, & per poſterius aliqualiter dolorē ſedare: qui non ſeparatur à phlegmone, cum ſit ei proprium accidens. Et ideò in tali tempore anodina omnia frigida ſunt conuenientia; de quibus ſupra nonnulla diximus ex Gal. & Auic. Ego verò opportunum remedium ſæpe inueni in pinguedine gallinæ, aut anſeris cum albumine, & vitello oui, de quo multa dixit Gal. Aut R. maluam, & ipſam decoque in aqua, & piſtetur, & addita farina hordei, & oleo roſato, fiat emplaſtrum. Dicebat Gal. Oleum roſatum ex parte roſarum refrenat, ex parte olei euaporat. Et ideò Auic. dicebat; in oleo roſato eſt reſolutio quædam. Aut ℞. panis tritici albi triturati lib. 1. infundatur in aqua per horam; vitellorum ouorum numero ij. florum nenufaris, ioſciami albi an. ℥j. croci ℈.s. rob q. s. pro emplaſtro. Et hæc ſatis de principio phlegmonis.

2. ad Glauconē
3. art. med. 95. & 5. parte Aphor. 25.
3. localium 23.
12. metho. 2.
2. aphor. 51.
3. art. med. & 1. de pot. nat.
2. de diff. feb. ij.
3. de reg. acu. 37.
4. fen. 1. cap. 30. Et 2. fen. 1. tr. cap. 97. & 4. fen. 1. cap. de mitigatione doloris.
3. art. med. 9. & 4. metho. 1.
2. de aff. inter. & 2. localium 9 & 12. & 4. fen. 1. libri.
Hypp. 5. apho. aph. 25.
3. localiū cap. 9
3. de cōp. med.

Debet medicus & in augmento iſtius tumoris maximam adhibere conſiderationem, & ſolicitus valde in naturæ operationibus eſſe debet: & videre, nunquid humorum fluxus ceſſauerit, vel ſi quod iam fluxit, poſſit reſolui; Quia in augmento (dicebat Auic.) ea conueniunt, quæ reſoluunt, & refrenant. Nam eſt tempus, in quo materia & fluit, & pro parte fluxa eſt: & quæ fluxa eſt, ex Gal. euacuabitur, partim quidem manifeſtè, & ſenſibiliter, partim verò in vapores reſoluta. Quę verò fluit, impulſionem deſiderat. Vnde R. roſarum, florum nimpheæ, ſertulę Campanę an. m. j. farinæ hordei, fabarum an. ℥. ij. olei roſati, violati an. q. s. miſce, & fiat emplaſtrum. Aut. R. ſucci ſolatri, portulacæ, virgæ paſtoris an. ℥. i. s. farinæ hordei, fenu græci an. ℥. ij. florum nenupharis, roſarum, furfuris tritici, an. ℥. i. olei violati, mirthini an. q. s. miſce, & fiat emplaſtrum. Aut R. florum maluę, nenufaris, parietarię, furfuris ſubtilis an. m. j. farinæ hordei, fenugræci, fabarū, an. ℥. ij. medulę panis bene fermentati ℥ iiij. olei roſati, mirthini, violati an. q. s. croci parum: miſce, & cū oxicrato fiat emplaſtrum. Et ſi natura tendit ad reſolutionē, cū reſoluentibus procedendum eſt. Diaforeticha medicamenta ea ſunt, dicit Auic. quorū proprietas eſt, vt ſeparent humorem, faciendo ipſum vaporem, & extrahendo ipſum à loco, in quo fuit detentus per partem poſt partem; donec aſſiduatione illius operationis finiat illud, quod ex eo remanet, fortitudine ſuæ caliditatis. Hæc enim operatio fit aperiendo poroſitates, & reducendo humores in partes aereas. Vnde dicendum eſt, quòd non quilibet humor eſt aptus reſolutioni, neq; quodlibet membrum eſt aptum, vt humores in eo contenti reſoluantur, & tunc cataplaſmata fiant ex decocto pinguium caricarum cum hyſopo, origano, & farina hordeacea, fenu gręco, & ſeminibus lini cum pauco ſalis. Et ſi quærit natura materierum expulſionem, tunc expectare debes ſtatum tumoris, in quo materia ſit coniuncta, & ponitur effectus, vnde repercuſſiua minimè conueniunt, dicebat Gal. Si ſanguis in particula, quam phlegmones comprehendit, vehementer eſt impactus, non eſt amplius repercutientibus vtendum, ſed tum digerere eſt tempeſtiuum. Vnde Auic. cap. prop. dicebat: Cum ergo vides incæptionem apoſtematis incedere itinere exituræ, tunc dimitte infrigidantia, & incede in viam eius, quod maturat, & aperit. Et parum ſuprà dicebat; & quantum procedit in augmento, procedas in additione reſolutiuorum paulatim; & apud finem (ſupple) augmenti, & ſtatum, & vltimitatem magnitudinis, & additionem ſuæ vltimitatis, fac vincere mollificantia, & fac ea pura. Nam credendum non eſt, quòd ſanguis aut laudabilis, aut malus eiuſdem naturæ ſit cum bile flaua; nam bilis

1. fen. 1. cap. 2.
3. art. medic.
2. canonis tra. 1. cap. 4.
13. metho.

tenuis eſt

tenuis eſt, & facillimè reſoluitur, ſanguis verò quandocunq; fuerit extra vaſa propria, putreſcit ex ſen-
tentia Hypp. Si in ventrem ſanguis præter naturam effunditur, neceſſe eſt ſuppurari; & quando inci-
pit putrefieri, non amplius remanet ſub forma ſanguinis ex Gal. Vnde dicendum non eſt, quòd natu-
ra eum iam putreſcentem reſoluet, imò omnino expellet. Verum eſt, quod Gal. dicit; quòd ſi non
deuenerit ad multam putredinem, quòd poterit reuerti in naturam ſuam, ſed quando eſt in vaſis pro-
prijs. Igitur cum ſit ſub cauſa coniuncta, non reſoluitur; quia de ſui natura eſt putreſcibilis, niſi fue-
rit in corpore nitido, potentiſsimæ virtutis, ac in tempore opportuno, & paruæ quantitatis, & qua-
litatis benignæ. Ego verò vtplurimum vidi ea ſuppurata phlegmona, quæ ad ſtatum peruenere;
quia & à dolore, & ab humorum multitudine deſtituitur membrum à calore proprio; & acceden-
te extrinſeco, fit contentorum humorum putrefactio. Putrefactio eſt paſsio mixti, & fit à calido
tanquam ab agente, & ab humido tanq; patiente; calidum.n. agens in humiditatem cauſat putrefactio-
nem ex Ariſt. Eſt igitur quærenda maturatio tumoris in tali tempore, quæ fit per reſerationem calo-
ris ab intra, ſicut docet Serapion in de ſimplicibus. cap. de medicinis maturantibus. & Auer. & Auic.
cap. de cura abſceſſus, dicẽs; Maturatio autem perficitur his, quæ oppilatiuam, ac glutinatiuam vim
habent, vt ipſe calor retineatur, & agat in materiam. Pro hac igitur operatione ea eligenda ſunt, quæ
membrorum poroſitates ſua viſcoſitate, & pinguedine claudere poſſunt; ſua quidem caliditate auxilia
ri caliditati naturali illius membri, ſi fieri debeat æqualis concoctio. Et diuerſificatur ſecundum diuer
ſitatem calorum diuerſorum membrorum. Sed quod præcipuum eſt in iſta parte, eſt confortare mẽ-
bri virtutem; quia naturalis calor eſt quaſi ſepultus in membro, in quo eſt ſparſa materia. Et propte
rea neceſſarium eſt, vt medicina habeat ex ſui natura, vt faciat digeſtionem, quemadmodum eſt illa,
quæ aſſimilatur calori intrinſeco, & ideò temperata debent eſſe in caliditate, & humiditate, ſicut do-
cet Auicẽ. Medicinarum maturantium caliditas oportet, vt ſit proxima caliditati corporis, & ſit eius
inuiſcatio quędam. Et in cap. de operationibus medicinarum ſingularium. dixit; In medicina matu-
ratiua virtus debet eſſe contractiua, ſeu oppilatiua, conſtringeudo, ne humores laborioſè reſoluantur,
.i. ne ſubtiles euacuentur abſq; groſsis; ſed vt æqualiter partes concoquantur. Et ſcias, dicebat Gal.
quòd quãdo medicina eſt in vltimo aſſimilationis complexioni hominis, maturat. Et rurſus; Empla-
ſtra facta ex farina tritici ſunt calida, & humida; & ſunt ex quibus maturantur apoſtemata in corporib.
temperatę complexionis; & non minuunt de humiditate naturali, quæ eſt in membris, diminutione, de
qua ſit curandum; & non addunt forſitan in eam, neque confortant caliditatem, neq; frangunt de ea;
ſed tantum addunt in ſubſtantiam eius. Et Paulò poſt. Conuerſio quidem (ait) ad ſaniem eſt vna ex
operationibus naturalibus; quoniam eſt conuerſio, & alteratio, in qua eſt aliquid digeſtionis; & neceſ
ſarium quidem eſt, quando voluntas eſt, vt digeratur res, vt conſeruetur ei deintus ſpiritus multus.
Medicinarum verò hanc perficientium operationem aliquæ ſunt debiles, aliæ verò fortes: de ſeruan-
tibus primum ordinem, ex Gal. Auer. & Auic. eſt embrocatio cum aqua calida, aut oleo communi ca
lido, aut emplaſtratio cum tritico maſticato; de compoſitis eſt tetrapharmacum Gal. Et dicit ipſe; Si
ad ſuppurationẽ perducere volueris, cathaplaſma ex farina triticea, quę in oleo, atq; aqua ebullierit, ap
ponendum. Et iterum; ſuper calidum extrinſecus cathaplaſma dare, quod ex farina, vel hordeacea,
vel triticea, vel ambabus mixtis conſtet; humorem autem habeat aquam cum oleo pauxillulo, ſed ſe-
cundo ad Gla. vbi de ſinu, magis laudat triticeam farinam, quâm hordeaceam; vbi dicit, cum tumorem
poſſe reſoluere deſperaueris, ex farina triticea vtere cathaplaſmatibus: & ibi dicit, quòd aquæ quanti-
tas ſit multiplex ad oleum: & talis aqua (dicit Gal.) prius ebulliat cum altheæ radicibus. Vnde Auic.
cap. prop. dicebat; Et curatio apoſtematis, in quantum apoſtema, eſt extractio materiei extraneæ, quæ
facit accidere apoſtema: & illud fit per mollificantia leuia, ſicut emplaſtrum de farina tritici cocta cũ
aqua, & oleo. Tale fit iſto modo. R. aquæ claræ partem vnam, olei communis partem mediam, cõ-
quaſſentur omnia bene ſimul, & ponantur in caciola nitida ad ignem, & parum bulliant; deinde adde
tritici farinam cribratam, & bulliant vſq; ad perfectum corpus. & Paulus dicit; particulam iure ra-
dicis altheę incoctæ fouebis. At ſi tumor ad ſuppurationẽ contumax eſt, aut ægrè diſcutitur, cataplaſ-
mate ex ficis ſiccatis vtere. oportet autem ficus dulces, pingueſq; incoctas aqua eliqueſcere, ac ius ip-
ſarum in tenuis mellis ſpeciem cogi, farinamq; hordeaceam adijci: quod etiam laudatur à Gal. 2. ad
Glau. & ibi Gal. dicit. Oportet autem non ipſas aſſumere caricas, ſed aquam, in qua ebullientes ſint
liquefactæ: expedit autem caricas pingues, & dulces, vt earum humor non diſsimilis melli videatur. &
ſi hordeaceam farinam non habebis, pane opiro vtere, opus eſt; Aut vtere emplaſtro de nido hirundi
nis. R. nidum hirundinis, quem bullire fac in aqua, & cola per cribrum, & in colatura bene decoquantur:
R. radicum lilij, altheæ, foliorum malueę, violarum, parietariæ an. m. i. piſtentur, & adde farinę hor-
dei, ſem. lini an. ℥. i. s. olei camomelini, pinguedinis porci an. q. s. Valet emplaſtrum de ruta: hoc, R.
rutę recẽtis m. i. fermenti acris ℥. 5. caricarum pinguium numero iiij. piperis, baurach an. ℈. i. farinæ tri
tici parum, aſungiæ porc. q. s. ſimiliter Emplaſtrum de fermẽto Pauli in ſeptimo fermenti, aſungię an.
℥. vj. ſalis ℥. iiij. piceæ reſinæ ℥. iij. ceræ ℥. iiij. aphronitri ℥. i. gutæ ammoniaci ℥. ij. mellis ℥. vj. ſaponis ℥. ij:
Aut R. radicum maluauiſci, bulliant vſq; ad cocturam, & piſtent, & adde farinæ hordei, aut tritici. p. i.
aſſungiæ porcinæ q. s. pro emplaſtro: Aut. R. radices maluauiſci, foliorum maluæ an. m. s. decoquantur
optimè,

6. aphor. 10. Idẽ 1. de morb.

2. de diff. feb. 9. & 2. de criſib. c. 12.

1. aphor. cõ. 17.

4. metheororũ tex. 6. & 5. ſim. Med. D. 4. cap. 2. 5. coll. cap. 5. 4. fen. 1. lib.

3. 4. c. 28. 2. canon.

5. ſimph. med. d. 2. cap. 4. 5. ſimp. med. d. 2. cap. 2.

5. ſimph. d. 2. cap. 5.

13. metho. d. 2. cap. 2. & 5. ſimpli. med. & 5. medic. per gen. & 2. ad Glau. c. 5. etc. & 5. coll. cap. 5.

13. metho.

optimè,& expreſſæ ab aqua terantur, & adde farinę tritici,ſeminis lini,hordei an.ʒ.j.iterum ſimul terantur, & impinguantur cum pinguedine porcina recenti, & fiat emplaſtrum. Aliud, R. foliorum maluæ, violarum an. m. j. radicum althęæ ʒ. iij. cepæ liliorum alborum numero ij. decoquantur omnia in aqua ſufficienti vſq; ad perfectam cocturam, & facta expreſsione piſtentur; & adde farinæ ſeminis lini, tritici an. ℥.ij. olei cōmunis, butiri recentis, pinguedinis porci ſine ſale an. ʒ.ij.vitelli ouorum numero ij. rob parum, miſce, & fiat emplaſtrum ſecundùm artem. Aut R. radicum lilij, ibiſci, maluæ, brachę vrſinæ an. m. j. coquantur perfectè, & mundentur, deinde terantur, & adde farinæ tritici, hordei an. ʒ. ij. aſſungiæ gallinæ, anſeris, anatis, porci, an.ʒ.j.s.croci parum, & cum prędicta decoctione fiat emplaſtrum. Et nota, quòd Gal. dicit, quòd inter adipes nihil magis valet in iſta operatione adipe porci, [5.de. s. m. D.a. cap. 5.] & vituli. Et quia non ſumus in re determinata, ſed in confuſa ſcribendo, res determinatas deſcribere non poſſumus; Nam Gal. dicebat;Ad talia quidem omnia phlegmona communes medicationes ſunt; [13. metho.] variantur autem pro laborantium particularum ratione: & eò magis, quia, quæ de nouo emergunt, indigent nouo auxilio: ſufficit deſcripſiſſe vniuerſales intentiones; ſtat enim in medici pectore ſecundum indigentiam aliquid innouare. Copioſus eſt Gal.de hac re: Stat & alia conſideratio in ſtatu tumoris, [5.ſimp.cap. 2. 5. & 8.] quòd aliquando ſanguini materia aliqua aut craſſa,aut frigida admiſcetur,quæ opportunam impedit concoctionem, & aliquando materiam occultam, & in profundo retinet; vnde medicus cognoſcere non poteſt, nunquid ſit digeſta, vel non;craſſa enim materia partes cutaneas non adeò petit,ſicut ſubtilis. Stat & alia cauſa, ſcilicet membri groſsities, atq; durities; nechon pororum anguſtia, vt docet bonus Hypp. Quibuſcunque ſuppuratio, in corpore exiſtens, non innoteſcit, his ob craſsitudi- [6. aphor. 41.] nem puris, aut loci non innoteſcit. Vnde Auic. dicebat; Et quandoq; contingit, vt fiat ſanies in inte [3. fen.4.cap.20] riori parte membri, & non innoteſcat ſenſui propter profunditatem puris, & groſſitiem eius, qui eſt ſuper ipſum: Vnde tunc medicus eſt coactus omni ingenio ad ſenſualem cognitionem materiam attrahere,quod perficitur cum emplaſtris calidis,vim attractiuam habentibus, quorum diuerſæ ſunt deſcri- [5. ſimpl. med. cap. 16.] ptiones,& multa ſimplicia deſcripſit Gal. de compoſitis autem ſunt hæc. R. farinæ cicerum, lupinorum, fenu græci, tritici,abſinthij, florum camomillæ an.℥.ij. apij ʒ.j. ſquillæ parum,fimi columbini m.s. aſſungię porcinæ, olei anetini an.q.s. miſce, & fiat emplaſtrū. Aut R. farinę ſeminis lini, tritici,fen.gręci an. ʒ. ij. radicum althęæ,liliorum an. m.s.bulliant in ſufficienti q.aquæ; & facta ſufficienti expreſſione, piſtentur, & adde fermenti recentis, ſtercoris columbini an. ʒ.i. s.caricarum pinguium ʒ. iij. limacias numero iij. & bene omnia ſimul piſtentur, & in fine adde croci ℈.j.butiri recentis, pinguedinis vituli, porci an. q. s. & cum prædicto decocto fiat emplaſtrum ſecundùm artē. Ex tali cathaplaſmate fiet & attractio, & materierum concoctio: quę, vt in ſequenti cap. cognoſcitur ex proprijs ſignis. Vnum aliud conſiderandum eſt in hoc tempore, ſcilicet ſi, quæ ſolent apparere, accidentia apparent (inter quæ ſolet enumerari vehementiſsimus dolor, de quo ſupra dictum eſt) ſolet apparere, & intenſa durities; & ideò dicebat Auic. Et ſi timetur, vt declinet ad duritiem, adminiſtra mollificantia, in quibus eſt calefactio, & humectatio cum fortitudine. Iſtud accidens conſiderabatur à Gal. quòd [2. ad Glau. & 13. metho.] interdum prouenit ex malo medici regimine, reſoluendo partes ſubtiles, craſſas dimittendo: aut medicinis valde frigidis humores congelādo. Igitur apparente tali accidente, procedatur,vt docet Auic. Et tunc tale medicamentum ſummè laudatur. R. farinę fen. græci, ſeminis lini,radicum althęæ an. ʒ. ij. bulliant in aqua mulſa, cui adde butiri recentis, pinguedinis vituli, an. ʒ. iij. bdelij, ſtoracis, an. ʒ. s. ammoniaci ſol. in aceto ʒ. j. rob q. s. pro emplaſtro. Et ſi appareat intenſa durities, R. adipis vituli, taſſi, cerui, medullæ crurium vaccę, pinguedinis anatis, ceſypi humidæ,an. ʒ. j. mucilaginis, fenu gręci, ſeminis lini, maluauiſci an. ʒ. iij. bdelij, ammoniaci, an. ʒ. s. olei amigdalarum dulcium, liliorum an. ʒ. ij. cerę. q.s. fiat vnguentum molle ſecundum artem, & vtere. Sed timoroſum eſt id, quod dicit Auic. Et quando accidit ſuperfluitas in infrigidatione, fortaſſe perducit ad corruptionem membri, & corruptionem humoris conſtricti in apoſtemate, & tendit apoſtema ad viriditatem, & nigredinem. Quod etiam aduenit aut propter multam materiam, aut quia maligna. Et cum timueris hoc, dicit Auic. emplaſtra locum cum farina hordei, & volubili, in quo eſt mollificatio: ſi verò apparet aliquid de hoc, tunc ſcarifica locum, & excoria ipſum, & non expectes collectionem, neq; maturationem; & maximè quando illud,quod eſt effuſum, eſt plurimum. Scalpellationis autem alia eſt magis apparens, & alia magis profunda, & illud eſt ſecundùm locum apoſtematis, & diſpoſitionem membri. Et cum ſcalpellaueris, embroca cum aqua maris &c. De hac re erit ſermo infra, vbi de gangręna, ſphacelo q; agemus. Vnum aliud ſciendum eſt, quòd ſi tumor ex toto reſoluitur, in eius manifeſta declinatione exſiccatiua ſunt, quæ ſanant in fine ex Auic. cap. proprio: & prohibent aliquid remanere, quod faciat ſaniem. Et ſi aliquid dimittitur,ipſum reſoluit optima natura. Sed rarò eſt, quin magna phlegmona ad ſaniem non deueniant, de qua nunc, Deo fauente, erit ſermo.

De Cauſis, & Iudicijs Saniei. Cap. III.

3.ſimpl.d.4.c.3. Et 1. de diff. feb. cap. 3. & 9. methodi. 4.metho.cap.5. de tumor.cap.2 8.metho.

INTER tumores omnes, ſi qui debent putrefieri, putreſcunt phlegmona, quia eorum materia eſt calidæ, & humidæ complexionis. Hinc dicit Gal. Omnes res, de quarum proprietate eſt receptio putrefactionis, non putreſcunt, niſi cum calefiunt, & humectantur. Et rurſus; Sanies non generatur, niſi ex quadam putredine; & omne, quod putrefit, neceſſe eſt, quòd ſit calidum & humidum. Et iterum; Quęcunq; calida, & humida à calido loco aceruantur, parata putreſcunt; Nam pater putrefactionis eſt calor, eius mater humiditas, & nutrix eſt prohibita tranſpiratio ex Gal. Qualis autem ſit hic calor, aut naturalis, aut præternaturalis, nunc dicam. Gal. in expoſitione eorum verborum, dum pus conficitur, dolores, ac febres accidunt magis, quàm iam confecto; dicit, Pus ex ſanguine ortum habet, qui ſemimalam (vt ita dixerim) habet tranſmutationem; nam mala ſimpliciter eſt, cum ſit olida putrefactio: quæ ſimpliciter ſit optima, eſt ipſa nutritio animalis: puris enim generatio mediũ inter has obtinet locum; neq; à ſolo calore extraneo, neque ab intrinſeco ſolo. Actio verò, quę prouenit in tali diſpoſitione, fit ab actore mixto ex vtriſq; caloribus. Ideo Auic. dicebat; Sanies laudabilis eſt illa, quę eſt alba, lenis, cui non eſt odor horribilis, in qua non eſt operata, niſi caliditas innata, licèt non ſit excuſatio à communitate extraneæ.

3.ſen 4. cap.23.

Sed quare generatur intenſus dolor in ſaniei productione? Dico non ob aliam cauſam, niſi quia in tali actione multum extenditur particula à multa materia, & diuerſa; & id magis, quia accenditur, & ſupercalefit ex actione duorum calorum. Præterea non ſolum putreſcit materia coniuncta extranea, ſed & regio, in qua conſederit talis materia, & laceratur.

Lib. de cauſ. morb.cap. 2. & 1. de diff. feb. cap. 4.

Quare contingunt febres? Quia cum ſupercalefit ſanguis in vna parte per ſupercalefactionem partis poſt partem, ſuper calefit ſanguis in dextro ventre cordis, deinde ſpiritus in ſiniſtro, & ſequitur febris: febres enim ſequuntur principio calefacto ex Gal.

3.fen.4.cap. 22. 1.pror.com.vlt. 3.metho. 3. part.6.cap.9.

Quare poſt puris generationem, & ſi adhuc ſtat materia, non apparent accidentia? Dico, cum ſanguis ex toto exuſtus fuerit, reſiduum eius fit pus, quemadmodum ex lignorum exuſtione cinis: ideo tempore illo dolores, & febres ſedantur: præſertim cum pus fuerit præparatum, vt pote iam ſemidigeſta materia, extincta autem ignea caliditate. Et ideo dicebat Auic. Cum videris lenitatem quandam, & ſedationem doloris in apoſtemate, tunc iudica, quòd eſt in via maturationis. Dilucidatur res iſta à ſententia Gal. vbi dicit, quòd vltima digeſtio fit per additionem nutrientis in nutrito, & aſſimilationem eius cum eo; & neceſſe eſt vnumquodq; membrum nutriri in ſpatio longo. Et ſubdit alibi, quòd pro nutritione, & generatione carnis duo continuè producuntur, vnum groſſum, & aliud ſubtile, vt etiam clarè demonſtrauit in lib. de oculis. ſubtile reſoluitur, aut per ſudorem, aut per inſenſibilem tranſpirationem: groſſum verò ſtat pro membri nutritione. Et ſubdit in lib. de groſsitudine extra narurã. quòd aliquando tale nutrimentum egreditur à proprijs vaſis, in quibus comprehendit ipſum natura, vnde impoſsibile eſt, vt redeat ad naturam, & locum proprium; ſed putreſcit, ſicut omnes res, quæ calefiunt calefactione vehementi in loco non ſuo. Et ſi caliditas innata egreditur ab æqualitate ſua naturali, putreſcit humiditas ibi contenta. Et ſi virtus eius fuerit adhuc remanens in naturali eſſe, accidit ſanguini, ſeu nutrimento, diſpoſitio compoſita ex diſpoſitione naturali, & non naturali; quare putreſcit pars eius propter diſpoſitionem innaturalem. Et quæcunque harum diſpoſitionum vincit, tunc ſignificationes operationis eius ſunt magis vincentes, in colore, odore, & ſubſtantia. Et ideò dicebat etiam Gal. quòd poſsibile eſt, quòd alteratio ſanguinis ad ſaniem ſit alteratio laudabilis, & hoc quando victoria eſt innati caloris; Hæc non putreſcit, ſed recipit maturationem, quamuis appareat in ea aliquid putrefactionis egreſſæ à natura; veruntamen illud eſt parum, ſicut dicit Hypp. non habens odorem horribilem.

1.pror.com.vlt.

3.fen.4.cap.proprio. 2.de poteſt.nat.

Quare ſanies debet eſſe alba? Quia, vt dicit Gal. aſſimilatur colori ſpermatis, ſed non eſt ita verè albus; nam in ſpermate non agit niſi naturalis calor, in ſanie verò mixtus. Et ideo Auic. dicebat; Requiritur, quòd ſit alba; quoniam color membrorum radicalium eſt albus, & non aſſimilat eam niſi natura potens ſuper eam. Semper natura, dicebat Gal. agens in materiam intendit eam ad benignum teducere, & in nutrimentum membrorum conuertere, & agit aſſimilando ipſam ipſis membris nutriendis, & præcipuè radicalibus, qui ſunt minera vitæ, & hoc pro eius poſſe. Nutrimentum verò primariorum membrorum eſt benignus, eſt què albus, quia chilus.

3.fen.4. cap. de iudicijs ſaniei.

Quare debet eſſe lenis? Dicebat Auic. non additur ei lenitas, niſi vt ſciatur, quòd ipſa eſt præparata pati à virtute digeſtiua: & non diuerſificatur eius præparatio in inobediente, & obediente, ideſt non contingit lenitas, quando vna pars eſt præparata maturationi, altera verò non: & cum eſt talis diuerſitas, ſanies non fit lenis, ſed diuerſa, & ponderoſa. Aequalitas verò attenditur in colore, & ſubſtantia: in colore, vt ſit ſecundùm omnes eius partes tam intrinſecas, quàm extrinſecas, alba. In ſubſtantia, vt ſit homogenea, ſimilaris, & vniuſmodi ſecundùm omnes partes: qui modus debet eſſe medius inter groſsitiem, & ſubtilitatem; & inter denſitatem, & raritatem. Ideò debet eſſe lenis, & æqualis in tota ſubſtantia, nec debet eſſe globoſa, nec aſpera, nec dura, immo lenis, & æqualis. Ideoq; à natu

rali

rali calore fit æqualis coctio, ab extraneo verò non æqualis coctio, & vna pars altera ſubtilior apparet: Sed bona ſanies debet eſſe alba, lenis, æqualis, & ſine fætore, vt dicit diuinus Hypp. Pus viſu candidum, ac craſſum ſit, & ſibi ſimile vndique, leue autem tangenti, ac minime fætidum: Idem Galenus, & Auic. cuius verba ſunt hæc. Sanies mala eſt fętida, ſignificans putrefactionem, quæ eſt contraria maturationi, & ſignificat dominium caliditatis extraneæ; & quando egreditur ſanies diuerſarum partium, colorum, & ſubſtantiarum, eſt etiam de genere diuerſo à bona. Ait etiam Celſus; ſanies mala eſt multa, nimis tenuis, liuida, aut pallida, aut nigra, aut glutinoſa, aut mali odoris, aut quæ & ipſum vlcus, & iunctam ei cutem erodit: melior autem non multa, modicè craſſa, ſubrubicunda, aut ſubalbida. Et Auic. vbi de vlceribus in generali, dicit; Meliores ſignificationes ſignificantes ſalutem vlcerum ſunt, cum in ſucceſſionibus eorum eſt ſanies, quæ eſt cum medicina faciente pus, & ex operatione naturæ: illa enim operatio naturæ eſt ſecundùm curſum naturalem, & non generatur ſanies, niſi à digeſtione naturali, & non aſſociatur ei malum ex accidentibus vlcerum malorum; & propriè ſanies laudabilis, alba, lenis, & æqualis, quæ conſecuta eſt complementum digeſtionis, neq; aſſociatur ei fætor, cum in ea non ſit putrefactio; Et fortaſſe non euacuatur à fœtore paruo ſanies, cui accidit actio caliditatis innatæ, & alterius extraneę. Ex his notandum eſt, quòd mala, & bona ſanies poteſt prouenire, aut à qualitate materię, aut à diſpoſitione agentis, aut ab vtroque. Cum verò materia fuerit benigna, & calor naturalis vincens, generabitur ſanies bona, & laudabilis cum prædictis conditionibus: Cum autem materia fuerit diuerſa in modo ſubſtantiæ malę qualitatis, aut calor extraneus natiuum ſuperauerit, ſanies erit mala in aliqua prædictarum conditionum. Et ſi materia fuerit mala, & calor extraneus vincens, erit ſanies illaudabilis ſecundùm omnes diſpoſitiones, & ſimpliciter mala. & ſic illaudabilis ſanies contrariatur laudabili in colore, & ſubſtantia. Tres igitur poſſunt eſſe actiones in materia, vna à naturali calore, & fit laudabilis concoctio, quæ & digeſtio dicitur: nam Ariſt. dicebat; Digeſtio à calido naturali fit, & eſt eius actio in qualitate paſſiua, quod affirmauit etiam Gal. Alia ab extraneo, & fit putrefactio, & putrefactio eſt corruptio caloris innati à caliditate ambientis in humido ſuo. Tertia à mixto ex naturali, & extraneo: & fit ſanies. Vnde Auer. dicebat; Maturatio eſt operatio caloris naturalis in ſubſtantia materiæ, & maturatio eſt ordinata ſecundùm ordinem, quem habet digeſtio in cibo. Igitur quando ſpargitur in aliquo membro materia, quæ egreditur à natura in quanto, aut quali, aut vtriſque ſimul, & talis putreſcit, generatur in illo membro de neceſsitate vnus calor mixtus ex naturali, & extraneo. Et ſi materia fuerit apta digeſtioni, fiet ſanies laudabilis; quia alba ſanies eſt media inter digeſtionem perfectam, & diminutam. Nulla enim cauſarum, dicit Gal. ſine patientis aptitudine agere poteſt.

1. prognoſt. vlt.
1. de diff. feb. cap. 8.
3. 4. cap. 13.
Lib. 5. cap. de ſanie.
4. fen. 4.
4. Methororum tex. 14. & 2. de Anim. tex. 50.
1. Epid. com. 8.
4. metheororũ tex. 6.
5. coll. cap. 5.
1. de diff. cap. 4. & 6.
Et 5. ſimpl. d. 2. cap. 2.
5 coll. cap. 5.

DIGRESSIO.

Quia de tumore, qui vt plurimum ad ſaniem deuenit, nonnulla diximus, necnon multa de ſanie, eius naturam, & cauſas declarando, reſtat vt de ingenijs, quibus contentam materiam aut digeſtam, aut putridam cognoſcere valeamus, aliqua enarremus. Et dico, quòd ſenſus, & viſus, & tactus facit ad hoc; facit etiam aliquorum ſaniei propriorum accidentium cognitio, ſed ſenſus in extrinſecis tumoribus eſt verus iudex, & maximè tactus; viſus verò eſt adiuuans. Dicebat Auic. Scias, quòd locus declaratur, in quo eſt ſanies, per tactum. Et Gal. Poteſt comprehendi digito membrum, quando maturauerit, continens in ſe ſaniem. Subdit Auic. Quando tangitur cum digito, obſerua cum digitis alijs, ſaltem alterius manus, an expellatur aliquid ex chiſti. Sic autem faciendum eſt; Si exitura fuerit magna, experiri debet cum digitis ambarum manuum, aut indice, & medio vnius manus, & premere cum vno digito vnius manus, & obſeruare, ſi ſub alijs ſentitur motus inundationis; & digiti non debēt contiguari, ſed ſint ſecundùm tumoris quantitatem diſtantes. Senſus eſt verus iudex in hoc, & errant interdum alia ſigna: ſed auxilium præbent in intrinſecis exituris, & profundis; quia per tactum non poſſumus, aut difficulter, ſaniem eſſe concoctam, cognoſcere. Senſus viſus interdum cognoſcit ſaniem concoctam, aut putridam: nam dicebat Auic. Locus quidem ſaniei apparet ex declinatione coloris ad albedinem; & dum non eſt matura, eſt decliuis ad rubedinem, & quandoq; eſt locus ſaniei decliuis ad rubedinem, & citrinitatem, cum ſanies non eſt bona. De accidentibus verò aliqua ſunt præterita, & aliqua præſentia. Dicit Auic. Cum ſenſeris pulſationem plurimam, & duritiem prolungatam, & caliditatem, tunc exiſtima, quòd apoſtema eſt in via, vt fiat exitura. Et rurſus; cum videris lenitatem quandam, & ſedationem doloris, tunc ſcias, quòd apoſtema eſt in via maturationis; Gal. etiam dicit; Si dolor eſt maximus, denotat materiam putrefieri. & cum ceſſat, eſt putrida ex Hypp.

3. fen. 4. cap. 29.
2. ad glau. cap. 5
3. fen. 4. cap. 29.
3. fen. 4. cap. 21.
3. fen. 4. cap. 22.
2. de aff. int. cap. 3.
2. aphor. 47.

QVAESTIONES DE SANIE.

Scribentes de re iſta dixerunt, quòd ſanies eſt ſanguis in ſemimalam qualitatem mutatus; aut materia in vno ſinu collecta, quæ ratione modi ſubſtantiæ, vel qualitatis in ipſa materia exiſtentis, refugit propriam digeſtionem, pro transmutatione in membris ab ipſo calore naturali mediante cooperatione caloris propter naturam. Et Hypp. in lib. de vulneribus, & vlceribus, dicit ad hoc propoſitum; pus

creatur ſanguine putrefacto, corrupto, vel mutato, calefactoque, donec marceſcat, & pus fiat. Et Gal. Materia ſaniei (inquit) aut eſt caro, quæ atteritur, aut eſt humor faciens apoſtema. Aliqui dicunt, quòd ſanies in ſua complexione radicali eſt calida, & humida: ſed caliditas, & humiditas materiæ, quæ ſaniata eſt, habet latitudinem in plus, & minus; ita & ſanies, ſed non expoliatur ab aliqua acuitate ratione ſuæ putrefactionis; & quantò putrefactio in ea fuerit maior, & eius materia acuta, tantò erit eius acuitas intenſior, à qua redditur aut pungitiua, aut corroſiua.

5. ſimpl. d. 3. cap. 4.

Apparent in hac materia tres difficultates, quarum prima eſt, vtrùm ſanies fiat à calore naturali, vel præternaturali, vel ab vtroque ſimul: Et videtur, quòd à calore præter naturam: Et ratio eſt, quia ſanies eſt quid præter naturam, ergo fit ab agente tali, ergo à calore præternaturali.

Secundò probatur, quòd à naturali: Et ratio eſt, quia ſanies fit cum quadam digeſtione, in qua operatur calor naturalis, ergo ſanies fit à calore naturali.

1. pror. com. vlt. 2. aphor. com. 47.

Tertiò probatur, quòd ab vtroque, auct. Gal. vt ſupra declarauimus. Sed reſpondendo ad primum argumentum conceditur, quòd ſanies eſt quid præter naturam ſecundùm quid, & non ſimpliciter, cum in ea reperiatur veſtigium caloris naturalis; nam de ſanie dicendum eſt, ſicut de fœcibus, & vrina, quæ non ſunt abſolutè præter naturam, cum dicantur eſſe effectus digeſtionum naturalium, ſcilicet primæ, & ſecundę, quæ perficiuntur ab innato calore.

Ad ſecundum dico, quòd non eſt vera digeſtio, cum non ſit eius vera præparatio pro nutritione, ſed capitur talis mutatio, quando eſt laudabilis, pro digeſtione.

Ad tertium dico, quòd verum eſt, quòd ſanies fit ab vtroque calore; & patet, quia in ea inuenitur effectus vtriuſque caloris: patet de naturali, quia in ea inuenitur albedo, & lenitas, quemadmodum in nutrimento membrorum radicalium, & maximè in ſanie laudabili: & ſi calor naturalis agit in materiam diuerſam, & nociuam, agit, vt illam conuertat, & reducat ad benignum, & magis ſi in ea non fuerit multa malitia: & ſi aderit malitia talis, dat & illam perfectionem, & potentiam, quam poteſt. Patet de extranea, quia non fit in ea vltima bona digeſtio, & apparet in ea aliquis fœtor, qui producitur ab extranea, & non à naturali caliditate.

1. de pot. nat.

Epilogando autem dico, quòd ſimplex putredo eſt, quæ fit à calore ſimpliciter præternaturali. Opus preternaturale id eſt, dicebat Gal. quod eſt corruptum: quod verò à natura, ſimpliciter naturale eſt, vt animalia, plantæ, & ſimilia: tertium verò opus eſt, & quod à natura, & à re præternaturali cauſatur, vt ſanies, ſedimen vrinæ &c. Vel dicere poſſumus, quòd actio præternaturalis ſit motus corruptiuus, vt ſimplex putredo: naturalis verò actus eſt actus factiuus, & productiuus, vt generatio, & augmentatio: tertia verò actio, quæ à naturali, & extraneo procedit, eſt motus quodammodo factiuus, & corruptiuus, vt ſemiuitiatorum humorum mutatio, quæ non ſimpliciter putredo dicitur, vt pus, & ſedimen vrinarum: Vnde illa poſtea dicitur ſimplex putredo, cuius ſubſtantia à calore extraneo ambiētis mutatur, alteraturue; quippe ſuperante natura, ea dicitur putredo non ſimpliciter, & non maligna, alba, lenis, æqualis, & ſine fœtore, vt clarè docet Gal. cum dicit, quòd calor naturalis differt ab extraneo; quoniam iſte eſt ſaluber, ille verò morboſus; iſte conſeruat, ille deſtruit; hic benignus, & ſuauis eſt calor, ille autem acris & mordax; iſte digerit, ille verò putrefacit.

De ſimpl. cap. de med. maturante. & 1. aphor. com. 14.

Secundò dubitatur, vtrùm in generatione ſaniei fiant pulſationes, & dolores: Et videtur, quòd non, quia generatio ſaniei eſt eius materialis cauſæ adæquatio, ergo in eius generatione non debent fieri dolores, & pulſationes. Conſeq. eſt nota. antecedens probatur, quia ſanies præparatur ex materia, mediante aliqua digeſtione; modò digeſtio dolores, & pulſationes ceſſare facit: nam dolor accidit aut à qualitate mala, aut à ſoluta continuitate: in digeſtione verò quodcunque horum remittitur, ergo &c. Secundò arguitur ſic. In generatione ſaniei reſoluuntur partes humoris ſubtiles ex actione calorum, quæ pulſationes cauſare poſſunt; ergo non debet ſequi pulſatio. Conſeq. bona, quia remota cauſa, remouetur effectus.

Tertiò arguo ſic. Vbi non ſunt cauſæ doloris, ibi non debet eſſe dolor: Sed in generatione ſaniei non ſunt cauſæ doloris, ergo &c. Conſ. bona: maior eſt nota, & minor probatur, præſupponendo, quòd ſanies generetur per ſpatium ſatis longum: modò in tali ſpatio non debet fieri dolor, cum dolor ſit ſenſibilitas rei contrariæ ſubitò imprimentis:

Ad primum argumentum breuiter dico, quòd generatio ſaniei eſt adæquatio talis, quæ conuenit ipſi ſaniei: ſed non æquè conuenit perfectæ digeſtioni, quę eſt tranſmutatio bona in membro; vnde non dicitur adęquatio abſolutè: imò negatur conſ. quia ſanies non merè fit à calore naturali, ſed à mixto, vt dictum eſt.

Ad ſecundum negatur conſ. quia licèt partes ſubtiles reſoluantur, non tollitur tamen, quin artheriæ ab his, quæ remanſere, comprimantur: & ſemper de nouo à tali materia aliquæ partes ſubtilientur, quæ poſſunt pulſationem cauſare.

Ad tertium. vbi non ſunt cauſæ doloris &c. negatur minor. Ad probationem dico, quòd diſpoſitiones præparantes ad ſaniem ſunt ſeſe ſuccedentes, non propter hoc tollitur dolor; quia dum incipit actio calorum in ipſam materiam, alterantur membra à mala complexione, & ſimiliter propter ebullitionem, fit ſolutio continui, quæ ſunt cauſæ doloris, & pulſationis.

Tertiò

Tertiò dubitatur etiam, vtrùm ſanies fiat à ſanguine, ſicut cinis ex aduſtione lignorum, vt inquit Gal. (2. aphor. com. 47.) Et videtur, quòd non; quia cinis eſt terminus conſumptionis humidi, ſed ſanies non eſt huiuſmodi; quia in ipſa reperitur multa humiditas.

Reſpondendo dico, quòd ſimilitudo eſt ſic intelligenda, primum quòd ſanies, & cinis generantur ab agente, quod eſt calor. Secundò in termino motus, quia facta ſanie, calor pro tali forma non agit, cum iam introducta ſit, ſicut eſt ignis actio in ligno. His viſis, adhuc vnum ſciendum eſt, quòd cum ſanies ſit quædam digeſtio, ſeu quædam res ſemidigeſta, quæ fit ab vltima digeſtionum; quæ ſtrictè ſunt quattuor principales; prima in ſtomacho, vbi ex cibo fit chilus; ſecũda in hepate, vbi ex chilo fit maſſa humoralis; tertia in venis, vbi aliqualiter diſponitur pro nutritione: & quarta in membris pro aſſimilatione nutrimenti in nutritum. Vnde dicendum eſt, quòd ſanies ab operatione quartæ digeſtionis fit, ſcilicet ex materia, quæ erat apta conuerti in ſubſtantiam membri propter debilitatem virtutis, & diſproportionalitatem malam materiæ, vnde conuertitur in ſaniem. Et ideo Auic. dicebat cap. de vlcere in generali: Et non facit pus, niſi propterea quòd cibus, qui venit ad ea, conuertitur ad corruptionem propter debilitatem membri. Dicebat Cornelius; (Lib. 5. cap. de ſignis ſaniei.) Ex vulnere, vlcereq; exit ſanguis, ſanies, & pus. ſanguis omnibus notus eſt, ſanies eſt tenuior hoc, variè craſſa, glutinoſa, & colorata: pus craſſiſsimum eſt, albiſsimumque, glutinoſius & ſanguine, & ſanie. Exit ſanguis ex vulnere recenti, aut iam ſaneſcente, ſanies eſt inter vtrunq; tempus: pus ex vlcere iam ad ſanitatem ſpectante. Sed apud Auic. apparet, quòd pus ſit nomen abſolutum ſuper omnem digeſtionem aut bonam, aut malam; & (4. fen. 4. tr. 3. vbi de vlceribus in genere.) eſt tanque genus: ſanies verò eſt nomen determinatum ſuper materiam bene digeſtam, & laudabilem: virus autem, ſeu virulentia denotat materiam ſubtilem, tenuem, non digeſtam; quę non generatur, niſi ex ſubtilitate humorum aquoſorum, aut calidorum: ſordes, vel ſordities eſt res ſpiſſa, coagulata, non æqualiter cocta, alba, aut ad nigredinem decliuis, quæ ex groſsis generatur humoribus.

De modo aperiendi abſceſſus, & de cura eorum. Cap. IIII.

SANGVIS eſt calidæ, & humidæ habitudinis, & pater omnium humorum, & craſſæ ſubſtantiæ, & rarò ſolus reperitur ex Gal. & Auic. cap. de cura phlegmonis. (1. de diff. mor. cap. 12.) Hinc eſt, quòd vtplurimum ad putredinem tendit; cum putredo ſit paſsio mixti (6. aphor. 20.) vt etiam dicit Hypp. & Galenus. (In comento.) & cum ad talem diſpoſitionem deuenit tumor, à medicis appellatur exitura, ſuppuratio, aut abſceſſus. Nam dicebat Gal. (2. ad Glau. vbi de abſceſsibus.) Iam tempus eſt, vt tranſeamus ad abſceſſuum tractationem; ſic autem nominant eas diſpoſitiones, in quibus inuicem diſtant, quæ prius ſe contingebant corpora. Spacium igitur vacuum in medio fieri oportet, quod aliquam ſubſtantiam ſpirituoſam, vel humidam, aut mixtam ex vtriſque comprehendit; ad hoc verò ex inflammationibus quædam, atque ex eryſipelatis, & inflammationibus ſimiles non paucæ tranſmutantur. & 14. methodi dicit; Mihi verò tempeſtiuum eſt de alijs tumoribus docere, quorum ſe primùm abſceſſus offert, apoſtema id Græcè dicitur. Huius duplex genus eſt, vnum, cum phlegmone in pus verſa, pus ipſum tanquam in ſinu aliquo eſt collectum: Alterum, cum nulla præcedente phlegmone, humor aliquis ſtatim ab initio, iſque aliàs ſpecie alius, ceterum omnino acris, in particula aliqua colligitur. Et Paulus dicit, (Lib. 4. c. 18. & lib. 6. cap. 34.) Abſceſſus itaque eſt carnium, ſeu partium carnoſarum, nempè muſculorum, venarum, artheriarum corruptio, mutatioque, cum omnino in pus tranſierint: ſed antequam materia in pus tranſierit, dum fit ſub cauſa coniuncta, à Medicis collectio appellatur: & cum eſt in fieri, tumor dicitur. Arabes verò primam paſsionem exituram vocant, quam alij abſceſſus; ſecundam dubellet, quam alij collectionem; tertiam apoſtema, quam alij tumorem. Cum igitur tumor ad putredinem deuenerit, opus eſt talem extrahere, & euacuare. Nam dicebat Auic. cap. de curatione exiturarum apparentium. illud verò, quod ei exituræ approximatur de regimine, eſt extractio eius, quod aggregatum eſt in ea. Ad quam operationem tria ſunt conſideranda. ſ. tempus operationis, locus, in quo fienda eſt operatio, & inſtrumenta apta operationi. De tempore, dicebat Auic. (3. fe. 4. cap. 27.) hoc eſt ſecundum duos modos regiminis; vnus eſt regimen currens ſecundùm rectitudinem, & hoc appellatur regulare regimen, quod fit in cura abſceſſus, non omnino præter naturam, cum ægritudo non egreditur ab eo, quod conſuetum eſt plurimum. Et eſt, vt ingenietur in maturatione materiei, vt fiat ſanies, & in eruptione eius poſt illud. In iſtis exituris medicus debet expectare perfectam ſaniei coctionem, & maximè quando exitura eſt in membris carnoſis, paucarum venarum, neruorum, & artheriarum, vt docent Gal. (13. metho. d. 2 cap. 2.) & Paulus Aegineta, (Lib. 6. cap. 4.) & Cornelius. (Lib. 7. cap. 2.) Vnde Raſis dicebat; (7. ad Alm. cap. 3.) Carnoſa autem loca bonum eſt, vt ſic dimittantur, donec ſanies ſit bene matura; ſi enim ante eius maturationem perforentur, virus ab eis diu manabit, atque vlcus multa ſorditie, ac putredine abundabit, labia quoq; eius, atq; profundum dura fierent, ipſumque vulnus pus, & virus continuè emittet. (Gal. 2. ad Glau. d. 2. cap. 5.) De hac re locutus eſt ad plenum 14. Continentis. Nec eſt credendum iſtis, qui crudorum abſceſſuum ſectionem laudant, (1. aphor. 22.) quia in benigna materia digeſta medicari, & mouere, non in cruda, oportet, (1. de Criſib. cap. 9.) niſi turgeat; plurima verò non turget. & Albucaſis dicit; (1. fen. 4. cap. 7.) & oportet, vt non perfores apoſtema crudum non completæ digeſtionis, niſi propè anum, vt non putrefiat profundum, & longetur ad interiora a- (Lib. 2. cap. 40.)

4. re.acu. 69. & Gal. 1 aphorũ com. 22. & 4. aphor. com. 1. & 4. re. acu. cõ. 72. & 4. 1. cap. 3. 2. ad Glau. vbi de ſinu.
1. aphor. 22.
3. fen. 4. tr. 1. cap. 27.

ni, & fiat fiſtula, aut fiat in termino eius, quod non ſanatur. Expectetur igitur digeſtio ante perforationem, ſed non vltima, in iſtis caſibus; quia dicebat Gal. Vbi, qui ad abſceſſum perueniunt tumores, tardè ſecti fuerint, aut ob medicantium imperitiam, aut eorum, quibus medela adhibetur, timiditatem, qui ſecari non patiuntur, ſed expectant, vt longiori tempore cutis à pure rodatur; contingit ſæpius vniuerſam cutim à pure circa abſceſſum aggregato ſufficienter extenuari inſtar lacerræ veſtis; vnde & illi nomen laceroſi à medicis inditum puto. Turgente verò materia, ſeu furioſa, ſicut dignoſcit Gal. euacuetur etiam indigeſta, aut loci ſectione, aut vt 2. ad Glau. profunda ſcarificatione. Ideo dicebat Auic. Secundus modus, qui dicitur regimen egrediens à rectitudine propter diſpoſitionis neceſſitatem, quando ægritudo eſt magna, & exitura pertranſiens in magnitudine ſua, illud, quod conſuetum eſt: & timetur feſtinatio rei in expectatione maturationis in ea, & ſcitur, quòd virtus non ſufficit in maturatione illius totius, & ſi adminiſtrantur maturatiua, perducent illud ad veſtigium immaturationis, tunc neceſſaria eſt perforatio. Et cum ſenſeris, quòd materia ſit talis groſsitiei, quòd non maturabitur, & quòd calor innatus ſit tantę paruitatis, quòd non marurabitur materia; aut timueris, quòd ipſa propter ſuam abbreuiationem eſt talis, quòd alterabitur alteratione non maturationis verę, aut exitura eſt propè iuncturas, & membra principalia, quare timetur, quòd ipſa corrumpat ea: tunc ſumus coacti extrahere talem materiam, etiam quòd indigeſta ſit, & talis dicitur cura coacta ſecundùm quid. Natura, & membri compoſitio cogit medicum ad tale opus, vt docet Gal. Vnde Auic. dicebat; Cum inuenis exituram groſſæ carnis, & cutis, cum maturatione, cuius non ſperatur eius eruptio, & ſunt illic nerui, venæ, & cordæ: tunc oportet, vt perfores: quoniam ſi dimiſeris ſaniem, corrumpetur, & corrumpet, & corrodet cordas, venas, & villos neruorum; & illud quidem vehementius erit, cum fuerit prope iuncturas. Vnum notat Cornelius in iſtis inciſionibus, cum dubitamus neruos, aut venas incidere, vt puta in profunda exitura multorum neruorum, & venarum, & dicit; Cętera membra ſubcruda aperiri poſſunt, inter neruos verò vltima expectanda maturitas eſt, quæ cutem extenuet, eique pus iungat, quo proprius reperiatur. Suntque nonnulli tumores, qui neque ante maturationem, neque poſt ipſam ſectione indigent, ſicut dicit Auic. ex Galeno; ſunt exituræ pineales acutorum capitum; ſic enim formantur propter caliditatem, & ſubtilitatem materiæ, & tales vtplurimum rumpuntur per ſe. Nec omnia membra ſunt apta, vt in eis oriantur exituræ, etiam quòd poſsint apoſtemari, ſicut oſſa, nerui, & cartilagines, & concatenationes: in quibus humores mucilaginoſi, frigidi, & craſsi incuneantur: qui ſi debent ad ſaniem deduci, vt calidi fiant, opus eſt: per accidens tamen, & cum magno labore, dicuntur ſaniem pati.

3. metho. circa finem.
3. fen. 4. tr. 1. cap. 29.
Lib. 7. cap. 2.
3. f. 4. c. 27.
1. pror. com. vl.

2. locus aptus.
13. metho.
7. ad Alm. 3.
14. metho.
3. metho. vlt.
4. f. 4. cap. 5.
Lib. 14.

Habita igitur ſaniei certitudine, vt in præcedenti cap. dictum eſt, tumorem ſeca, & quære cum perforatione locum maturiorem, & decliuiorem, vt exitus putridarum materierum ſit habilior. Dicebat Gal. Aliquando puris copia ſi medicamenta ſuperet, nec ea videantur tibi totum digerere poſſe, ſecare exitum ei, quod digeſtioni non ceſsit, eo potiſsimum loco oportet, quo eſt editiſsimum; quippe tenuiſsimā etiam illic inueneris cutim. Et Raſis dicit; Oportet, vt exiturę, cum maturæ fuerint, & apertione indiguerint, perforentur in inferiori loco, qui in ipſis inuenitur, & interiori, & magis gibboſi, ſi poſsibile fuerit; Vnde Auic. dicebat; & tu quidem quære cum tua perforatione locum ſaniei, & ſis ſolicitus, vt cadat porta perforationis inferius. Et Gal. Oportet ſecare (inquit) vbi apparet acuties apoſtematis, & eſt ſinus altiſsimus ipſius; ibi enim inuenies ſubtiliſsimā cutem. Et rurſus (& eſt locus citatus à Principe) Oportet (ſcribit) vt ſeces ex loco eius vehementioris eminentiæ, & vt inclines ipſum, & non ſit tractus perforationis, niſi ad partem, ex qua eſt poſsibile currere pus ad inferiora. Et Albucaſis dicit; Oportet, vt facias cadere perforationem in inferiori loco apoſtematis, & vehementioris eminentiæ: & ſit perforatio vadens in longitudinem corporis. Multa dixit Aetius de tali operatione in cap. de abſceſsibus, quæ vide.

3. numerus inciſionum.
Lib. 7. cap. 2.
Lib. 6. cap. 34.
3. f. 4. cap. 20.

De numero inciſionum autem (dicit Celſus) Maiores ſinus interdum etiam duabus, aut pluribus lineis, incidendi ſunt: dandaque opera, vt imus ſinus exitum habeat, ne quis humor intus ſubſideat, qui proxima, & adhuc ſana rodat. Et Paulus ait; In minoribus vnam ſcalpello ſectionem molimur, in magnis plures, iuxta amplitudinis rationem, vbique ea, quæ tenuiora ſunt, & effluxioni idonea incidentes. Vnde Auic. dicebat; Et ſit in omni diſpoſitione tua ſtudium, ne incidas artheriam, neque venam magnam, aut neruum, aut villos lacerti; & perforatio ſit ſecundum magnitudinem exituræ: ſed ſi fuerit parua, & currit quod eſt in ea ex loco vno, tunc ſeca eam in loco vno: & ſi fuerit magna, tunc ſeca eam, & perfora ex principio: deinde intromitte digitum tuum indicem ſiniſtrum in eo, & perfora eam, vbi penetrauerit caput eius: deinde intromitte etiam in foramine ſecundo, & ſecundùm hoc donec venias ſuper eam. Et ſi exiturę fuerit locus ſufficiens, ex quò ſit poſsibile currere, & exire quod eſt in ea, perforabimus illam in illo loco. Et ſi fuerit rotunda, aut fuerit ei figura talis, ne egrediatur quod eſt in ea ex perforatione vna, perforabimus eam in interiore parte ſui in duobus locis, aut tribus, ſecundum quantitatem, quam ſcis, quòd omne, quod aggregatur in ea, currit in hora. Sitque vna, aut plures ſectiones ſecundum indigentiam. Dicit Albucaſis; Oportet, vt adminiſtres in apoſtematibus paruis perforationem paruam, & in magnis amplam, aut ſectiones multas per ſimilitudinem magnitudinis apoſtematis.

Cum autem erit tempus extrahendi materiam ſecando tumorem, ſubtilia regimen, & corpus mundifica, ſaltem à fæcibus cum Cliſteri: & ſeca ieiuno patientis ſtomaco, niſi apparente indigentia. Sectio verò multis ingenijs celebrari poteſt, aut ferro ſecante, aut vrente, aut cauſtico potentiali, aut medicamento vſque ad cutis putrefactionem. Et quia vtplurimum inſtrumento ſecante hoc fit, præcepto Auic. volo de eo in primis ſermonem habere. [4. cont. circa finem.] Inciſio fienda eſt ferreo inſtrumento, optimè incidente, ne intenſus cauſetur dolor, etiam quòd aliter ſentiat Ariſt. qui dicit, quòd inſtrumentũ aeneum cum ſit medicinale, ſit aptius. [1. parte probl. nat.] Sed Gal. dicit, quòd indoloroſæ debent eſſe tales actiones; aeneum verò inſtrumentum non ita ſecat, ſicut ferreum. [14. metho. cap. 13.] Et dico, quòd ſi ægro neſciente hoc facere poſſumus, bonum eſt: ſitque inſtrumentum aptum huic operi, aut quale deſcribit Gal. ad myrthacei folij ſpeciem formatum, [14. methodi.] quod nos lancetam, aut lanceolam, ſiue ſagittam vocamus; à quo prouenit ſectio eiuſdem formæ. Nam Gal. & Aetius dicebant; Sanè quidam in his, quæ in axillis, & bubonibus ſuppurant, in mirthei folij ſpeciem ſemper excidi cutim iubent. [13. methodi.] Et Celſus dicebat; ſed excidi ita debet, vt plaga ad ſimilitudinem mirthei folij fiat, quò facilius ſaneſcat, idque perpetuum eſt: [Lib. 7. cap. 2.] & Paulus dicebat; Plaga in trianguli, aut mirthacei folij, aut alterius anguli figuram facta, diuidimus, cum circularis ad cicatricem recipiendam ſit inidonea. [Lib. 6. cap. 34.] Inſtrumenti autem forma habetur fusè explicata in altero tractatu huius voluminis, quod inſcribitur, Officina Chrirurgiæ.

Hoc in loco tamen notandum, talia inſtrumenta debere eſſe magnitudine imparia. nam (vt dicit Celſus, & Paulus) habeto fundamentum ad quantitatem, & locum tumoris: cumque volueris exituram aperire, conſidera modum eius; ſi quidem ſi fuerit profunda, groſſæ cutis, inciſio debet eſſe profunda iuxta modum exituræ: ſi verò fuerit acuta, & cutanea, ſectione profunda non eget.

Et notandum eſt, quòd in omni ſectione procedendum eſt ſecundùm rugas, ſeu villos, aut ſtamina muſculorum, ſicut docent Gal. & Auic. ſi quis aliquem abſceſſum aperire voluerit, debet ſciſſura rugas illius membri imitari. [2. ad Glau. 4. f. 1. cap. 26] Et rurſus; Oportet in ſectione, vt conſequaris lineas naturales. [3. t. 4. c. 29.] Dictum eſt à Gal. quòd in fronte, & in ſumine, ſeu mirach, aut abdomine rugæ procedunt tranſuerſaliter, & non ſecundum proceſſum muſculorum: quia muſculi frontis, & ſuminis longitudinales, longitudinaliter procedunt ad viam compoſiti. Igitur ne lacerti lędantur, qui ſunt inſtrumenta motus, niſi quando motus deſtructionẽ minimè curamus, conuulſionẽ, ſiue aliud accidens euitando, vt docet Gal. & Auic. cum dicit; Perforatio, aut ſectio incedat ſecundum longitudinem villorum; vtplurimum quidem longitudo villorum eſt ſecundùm longitudinem corporis, niſi in locis appropriatis, ſicut in fronte, & ſumine; [6. metho. cap. 3. & 3. eiuſdem cap. 9.] ſimiliter inuenies plurimum longitudinis villorum cum plurimo ligaturæ, & rugarum. [4. f. 4. cap. 3. & 3. f. 4. c. 27.] Si enim (dicebat Auic.) ſciſſura ſecundùm rugas fieret, incideret muſculos frontis, & ſupercilium caderet: [4. t. 1. cap. 26.] Verum in membris, in quibus rugæ contra ordinem villorum muſculi procedunt, contrarium fiat. Debet igitur qui incidit, ſcire artem ſecandi neruos, ac venas, & artherias, ne oberret, & aliquid horum incidat. Et vnum dico, quòd apoſtemata, quæ generantur extrinſeca, aut contingunt ſic in ſuperficie membri, quòd muſculi, qui cooperiuntur proprio panniculo, & panniculo carnoſo, pinguedine, & triplici cute, non lęduntur; & tunc non ſumus coacti obſeruare illęſionem villorum, & cordarum; ſed cum materia eſt adeò profunda, quòd imbibatur in muſculorũ ſubſtantia, tunc cautè agendum eſt: ne illius membri operationes ex alicuius membri lęſione impediantur. Nec laudatur magna ſectio; [13. metho.] nam Gal. dicit; Maximas aliqui ſectiones faciunt, quarũ occaſione particula, vbi ad cicatricem eſt perducta, non ſolum turpiſsima redditur, ſed etiam fit imbecillior, & quæ ſępe homini ad motus ſit in mora. Hęc igitur ipſi vitantes plurimum, certè ſola inciſione, & medicamentis valenter ſiccantibus huiuſmodi affectus ſanauimus. Quòd ſi aliquando excidere aliquid propter multitudinem, non puris modò, ſed etiam corruptarum partium, fuit opus, contenti eramus ſectione, quæ mirthi folium imitatur, planè non magna. Dicit Celſus; Semper autem vbi ſcalpellus admouetur, id agendum eſt, vt & quàm minimæ, & quàm pauciſsimæ plagæ ſint, cum eo tamen, vt neceſsitati ſuccurramus, & in modo, & in numero. Dicit etiam ibi Cornelius; Si autem altius malum eſt, conſiderari debet, neruoſus ne is locus ſit, an non ſit: nam ſi ſine neruis ſit, candenti ferramento aperiri debet: cuius hæc gratia eſt, quòd exigua plaga diutius ad pus euocandum patet, paruaque poſtea cicatrix fit. At ſi nerui iuxta ſunt ignis alienum eſt, ne vel diſtendantur hi, vel membrum debilitent, ſed neceſſaria opera ſcalpelli eſt. Vltimò dicit Auic. Perforatio ſit cum cautela, ne ferrum tangat illud, quod ſequitur exituram de membris nobilibus, in tactu quorum à ferro eſt timor. [3. f. 4.]

Datur et alter modus aperiendi abſceſſus abſque ferro, quo vtimur aut ratione loci, aut quantitate tumoris; Nam, dicebat Cornelius; ſi pus maturuit in alis quidem, & in inguinibus, raro ſecandum eſt. [Lib. 7. cap. 2.] Item vbicunque mediocris abſceſſus eſt. Item quotiens in ſumma cute, vel etiam carne vitium eſt, niſi feſtinare curantis imbecillitas cogit, ſatis eſt cataplaſmata efficere, vt per ſe pus aperiatur: nam ferè ſine cicatrice poteſt eſſe is locus, qui expertus ferrum non eſt. Vnde Auic. dicebat; Si autem ſperamus, quòd rumpatur per ſe, non perforabimus. [3. f. 4. cap. 29.] & ſimiliter ſi ſperamus, quòd ipſa erumpatur per medicinas facientes eruptionem; fortaſſe enim inuenimus in medicinis facientibus eruptionem, quod ſtat loco perforationis. Medicamenta huic operationi opportuna deſcribam infra cap. de cura nodi. [Tract. 3.] Quomodocunque igitur celebrata loci apertione, tota euacuetur materia, ſi euacuari debet: hoc dico, quia

[3. ad Glau. d. 2. cap. 5.] co, quia in magnis exituris apud artherias, & venas exiſtentibus, in quibus multa reperitur materia, vt dicit Gal. & Albucaſis, totam vnà euacuare minimè debemus, propter nimiam ſpirituum euacuationem. [Lib. 2. cap. 40. 7. ad alm. cap. 3.] Vnde Raſis dicebat; Et ſi exitura maxima fuerit, totum eius virus non ſubitò eſt extrahendum, ne ægro ſuperueniat ſincopes: ſed paulatim erit extrahendum, & pręcipuè ſi æger fuerit debilis, aut mulier pręgnans, aut puer paruus, aut ſenex decrepitus erit. [3. f. 4. cap. 27.] Vnde Auic. & Albucaſis dicebant; Oportet, vt tu obſerues virtutem, & conſerues eam, ne proſternat eam dolor, & eruptio: plures enim hominum mortui ſunt ſincopizando ex arefactione virtutis: imò, dicit Gal. 2. ad Glau. in cap. de cura febrium continuarum ſine accidentibus, quòd ſi hoc accidat, confeſtim quidē hi optimis odoribus fouendi ſunt: Et paulò poſt; ſorbitionibus concoqui facilibus ſunt reficiendi. Sciendum etiam eſt, quòd in magna inanitione hepar trahit ſanguinem exiſtentem in dextro ventriculo cordis, purum, & clarum, & ab omni ſuperfluitate denudatum, ex quo in ventre ſiniſtro fit vitalis ſpiritus: vnde ſequitur ſpirituum defectus. Igitur materia pluribus vicibus euacuanda eſt; in omni enim euacuatione tam nocitiua, quàm iuuatiua natura multum laborat; quia multum reſoluitur de inſtrumento virtutis. [3. ad Glau. vbi de abſceſsib.] Et ideò Gal. dicebat; Quando bene maturatum videris apoſtema, ad ſectionem ſecurus deuenies, iuxtà loci vel membri qualitatem, & magnitudinem apoſtematis; ſi vna, ſi duabus, ſi tribus, vel eò amplius ſectionibus, vel plagis ſecandum ſit. Et ſecata, non ſemel tantum euacuabis materiam, præſertim ſi grandis fuerit abſceſſus, ſed partim, vt non defectus patiatur. [1. ad Glau. cap. de cura febrium continuarum.] Et rurſus; Defectus animi ſæpe contingit ex abſceſſuum diſruptione, aut ſectione, ex ſuperflua euacuatione. Cum igitur magnam perforas exituram, materia tribus, aut quatuor vicibus euacuāda eſt, vt clarè etiam docet ipſe Gal. in 6. par. Aphor. in com. 27. ſimiliter, & Hypp. in eodem Aphoriſmo. Facta perforatione, euacuata materia, ſi ſanguinis aliquis apparuerit fluxus, conſtringatur cum albumine oui, aut cum aſtringentibus ſanguinem. [4. f. 1. cap. 26.] Ideò, dicebat Auic. Inciſor medicamenta, ſanguinem adſtringentia, apud ſe præparata habeat, ac emplaſtra dolorem mitigantia, & inſtrumenta ad id idonea; Habeatque ſecum aliqua, vt ſunt medicamina Galeni, velut pilos leporis, & telas, ſeu ſtamina aranearum, & album oui. Si autem fluxus non apparuerit, vitellum cum albumine oui imponatur ad maiorem loci confortationem, pro prima tantum medela. In ſecūda autem viſitatione, ſaniem inſpicias, nunquid fuerit laudabilis, vel mala, quia digeſta innatæ caliditatis dominium declarat: [13. methodi. 2. ad Gla. vbi de tumore ſuppurato.] Vnde faciliter poſſunt partes vniri. Ideò Gal. dicebat; Poſt exciſam cutim medicamēto, quod Græci thuris mannā vocant, affectā partem implebimus; eſt autem ea purgamentum thuris. Et rurſus ait; ſi videris ea, quæ circa ſectionem ſunt, libera inflammatione, medicamentis, quæ emplaſtica dicuntur, vtere. Fit autem eorum vis ad exſiccandum habilis; careant etiam morſu. [Lib. 7. cap. 2.] Celſus dicebat; Vbicunque medicus, ex quacunque cauſa cutem excidit, pure effuſo in alis, vel inguinibus, linamento opus non habet, ſpongia ex vino imponenda eſt. In cæteris partibus, ſi æquè ea linamenta ſuperuacua ſunt, purgationis cauſa paulum mellis infundendum, deinde glutinantia ſuperdanda, ſi illa neceſſaria ſunt: ſuper ea quoque ſimiliter dari ſpongia eodem modo ex vino expreſſa debet. [4. f. 1. cap. 26.] Auic. verò dicebat; Et cum aperitur abſceſſus, & extrahitur id, quod intus erat, non debet admoueri ei oleum, neque aqua, neque linimentum, in quo ſit oleum, neque ſeuum abundans, vt eſt vnguentum baſilicum: ſed debet apponi velut linimentum ex chalcitide. quod fiat, cum eo indiges, & ſupra ipſum imponat ſpongiam madefactam in vino auſtero. [13. & 14. methodi curatiuæ. Lib. 2. cap. 40. 3. f. 4. cap. 27. Lib. 14. cap. 31.] Non eſſe approximanda pinguia vulneri poſt ſectionem, iubent etiam Gal. Paulus, Cornelius, Raſis, Albucaſis, & Auic. ſed procedendum eſſe cum exſiccantibus, aut cum diachalciteos, aut Iſis, aut cum aliquo ex his, quæ deſcribuntur ab Aetio.

Sed cum in ſectionis circunferentia aliqua apparet inflammatio; aut dolor, vel pus non maturum, aut malum apparuerit, aliter procedendum eſt. [13. methodi.] Nam ſic docet Gal. quando hęc apparuerint, prius mitigare inciſam partem, ſicut dictum eſt, quantum poſcere videbitur, oportet fomentis primum, dein cathaplaſmate, mox humectante aliquo medicamento, aut non ſiccante extrinſecus impoſitis. Nam in ipſo vlcere tum mannam, vt dictum eſt, tum ex pręſidijs, quæ linteolis excipiuntur, primum ea, quæ pus citant, dein ea, quæ expurgant, ſunt imponenda. Poſt quæ ſi cauitas etiam ſit, quæ impleant, adhibenda ſunt: ſin aliter, ea, quæ cicatricem inducunt, Gręcè ſynulotica, & epulotica vocantur: veluti quod ex cadmia conficitur. Et ideo ſileant, qui digerentium medicaminum applicationem vituperant; nam talia ſunt, quæ pus citant; & conuenit hæc operatio propter duas cauſas, prima vt labbia, & parietes abſceſſus aliqualiter aperiantur: vt ſi qua cruda materia in eorum ſubſtantia continetur, digeratur. Item ex frigidorum medicaminum appoſitione, in ſanguinis hæmoragia, incrudantur, conſtipantur, & infrigidantur labbia ſecti vulneris, vnde opus eſt ea digerere, & præparare, vt priſtinā recipiant vnitatem. [2. regim. acut. 46. & 3. de pot. nat. cap. 7. 2. ad Glauc.] Digerere enim eſt præparare, & non putrefacere, vt aliqui dicunt. Item à tali medicamine dolores ſedantur, & locus confortatur. Conueniunt ergo vſquequò bona apparuerit ſanies: & vulnus aliqualiter rubeſcere, vt deſiderat Gal. Fit tale medicamentū ex glutine albotim, & vitello oui, & dicitur vnguētum Ethiſeos. Aut R. therebentinę claræ ℥.ij. vitellum oui, mannę thuris ʒ.ij. olei roſati parum in magno dolore. [3. Methodi cur. cap. 5. & 6. metho. cap. vlt.] Remittitur enim nitroſitas therebentinæ ex ouo, & oleo roſato. Apparente verò digeſtione, ad ea, quæ expurgant, deueniendum eſt, quia dicebant Gal. & Auic. [4. fen 4. cap. 11.] Oportet, vt adminiſtrentur medicinæ facientes naſci carnem, cum iam mundificatus eſt locus à ſordiciebus, & ſimilibus.

milibus. Quod clarè declaratur 2. de med. per gen. vbi de Emplaſtris glutinantibus. Vnde R. therebentinæ claræ ℥. iij. vitellum oui, mellis roſati ʒ. i.ſ. ſuccci apij ℥. i. bulliant parum, & adde farinæ hordei ℥. ij. boli ar. ʒ. iij. croci ℈. i. & fiat vnguentum. Aut R. farinę hordei, mellis crudi an. ℥. ij. ſucci apij ℥. i. croci ℈. ſ. miſce. Aut R. mellis rubri ℥. vj. therebentinę claræ, farinæ hordei an. ℥. iij. ſarcocollæ, olibani an. ℥. i. vitellum oui numero 1. croci ℈. ſ. miſce. Et ſi deſideras maiorem mundificationem, addas vni iſtorum medicaminum parum Aegyptiaci. & Aetius ſect. 14. cap. 31. poſt tumoris ſectionem iubet, vt repurgantibus medicinis locus regatur, inter quas laudat medicamentum Aegiptium. hoc verò habet, therebentinæ claræ & liquidæ, mellis, & olei roſati an. partes ęquales ſimul liquatas. Valet etiam vnguentum ceraſeos, Apoſtolorum, Iſis, & ſimiles. Et cum apparuerit locus mundificatus, ad carnis productionem deueniendum eſt, cum vnguento baſilicone, vel regali ex Scribonio, Cornelio, & Paulo: Aut ℞. ſepi caſtrati ℥. vj. olei roſati ʒ. iij. ceræ ℥. ij. yreos, roſarum rub. ℥. ij thuris, ſarcocollę an. ℥. ſ. ariſtolochiæ rot. aloes ſucotrini an. ʒ. iij. therebẽtinę ℥. iiij. miſce, & fiat vnguentum in bona forma. Aut ℞. vnguenti de ceruſſa ℥. ij. ſand. alborum rub. boli arm. terræ ſigillatæ an. ʒ. j. camphoræ ℈. ij. olei roſ. parum, cerę q. s. pro vnguento. Aut ℞. opoponacis ℥. j. raſuræ telæ, cartæ aduſtę an. ℥. ſ. vini optimi, mellis, olei mirthini an. ℥. i. ſ. aloes, ſarcocollæ, mirrhæ an. ʒ. iiij. cerę q. s. miſce, & fiat vnguentum ſecundùm artem. Vltimò ea, quæ cicatricem inducunt, vtenda ſunt, ſicut cerotũ triapharmacum Græcum, aut de minio, aut aliquod magiſtrale: Vnum addunt Auic. & Paulus, quòd ſi inueneris ſaniem corruptam, & putrefactam, non eſt excuſatio, quin laues locum cum aqua mellis, aut vino mellite, aut oxicrato. Lib. 4. cap. 18. Et Gal. non ſolum laudat has medicinas, ſed 2. ad Glau. & lixiuium: & dicit, cum locus fuerit mundificatus, ad paracolleſim venire oportet, ideſt ad partium vnionem.

DIGRESSIO.

Ferè autem tota cura huius paſſionis eſt in partium vnione; Ideo Auic. dicit; Cum perforaueris exituram, & extraxeris, quod eſt in ea, tunc neceſſarium eſt, vt tu ſuccurras ad conglutinandum cutem 3. fe. 4. c. 29. cum carne, vt non rumpatur, & induręſcat: & fiat taliter, quòd non conglutinetur, quare fiat ſinus, quę non ceſſet impleri, & redeat ſimilis exituræ primæ. Idem & doctè dixit Raſis. Et verè cum inciduntur, & non mundificantur, non implentur, & fiunt de genere fiſtularum, vt demonſtrat Gal. nam 7. ad Alm. 3. Lib. de tumor. cap. 4. fiſtula eſt ſinus concauus, cuius labbia ſunt indurata. Et alibi; Quando ſubexcoriat particula pus, 2. ad Glau. d. 2. & diſtare eam facit à ſubiectis, & demum euacuato eo ſecundùm quencunque modum, non ſunt po- cap. 5. tentes, quę diſtant, partes priſtinam aſſumere conſiſtentiam, nominatur hæc paſſio ſinus: ſi verò quis non citò ipſum euacuauerit, & cicatrizauerit, fit durus, & non eſt poſſibilis conglutinatio. Nam ſuperfluitate aliqua ſubnutrita, rurſus impletur, & fit iterum, quod à principio erat, apoſtema. Igitur, cum reiteratur pluries materia in aliquo loco, & euacuatur, & iterum innouatur, propter talem innouationem acquiritur vna quædam mala qualitas, ſicca, & vna quędam diſpoſitio obſtracoſa, quæ con ſolidationem impedit. Et hęc paſsio à Gal. ſinus appellatur. Et ſequitur: eſt autem fiſtula ſtrictus, & Lib. de Fiſtulis longus ſinus, contractionem, & duritiem patiens. Fuit declarata hęc paſsio ab Hypp. ab Aetio, & Lib. 14. cap. 5. à Principe, de qua Deo fauente erit ſermo in proprio tractatu ad plenum, & cap. de cura vlceris ca- 4. f. 4. tr. 3. cap 4 uernoſi. Reſtat, vt de modo aperiendi exituras abſque ferro, aliqua dicamus. Hoc opus dupliciter Lib. 3. huius voluminis. fit, aut cauſtico, aut maturante medicamento vſque ad cutis apertionem; & tali vtimur in ſuperficiali tumore, à cuti capitis: & ſunt de genere illorum, qui non indigent perforatione, nec ante, nec poſt ſanioſitatem: quorum materia eſt ſubtilis, calida, & faciliter ad cutaneas partes deducitur, aut ex ſe eſt ſuperficialis: non autem in profundo, quia tunc ad cauſtica deueniendum eſt. Horum medicaminum aliqua ſunt debilia, & nonnulla fortia. Quando enim aut ratione loci (vt gulæ, teſtium, locorum neruoſorum, aut nobilium) aut propter ægrotantis timorem, (vt mulierum veterum, & puerorum) exituram rumpi deſideramus, non niſi coacti deuenimus ad fortes medicinas; quia ſua caliditate in membro quandam introducunt diſcraſsiam: debiles verò ſuam longo tempore oſtendunt operationem. Et ſi incuneata materia fuerit maligna, partes ſibi vicinas corrodet: vnde generantur vlcera maligna, corroſiua, & malorum modorum. Verũ eſt, quòd ſi exiturę contingunt in membris, in inciſione quorum eſt timor, ad talem operationem deuenire oportet. Et in primis conſiderare opus eſt, nunquid exitura ſit ſalua, aut pernicioſa, & maligna; quod ex natura, & prauitate accidentium cognoſci poteſt: ſaluæ enim rumpuntur ab aqua calida: aut huius ingenijs, R. radicum liliorum alborum numero 11. mellis ʒ. iij. radicum harundinis ℥. ij. olei liliorum, colofoniæ, ſorditiei vaſorum apum an. ℥. i. ſ. miſce. Radices, & frondes pedis coruini idem faciunt. Similiter mel anacardinum cum pice nauali, deductis in mortario. Calx viua cum ſapone idem facit. Aut R. ammoniaci ℥. iij. ceræ ℥. ij. glutinis albotim, ſulfuris citrini, nitri an. ℥. i. ſ. miſce, & fiat medicamentum. Proponit & Auic. medicamentum, quod dicit à ſe expertum fuiſſe, & eſt hoc, R. medullam granorum cotti, nucem rancidam, fer- 3. f. 4. cap. 39. mentum, caules, radices liliorum decoctas cum ſinapi, & fimo columbino. Valet & diaquilon ſolutum in mucilagine ſinapis, cum ficubus, & ſale. Et ſemen vrticæ cum ſale am. rumpit ſine dolore. Lib. cap. cap. 18 Multa à Paulo dicuntur, & laudat rad. narciſi in polinem detritã, & in mulſa cum irino decoctam; vel

teneram calami radicem cum melle: vel ariſtolochiam cum pice, melle, & propoline. Vide locum. Et ſi quis deſideraret exituram aperire potentiali cauſtico: & maximè talem, qualem Gal. Cornelius, & Paulus aſtherotema meliceris, & adipinum appellant, videat infra tractatu 3. cap. de cura nodi, quia ibi horum medicaminum nonnullas inueniet deſcriptiones. Et ego aliquando in loco valde neruoſo, dum exitura eſſet profunda, quæſiui eam aperire cauſtico: quòd ſi ad cauitatem non penetrauerit, reliquum ferro ſecare decreui, & bene ſucceſſit, cum pauciſſimo dolore. Deinde locus digeſtus, & benè mundificatus, ad cicatricem de facili peruenit. Sic fieri debet in bubone, materia cruda exiſtente, aut à prædominio, aut à ſubdominio. Et laudatur hæc via ab Ariſt. primo Problematum, & maximè in locis ſummè ſenſitiuis. Idem Raſis, Auic. & Paulus afferunt.

13. contin. 3.f.4. cap. 25.

ADDITIO.

Lib. de inæq. intemp. cap. 4. Lib. 4. cap. 18. 14 Cont. cap. 4. 3. fe. 4. cap. 31. 5. de loc. aff. Lib. 14. c. 30.

Concedunt Gal. Paulus, Raſis, & Auic. quòd ſanies digeſta, niſi proprio cõtineatur chiſti, poſsit adhuc reſolui. Quod credere difficile eſt, cum ſit ſuperfluitas in ſinu contenta, derelicta ab vltima digeſtione, quæ fit in membris, nec poteſt iterum venas ingredi, cum ſit groſſæ ſubſtantiæ, nec poteſt conuerti in nutrimentum, cũ acquiſiuerit diſpoſitionem quandam præter naturam. Tamen multi polliciti ſunt pluries vidiſſe talem euaporationem, quibus ſuffragatus eſt Gal. & Aetius; Et dicunt, quòd membra, dum præceſſerit aliqua inanitio, loco indigentiæ ex ſanie nutriri poſſunt, cum laudabilis fuerit, & propè aliquod membrum incuneata, in quo virtus attractiua fuerit fortis, ſicut iecur, & ventriculus; cum attracta in ipſis talis materia poſſit de nouo præparari, vt fit de pituita, cum ad bonum conuertitur ſanguinem. Et tantò magis ſanies reſolutioni erit apta, quantò fuerit benigna, & laudabilis, & ſuperficialis, & calor extraneus non multum potens ſuper eam, & corpus temperatum, tempus æſtiuum, & regio calida. Operantibus ſæpe aduenit in ſectione tumorum, qui ex toto ad coctionem deueniſſe creduntur, cuius materia ſanguinea eſt, nec multum à naturali calore derelicta: & cum eos ſecare credunt, materiam reſolutam inuenere. Non propter hoc dico, quòd debeamus ſectionem, cum fuerit opus, tardare: quia reſolutiones de raro contingunt propter oppilationem pororum à materia diuerſa: & ſi contingunt, non niſi longo tempore, & cum periculo, ne materia putrida circunſtantes regiones de nouo corrumpat, id facere ſolent.

Docent Doctores nonnulla medicamina ad talem operationem; Quare dicebat Gal. Cum medicinis, vt reſoluatur ſanies. Et Auic. dicebat de medicinis reſoluentibus ſaniem; eſt omne calidum reſolutiuum iteratum ſuper membrum, cum ratificatione membri, & raritate eius, cum euaporationibus facientibus illud de illis, in quibus eſt humiditas calida; & quantò plus reſoluitur, emplaſtretur multo tiens locus, & embrocetur. Et oportet, ne vacuum ſit regimen à medicinis lenientibus, donec lenia-tur durities ipſius, quia neceſſarium eſt, vt adminiſtrentur lenientia ſola, & medicinę reſoluentes ſaniem ſunt de ſumma albaurach, & ſinapis, & ſtercoris auium, & arſenici, & calcitidis, & cordumeni; Et cum eis miſceatur thus, glutinum albotim, & maſtix cum aceto, & oleo antiquo: Aut ex pirethro, ſtaphiſagria, baurach, & melle: Aliud ex Scribonio, Paulo, & Auic. R. lapidis piritis, ammoniaci triti, an. ℥.xij. iomenti, id eſt farinæ fabarum ℥. vj. picis liquidæ q. s. pellique illitum imponitur. Splenium verò non prius auferatur, quàm ſua ſponte deciderit. Et oportet, vt adminiſtretur ſtatim, quoniam citò exſiccatur. Aliud Auic. R. ſalis ammoniaci ℥.ij. bezahard, id eſt galbani ℥.s. lythargirij ℥. iij. olei antiqui ℥.ij.s. fiat linimentum: Aut R. picis, baurach, rhu, adipis tauri, baccarum lauri, calcis viuæ an. partes æquales, miſce. Medicamentum Raſis, marcheſita trita in aqua, in qua diſſolutum ſit galbanum, fiat linimentum. Aliud eiuſdem, quod reſoluit ſaniem, & non comburit cutim; & fit ex ariſtolochia, lana vſta, thure, nitro, modico therebentinę, oleo de Cherua, & cera. Sequitur Paulus, & Auic. & quando non conferunt medicinæ, ſicut prædiximus, neceſſarium eſt perforare, aut cauterizare. Et hæc ſatis ad Dei laudem.

13. cont.

De furunculo. Cap. V.

3.f.4.c.1. Cap. proprio.

FVRVNCVLVS, ſicut dicunt Auic. & Meſue, eſt tumor ſanguineus ex ſanguine laudabili, ſubtili. Eius ſigna ſunt, tumor paruus, ſine pulſatione, coloris rubei, pinealis, & acutæ figurę, doloris pungitiui, ad modum punctionis ſpinæ: quare interdum dicitur ſpina, vel clauus, vel aldemenul, aut aldemurenul, vel ademul, aut carbunculus, aut dothieneph apud Græcos.

DIGRESSIO.

3.f.4. cap. 1.

Dicebat Auic. à ſanguine laudabili ſubtili generatur phlegmon, quod accipit cutem ſolam, & eſt ſpina, & non eſt cum pulſatione. Diuus Meſue cap. quod intitulatur, de phlegmone, quod ſpina dicitur, vel clauus, aut aldemenul, dicit: quòd eſt apoſtema phlegmonicum, ideſt accenſum ex ſanguine laudabili, ſubtili, à corpore influxo ad ſubcutaneas partes, quod ſubtilitate ſubſtantiæ in carnoſis partibus non remanet, ſed ad cutaneas pertranſit, & colligitur in ſuis poris denſatis, vt nequeat reſpirare.

Vnde

Vnde Auic. dicebat; hæc paſſio eſt de genere exiturarum, ideſt de materia ſanguinea, quę propter ſui 3.f.4.c.33.
qualitatem, facillimè peruenit ad exituram. Dicit Celſus; Furunculus eſt tuberculum acutum, cum Lib 5. cap. de
inflãmatione, & dolore, maximèque vbi iam in pus vertitur. Et cap. de phimate dicit; Furunculus oui feruncolo. In eodem libro.
dimidij magnitudinem rarò explet, nunquã excedit. Et Paulus dicebat; Furunculus tumor eſt, abſceſ- Lib. 4. cap. 23.
ſum præſeferens, qui interdum ex craſſis humoribus in carnoſis plerunque partibus concipitur; mitis
quidem, cum in ſola cute coiit: peruicax autem, malignuſque, vbi ſubteractis radicibus in ſuperficiem
erumpit. Eius cauſa ſemper interna eſt; nam, vt dicit Auic. fit ex malitia digeſtionum, & ex motibus
ſuper repletionem, & quæ currunt curſu illorum. Volebat Raſis, quòd aldemenul ſit genus apoſtema In diuiſ. c. 131
tis calidi, quod multiplicatur in eo, qui vtitur multum cibis generantibus ſanguinem plurimum, & ma
ximè in his, qui aſſueti erant phlebotomari, & dimiſerunt. Dicit Hipp. Quibus febres longæ contin- 4. aphor. 44.
gunt, his tubercula, vel labores fiunt in articulis. Et ſequitur; Quibus tubercula, vel in articulis labo 4. aphor. 45.
res fiunt, hi pluribus vtuntur cibis. Et Gal. Qui vtuntur nimio cibo (ait) reddunt ventriculum debi- in comento.
lem; Vnde rationabile eſt his repletis, & plethoricis euenire, & maxime ob uirium imbecillitatem, vt
in conualeſcentibus ſępe aduenit. Primum, quod notatur in hac paſsione, eſt differentia eius à phleg-
mone ratione cauſæ materialis; quia hæc à ſanguine ſubtili, illa à groſſo; & ratione aliquorum effe-
ctuum, quoniam hæc paſſio ferè ſemper erumpit ſine ferro, & ex ſe, vt dicit Cornelius; matureſcit
enim per ſe, atque erumpit, ſed dolorem efficit crudelem. Secundum eſt materia contenta; nam in
phlegmone pus inuenitur, in hac verò paſſione quædam materia groſſa, ad inſtar corrupti nerui. Et
Cornelius dicebat; Vbi adapertus eſt, & exit, ſuper apparet pars carnis in pus verſa, corrupta, ſubal
bida, aut ſubrubra: & in eius apertione plurima apparent orificia. Si talis paſsio (dicebat Raſis) cum
debito regimine non pertractatur, malignatur; & cum talis aduritur, in carbunculi naturam facillimè
tranſit. Dicebat Gal. Cum putreſcit ſanguis, pars tenuiſſima in pallidam bilem, craſſior autem in atram, 2. de diff. febriū cap. 11.
vertitur, quemadmodum accidit in carbunculis: etenim in his ſanguis vehementer putrefactus mutatur
in humorem melancholicum. Dicit etiam Auic. cap. de cura aldemenul; Non oportet, vt ſit negligen
tia in curatione aldemenul; quoniam multotiens conuertitur ad exituram magnam; & deteriores ſunt,
qui ſunt profundiores: & cum corrumpitur ſanguis corruptione venenoſa, accedit ad naturam anthra
cis, & tunc color liuidus, aut niger apparet; ſic voluit Raſis in diuiſionibus, cum dicit; Cui ergo acci
dit aldemenul plurima, aut poſt exituram tremor in corde, aut nauſea, aut ſudor frigidus, tunc illud
ſignum eſt malum. Sciendum eſt, quòd talis inflammatio eſt peior phlegmone; peior, dico, quò ad
ſubitam introductionem malorum accidentium propter eius materiæ malignitatem: non tamen ita per
durant, ſicut in phlegmone groſſo.

De cura furunculi. Cap. VI.

Ictvm eſt, quòd ſi talis inflammatio non regulatur, ad malignitatem perduci- Tr. 29. cap. 4.
tur. Et Alpharabius in ſua practica dicit; Hoc apoſtema eſt magis difficile phleg
mone; nam poſſibile eſt, quòd interficiat. Vnde pro eius cura tres reſultant inten
tiones: prima eſt regimen victus in rebus non naturalibus: ſecunda eſt remotio cau
ſæ coniunctæ, quæ vtplurimum ſit talis: tertia eſt, ſæua accidentia, quæ in tali mor
bo apparere ſolent, corrigere.

DIGRESSIO.

Dicit Alpharabius in ſua practica, & Raſis in diuiſionibus; In his minoretur cibus, & propriè carnes, Et 7. ad Alm. cap. 10.
& confectiones de melle, & lac, & vinum; & cibus ad acetoſitatem declinet; & reſpiciat ſe patiens à
nauſeatiua ſacietate, & ſuperfluo exercitio, & pręſertim poſt comeſtionem, ne corrumpatur digeſtio.
Si verò fuerit neceſſe (dicebat Raſis ad Alm.) vt patiens bibat vinum, tale ſit clarum, & limphatum. 2. aphor. 17.
Ex his autem, quæ eos generari non permittunt, ſunt venæ ſectio, interdum cucurbitularum appoſi-
tio, & ventris ſolutio cum mirabolanis citrinis, diaphinicone, thamarindis, cum decoctione prunorum,
ſennę, fumariæ, & ſimilium rerum. Credidit Alpharabius, quòd eius cauſa ſit ſanguis corruptus,
mixtus choleræ, & aliquando nigræ cholerę. Et Raſis dicit; Quando talis ſanguis ſit groſſior 13. conc.
per admixtionem, erit magis ardens in concauitate corporis: & tunc eſt crudelis, & malus, & eſt de
genere carbunculorum: Tunc euacuetur patiens, quia & Princeps cap. proprio dicebat; & cura eius eſt
euacuatio ſecundùm quantitatem neceſſitatis phlebotomiæ, & ſolutionis ventris. Vnde Auer. In car- 7. coll. c. 31.
bunculo (ait) ebullit ſanguis, & putreſit; & propterea de neceſſitate inducit febres peſtilentiales; &
eius medicatio fieri debet cum duabus ſpeciebus euacuationis, vt pharmacia, & phlebotomia. Ape-
riatur igitur baſilica eiuſdem lateris, & ſanguis ſecundùm indigentiam extrahatur; deinde pharma-
cetur. Et ad ſummum, dicebat Raſis; Oportet, vt in initio regatur cum eis, quibus regitur apoſte-
ma calidum. Et Meſue dicebat; Et cura eius eſt cura phlegmonis, vt ſecetur vena, & euacuetur ma-
teria, quæ ſtat ſub cauſa antecedenti: quæ verò fluit ad locum impellatur. Vnde Princeps cap. de cu
cura aldemenul; Quando apparet aldemenul (inquit) tunc eorum cura circiter tres dies eſt cura apo-
ſtemat um

ſtematum calidorum. Et Raſis in diuiſionibus dicebat; Si autem pertranſeunt tres dies, & non exte-
nuantur, ideſt non reſoluuntur; ſed permanet eorum pulſatio, & febris: tunc eſt neceſſe, vt ſaniei col-
lectionem faciant: quare iuuetur, vt velox fiat eorum maturatio, & apertio. Et Auic. dicebat; Dein
de poſt illud, ideſt poſt tres dies, oportet, vt ſit occupatio in reſoluendo, & maturando: fortaſſe enim
reſoluetur, & illud eſt ſecundùm minus, ſed maturatur. Et verè eſt ita ſecundùm minus, quòd nun-
quã reſoluitur, cum ſit res ex toto præter naturam. Nec Doctores vllam de reſolutione memoriam
fecere: ſed bene de maturatione. Ideo cum medicus, celebratis euacuationibus, in latitudine trium die
rum, cognouerit cauſam poſſe repelli, vtatur medicamine ex oleo roſ. aceto, & humano lacte: Aut
R. boli armeni, ſanguinis draconis an. ℥.ij. lithargirij argentei, pulueris roſarum an. ℥. s. olei violati q.s.
pro emplaſtro, & vtere. Et ſi materia reſolutionem petit, eo medicamine vtere, quod fit ex flori-
bus chamomeli, paſſulis, melle, & baurach, ſiue nitro.

Si verò natura materiam ad extra expellere cupit, & morbus ad ſaniem declinat, dicit Auic. quòd
ex pulſatione cognoſcitur, tunc neceſſarium eſt maturare, ergo adiuuetur ad illam. Et raſis ait; Cum
7. ad alm. accidit aldemenul, non eſt neceſſarium, niſi, vt in ipſius maturatione ſtudium impendatur. Idem di-
cit Celſus. De maturantibus bonis, dicebat Auic. hoc eſt, R. ſeminis almaru, ideſt linguæ bouis, triti,
pſilij an. ℥. i. lactis fici ℥.iij. far. fen. greci, ſem. lini an. ℥. v. fermenti acetoſi ℥.i. olei veteris ℥.i.s. omnia
decoquantur in lacte, & fiat emplaſtrum; hoc enim maturat, & aperit. Dioſcorides dicit, quòd fer
Et 1.f.1. cap. de qual. humorum & ſimpl. med. cap. 10. mentum tritici, cum ſale decoctum, maturat has paſsiones. Idem facit triticum maſticatum (ex Prin-
cipe cap. prop. quod laudarunt etiam Galenus, & Paulus. Aut cathaplaſma ex far. ſeminis lini, fi-
mo columbino, & fermento, cum ficubus, aut caricæ cum paſſulis, & melle. Dicit Auic. Cum al-
Lib. 7. cap. de ſaliua. demenul difficulter venit ad pus, phlebothoma venas, quæ imbibunt ipſum, deinde ventoſa locum; Et
non facias hoc in principio; quoniam egredietur ſanguis virulentus, & retinebitur groſſus, & fiet illic
vlcus durum. Et quando maturatur, & non aperitur, perfora ipſum, aut cum cauſticis, aut cum ferro,
vt dictum eſt de modo aperiendi abſceſſus: ſed de bonis erumpentibus eſt ſem. lini, fimus columbinus,
& fermentum. Cornelius laudat galbanum, reſinam, & fermentum.

Et quia in eorum maturatione dolores acerrimi contingunt, deinde praua accidentia euenire ſolent,
vt dicit Raſis; ideò bonum eſt, membrum ſupra tumorem aliquo defenſiuo illinire per ſpatiũ quattuor
digitorum, & vltra. Super locum autem tali vtere cathaplaſmate, quo pluries vſus ſum. R. capi-
tum liliorum alb. ℥. vi. radicum bugloſſæ tenellę ℥.ii. foliorum maluarum, & violarum an. m.i. hæc om
nia in ſufficienti aquæ quantitate decocta, & expreſſa piſtentur, & cum farina hordei, ſeminis lini fiat em
plaſtrum ſolidum ad ignem; in fine addendo, butiri recentis, olei violati an. ℥.ii. pinguedinis gallinę ℥.iij.
7. ad alm. vitella ouorum numero ij. croci ℈. s. Et vtere, quia valet. Digeſta materia, & extracta, curetur, vt
docet Raſis, mundificetur locus cum vnguento de melle ſuę deſcriptionis, quod fit ex melle, ſarcocol-
la, & farina hordei an. p. ęquales. Hoc vnguentum (dicebat Raſis) omne vlcus ſanioſum mundifi-
cat; & cum carbunculus fuerit mundificatus, ipſe perſe citò ſolidabitur. Et Celſus dicebat; Expreſſo
pure, nulla vltra curatio neceſſaria eſt. Tamen ſi conſolidatio tardauerit, cum aliquo vnguento ex car
nem producentibus conſolidetur. Et ex Meſue, bonum eſt, ſemper locum oleo roſato inungere. Et
ex Raſi, ex albo vnguento illinire, quia malam complexionem derelictam remouet: ſed cum ſapit na-
turam veneni, eius regimen eſt, vt de anthrace cum Dei auxilio infra dicemus.

De panaritio. Cap. VII.

PANARITIVM, ſicut dicit Auic. eſt apoſtema calidum, exiturale; cuius materia eſt
9.f.4.tr.4. c.8. ſanguis ſubtilis, qui in lateribus vnguium, aut extremitatibus digitorum expelli-
tur, & ibi tumorem cauſat accenſum, doloroſum, non multæ, eleuatæ ve dimen-
ſionis, ſubitæ materiæ: cum quo, vt plurimum, oſſium caries ſubſequitur, & fe-
bris, & alia ſimpthomata vnà ſunt. Hæc paſſio à Græcis interdum paronichion
Lib. 3. cap. 81. dicitur, multotiens autem pterigium vocatur. Verum tamen eſt, quòd pterigium,
vt dicit Paulus, carnis incrementum eſt, aliquam vnguis partem operiens; Paneri-
tium autem, vt idem teſtatur, vel paronichia, eſt abſceſſus, qui ad reduuia vnguium
coit, vnde paſsio reduuiæ nuncupatur.

DIGRESSIO.

Aliquando in vnguium circuitu, dicebat Raſis, & Auenzoar, apoſtema calidum, exiturale, rubeum,
7 ad Alm. c. 19. 2. Theiſir cap. vltimo. inflammatum, & doloroſum valde fieri contingit: quod aliquando vlceratur, & perducit membrum ad
corruptionem, cum fluxu humoris virulenti, & fœtidi. Et Auic. dicebat; Cum hæc accidunt, eſt timor
digiti. Dicit Raſis, ex eo plerunque accidit febris, & pertingit dolor vſque ad loca, quæ ſunt ſub aſcel
lis, & in inguinibus. Et non ob aliam cauſam ſunt adeò crudeles hi dolores, niſi quia talis materia eſt
ſanguis ſubtilis acutus, qui cum à calore natiuo derelinquitur, accedit ad veneni naturam. Et talis non
tantum in muſculorum, & neruorum, vel cordarum ſubſtantia infigitur, ſed & oſſium: vnde vtpluri-

mum

mum corrumpuntur. Sunt accidentia in iſtis tumoribus adeò ſæua propter eorum compoſitionem, & paupertatem caloris, cum hæc membra à fonte ſint valde longinqua, & in extremitatibus digitorum ſunt capita, & extremitates muſculorum, cordarum, neruorum, artheriarum, & venarum. Dicebāt Gal. & Auic. Scire debes, quòd apoſtemata, quæ deteriora habent accidentia, ſunt, quæ in membris 3.de loc. aff. 2.f.1.d.3.ſum.1 contingunt neruoſis. Digiti ſunt membra ſicca, & carnis paupera, ac in eis paucus reperitur calor, à cap. 11. quo extraneæ humiditates regulantur. Talis verò ſuccus, dum tali in membro coaceruatur, reſolui non poteſt, etiam quòd ſit ſubtilis, & remanet ita furioſus, & ſæua adducit accidentia, & interdum mortem. Dicit Auenzoar; Huius ægritudinis reperitur quædam ſpecies mala valde, quæ corrodit extremitatem digitorum, & ſæpe ad totum membrum corroſio extenditur. Poteſt hæc paſſio poni ſub titulo de ſpinea ventoſitate; cum ſemper oſſa corrumpantur: & eius principalis malitia eſt in oſſe, aut in eius tunica, aut in neruo, & ſemper ab interiori cauſa procedit.

De cura panaritij. Cap. VIII.

IN cura iſtius paſſionis, tres requiruntur intentiones; Prima regimen victus in cibo, & potu. Secunda eſt corporis euacuatio ſecundùm indigentiā. Tertia tumorem ſecundum temporis diuerſitatem gubernare, corrigendo accidentia, quę ad eum conſequi ſolent.

DIGRESSIO.

Dietha tenui, & frigida in hac paſſione vti, ab omnibus laudatur: &, vt docet Auic. dimittendo vinum, & carnes, & omnia ea, quæ ſanguinem ſubtilem generare poſſunt. Dicit Ra 7.ad Alm. ſis; Si diu eſt, quòd patiens non fuerit phlebotomatus, phlebotometur. Vnde Auic. dicebat; Si neceſſaria fuerit phlebotomia, aut ventris ſolutio; fiat: imò Auenzoar dicebat; Et ſi non fueris ſolli- 2.Theis. vltimo citus, & ſtudioſus in euacuatione, antequam deueniat ad maturationem, & corruptionem, parum proficiet ei cura. Apparentibus igitur conditionibus phlebotomiæ, ſecetur vena baſilica in principio tumoris, lateris diametraliter oppoſiti morbo. Et ſi corpus fuerit plenum, euacuetur cum caſſia, electuario de ſucco roſarum, diacat. confectione hamec, diaprunis, & ſimilibus.

De localibus multa dixit Aetius, & ſubdit Auic. Locus regatur, ſicut reguntur cætera apoſtemata calida, in obſeruatione principij, augmenti, ſtatus, & declinationis. Sic voluit & Meſue. Si poſſumus (ait) noſtra intentio tota ſit in doloris remotione. Dicit etiam, quòd bonum eſt vti remedio Gal. Sect. 2. p. 2. cap. 8. in tumoris initio: quod itidem Auic. cap. proprio laudabat: Eſt autem, digitum pluries in calido aceto ſubmergere: & ſi ſecum erunt furfures, & hordei farina, erit melius: Aut ſæpe ſubmergatur in oleo calido, vt docet Auic. & Raſis. Et ſi vehemens dolor apparuerit, locus emplaſtretur cum mucilagine D.uis.137. pſilij, extracta cum aceto; cui adde parum opij. Vnguentum de camphora à Doctoribus laudatur. Similiter & gallæ, puluerizatę, tritę cum aceto, & melle. Laudant Paulus, Princeps, Raſis, & Meſues Lib.3.cap. 81. ſorditiem aurium cum lycio; quoniam prohibet eius augmentum. Dicit etiam Auic. quòd iuuat ſæpe ponere digitum in aqua frigida. Et Raſis, digito ſuperponere pannum infuſum in aqua niuis, aut 7.ad Alm. in niue; quoniam prohibet eius confirmationem. Non oportet, vt diu moretur (dicit Auic.) ſuper infrigidantia; nam ipſa, quando tranſit hora prima principij, inſpiſſant cutem, & obſident materiam, & vehementior fit dolor. Nam ad augmentum tumoris augmentantur dolores: quibus apparentibus, apponantur defenſiua ſupra cubitum, aut genu, & ſupra concatenationem manus, vel pedis, & ſuper locum dolentem, R. vitella ouorum numero iiij. quæ prius fuerint elixa, & dura, butiri recentis. ℥.ij. farinæ fenu gręci, ſeminis lini, mucilaginis, maluauiſci, an. ℥.i. opij, ioſciami an. ℈. j. ſeminum apij ℈. s. aceti ʒ. ij. omnia ſimul piſtentur pro vnguento. Dicit Auic. quòd medicamentum ex aloe, balauſtijs, olibano, gallis, & melle ſanat panaritium in augmento. Et ibi dicit Auic. Et non attendatur tunc illud, quod ſentitur de caliditate, quamuis ſit, ſicut ignis, imò reſoluatur, & exſiccetur. Voluit dicere Auic. quòd dum pus conficitur, vehementi acceſſione apprehenditur locus, & dolor intenſus eum moleſtat: & ſi apparent talia accidentia, non eſt procedendum, vt ſanies gignatur, ſed potius cum reſoluentibus, & exſiccantibus. Multæ ordinationes reperiuntur à Celſo, & à Paulo, & hoc medicamen- Lib. 6. cap. 19. Lib. 3. cap. 81. tum ambo laudant: R. calcithidis, malicorij, ſquammæ æris, ficus pingues decoctas, mellis an. partes æquales. Alter Cornelij, R. cartæ combuſtæ, auripigmenti, ſulphuris ignem non experti, an. p. æquales, olei mirthini, ceræ parum. Sequitur Auic. Et cum accidit maturatio, & eſt tempus ſtatus, ſuper ipſum pone ſemen linguæ bouis, & pſilium cum lacte. Et Raſis in diuiſionibus dicebat; Cum maturatur, pone ſuper ipſum, quod generat ſaniem; ſicut triapharmacum ex farina, oleo, & aqua. Sequitur Auic. Cum materia fuerit digeſta aliquo modo (quia non eſt expectanda vltima digeſtio in hac paſſione) perforetur perforatione ſubtili, & parua: vt egrediatur, quod eſt in ipſo. Idemque dicit Raſis in diuiſionibus. Et Paulus dicebat; ſuppuratas autem reduuias acu adducta, humorem emittere oportet. Ne forſan autem membra talia ex ampla ſectione debilitentur, anguſtum foramen laudant antiqui. Nonnulli verò, vt Celſus, & Albucaſis, dicunt, quòd locus candenti, & tenui ferramento aduren- Lib. 2. cap. 91. dus

dus eſt, quam operationem multi recentiorum laudant: Tamen, vt millies vidi, ex natura, & malitia
contenti humoris tumores iſti ex ſe aperiuntur, vt docet etiam Raſis. Cumque expurgata fuerit ſanies,
1. ad Alm. 9. quæ iam coctionem receperat, reliqua digeratur cum tali medicamine. R. therebentinæ claræ ℥.ij. vitel
lum oui, croci ℈.s. mellis crudi, ſucci apij an. ℥.j. mirrhæ, aloes, an. ʒ.i. miſce. Deſuper verò emplaſtre
tur, vt docet Auic. cum rebus ſtipticis, confortantibus, ſicut lentes, roſæ, & ſimilia. Aut R. roſarum,
baluſtiorum, florum chamomeli, mirthillorum, ſtechados, an. m.j. bulliant in vino nigro, & fiat deco-
ctum, in quo infuſis ſtupis ſuperponatur. Et ſi accidat, quòd locus vlceretur, aloes eſt de melioribus
medicinis. Et dum currit ſanies, addas aliquid ziniar, ſarcocollæ, & thuris vnguento de ceruſſa, aut
prædicto digeſtiuo, & vtere. Aut R. ex Paulo, lachrimæ thuris, ſquammæ æris, æruginis raſæ an. ʒ.j.
mellis ℥.iiij. miſce. Iſta verò ſunt fortia medicamenta, quæ interdum dolorem adducunt. Vnde in du
ris corporibus, vt ruſticorum, & laborantium, poſſunt vti. In tenellis verò, & delicatis, non, vt mu-
lierum, puerorum, & nobilium. In his verò vtimur vnguento damaſceno, cerafeos, aut apoſtolorum in
Auic. 4. canon. 2 de com. med. ſec. loc. ipſo vlcere: deſuper verò tali emplaſtro ex Gal. laudato à Meſue, & Auic. R. pulueris corticum grana
torum acetoſorum, gallarum an. ℥.ij. roſarum ſiccarum ℥.j. ſtechados, ſertulæ campanæ an. m.j. ſcoriæ
æris, floris æris an. ʒ.ij. mellis ℥.iiij. miſce. Cum timetur vlceratio, dicit Auic. non approximes vlceri
nec oleum, nec aquam, nec aliquod humidum. Et ſi perambulat corroſio, vtere trociſcis calcadicon,
ex arſenico, dragantho, flore ęris, & calce, quoniam exſiccant, & non eſt melius eis. Et ſi adhuc cur-
rit ſanies, non eſt excuſatio à loci ſectione; & ſi fuerit opus, vſtione; quam adeò laudat Albucaſis, &
dicit, quòd eſt valde iuuatiuum. Dicit Auenzoar; Et accidit quandoque in hac paſſione, quòd cor
rumpitur os, & denigratur: quare impoſſibile eſt, quòd ſuper illud os poſſit caro generari, nec conden
ſari, vnde neceſſe eſt radere illud os fortiter, & cum raſorio incidere carnem illam totam, quæ eſt infe
cta, & corrupta, & ſubtiliare regimen. Et cum vlcus eiecerit ſaniem, emplaſtra locum cũ farina oro
bi, & melle: & inunge partes vicinas cum oleo roſato. Et Albucaſis dicebat, Si autem corruptio iam
imprimit in os, tunc oportet, vt incidas illud os, & extrahas ipſum: non enim ſanatur vnquam, dum
permanet in eo os corruptum. Quòd ſi vides corroſionem, & corruptionem occupare digitum, tunc
incide eum in vno nodorum; Deinde cura, donec ſanetur. Et ſi vnguis carnem pungit, eam incide.
Et ſi illi acidit pruritus, dicit Raſis, cadet vnguis. Si autem aliquod præbet aut nocumentum, aut impe
Lib. 6. cap. 19. dimentum, fac eam cadere, vt docet Celſus, vt in eorum locum meliores renaſcantur.

De anthrace, ſeu althohoin. Cap. VIIII.

ANTRAX eſt tumor, qui ſubitò fit, in principio paruus, inflammatus, ſanguineus, ex ſanguine malo, putrefacto, fraudulento, & venenoſo; particulam, cui accidit, corrumpens, ipſam vlcerando, & innatum calorem corrumpendo. Qui in proceſſu in magnum tumorem eleuatur; coloris rubei, aut citrini, aut viridis, ſecundum maiorem, & minorem putrefactionem, vel aduſtionem. Cui ſequitur febris, ſincpois, pulſus cordis, anſietas ſtomachi, vomitus, & ſæpe mors.

DIGRESSIO.

Ex ſanguine puro malo, aduſto, fraudulento, putrefacto, & venenoſo contingunt tumores, vt
plurimum in locis adenoſis, qui à Gal. anthraces, & à Principe althohoin appellantur. Dicebat
14. metho. cap. 10. Gal. hæc paſſio ab humore groſſo, bulliente, deducto ad naturam melancholiæ, fieri ſolet. & Auic.
3. f. 4. tract. 1. cap. 17. dicit; cumque exitura ex ſanguine corrupto in carnibus fit laxis, & ſub aſcellis, & poſt auriculas,
Lib. de atra bili cap 5. & in inguinibus, vocatur apoſtema, ideſt mortiferum. Et rurſus; quando multiplicatur materia
apoſtematis calidi, & magnificatur apoſtema, tunc eſt de ſumma apoſtematum chumathum, ideſt
2. f. 1. doct. 1. cap. 5. venenoſorum, & mortificantium; & de ſumma prædictorum eſt, quæ dicitur barachiem, ideſt aduſti-
3. f. 4. tract. 1. c. 1. uum, vel ſalſum: & iſtæ ſpecies malæ, & quæ eis aſſimilantur. Multiplicantur in anno peſtilentię.
3. f 4. tract. 1. cap. 17. Et hi tumores chumatha vocantur. Sed dicit Auic. quòd hoc nomen antiqui althohoin determina-
bant ſuper omnem tumorem glandoſę carnis: quarum aliquæ ſentiunt, vt maxillarum, & origines lin-
guæ: aliquæ verò ſenſu carent, vt caro glandoſa mamillarum, ſubaſcellarum, inguinum &c. Et ta-
lia apoſtemata cõmuniter, cum non pendent à materia mala, dicuntur bubones, aut phyma, aut phy-
Gal 2. ad. Glau. cap. 1. gethlon. Nam Gal. & Paulus dicunt, tumores laxarum partium, quas adenas medici vocant, ſunt ſi-
Paul. lib. 4. c. 22. cut bubo, phyma, & phygethlon. Bubo quidem phlegmon eſt; Phyma autem, quod ſtatim augetur,
atque ad ſuppurationem feſtinat; phygethlon verò eſt harum partium phlegmon eryſipelatodes, vel
13. metho. diſt. 2. cap. 2. eryſipela phlegmonodes. Et generantur hi tumores, vt docent Gal. et Auic. ex materia tranſmiſſa à
membro principali, in corpore pleno; aut accidit in loco aliquo caſu expulſionis in criſibus; & fortaſ-
3. f. 4. tract. 1. cap. 19. ſe attrahunt ea vlcera, & apoſtemata alia ſuper extrema, ad quæ currunt materiæ, in vijs quarum ince-
dunt carnes illæ. Quare inuoluuntur cum eis, ſicut accidit inguini, & ſubaſcellæ ex apoſtematione
amborum in eo, qui habet ſcabiem, aut vlcera ſuper pedes, vel manus. Et cum hi tumores oriuntur
poſt aures, à Gal. parotides appellantur, & dicit, parotides quidem de genere ſunt phlegmonis, fiunt

autem adenibus,quę ſunt ſecus aures, phlegmonantibus. A Principe verò fugille dicuntur: & dicit,fugille eſt de genere apoſtematum glandoſorum, & hoc nomen appropriatur illi,quod fit poſt aures: [3.4.cap 8.] Secundò dicitur de tumore malo, qui in omni membro, & ſi non fuerit glandoſum, oriri poteſt. Ideo dicebat Auic. talis eſt tumor calidus perdens, ideſt periculoſus,& corrumpens: Et talis dicitur carbo. Gal. & Paulus dicunt, cum verò ſanguis calidus ſufficienter fluens extiterit, & craſſus, quodcunque membrum ſubitò occupauerit, hoc comburendo, facit vlcus cum cruſta; quicquid verò circumiacet,in [2.ad. Glau. 1. Lib. 4. cap. 25.] inflammationem leuat; & efferueſcentem, grauemque dolorem infert; vocatur autem carbo huiuſcemodi paſſio. Cum verò ſanguis niger extiterit, craſſuſque, ac fęculentus, ac feruens, qualiſque antea diximus; ſimul autem & humiditates nonnullas tenues admixtas habuerit, puſtulas quaſdam per ſumma cutis excitat, ſimiles ijs, quæ ex igne fiunt; quibus diſruptis, cruſtoſum ſub ipſis vlcus inuenitur, etiam hoc carbo eſt. Rurſuſq; dicebat; eſt autem & aliud vitium, quod ex humore craſſo, feruentique naſci [14. metho.] tur, incipitque hoc plerunque à puſtula, aliquando verò & ſine hac, ceterum inter initia, quibus hoc inſtat, ſcabunt particulam omnino, mox oritur puſtula quædam, qua rupta, vlcus cum cruſta gignitur: quod vlcus, exanthema dicitur:Sępe verò non vna oritur ſcabientibus puſtula, ſed multæ exiles, velu- [5.methodi cap. 52.] ti milij ſemina, crebrę in particula reſidentes, quibus perruptis, ſimiliter cruſtoſum vlcus prouenit. In carbunculis verò, qui per Aſiam populatim ſunt graſſati, etiam citra puſtulam nonnullis excoriata ſtatim cutis eſt: omnibus tamen, vti dixi, cruſtoſum vlcus fit, modò cruſta ipſa cineris colorem præferente,modò nigrorem. Omnibus præterea his circumpoſita caro in ſummam peruenit inflammationem, non tamen coloris aſpicitur eryſipelatis; immo qui adhuc phlegmonis colore fit nigrior, veluti ſi plu- [5.metho.12.] ſculo rubro minus miſceatur nigri. Et talis cruſtra à Gal. appellatur Ephelcida. Celſus de carbuncu [7.coll.31. Lib.5. cap.28.] lo dicit; eius hę notæ ſunt, rubor eſt, ſuperque eum non nimium puſtulæ eminent,maximè nigræ, interdum ſubliuidæ, in his ſanies eſſe videtur, infra color niger eſt, ipſum corpus aridum, & durius, quàm naturaliter oportet: circa quem quaſi cruſta eſt, eaque inflammatione cingitur, neque in eo loco leuari cutis poteſt, ſed inferiori carni quaſi infixa eſt, ſonus vrget, nonnunquam horror, aut febris oritur, aut vtrunque, idque vitium ſubteractis quaſi quibuſdam radicibus ſerpit. Quod autem dicebat Gal.neceſſariò febricitare, qui ita ſunt affecti: idque non minus, immo magis quàm illi, quibus eriſypelatoſa eſt phlegmone, id vtique latere neminem poteſt. Vnde Auer. dicebat, carbunculus verò, eo quòd pro maiori parte fit in aere peſtilentiali, ebullitque ſanguis, & putrefit; de neceſsitate inducit febres peſtilentiales. Huic tumori ineſt aliqua materia venenoſa, & ideo habet potentiam perdendi hominem: & ſi non alia, ſaltim eſt eius permutatio ad bilem atram, vt docet Gal. dicens, carbunculum [2.de differentijs feb. cap. 12.] ex calido quidem eſſe feruore, verum craſſa materia conſtitutum. & alibi;carbunculus periculoſus eſt affectus; nam ex vitioſis conſtat humoribus. Præterea dicitur de tumore pernitioſo, propter conuer- [3.de morbis vulgaribus com.50] ſionem eius humiditatis ad ſubſtantiam venenoſam, quę corrumpit membrum, & alterat colorē eius, [3.eiuſdē com.12] quod ſequitur ipſum, & adducit qualitatem malam ad cor ex via artheriarum: quare accidunt vomitus, & pulſus cordis, febris, & ſincopis propter fumos eleuatos à tali materia petentes cor,cerebrum, & ventriculum. Et quando talia accidentia fiunt vehementia,dicit Auic. moritur ęger, & talis tumor propriè dicitur anthrax, ideſt petens antrum, hoc eſt corporis intimum, & propriè cor, qui eſt in medio, à proprietate ſuæ venenoſitatis. Et ex tota eius natura eſt ægritudo acuta, & periculoſa; quia de materia venenoſa, penſtilentiali, & contagioſa. Eius materialis cauſa eſt ſanguis groſſus, & malus, qui in termino putrefactionis acquiſiuit talem ſubſtantiam, accedente calore extraneo, epidimiali; Vnde fit venenoſus. Cumque ſanguis,dicebat Gal. recedit à natura ſua, fit malignus,& quantò magis [6.Epidem.] recedit,fit maioris malitiæ; & in hoc apparent ſæua accidentia, quia à putrida re multi generantur vapores, & pauci reſoluuntur, quia ſunt minus mobiles: & in tali diſpoſitione fiunt tumores magni ex vi naturæ in expulſione mali ſucci. Aliquando verò generatur anthrax ex ſanguine aduſto, in quo non adeò ſæua oſtenduntur accidentia; cum à re aduſta non multi eleuentur vapores: verum eſt,quòd dum ſanguis aduritur, fit venenoſus, & cum materia eſt talis, non apparet tumor magnus: ſed declaratur ex loci feruore, & veſicatione, & vſtione, & corroſione: quę ex acuitate rei vſtæ proueniunt. Febriunt de neceſsitate, quæ ita laborant, corpora; & talis eſt putrida, continua, & acuta; quæ delirium excitat, & bilis vomitionem. Simul pręcordia intenduntur, labores afficiunt, ſudores largi erumpunt, extrema algent, alui profluuia vrgent library bilioſa, tenuia, & flatuoſa; vrinæ cernuntur dilutæ, tenues, bilioſæ,& nigræ, mala habent ſubſidentia, quę ſuperinnatant, peſsima: nares ſanguinem deſtillant, pectus ardet, lingua torrida eſt, ſiticuloſa, triſtitia oboritur, torquent vigiliæ,conuulſiones violentę, aliaque multa praua in hoc morbo apparent. In ſummitate verò tumoris eſchara, ſicut eſſet facta ab igne, videri poteſt, in principio paruæ quantitatis, in cuius medio ſtat nigrities quędam, à qua propter pororum dilatationem virus, & ſanguis refudat, cum materia ſit adeò acuta. Eius ſtatus non pertranſit quartam, niſi cum ad ſalutem protendit. Dicebat Raſis;cum ſuperfluunt hęc accidentia, moritur ęger, [In diuiſion. cap 135.] & maximè dum tumoris color eſt niger, quia materiæ intenſam aduſtionem ſignificat. Vnde Auic.pro [Loco citato.] noſticando dicit; & ſaluius althohoin mortalium eſt illud, quod eſt rubeum, deinde citrinum; & ex eo, quòd ad nigredinem eſt decliue,non euadit aliquis. Rubeus tumor non eſt adeo mortalis, quia adhuc eius materia ſtat ſub forma ſanguinis, nec corruptus, nec aduſtus, vt in bubonibus. Et cum ma

teria aliqualiter putrefit, vel aduritur, recedit à temperamentò, & in tali motu amittit colorem propter
agitationem diuerſorum calorum, & acquirit colorem, aut citrinum, aut viridē : cui ineſt aliqua vene-
noſitas, & appellantur carbones. Et non neceſſariò interficiunt, ſicut concedit Gal. quamuis fateatur
3. ſimpl. d. 4. c. 1 5. de med. per gen cap. vlt. circa finem. eius accidentia fore periculoſa, vbi dicit; carbunculus vlcus eſt, cruſtam citò cum inflammatione totius
partis circunſitę validā faciens; vt febres vehementes, & periculoſas inferat: Sed cum materia adeo
malignatur, quòd color tumoris fiat niger, & regio obſcura cum iam dictis accidentibus, fugiendum
eſt, quia materia abſolute eſt venenoſa, & aduſta. Et eò magis timendum eſt, cum tumor apparet, &
recedit, & maximè in ſubaſcellis, & in inguinibus, & poſt aures propter vicinitatem eorum ad mem-
bra, quæ ſunt vehementius principalia. Hi tumores multiplicantur in peſtilentijs, & in regione peſti-
lentiali. Omnes verò ſemper per viam expulſionis, nunquam autem exarcerbatè generantur.

Dubia de venenoſitate Humorum. Et ſolutiones.

Hæc nomina, bubo, phyma, phygethlon, carbo, anthrax, althohoin, parotides, fugille, turſios, chu
mate, furios, carmakile, & ataguarij, declarant tumorem adenoſorum locorum: quorum aliqua ſalu-
bria ſunt, aliqua verò mortifera propter eius venenoſitatem. Nec dubitandum eſt, vtrùm materia an-
thracis ſit venenoſa, etiam quòd tales rationes ſint in contrarium, ſcilicet, in corpore noſtro non ſunt
cauſæ venenum producentes, ergo nec venenum, & per conſequens materia anthracis non erit veneno
ſa. Præterea ſi talis materia eſſet venenoſa, pro eius cura ſectio venę non competeret, quam concedit
Auic. Item ſi tale venenum generatur, aut fit in aliquo particulari membro, aut vnà cū maſſa ſanguinis:
non in vno membro, quia nullum habemus tale membrum, quod poſsit talem materiam producere,
nec generatur cum maſſa ſanguinea, quia ſequeretur principalium membrorum occulta lęſio, cum talis
ſtaret aut in hepate, aut in cordis regione, ergo &c.

Ad primum argumentum reſpondendum eſt, quòd in corpore humano ſunt veneni cauſæ, & mate-
riales, & efficientes, vt vitellina cholera, quę, cum aduritur, fit praſsina, etiam eſt venenum; efficiens ve
rò eſt ſuperfluus calor intrinſecus, aut acquiſitus ab ambiente aere malo, & peſtifero, aut à contactu
rei tali qualitate infectæ. Et ſi iſtę cauſæ non ſunt formaliter, & continuæ in actu reali, tamen habent
potentiam, & ſtant virtualiter, cum extrinſecæ illis opitulantur. Nec credendum eſt, quòd cauſa ve
nenoſitatis ſit membrum aliquod: aut tumor talis, eum generans propter venenoſitatem, quam habet;
quia nullum eſt membrum in homine, nec apoſtema tale. Sed aliquando reperitur aliquis humor ma-
lus, vt ſanguis pro generatione anthracis, & calor extraneus putredinalis, vel intraneus aduſtiuus, po
tens talem humorem malum putrefacere, vel adurere, putrefactione, vel aduſtione talis modi, quòd
efficietur venenoſus, & corpus inficere potens ſua venenoſitate.

Ad ſecundùm dico, quòd Auic. venę ſectionem non concedit in venenoſa materia, niſi aliquibus con
ditionibus ſeruatis, vt patebit inferius in ſequenti capite, vbi de phlebotomia agemus.

Ad tertium reſpondendum eſt, quòd talis humor generatur in ſanguinea ſubſtantia, tamen non læ-
3. Epidem. dit ſubitò intrinſeca membra, ex doctrina Gal. dicētis; generatur in corpore paulatim humor malus,
ſimilis veneno mortifero, cuius modica eſt actio in membris corporis, ſed cum peruenit ad ſummum
malitiæ, apparet ſubitò eius actio, & citò interficit. Actio venenorum raro fit à quantitate, ſed à qua
litate, ideo ſucceſsiuè agit, vt dicitur de cholera zinaria à Gal. & à Principe. Vnde Auer. dicebat,
3. de loc. aff. 1. f. 1. cap. de humorib. 3. coll. cap. 3. quòd cholera æruginoſa generatur iſto modo, & aſsimilatur veneno; & ęgritudines, quæ proueniunt
ab his, ſunt incurabiles, propterea quia non recipiunt digeſtionem, nec permutantur ab innato calore;
imò corrumpunt formam ſpecificam eius, ſicut facit venenum. Pari modo prępáratur ſanguis pro
anthracis generatione; & dum eſt ſparſus in intrinſecis, & membra non ſunt potentia ſuper materiam,
vt eam expellere poſsint ad extra, deficiunt à proprijs operationibus, & principaliter cor, & moritur
ęger. Si verò fuerint potentia ad expulſionem, eam tranſmittunt ad loca adenoſa, aut alibi, & ibi ge-
neratur tumor; qui ſi non fuerit multæ venenoſitatis, ſaluari poteſt; ſed ſi materia fuerit multæ veneno
ſitatis, fit potens ſuper calorem naturalem, & corrumpit ipſum, & mittit fumos ad cor, cerebrum,
& ſtomachum, vnde prouenit febris, cordis pulſus, alienatio, vomitus, & tandem mors.

De cura anthracis. Cap. X.

CVRA iſtius paſsionis, quam anthracem vocamus, quinque ordinatas requirit inten
tiones, quarum prima eſt ipſa dietha, & per dietham ipſum regimen in ſex rebus
non naturalibus intelligere debemus, ſcilicet in aere, cibo & potu; ſomno & vi-
gilia; inanitione & repletione; motu & quiete, & accidentibus animi. Secunda
eſt, primaria membra defendere, & confortare; ſcilicet hepar, cerebrum, & cor;
quod de facili à tali morbo patitur. Tertia eſt materiam antecedentem ſecundùm
neceſsitatem euacuare. Quarta cauſam ipſam coniunctam canonicè extrahere,
& regulare. Quinta, eſt accidentia mala corrigere.

3. f. 4. tract. 1. cap. 19. Sciendum primò eſt, quòd iſtæ tres paſsiones, de quibus locutus eſt Auic. cap. de althohoin, diuerſæ
ſunt,

ſunt, igitur & eorum cura diuerſa eſt. Nam bubones, ſeu apoſtemata glandoſa, quæ non incedũt via atanguarij, ſicut dicit ipſe, ideſt via apoſtematum venenoſorum, aut non fuerint expulſa in criſibus, aut à membris principalibus, regantur eo modo, quo & alij phlegmones, vt etiam dicam in fine huius primi libri in digreſsione de tumoribus emunctoriorum. Si verò materia ſapit naturam veneni, & tumor ſtat ſub nomine carbonis, alię & diuerſę requiruntur intentiones, ſicut docent Gal. & Paulus; in his n. non vtimur repercuſsiuis, vt in alijs phlegmonibus facimus, ſed contrarium agimus, pharmacis attractiuis vtentes, aut ventoſam afferentes: debemus enim de profundo triſtantẽ humorem attrahere, id magis dubitando, ne occulta ſequatur paſsio. Sed ibi docet Gal. quòd quando impetuosè mouetur natura in id, quod influit, nihil eſt operandum, ſed naturę totum committimus, forſitan propter ea, quæ dicuntur ab Hypp. ſi enim, dicit Gal. ventoſam, aut aliquod pharmacum, attrahens de profundo ad cutim humores, afferamus, dolor vehemens comprehendet hominem, vt per eum vigilię fiant, & febris adueniat, & virtus diſſoluatur; ſed vti debemus cathaplaſmatibus dolorem mitigantibus, in quibus ſit moderata caliditas, & virtus digerendi materiam, & ſuppurandi apoſtema; quæ tamen medicinæ ab aliquali attractione non expoliantur.

3. f. 4. tract. 1. cap. 15.
3. de. cõp. med. loc. cap. 2.
Lib. 4. cap. 25.
1. aphor. 21.

Sed cum multa malitia non apparet in carbunculo, eodem modo procedendum eſt, vt docent medici. Dicebat Gal. cum apparent ipſi cruſtæ, vehemens medicamentum imponere oportet, ex his, quæ ad nomas dictum eſt; circumpoſitas autem partes cathaplaſmatibus fouere, quæ æqualem vim occupent, vt repellant, & mediocriter infrigident, & digerant. Althohoin verò ipſum, dicit Auic. & quòd currit curſu eius de eis, quæ nominata ſunt, ideſt de bubone, & carbunculo, curentur in principio cum eis, què conſtringunt, & infrigidant. Dicebat Gal. Imponi vero ſibi laborans particula, quod ad inflammationem ſpectat, refrigerantia deſiderat; ceterum propter humoris craſſitudinem, atque etiam malitiam, nec fluxionem auertere poteris, & ſi quando id feceris, aliud quippiam, quod in alto ſit corpore, offendes: atqui nec affluere is permittendus eſt, quin potius inquirenda remedia ſunt, quæ modice reprimendo etiam digerere poſsint. Et Paulus dicit; particulæ laboranti inducuntur, quæ modicè reprimunt, diſſipãtque. Et ideo Raſis ſcribit, cum acciderint carbones, non eſt negligendum, quin eis ſuccurratur; fortaſſis enim tota eorum materia in vno corporis loco colligetur, ex qua maligna fit exitura, ideo diſpergatur. Et notandum eſt, quòd medicinæ, quæ laudantur ab iſtis medicis, non ſunt fortes; ſed mediocres, in quibus eſt virtus reſolutiua. Auic. laudat ſpongiam infuſam in aqua, & aceto, aut in oleo roſato, aut oleo de pomis, & arbore maſtiches, aut oleo de mirtho, & iſta fiunt in principio. Iſta enim repercuſsiua ſunt deſcripta ab Archygene, vt refert Gal. In ſpongia, ſicut dicitur à Principe, eſt reſolutio, & exſiccatio; in aceto eſt inciſio iſtarum aduſtarum materierum, cum membri pręſeruatione: oleum roſatum magis confortat, & reſoluit, quàm impellat; ſimiliter maſtichinum, & mirthinum. Laudant Gal. & Paulus emplaſtrum ex plantagine, & lentis decoctis cum pane furfuraceo, in quo ſtat virtus diaphoretica. Hæc eſt prima conſideratio, quò ad localia. Sed quò ad euacuationem ſecundùm neceſſitatem hęc completur pluribus medijs. Dicit Auic. Euacuatio quidem cum phlebotomia, & cum eo quòd tolerat hora, aut quod fit neceſſarium ex eis, quę educunt humorem putrefactum, eſt neceſſaria. Idem dicit Auer. quòd carbo medicari debet cum duabus ſpeciebus euacuationis, ſcilicet pharmacia, & venæ ſectione. Nec Raſis in diuiſionibus negat phlebotomiam, ſed dicit, rubeum anthrax, aut viride, aut nigrum, vnumquodque eſt malum, & ſigna eius eſt bothor, & apoſtema, cum quibus egreditur inflammatio vehemens, lædens valde, pertranſiens menſuram in hoc, & fit quod eſt in circuitu eius, velociter nigrum, aut viride, & accidit cum eo vomitus, & pulſus cordis, & ſinchopis. Et ſi ſuperfluunt iſtæ intentiones cũ eo, eſt mortiferum citò, & non oportet, vt phlebotomia fiat cum hac ægritudine. Et ratio eſt, quia in ſtatu apparent talia accidentia, in quo materia ex toto iam deducta eſt ad malignitatem.

5. de med. per gen.
14. metho.
Lib. 4. cap. 25.
7. ad Alm. 10.
3. Localiũ cap. 3
3. f. 4. cap. de cura Vndimiæ.
14. metho. & 13 med. localium.
7. coll. cap. 31.

Sed in cura carbonis laudat Raſis phlebotomiam, quæ fit in principio morbi. Paulus etiam de cura carbunculi dicit; Curatio ipſorum, niſi admodum exigui fuerint, à vacuatione ſanguinis è vena ad animæ defenſionem vſque dimiſſi, tentanda eſt. Gal. dicit; ſed & incipiendam ab inciſa vena curationem eſſe, id quoque neminem latere arbitror, qui præſertim meminerit, quæ in curatione febrium, de ſanguinis miſſione diximus: nec illud obſcurum, ſanguinis miſſionem, quæ ad animi defectum vſque ſit adhibenda, magis his etiam collaturam: niſi tamen aliud quippiam obſtet ex ijs, quę venam incidi vetent. Hanc venę ſectionem laudat Meſues; & dicit, quòd talis debet eſſe diuerſiua, niſi tranſitus fiat ſuper principalia. Talis enim præſeruat à magnitudine phlegmonis circunſtantes particulas. Et certè ſperandum eſt, quòd vnà euacuetur venenoſus ſanguis. Phlebotomiam vſque ad ſincopim laudat Auic. cap. de cura ignis perſici, & dicit; neceſſaria eſt phlebotomia, vt euacuetur ſanguis cholericus; & quando ægritudo eſt timoroſa, tunc neceſſarium eſt ipſam approximare ſincopi. Hæc eſt ſententia Gal. qui dicit, quòd talis phlebotomia eſt conueniens in acutis apoſtematibus, & maximè in corpore exiſtente pleno. Competit phlebotomia huic ægritudini ratione ſuæ eſſentię; eſt enim ægritudo ſanguinea. Vlterius Gal. cum phlebotomamus, ait, in peracutis febribus vſque ad animi defectionem, refrigeratur corpus, febris extinguitur, plurimis ventres ſoluuntur, ſudores patiuntur, & multi perfectè ſanantur. Phlebotomia vſque ad ſinchopim conceditur à Gal. pluribus in locis; tamen dicit, quòd eſt valde pe-

Lib. 4. cap. 25.
14. metho.
2. p. 2. ſect. cap. 4.
3. 4. tract. 1. c. x.
1. aphor. com. 2
1. aphor. com. 23. circa finem.
9. metho. cap. 4.
Et 4. de tuend. val. Et in proœmio de miſs. ſang.

riculoſa, cum apparent mala accidentia. Et tantò magis competit phleb. in cura carbonis, quantò magis materia fuerit ſanguis non aduſtus, quæ cognoſcitur ex tumoris colore, & paruitate accidentium: in malignis autem materiebus potius pharmaco vtendum eſt.

Quem locum, & quam venam ſecare debeamus, nunc dico: diſtinguendo latitudinem temporis iſtius tumoris; nam in eius principio, cum aliqua apparet inflammatio, & corpus plenum, & dolor vehemens, locum apprehendit, conſentientibus conditionibus phlebotomiæ, venam ſecare oportet ratione diuerſionis à loco longinquiori per vnam diametrum. Dixi enim, quòd materia carbonis, & anthracis, generatur vna cum maſſa ſanguinea, & credo in iecore, & magnis venis: vnde cum ibi multiplicatur, & ſit talis, bonum eſt ſaphenam incidere, cum quaſi immediatè ab hepate euacuare poſſit; & maximè lateris dextri, etiam quòd natura tentet tumorem in inguine producere: ſimulque talem ſuccum diuertimus, ne ad cordis regionem deferatur; et ſanguinem detrahere vſque ad animi defectum. Et hoc ſemper in principio tumoris. Sed in augmento datur alia conſideratio; nam pro parte materia talis facta eſt ſub cauſa coniuncta, nec ſperandum eſt, quòd remeari poſſit, niſi cum magno nocumento; nam ſæua accidentia tunc apparere incipiunt: & ideo ſecare oportet venam lateris proprij, & forſitan propinquiorem, quàm habere poſſumus; vt euacuetur ſanguis malignus. Vnde ſi tumor poſt aures apparet, aperiatur cephalica; ſi in ſubaſcellis, baſilica; ſi in inguinibus, ſaphena: ſic docent Meſues, & Auerroes. In debili verò virtute nullo modo ſecare venam debemus; ſed cucurbitulis vti ſcarificatis. Et caue (dicebat Meſues) in omni euacuatione, ne trahas materiam ſuper principalia membra; ne virtus, & calor à malignitate ſuffocentur: Sed ſi tumor peruenit ad ſtatum, in quo, vt dicit Hypp. accidentia ſunt fortiora, ſectio venæ nullo modo laudatur. Sed Gal. dicit; quando ita putredinem foueris, quinetiam ſcarificare eiuſmodi tumores poſt ſanguinis miſſionem alienum non ſit; ſunto autem inciſiones mediocribus altiores, propter infeſtantis humoris craſſitudinem: ceſſante verò iam inflammatione, vlcus ad cicatricem ſimiliter reliquis vlceribus perduces. quam ſententiam expreſſit & Paulus, dicens; poſt venæ ſectionem, mox ſcarificatus rectè accommodatur plagis ob ſucci craſsitudinem altioribus. Vnde Auic. dicebat; in ſtatu verò curetur cum ſcalpellatione, ſi poſsibile eſt, & fiat vt currat, quod eſt in ipſo: & non dimittatur, vt brunum fiat. quoniam additur venenoſitas eius; & ſi indiget ventoſis ſugentibus cum ſubtilitate, fiat. Et in illo quòd habet ſubſtantiam exituræ, oportet, vt adminiſtretur apud ſtatum eius, aut circa ſtatum eius, cum apertione. Nec dimittenda eſt talis materia, ne membrum corrumpatur, ſed etiam cruda extrahatur. Vnde Raſis in diuiſionibus dicebat; Cum vnitur materia, locum ſcalpella, & ablue ſanguinem eius cum aqua calida, ne congeletur, & ſugatur ſuctione leui, vt egrediatur paulatim, nec liniatur epithimate frigido; imo prohibe & infirmum, & locum à frigore, in quo eſt infirmus. Et dicit Raſis, quòd teneatur coopertus tumor pannis calidis.

2. aphor. 30.

14. metho.

Lib. 4. cap. xxv.

Si verò tumor expectat indutias in ſtatu, & augmento, aut propter aliqualem benignitatem materiæ, aut quia pauca, aut propter complexionem, & virtutem membri, in quo eſt tumor; et eſt opus auxilio extrinſeco, vt materia præparetur, cum iam declarata eſt fortitudo naturæ in expulſione humoris, R. radicum apij, marrubij, ſcabioſæ, florum chamæmeli an. m.j. coquantur, & piſtentur; deinde adde aſſungiæ veteris ℥.iiij. mellis, fermenti an. ℥.ij. miſce, & fiat emplaſtrum. Aut R. radicum cucumeris agreſti, glutinis albotim an. ℥.iij. ſalis nitri ʒ.j. ficuum pinguium ℥.ij. fermenti ʒ. j. miſce. Aut R. vitella ouorum numero ij. ſalis am. ʒ.j. croci ℈.s. fermenti, aſſungiæ gallinaceæ an. ℥.ij. miſce, pro emplaſtro. Et cum materia ad ſaniem peruenerit, ſecatur, & euacuata, locus tali medicamine regatur. R. therebentinæ claræ ℥. iiij. mellis ro. ℥. ij. farinæ hordei ℥. i.s. ſucci apij ℥.ij. bulliant omnia vſque ad ſucci conſumptionem; & adde, vnguenti ægyptiaci ℥.j. miſce, & vtere in vulnere cum ellichnijs vſque ad loci rectificationem. Deſuper verò tale emplaſtrum: R. fabarum farinæ, orobi, lentium, lupinorum an. ℥.iij. ſucci abſynthij, apij an. ʒ.iiij. aceti boni ℥. ij. florum ſtechados, roſarum, balauſtiorum an. m.s. chamæmelli m.j. lixiuij boni q.s. miſce, & ſecundùm artem fiat emplaſtrum. In circuitu tumoris liniatur membrũ tali medicamento: R. vnguenti roſ. Meſ. ℥.iij. boli armeni, ſanguinis draconis an. ℥. s. ſucci plantaginis, aceti boni an. parum pro linimento. Aut R. olei roſati, mirthini an. ℥.ij. ſucci plantaginis, ſolatri, aceti albi an. ℥.j.s. bulliant omnia adinuicē vſque ad ſucci conſummationem; deinde addatur ceræ albę ℥.j. ſanthalorum omnium an. ʒ.j. boli armeni terrę ſig. an. ℥.s. corallorum alb. & rub. an. ʒ.i.s. miſce, pro vnguento molli. Cumque apparuerit loci mundificatio, incarnetur cum vnguento citrino, aut baſilicone, aut ſimili. Vltimò locus ſigilletur cum cerotto de minio. In anthrace verò manifeſtæ venenoſitatis, quæ cognoſcitur, vt docet Raſis, quia locus apoſtematis velociter fit niger, aut viridis, vrinę liuidæ, aut ſubiugales, febris continua, pulſus cordis, vomitus, alienatio &c. aer eligendus eſt frigidus, & ſiccus, qui ſi non eſt ſic naturalis, fiat ab arte, ad minus aer thalami. Nam Princeps dicebat; roretur manſio infirmi cum aceto plurimo, & folijs ſalicis, & violis, & roſis, & nenufare, ſi fuerit ęſtas. Nec credo, quòd caliditas conueniat in æſtate, vt aliqui dicunt; quia cauſatur ſpirituum reſolutio. et addit, in humorum putredine, nec valde frigida ſunt opportuna, quia conſtringunt poros, vnde retinetur materia ad intraneas partes, & ſequuntur praua accidentia. Vnde ſi fuerit hyems, accendatur in camera ignis ex lignis iuniperi, cupreſſi, lauri, pini, roris marini, mirthi, & ſimilibus. Et ſuffumigetur mane, & ſero cum maſtiche, thure, mirrha, therebentina, ſauina, acoro, laudano, ſtorace, thymiama, &

bel-

belzuino. Ardeatque ignis die,noctuque. Suſpendantur citrones,& poma aurancia per thalamũ,vt fiant ibi boni odores. Sintq; paratę duę camarę, & quotidie permutẽtur,&, vt ait Gal. optimus. aer ſit purus: eiuſmodi verò fuerit,qui nec ſtagni,nec paludis halitu ſit infectus: nec ex profundo ſpecu peſtilentẽ auram ſpiret,qualis qui ex cloachis,quæ vrbem,aut numeroſum exercitum purgent, vitium contraxit:nec qui ex animalium, oleorum,aut leguminum putredine,aut fimo corrumpitur:nec qui ob ſtagnum,vel flumen vicinũ nebuloſus eſt: nec qui editis vndique montibus in cauo loco clauſus nullum recipit perflatũ: nã talis huic morbo contrariiſsimus iudicatur. Cibus infirmi,dicit Auic.& Raſis in diuiſionibus,ſit, ſicut lentes decoctæ cum aceto. Eius cibi ſint acetoſi ex carne vituli, aut hædi. Vtatur rob granatorum,& cithoniorum in ſuis ferculis:ſed cum lentes noceant capiti, & ſtomacho, potius panatellam in brodio pulli, aut micã panis infuſam in brodio, aut ptiſanam hordeaceam, vel condrum exhibeamus. Carnes frigidæ, & ſiccę ſunt opportunę, facilis concoctionis, & difficilis corruptionis, aliqualiter ſanguinem refrigerantes; vt paruę pullę, aues montanæ, turtures, perdices,ſimileſque carnes præparatæ ad coagulum cum agreſta, & aceto,ſucco limonum,& auranciarum. Et ſi patiens maſticare non poterit, accipe pulpas perdicis, aut caponis, aut hædi, & eas minutim incide,& piſta vnà cum ſeminibus cõmunibus, & per tamiſium diſtilla, & adde parũ aquæ bugloſſę, aut meliſſę,& pone ad ignẽ,& bulliant. Vltimò adde vini gran. aquę roſarum,vt tibi videbitur: Aut vtatur aqua carnis cum auro, aut gemmis. Vtatur bolo armeno in ſuis ferculis, & cibarijs. R. bolum armenum,& pone in ſindone munda, & liga, & pone in lebete ferculi, & bulliat, donec caro fuerit decocta, & exprimatur, & quod reſidet, reijciatur; prohibet enim humorum corruptionem. Aut R. boli arm. orientalis, zuchari an. ʒ.ij. aquę meliſſæ parum, & exhibeatur patienti per duas horas ante prandiũ. Aut R.conſeruę bugloſſę,aut meliſſæ, aut violarum ℥.s. boli ar.orientalis ʒ.i.miſce. Laudatur theriacha, mitridathum, triphera perſica Meſ. à ʒ.s.vſque ad ʒ.i.in mane cum ſyr.de acet. citri, aut cum aqua meliſſæ. Aut R. diaboraginatum, diabugloſſatum, an.℥.ij.foliorum auri numero iij. fragmẽtorum perlarũ præparat. an. ʒ. i.s. ſyr. de ſucco acetoſæ q.s. pro mixtura:mirabile eſt elect. diamargariton, de gemmis triunſanthalorum, & ſimilia. Aut R. conſeruæ boraginis, nenufaris, bugloſſæ, roſarum an. ℥. s. cort. citri conditi cum zucharo ℥. j. coriandrorũ præparat.ſeminum acetoſæ, ſanthalorum alb.& rub.an. ʒ. v. raſuræ eboris, carabe,boli arm. ſpodij an. ʒ.iij. camphurę ℈.i. foliorum auri numero iiij. zuchari fini ſyr. de acet.citri an. q.s.pro mixtura. Panis autẽ ſit triticeus, bene fermẽtatus,& coctus. Vtatur poſt cibum coriandris præparat. Et tandem quæ intrinſecam accenſionem extinguũt, & corruptionẽ prohibent,& fumos à materia putrida eleuari,& dirigi ad cor, in hoc morbo laudantur. Fugienda ſunt lacticinia omnia, legumina, & ſalſa. De oleribus, ſpinachia, borago, bugloſſa, meliſſa, endiuia, intubus, & lupulus concedi poſſunt. Ex piſcibus,tantùm ſaxatiles, & rubei loco neceſsitatis. Fructus omnes mali ſunt, & præcipuè horarij. Et nota,quòd ęgrotantes non ſunt multum cibandi, cum ægritudo ſit peracuta, & habeat ſtatum propinquum ex Hypp. Quamuis dicat Auic. cap. de febre peſtilentiali; Illi,qui viriliter agunt in comedendo, fortaſſe euadunt à tali morbo. Hora autem comedendi ſit ægrotantis conſueta, cum continua febre vexetur; aut ea hora, qua minus affligitur. Potus ſit vinum granatorum cum aqua coriandrata, & Iuleb roſato. Aut aqua decocta cum iuleb de citro, ſeu de limonibus, aut de ſucco vuę acerbæ. Verùm cum dubitatur de caſu virtutis, exhibeatur vinum clarum, & odoriferum, & pauciferum. Nec audiendi ſunt, qui potentia vina, & vinoſa exhibere audent, cum febris, quæ apparet,ſit talis naturæ. Caueat patiens à nimio ſomno,& maximè in die; quia,vt docet Gal. in tali ſomno calor contrahitur ad intra, & concentratur; ad cuius concẽtrationem, concẽtrantur & humores;vnde periculum eſt,ne materia reuocetur. Et quantò magis materia eſt maligna, tantò magis prohibendus eſt profundus ſomnus, & maximè in principio noctis, & ſubitò poſt cibi aſſumptionem. Si in hac paſsione poſſet infirmus ſe exercitari,bonum eſſet, & laudata eſt exercitatio: ſi non autem, quieſcat. Ab ira, triſtitia, timore, ſollicitudine, cogitatione, cauendum eſt; quia concentrationem malorum humorum cauſare poſſent: Sed gaudium, & lætitia introducatur ęgrotanti, & ſpes bona à medico, & aſtantibus, & amicis de cita, & felici liberatione: quod difficile eſt propter mortis periculum. Ex quo igitur hæc epidimialis paſsio eſt ita contagioſa, caueant & aſtantes, & medici.

1.de tuenda valetudine. — *1. aphor. 10.* — *De diffol.continua cap. 1.*

Quò ad euacuationem dico, in hac paſsione venæ ſectionem nullo modo conuenire, niſi in pura materia ſanguinea, & in principio ęgritudinis,antequam materia expellatur ad extrinſeca: Tunc enim conuenire poſſet, ſi celebratur à iecoraria vena lateris dextri, vſque quo euacuatur ſanguis malus, reliquum verò rectificando, & vigorando. Sed in emiſsione ſanguinis notandum eſt, vtrum ſit bonus, vel malus; qui cognoſcitur colore, & ſubſtantia. Nam ſi euacuatur bonus, non eſt extrahendus, malus verò euacuetur. Et cum timetur,ne materia ad intrinſeca retineatur, dum apparet cordis pulſus, aut alienatio &c. loco phlebotomię apponantur cucurbitulæ ſcarificatę in dorſo, ſub oſsibus ſpatularum, ſuper natibus, & in emunctorijs. Nec timere oportet malum ſanguinem exiſtentem in centro, in venis prope cor, ad circunferentes partes attrahere: Sed cum tumor apparet, vbi declaratur naturæ operatio, illam ſequimini. Si verò ægritudo talis expectat indutias, ad malorum humorum euacuationem deueniendum eſt. Et patienti exhibeatur pharmacum, in quo ſit virtus euacuandi humores aduſtos, & putrefactos. Nec timendum eſt à tali euacuatione, quòd poſsit eſſe cauſa, vt materia

deducta ſub cauſa coniuncta retrocedat; vt timetur in morſu animalis venenoſi, aut rabidi, aut extrinſeco veneno, vt docet Auic. Paulus, Dioſcorides, & Raſis, etiã quòd proprium pharmaci ſit deducere humores à circunferentijs ad centrum ad faciliorem euacuationem, vt docet Gal. in lib. de virtute pharmacorum. Sed quærimus cum pharmaco, vt euacuentur humores, qui ſtant ſub cauſa antecedenti, ne tranſeant in coniunctam, & maiorem inferant læſionem. Materia anthracis generata eſt in intrinſecis membris, & facta eſt admixtio, ac putrefactio vnà cum alijs humiditatibus, debent igitur ſecerni, ſicut dicit Auerr.
Materia tumoris eſt tranſmiſſa ab interioribus ad exteriora, quod ſignum eſt corruptionis intrinſecarum humiditatum, quæ indigent euacuatione. Nam quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere conſueuere, teſte Hypp. Necnon maius iuuamentum ex humorum corruptorum habetur euacuatione, quàm ſit nocumentum, quod poſsit euenire ex pharmaci attractione à circunferentia ad centrum. Pro tali autem euacuatione eligenda eſt medicina ſanguinis mundificatiua, in qua ſit intentio euacuandi humores cuiuſcunque ſpeciei aduſtos, & corruptos; quæ tamen non habeat mouere violenter, quia tunc nimis natura faticatur. Et laudantur mirabolani omnes, thamarindi, caſsia, manna, ſiue ros ſyriacum, elect. de ſucco roſarum, diaphenicon, & triphera perſica, & ſyr. roſatus ſol. vt puta: R. pulpæ caſsiæ nouit. extractæ, mãnæ elect. an. ℥.j. tripheræ perſicæ ʒ.ij. aquæ bugloſſæ q.s. aut zuchari pro 6. Vel R. mannæ ellet. ℥. i. elect. de ſucco roſ. ℥.s. tripheræ perſicæ ʒ.i.s. decoctionis florum, & fructuum cordialium q.s. Vel R. ſyr. roſati ſol. ℥. iiij. aquæ meliſſæ q. s. miſce. Et ſi materia poſſet digeri, valet ſyr. de endiuia, acet. ſimpl. de citro, de ſucco acetoſorum pomorum, de ſucco acetoſæ, de acet. citri, de bugloſſa, & ſimiles. & debet patiens bis in die aſſumere ſyrupum, & maximè ex acetoſitate citri ante prãdium, & cænam per duas horas: ſed ſi intenſa non apparuerit febris, nil melius, quàm patiẽti per ſex horas ante cibum exhibere theriacam optimam ad quantitatem vnius fabæ, aut à ʒ.s. vſque ad ʒ.i. cum aqua ſcabioſæ, melliſſæ, bugloſſæ, acetoſæ, boraginis, aut ſimilium. In materia verò furioſa abſque reſpectu exhibere potes. Nec tunc conſideratur hora, teſte Auenzoar, quia ad vltimas ægritudines exquiſita remedia ſunt opportuna. Et nota, quòd in vltima malignitate materię poteſt exhiberi patienti bolus huiuſmodi, cui non eſt par. R. euforbij recentis optimi ʒ. i. maſtiches ʒ. ij. miſce, & pulueriʒentur: R. predictæ pulueris ℈. i. conſeruæ bugloſſæ ℥. s. miſce pro bolo, & quotidie per duas horas ante cibum mane aſſumat bollũ. Valent ſummopere pilulæ de tribus Ruffi ex aloe, myrrha, & croco. Pilulæ imperiales. Sed apud Paulum, qui ex cõmentarijs Ruffi caput facit de peſte, laudatur de mente Ruffi tale medicamentum: & dicit, quòd non ſuperatur. R. aloes partes duas, guttæ ammoniaci partes duas, mirrhæ partem vnam: hæc contrita cum vino odorato inſtar dimidij cyathi n exhibentur, nimirum quotidie. His celebratis, ſecundum tamen indigentiam, & temporis opportunitatem, dicebant Auic. & Raſis, quos ſequti ſunt omnes ſcribentes, oportet, vt reuertaris ad cor cum defenſione eius, & confortatione ipſius cum eis, in quibus eſt infrigidatio, & confortatio: & in vltimo regantur regimine habentiũ peſtem. Frigida enim debent eſſe talia pro cordis confortatione, quia materia peccans eſt calida, aduſta, & venenoſa, & de ſui natura petit cor. Ideo laudabile eſt, cordi applicare ſacculum ex roſis, violis, floribus bugloſſæ, nimpheæ, boraginis, ſanthalis albis, corticibus, & ſeminibus citri, camphuræ, & ſpeciebus cord. temp. Aut R. aquæ bugloſſæ, meliſſæ, roſarum, acetoſæ, florum ſalicis, an. ℥.iij. pulueris roſarum, florum boraginis, bugloſſæ an. ʒ.iij. ſanthalorum ʒ.ij. camphuræ ℈.i.s. miſce, & ſimul bulliant: & cum panno ſcarlato ſæpe tepide regionẽ cordis epithemare opus eſt. Aut R. aquę roſatæ, melliſſæ, bugloſſæ, an. ℥. vi. ſanthalorum omnium. ℥.s. pulueris roſarũ ʒ.iij. croci, camphuræ an. ʒ.j. ſpecierum cord. temp. ʒ.s. vini maluatici parum, & vtere, vt dictum eſt. Aut R. olei roſ. omphacini, vnguenti roſ. Meſ. an. ℥. ij. aceti roſati ℥.iij. aquæ roſarum, florum ſalicis an. ℥.j. bulliant ſimul, vſque ad aceti conſumptionem: & adde ceræ albæ ℥.i.s. & liquefacta cera, adde ſanthalorum omnium an. ʒ. ij corallorum alb. & rub. an. ʒ.i.s. croci ʒ.s. miſce pro linimento in regione cordis. Bonum eſt etiam epithemare iecur cum aqua roſarum, plantaginis, & pulueris ſanthalorum, & ventriculum tali epithemate. R. aquarum mentæ, abſynthij an. ℥. vj. vini maluatici ℥.iiij. aquæ roſ. ℥.ij. pulueris gariophylorum, cinamomi, coral. rub. maſtiches, ligni aloes, an. ʒ.s. vini citoniorum ℥.ij. miſce, & fiat epithema pro ſtomacho. Patiens etiam in manibus continuè teneat odoramentum tale. R. pulueris roſarum, ſanthalorum an. ʒ.j. camphuræ ℈. i.s. ponantur in ſindone ſerico, ad modum pilę; aut pomum laudani: R. laudani ℥.j. been albi & rubei, roſarum rub. an. ʒ.ij. ſthoracis liquidæ. ʒ.iij. mirrhę, foliorum mentæ, gariophilorum an. ʒ.j. camphurę ʒ.s. & cum ſucco melliſſæ, & aqua roſarum fiat pomum, ſeu teneat continue ſpongiam infuſam in aceto: aut pomum cedri, aut medium. Dũ hæc aguntur, tumor, ſi apparet, non eſt dimittendus. Sed quibus medicamentis gubernari debet? Non apocruſticis, quia in materia venenoſa, & peſtifera non conueniunt; & ſi Auicena laudat ſpongiam infuſam in aqua, & aceto, aut oleo roſaceo, dico quòd non laudat propter hoc repercuſsionem, ſicut in phlegmone. Nam, vt dixi, fere omnia ea medicamenta ſunt potius reſoluentia cum confortatione, quàm repercutientia. Nec voluit Auic. quòd repercuſſione vtamur in cura tumoris peſtiferi, cum quo, vt accidens inſeparabile, ſemper adeſt febris: nam dicit Auic. & quando eſt illic febris, tardabis cum infrigidatione, ne reducas cum ea materiam retro; & eſt ſententia Pauli. Vnde Raſis dicit; cum vides, quòd iam accidit ab epithemate, & aqua frigida pulſus cordis, & febris, tunc incipe, & embrocha cum aqua

calida

6 4. tra. 4. cap. 5.
L b. 5. cap. 3.
L b. 7. cap. 3.
8. d Alm. cap. x
Cap. 3.
7 coll. 31.
2. aphor. 12.
1. Theiſr.
1. aphor. 6.
Lib. 2. cap. 35.
Cap. precitato.
Diuis. 135.

calida,& calefac ipſum. Sileant igitur,qui in hoc Auicennam reprehendunt; quia ad pauca reſpiciunt, & facilè pronunciant. Sed quid agendum eſt? dico,quòd in principio etiam tumoris atractiua cum aliquali membri præſeruatione applicari debent, vt puta cum tali emplaſtro,R. pulueris zedoariæ, centaureæ, dictami, cameleontis, tormentillæ, carlinæ, an. ℥.ij.ſucci apij, cucumeris agreſti, glutinis albotim an. ℥.iiij. fermenti, ficuum pinguium an. ℥.ij. boli arm. luti ſigill.an. ℥.j. nitri ℥. s. mellis ℥. iij. farinæ fabarum, orobi an. ℥. ij. lixiuij boni q.s.pro emplaſtro. Aut, R. radicum apij, marrubij, ſcabioſæ, cucumeris agreſtis an. m. j. bulliant in ſufficienti q. aquæ, & piſtentur, & adde ficuum ſiccarum, fermenti, ammoniaci an. ℥. j. ſinapis ℥. s.zuchari fini, mellis an. ℥. ij. tritici maſticati ſtomacho ieiuno ℥. iiij. vitella ouorum numero ij. croci ℈.s. rob.q.s.pro emplaſtro. Aut pro pauperibus in omni tempore,R. cepas cõmunes numero ij. coquantur ſub cineribus, & piſtentur,& adde ſalis communis, fuliginis camini an. ℥. ij. ſaponis nigri ℥. j.s. pinguedinis porci ℥. iiij. farinę tritici, fermenti an. ℥. j. mellis q. s. pro emplaſtro. Multa poſſent recenſeri in tali re; ſed quia materia eſt furioſa, opus eſt deuenire ad vltimas curationes; & ideo applicatis defenſiuis, vt dictum eſt, aut loco optima theriaca lenito, ad manuum operam deueniendum eſt, ſcilicet ferro optime incidente locum ſecando: dico in ampla ſectione, vt melius, & citius malus ſuccus euacuari poſſit. Qua facta ſectione,locus à circum adiacentibus humoribus diligenter exprimatur: deinde cum digeſtiuo cõmuni, alterato cum vnguento ægiptiaco, locus inciſus curetur. Deſuper verò applicando aliquod ex iam dictis emplaſtris, vſque ad loci rectificationem; denique incarnetur, vt dictum eſt. Sed dico, quòd nullum meliorem modum inuenire potui, quàm locum cauſtico, aut actuali, aut potentiali aperire. Et qualiſcunque fuerit, profunda eſſe debet apertio, quia non tantùm conſumere debet coniunctam materiam, ſed antecedentem attrahere. Ideo nec cera, nec feruens oleum operatur, ſed laudatur chalcitis, viride æris, arſenicum, calx viua: aut capitellum ex calce, & ſapone nigro, cum aqua forti; aut calx viua cum ſapone, & pipere trito, & aceto fortiſſimo; aut med. ex cantharidibus, fermento, & ſale am. aut vtere vno ex meis infra dicendis cap. de cura nodi. Et ſi vna applicatione cauterij materia non euacuatur, cum adhuc crudus ſit tumor; reapplicetur. Aut poſt caſum eſcharæ reliquum ſecatur. Aut cum producta fuerit eſchara, remoueatur cum butiro, aut ſuillo adipe, aut vi, & curetur,vt dictum eſt. Sed cum materia fuerit multum maligna, ſua venenoſitate corrumpit & nutrimentum, & vitam; Vnde ad actualem cauſticum deueniendum eſt, ideſt ferro ignito locum adurere; & credo quòd hæc ſit breuior via, & ſecurior omnium aliarũ. Nam, vt dictum eſt à Principe; vſtio eſt efficaciſſimum remedium,quod valet ad prohibendum expanſionem corruptionis,& particulam,cuius intemperiem corrigere cupimus,roborandam,materiaſque corruptas membro infixas diſſoluendas. Eſt ergo efficaciſſimum remedium in tali caſu, quia materiam venenoſam à principalibus diuertit, & de profundo corporis attrahit, & in loco adductam, & contentam diſſipat, & inſenſibiliter reſoluit. Proinde dicebat Meſues; non tardetur, quin ſtatim euacuatione pręmiſſa,huiuſmodi cautherizatio fiat: dilatio enim ipſius perducit ad mortem feſtinam. Et Celſus dicebat; nihil melius eſt,quàm protinus adurere. Neque id graue eſt, nam non ſentit, quoniam ea caro eſt mortua; finiſque adurendi eſt, dum ex omni parte ſenſus doloris eſt: tum demum vlcus ſicut cetera aduſta curetur. Celebrata aduſtione,locus emplaſtretur cum ſcabioſa, minori conſolida, betonica, cauda equina, agrimonia, apio, dictamo, zedoaria an. m.j. bulliant in ſufficienti q. aquæ, & piſtentur, & adde therebentinæ claræ ℥. vj. farinæ orobi, florum ſtechados, chamæmeli an. m.j.s. ſyr. acetoſi,zuchari an.℥.iij. mellis, rob, an. q.s. pro emplaſtro. ſublataque eſchara,locus mundificetur, deinde incarnetur, vltimò ſigilletur, vt dictum fuit.

[4.f. 1. cap. 29.]

[Lib. 5. cap. 28.]

De aneuryſmate. Cap. XI.

ALIVD etiam à ſanguine tumoris genus accidere ſolet,cum nimirum ſanguis ſpirituoſus, extra vaſa propria ſubitò exierit, & in aliquo ſinu contineri videtur talis paſsio,à medicis aneuryſma,emboriſma,hyporiſmaq; aut mater ſanguinis, dici ſolet. Quę paſsio etiam adaperta artheria nonnunquam occurrit. Et differentiam adapertæ venæ, ab artheria ponit Paulus, cum dicit; Quæ adaperta artheria fiunt aneuryſmata,prolixiora apparẽt, & in alto conſtituuntur, digitiſq; impreſsis, ceu ſtrepitus quidam, exauditur, cum nullus ſonus in his, quæ rupturæ feruntur, accepti percipiantur, illa uerò rotunda magis ſunt,& per ſumma abotiuntur. Gal. loquendo de cura arterię inciſę, dicit, implendum vulnus carne quamprimum eſſe, priuſquam vinculum à vaſe decidat; niſi enim producta caro prius locum, qui circa pręciſam artheriam eſt, impleuerit, ſi locus vacuus ſuper fuerit, vtique quod Græci aneuryſma dicunt, ſequitur. Additur autem in veteri tranſlatione; alij verò dicunt eam paſsionem matrem ſanguinis. Qui tumor eſt mollis, tactuique cedens, & ſanguine plenus. Et rurſus recitat caſum cuiuſdam, cuius loco venæ in phlebotomia ſecta fuit artheria, & ad aneuryſma deuenit. Idem voluit & Aetius,& Auic. qui dicit; quando non deſuper coartatur locus eius poſt ſolutionem continuitatis eius, & inuenit vacuitatem, prouenit res ad emboriſmum, quod nominatur mater ſanguinis. Paulus verò ſic ait; Aneuryſma tumor blandus eſt, digitiſque cedit, ex ſanguine & ſpi-

[Lib. 4. cap 37.]

[14. metho. & li. de tumor. Et 5. metho. med. per longum proceſſum, & max. cap. 4.]

[Lib. 5. metho. cap. 7.]

[Lib. 14. cap. 10.]

[4.f.4.tr. 2. cap. 16.]

[Lib. 6. cap. 37.]

ritu contractus. Et citat Gal. dicens. Gal. de eo hunc in modum ſcribit. Artheria aperta, affectus aneuryſma vocatur. Fit autem, eadem conuulnerata, quotiens exterior cutis cicatricem duxerit, artheria verò ſine cicatrice remanſerit, nec coaleſcens, nec carne obſtructa. Interdum etiam, vt dicit Auic. de fluxu ſanguinis accidit artherijs de intus, & diſrumpuntur, præter quòd diſrumpatur cutis, & aggregatur ſub cute emboriſma, ideſt apoſtema leue ex ſanguine, & vẽtoſitate: quod poſsibile eſt quieſcere cũ compreſſione. Vide ibi & cõmentum Dini. Caſum vidi in Mag. domino Philippo Zeno Venetijs in Canali regio, an. 1547. de menſe Maij: & erat artheria ex nimio motu, vociferando diſrupta, vnde factus eſt tumor. Et nota, quòd potiſſimum ſignum huius paſſionis eſt, quòd motus tumoris mouetur ordinate ad motum cordis. Agnoſcuntur præterea, dicunt Paulus, et Aetius huiuſcemodi affectus artheriarum pulſu, imò etiam prementibus nobis tumor quodammodo euaneſcit, ſubſtantia, quæ ipſum efficit, in artherias recurrente. hæc quidem Gal. Interdum etiam expanditur ſanguis per partem cutaneam ad locum amplum, & ad gangrenæ colorem perducit regionem. Solet fieri hæc paſſio, non ex inciſa artheria, aut vena, ſed ab acuto mucrone perforata, dum cutis ad cicatricem peruenerit, nulla contracta in artheria cicatrice. Et differt aneuryſma à phlegmone; quia hæc ſubitò fit, phlegmon verò ſucceſſiuè, vt iam declaratum eſt. Quonam modo vena, aut artheria aperiatur, dicam in ſequenti lib. vbi de ſanguinis fluxu, & nonnulla tangam in fine ſequentis capitis de mente Pauli, & Albucaſis.

4. ter 3. c. 16.

De cura aneuryſmatis. Cap. XII.

QVIA, vt dictum eſt, inter ſanguineos tumores hæc paſſio ab antiquis enumeratur, & quia ſępè contingit, ideò in hoc loco de ea hęc pauca volui dixiſſe. Stat ſub duplici conſideratione hæc ægritudo, aut enim adhuc eſt aperta artheria, aut tantùm aliqua portio ſanguinis ſtat ſub cauſa coniuncta in regione cutis, quæ paſſio Græcè ecchymoma dici ſolet, teſte Olibaſio, & Actuario; eſt autem ecchymoma ſanguinis ſubter cutem effuſio. De prima erit ſermo in ſequenti lib. vbi de cura hæmorrhagiæ ſanguinis. De ſecunda dico, quòd tentandum eſt, ſi carminantibus medicinis ſanguinem reſolutioni dare poſsimus. Si non autem, ad loci ſcalpellationem deuenire oportet. Quas operationes, multitudo ſanguinis, & natura, & membri compoſitio oſtendunt. Medicina, quæ hoc facit, eſt illa, dicebat Auic. 2. canonis, quæ caliditate ſua virtutem habet ſubtiliandi materiam, & ſeparandi ipſam, & aperiendi poroſitates ipſam euaporando per partem poſt partem aſsiduitate ſuæ operationis, donec materia tota extrahatur, & euacuetur per membri poroſitates. Et propterea oportet, quòd ſit in ſua caliditate ſatis temperata, ſubtilium partium, ſubtiliſque ſubſtantiæ. Harum aliquæ ſunt ſimplices, aliquæ verò compoſitæ: ſimplices ſunt ſicut camæmelum, parietaria, ſertula campana, furfures, anethum, mentha, ſtechados, calamenthum, origanum, abſynthium, praſsium, ſquinantum, apium, ſinapis, fæniculus, coriandrum, fenu græcum, farina hordei, fabarum, orobi, lupinorum, & panis furfuraceus: oleum anethinum, ruthaceum, laurinum, chamæmelinum, ſambucinum, & de ſpica; pinguedo vrſi, taſsi &c. compoſita verò ſunt huius ordinis: R. florum ſtechados, ſertulæ campanæ, calaminthæ, camomellę, an. m. s. farinæ orobi, fabarum, cicerum an. ℥. j. cimini piſti ʒ. ij. olei de abſinthio, mirthini an. ℥. ij. vini optimi q. s. pro emplaſtro. Vel R. melliloti, anethi, origani, furfuris, an. m. ij. radicum petroſelini, enulæ an. m. j. anthos, cimini an. ℥. j. calamenthi, parietariæ an. m. j. baccarum lauri m. s. lixiuij boni q. s. pro emplaſtro. Vel R. radicum conſolidæ maioris & minoris an. m. ij. chamæmeli, melliloti, an. ℥. ij. croci ℈. j. farinę fabarum ℥. iiij. fenu græci ℥. ij. coquantur radices in aqua prius, dein piſtentur. & adde cimini, abſinthij an. ℥. j. & cum alijs rebus fiat emplaſtrum ſecundum artem.

Si verò adhuc fluit materia ad locum, aut via reſudationis, vel adhuc ſtat ſolutio in uena, vel artheria, præmiſſa euacuatione per phlebotomiam, & celebrata diuerſione per ligaturas doloroſas, &c. ad emplaſtica peruenire opus eſt, in quibus viget ſtipticitas, vt locus induretur, vt docet Albucaſis. & docet emplaſtrum ex roſis coctis in aqua, & vino ſtiptico, & balauſtijs, & corticibus granatorum, & ſanthalis, & puluere mirthi, & aloe, & ſarcocolla cũ aqua roſarum, & albumine oui. Superpoſito autem emplaſtro, deſuper applicetur anacratiron ex ſtupis, deinde ligetur, & fiat fortis conſtrictio; & remoueatur medicamentum de tertio in tertium. Cum tamen hoc medio morbus hic curari non poteſt, ad manuum operam deuenire oportet. Et opus fiat, ſicut docent Paulus & Albucaſis. Dicunt tamen, quòd ſi aut alas, aut inguina, aut ceruicem infeſtant, aliaque loca eximiæ magnitudinis, aneuryſmata curare manibus propter vaſorum amplitudinem non tentabimus. Quæ verò ſummas cutes, & artus, vel caput affligunt, hac ratione aggredi conuenit. Siquidem ex artheria dilatata tumor obuenerit, cutem lineâ rectâ in longum incidemus, deinde deducto ore excoriamur, & ſcalpellis, quibus membranæ auelluntur, circumpurgata artheria nudabitur, acu traiecta duobus funiculis deligatur, puncta prius ſcalpello per medium: vbi cum ambienti membrana vnita fuerit, curatione pus maturante vtemur, vſq; dum funiculi exciderint. At ſi ex ruptura artherię conflatum ſit aneuryſma, totum id, quatenus fieri licet, cum cute digitis apprehendendum eſt, deinde acu duplex linum trahente, inferius eo, quod exceptum

Lib. 2. cap. 97.

Lib. 6. cap. 37.
Lib. 2. cap. 49.

ceptum eſt, tranſuendum. & poſt acus traiectum anſulam forcipe præcidere oportet, atque ſic duobus filis hinc, illinc tumorē deligare; veluti in ſtaphilomate comprehenſum eſt. At ſi metus ſit, ne fila circumuoluantur, altera etiam tranſmittenda eſt acus per totum, quæ priorem premat, ſimiliter duo fila ducens, & amputata anſula, ex quatuor ita tumorem deuinciemus. Vel tumore per medium adaperto, poſt excretionem cutem adimemus, eam, quæ ligata eſt, relinquentes: ac ſplenium ex æneleo imponentes, remedijs in linamenta illitis, ſecurè vtemur. Laudat Aetius emplaſtrum ex cupreſſo, quod ita conficitur. R. foliorum cupreſsi q. s. decoque in vini auſteri ſufficienti quantitate, & vtere.

Finis ſecundi tractatus de tumoribus ſanguineis.

LIBRI PRIMI.
TRACTATVS TERTIVS.
De cholericis tumoribus.

De eryſipelate. Cap. I.

NVNC de tumoribus cholericis habeatur ſermo, ab eryſipelate exordium ſumendo, cum à communioribus inchoandum ſit, & quia phlegmoni in multis aſsimilatur. Eſt enim eryſipela cholericus tumor, vel mala complexio materialis cholerica, non multæ eleuatæ dimenſionis, rubedinis claræ, & expanſæ, doloris pungitiui, cum febrili diſpoſitione: cuius materia aut eſt ſanguis ſubtilis cholericus: aut ex ſang uine, & flaua bile calidioribus, quàm oporteat, mixta fluxio. Eryſipelas hæc paſsio vocatur, multum phlegmone calidior, magiſque colorem flauum rappræſentans. Et ſi tetigeris, facilè ſanguis ſubterfugit, rurſuſque illabitur, exquiſitè tenuis, & aſpectu rubidus, non tamen dolet hic, veluti phlegmon, neque vt aliqua inflammationis ſpecies. Pulſum, aut compreſſionem, aut ſimilem vehit tenſionem: ſed quandoque valde parum infeſtat, ac tum præſertim, quando per ſolam cutem diffuſum fuerit, nihil inferiorem carnem moleſtans. equidem tale aliquid ſæpius accidit, atque hoc eſt exquiſitum eryſipelas; Quemadmodum qui attingit inferiorem carnem, neque ex verè tenui bile conſiſtit, neque tantum eſt eryſipelas, ſed diſpoſitio mixta, ex eryſipelate, atque phlegmone. Vnde dicendum eſt, quòd à duplici materia poteſt generari eryſipelas, aut à ſanguine cholerico, & appellatur cholera benigna: & in tali iam dicta apparent accidentia: aut à bile calidiori, & tenuioris ſubſtantiæ, in qua ſecundum diuerſos modos exulceratur locus: & hæc eſt tantum cutanea paſsio, & verum eryſipelas: vnde Gal. loquendo de eryſipelate, dicebat; bilioſę fluxionis germen eſt, ac circa cutim maximè conſiſtens; tum hanc, inquam, foris, quæ omnium partium commune eſt tegumentum; tum membranoſam, & tenuem, quæ ſingulis internarum eſt circundata. Ergo ſicuti prior affectus etiam cutis aliquid apprehendit, ita hic quoque aliquid ſubiectę ſibi carnis occupat. Quòd ſi craſsior humor, acriorque ſit, ſummam cuticulam, Græci epidermia vocant, excoriat, ſpatioque ad profundum aliquando cutis exulcerata peruenit. Atque hic quidem affectus eryſipelas nuncupatur, duplici (vt iam dictum eſt) diuerſitate: quòd vel abſque exulceratione, vel vnà cum hac incidat. Primam Gal. appellat eryſipelas; ſecundam, de mente Platonis, herpetem, & ignem ſacrum. Vnde Paulus Aegineta dicebat; cum verò flaua bilis in parte aliqua ſubſtiterit, herpetem vocant: Vbi verò & ſanguis, & bilis flaua ſimul incubuerint, eryſipelas excitatur; & verè Gal. nullam aſsignat differentiam inter has paſsiones, niſi hanc, quòd dicit; ſerpens vlcus, qui herpes Græcè dicitur, is eiuſdem eſt generis, cum exulcerato eryſipelate: & parum infra dicit; Hepetas namque bilioſus procreat ſuccus, quo fit, vt eatenus eiuſdem ſit cum eryſipelate generis, atque huius quoque magis etiam cum eo, quod exulceratum eſt. differt autem ab eryſipelate humoris tenuitate: eſt enim admodum tenuis, qui herpetem excitat, adeo profectò, vt non ſolum omnes interiores partes, quæ vtique carnoſæ ſunt, tranſeat, ſed etiam cutim ipſam ad ſummam vſque cuticulam: quam ſolam, propterea quòd ab ea remoratur, tum erodit, tum exedit. Et ideò Auic. cap. de eryſipelate dicit; Et quandoque conſequitur ex caliditate eryſipelatis, vt comburatur cutis; quare alteratur illud, quod nominatur eryſipela. & nominatur paſsio talis, aut ignis perſicus, aut gangrena &c. Dicitur autem fortè eryſipelas, quaſi pelli adhærens.

Gal. 2. ad Glau.

14. methodi.

2. ad Glauconē. Lib. de purg. med fac. in fine. Lib. 4. cap. 17. 14. methodi cap. 17.

3. 4.

2.1.cap. de ęgritudinibus compoſitis. In lib. de cholera nigra cap. 5. & 2. ad Gla.c.1. 14.metho.cap.1

Dictum eſt à Principe, à quolibet humore poſſe cauſari tumorem præter naturam, ſcilicet à bile flaua, à bile atra, à pituita, & à ſanguine. De ſanguineis aliqua fuere dicta, nunc igitur, de cholericis tempus eſt vt agamus. Scribit Gal. quòd cholera flaua phlegmonante in vnam aliquam particulam, eryſipelas generatur. Differt hic tumor à phlegmone, in colore, in forma tumoris, & homogeneitate materiæ: interdum verò à nonnullis extrinſecis accidentibus. Dicebat Gal. Eſt alius morbus, quem Græci eryſipelas vocant, is, vti monſtratum eſt, ex bilioſo ſucco naſcitur: ſed præſtiterit fortaſsis eum pluribus verbis à phlegmone diſtinguere; ergo communia quidem amborum ſunt tum tumor, qui præter naturam ſit, tum verò calor. Diſsident inter ſe, primum, & maximè colore; quando ſi is ruber ſit, phlegmonem vitiũ appellant: ſin pallidus, flauus ve, vel ex pallido flauoque mixtus, eryſipelas. Et Raſis; Calida (inquit) apoſtemata alia ſunt ſanguinea, alia cholerica, & communicat eis ſimul caliditas loci, ſed differunt colore. Vnde Auic. dicit; Et diſcernitur à phlegmone, quoniam eryſipelas apparentẽ magis habet colorem, & ex phlegmone apparet rubedo ad nigredinem decliuis. Et reddens rationem dicit; quoniam plurimum coloris eius eſt occultum in profundo: & rubedo eryſipelatis deſtruitur per tactum ſtatim, & albet eius locus. Et reddens rationem dicit; cauſa ſubtilitatis materiei rubeæ, aut ſeparationis eius, deinde redit velociter. Et ſimiliter non eſt rubedo phlegmonis. Et vides in rubedine eryſipelatis colorem croci, & citrinitatem. Gal optimè docet tumorum diuerſitatem in coloribus. Differunt etiam iſti morbi, in forma tumoris. pulſatio enim, teſte Gal. magnæ phlegmones proprium eſt ſympthoma, quippè quæ altè magis in corpus dimittatur: eryſipelas in cute potius conſiſtit, quàm altè deſcendat. Et rurſus; Vna quidem eſt hæc diſpoſitio ſanguinei tumoris, in carniformibus corporibus maximè fiens. ſecunda verò eſt cholerici circa cutem conſiſtens maxime. Vnde dicebat Auic. & purum eryſipelas non impellit penitus, & phlegmon impellit: Cuius rei aſsignans rationem Galenus, inquit; Vnde eſt, quòd eryſipelas non eleuat, & magis apparet in cute? Quoniam tenuis ſubſtantiæ eſt pallidæ bilis humor, itaque facilè ad ipſam cutim transfluit, carnoſis rariſque corporibus tranſiectis; cutis verò denſitas non æque eſt huic bili peruia, niſi ſi admodum tenuis, aquoſaque eſt; talis namque maximè eſt etiam, quæ quotidie cum ſudore exit. Bilis autem, cum ad cutem peruenit, expanditur, & accipit tantum eius latitudinem, & non vnitur, neque ſinum occupat. Ideo Auer. dicit; Signa cholericorum apoſtematum ſunt, coloris citrinitas, humorum ſubtilitas, & dolor fortiſsimus, ſine extenſione ſecundùm omnem modum.

Diuiſ.cap.126. 3.f.4.tract.1.c.4

14.metho.9. 14.metho.1.

14. metho.

4 coll.35.

Differentia ex puritate materiæ ex iam dictis elici poteſt: nam in phlegmone ſanguis eſt, cum quo ferè ſemper aliquis alter humor concurrit; bilis verò ſola hæc eſſe poteſt. Et ideò Auic. dicebat; Eryſipelas eſt purum, ideſt poteſt contingere ex bile ſola, & non eſt ita phlegmon. Vnde notandum eſt, ſicut docent Gal. & Aetius, quòd eryſipelas eſt ſub duplici conſideratione, ſcilicet aut eius ſuccus cutem exulcerat, aut magis profundatur. Nam ſola exiſtente bile, aut mala, aut aduſta, ſua quidem acuitate, & caliditate cutem offendit, eam vlcerando. Et hoc dicit Gal. Eſt purũ eryſipelas, quod antiqui herpetem nominabant. Et hoc eſt, quod Auic. dicebat; Et prouenit quandoque ex caliditate eryſipelas ad hoc, vt comburat cutem, & eius virulentia veſicat, & excoriat. Hoc etiam dicit Gal. Quando enim prouenit cholericum rheuma, quod quidem tale certitudinaliter eſt, vlcerat cutim: quod verò aquoſum, aut ſanguini commixtum, minus eſt acre, & magis in tumorem eleuat particulam, quàm vlceret; Hæc conſideratio fuit ad curam. Nam Gal. & alij ſcriptores in puro eryſipelate negant venæ ſectionem. Et ideò Auic. in cap. de cura eryſipelatis dicit; Si indiget phlebotomia, phlebotoma etiam; non enim in omni eryſipelate ſectio venæ conuenit, niſi in admixta materia. Et Gal. dicebat; Si fuerit cholera admixta ſanguini, venam ſecare opus eſt. Et talis paſſio eryſipelas phlegmonodes denominari debet. Quando verò neque certiſsimè fuerit cholericum rheuma, neque ſanguineum, ſed ex vtriſque mixtum, ab eo, quod prædominatur in mixtione, ei nomen imponatur; pari modo ex bile, & altero ſucco mixtio fieri poteſt.

14.metho, & 2. ad Glau. Lib.14.cap.60.

Lib. de tumor pręternat. 10.

14. metho. & 2. ad Glauconem. 3.4.tract.1.ca.4.

2.ad Glauc. Et 14. metho. Et 1.de diff.feb. cap. 3.

In aliquibus ſimpthomatibus differt hęc paſſio à phlegmone, quæ hanc concomitantur ægritudinem. Dicebat Auic. Eryſipelas attrahit febrem vehementius, quàm phlegmon. Declarat Gal. veritatem huius propoſitionis, dicens; Quando calor ſanguinis, qui eſt in membro apoſtemoſo, fuerit calor quietus, & fuerit ſanguis, quem totum continet corpus, æqualis complexionis, forſitan non accidet ei, vt calefactione membri infirmi calefiat corpus: Sed quando talis caliditas fuerit fortis, calefiet corpus fortitudine ebullitionis eius. Et quando fuerit, vt ſanguini, quem totum continet corpus, dominetur cholera, tunc non ſtat, quin calefactione ſua manifeſta, & ſuperflua, calefiat totum corpus: Nam id velociter calefit, quod eſt velox ad reſoluendum, & in natura ſua eſt calidum. Et ſimiliter quod refrigeratur, eſt res, quæ eſt velox ad coagulandum, & in natura ſua eſt frigida. Velocius autem ad reſoluendum ex eis, quæ in corpore ſunt, eſt ſpiritus. Quod verò eſt ſubtilius, tenuius, & calidius, eſt cholera rubea; ergo acuitas, & ſubtilitas, ac caliditas huius humoris facilè poteſt ſupercalefacere ſpiritum, & ſpiritualem, ſeu ephymeram febrem generare: quæ cum ad tumorem ſequitur, accidens dici poteſt, vt ex Hypp. & Principe liquet; Et ideò propter ſui humoris ſubtilitatem eryſipelas eſt velox ad febrem citandam; idque magis cum in bilioſo corpore contigerit. Et Gal. dicebat; ſemper videmus febrem, quæ peracuta dicitur, ſequi incenſiuam paſsionem propter humores cholericos, & putrefactos, & inflam-

Lib.de inæq.intem. 5.

Lib de natur.hum. 1.f.4.tract.1.c.1 & tract.4. eiuſdem cap. 13. 5.de aff.inter. cap. 7.

inflammatos in corpore. Quo nam modo ex tumoribus accendatur febris, docet Gal. dicens; Calor ab eo, in quo eſt putredo, exordium capit, deinde ad vicinum membrum diſtenditur, & ab eo ad aliud, vſque ad illud, quod caloris eſt initium, & fundamentum: poſtea totum corpus cum corde vnum efficiuntur in paſſione. Accidit talis paſsio ſæpe in facie, vt dicit Auic. Et incipit à lepore naſi, & augmentatur apoſtema, & expanditur per faciem totam. Hoc fit, cum cauſa eſt intrinſeca. Gal. reddens rationem, inquit; Bilis eſt de natura ignis, ideò ſupremas faciliter petit partes, & ideò ad caluariæ læſiones concurrit. Hic morbus de facili aduenit, necnon in morbis membrorum ſiccorum, & eſt multi timoris. Dicebat Celſus; Eryſipelas periculum magnum affert vtique, ſi circa ceruices, aut caput conſiſtit. Et Paulus dicit; id verò ſcire oportet, eryſipelata, quæ capiti potiſſimum oboriuntur, plus faceſſere negotij, adeòque eſſe periculoſa, vt niſi efficax conſequatur auxilium, interim quoque affectos ſtrangulent. Malum eſt etiam eryſipelas, quod in oſſe denudato apparet, auctore Hypp. Vnde Auic. dicebat; & quando accidit eryſipelas in fractura oſsis, tunc eſt malum. Gal. dicit; Rarò accidit eryſipelas in oſſe denudato, ſed quod malum eſt, eſt videre ſubſtantiam oſsis denudatam, & carnem circunſtantem eryſipelatam. Dicebat etiam Hypp. Ab eryſipelate putredo, aut ſuppuratio, malū. & Gal. dicit, ꝙ malignis eryſipelatibus hoc accidit; Nam, vt diximus, malum phlegmon eſt, quod non ſuppuratur, cum natura ſui humoris ſit ſuppurari: pari modo, malum eryſipelas eſt, quod ad ſuppurationem tendit; nam eius materia reſolutioni valde apta eſt. Dicitur etiam ab Hypp. eryſipelata ab exterioribus verti ad interiora, non eſſe bonum; ab interioribus autem ad exteriora, bonum: peſſimum autem eſt, ſi in corpore prægnantis contingit; nam, auctore Hypp. fœtum enecat. Iſtius tumoris principium cum difficultate cognoſcitur, propter motus velocitatem; cognoſcitur augmentum ex accidentium additione; ſtatus patet, quia ſunt in ſummo: declinatio manifeſta eſt. Fit vtplurimum per viam catharri; Ferè nunquā exacerbatur. Eius materia eſt calida, & ſicca, ſubtilis ſubſtantiæ: Aut fit ex tenuiori, & calidiori parte ſanguinis, vnde inter acutas enumeratur paſsiones. Motum ſequitur tertianarum, nam cum materia tertianarum habet affinitatem.

2. de diff. feb. cap. ij. & li. cau mo. b. cap. 2.
Lib. 5. cap de cura eryſipelatis.
Lib. 4. cap. 21.
7. part. aph. 19 in com. aph.
7. aphor. 20. in com.
6. aphor. 25. & 1. Lib. de morbis Hip.

De cura eryſipelatis. Cap. II.

Modvm curandi hanc intemperiem materialem cholericam nunc declarare intendo. Et dico, quòd finis iſtius curæ duplici intentione ſortitur. prima, totum corpus in rebus non naturalibus regendo, & præcipuè in euacuatione, aut cum pharmacis cholagogis, ideſt choleræ eductiuis, aut ſanguinem emittendo. ſecunda membrum particulare opportunis remedijs gubernando, repercuſsionem fortiorem, quàm in phlegmone, quærendo, nulla obuiante cauſa: vel euaporationem ſecundùm immanifeſtam ſenſui tranſpirationem eligendo; & accidentia, ſi occurrerint, remouendo.

Aer in hac paſsione eligendus eſt temperatus, magis ad frigidum, & humidum vergens, quàm alio modo. Et ſi non fuerit ſic naturalis, fiat ab arte; & præcipuè in æſtate, cum effuſione aquæ fontis in thalamo patientis, & foliorum ſalicis, nimpheæ, vitis, roſarum, violarum, & ſimilium rerum, vt in paſsionibus calidis docent Gal. & Auic. Tale etiam ſit victus regimen ad frigidum, & humidum vergens, ex Hypp. cum paſsio in actiuis ſit calida, & in paſsiuis ſicca, cibi ſanguinem aliqualiter ingroſſantes ſummè conueniunt; quamuis dietha tenui vtendum ſit. Sufficit comedere panatellam, cum lacte ſeminum communium, aut hordeum decoctum, vel ptiſanam hordeaceam, aut condrum, aut comedat lactucas, boragines, cucurbitas, & ſimilia. Sint hæc decocta in iure macræ pullæ; quia ſunt fugienda pinguia omnia, vnctuoſa, calida, acuta, ſalſa, & dulcia; ſed acetoſis vtatur rebus, & ſobriè viuat, abſque carnibus, ouis, & caſeo. Dimittat vinum, dicebat Celſus, & maximè cum aliqua apparuerit febris: Sed vtatur vino ex granatis cum Iuleb violato, & aqua hordei, aut coriandrorum, aut fontis: Membrum verò eryſipelatum omnino quieſcat, ſed illi oppoſita leuiter, loco exercitij, fricentur, vt ſuccus aliqualiter diuertatur. Dormiat patiens, quia vigiliæ corpora exſiccant. Et omnino ab ira, clamore, & omni ſanguinis motione fugiat, atque caſtè, honeſtè, & lætè viuat.

10. metho. c. 8.
1. f. 3. cap 29.
1 aphor. 16.

De euacuatione, dicebat Auic. oportet, vt euacues corpus ab ea cholera cum ſolutiuo choleræ ex auct. Gal. vbi dicit; Scito hos purgatorijs cholagogis, ideſt choleræ eductiuis, per ventrem purgandos eſſe. Et rurſus; Quid verò me commemorare opus eſt (ait) vt nullum remedium ſacro igni (eryſipelas Græci dicunt) efficacius adhibeatur, quàm bilem expurgans? Et iterum; Sed pro ſanguinis miſsione medicamento, quod bilem trahat, purgantes faciemus. Vnde Auic. enumerando paſsiones cholericas, enumerat eryſipelas. & dicit; In cura quidem horum morborum eſt, ſicut in cura tertianę febris, procedendum. Educatur ergo cholera abſque phlebot. Iſtæ auctoritates veræ ſunt in pura bile, vt in herpete; nam, dicit Gal. ex vena in talibus ſanguis mittendus non eſt, ſed ventrem tantummodo expurgare ſufficit, dandum autem medicamen, quod bilem flauam educat. Sed cum admixta eſt aliqua portio ſanguinis, dico, quòd competit etiam phlebot. nam dicebat Auic. cap. de cura eryſipelatis; Si indiget phleb. phlebotoma etiam. Non tamen abſolutè phlebotomiam præcipit, ſed cum conditione,

2. ad Glau. cap. 2. & 4.
Li. quos quādo purg. oporteat.
14. methodi
3. caut. 102.
2. ad Gla.

[Lib.5. cap. proprio. 3. practices. 5. Breuiarij.]

tione, ſi indicet. In pura enim bile venæ ſectio non conuenit. Ait Celſus; ſi vires patiuntur, ſanguinem mittere oportet, & id magis, cum ſanguini bilis admixta fuerit: quod cognoſcitur ex tumore, & pulſu: Vnde etiam Halihabas dicebat; Quando eryſipelas eſt ſine tumore, tunc competit ſolutio ventris; & ſi fuerit cum tumore, phleb. eſt conueniens, & ſolutio ventris. Idem dicit Serapion. Vnde ſi ſectione venæ opus fuerit, ſeca, ſitque talis potius diuerſiua, quàm euacuatiua: & ſit in principio morbi. In ſequenti verò die patienti exhibeatur pharmacum ex caſsia, aut diacath. aut manna, aut ſyr. roſ. ſol. Aut R. pulpæ caſsiæ no. ex. ℥. j. diaprunis ſol. ʒ. ij. zuchari q.s. pro bolo: Aut R. pulpæ caſſię, elleſt. diacath. an. ʒ. vj. elleſt. roſ. Meſ. ʒ. ij. decoct. fructuum q.s. ſyr. roſ. ℥. j. miſce, & fiat p. cuius medica. doſis poterit minui, & alterari pro ægrotantis robore, natura, conſuetudine &c. Reſiduum præparetur cum ſyr. acetoſo ſimpl. de endiuia, violato, an. ℥. s. & roretur cum aqua acetoſę, endiuię, portulacæ, an. ℥. j. aut cum aqua fontis ℥. iij. Aut in materia maligna R. ſyr. de ſucco acetoſæ, de ſucco endiuiæ, roſati an. ℥. s. Aquarum acetoſæ, bugloſſæ, cycoreæ an. ℥. j. miſcę. Præparata materia, ſi fuerit opus alia euacuatione, R. floris caſsiæ no. ex. ʒ. vj. manæ elleſt. ſyr. roſ. ſol. an. ℥. ij. aquæ endiuiæ q. s. Vel R. elleſt. diacat. mannæ an. ℥. s. elleſt. de pſylio ʒ. i. s. rheubarbari elleſt. ſecundùm artem infuſi ʒ. s. ſyr. violat. ſol. ℥. j. decoctionis communis q. s. fiat p. 6. Aut R. rheubarbari elleſt. ʒ. j. s. ſpicę g. iij. vini maluatici, parum, aquę acetoſę q. s. miſce, & fiat infuſio; & facta diligenti expreſsione, adde ſyr. roſ. ſol. ℥. iij. & f. p. Raſis ſummè laudat ſcamonium cum aqua caſei, aut tamarindorum.

Hæc ſtant in pectore medici; nam aliquando quærit euacuare materiam antecedentem, ne tranſeat in coniunctam; interdum corpus refrigerare ſolum curat. Sed auctoritate Gal. debemus euacuare, quando materia eſt multa: aut primarijs membris vicina, aut ægritudo furioſa. Et Auic. Bis venam ſecare, biſque pharmacum exhibere non negat: nam dicit; Et ſi indigueris reiteratione ſolutionis ventris, vel phlebotomiæ, fac illud ſecundùm quod caleſit ex duabus materijs. Notat Gal. quòd ſi paſsio parua fuerit, neque hoc facere eſt neceſſarium, ſed ſufficit chliſtere acri vti; Vtroque modo patiens quotidie habeat ventris beneficium, ſaltem cum enematibus, vt R. foliorum maluarum, violarum, an. m. ij. hordei, furfuris an. m. j. ſeminis citoniorum ʒ. ij. bulliant in aqua fontis ſecundùm artem. R. prędictæ decoctionis, vt erit opus, vt puta lib. j. & adde, olei violati ℥. iij. mellis violati ℥. ij. vitelli ouorum numero j. ſalis coclearia duo, miſce, & fiat enema, & vtere ante cibi aſſumptionem.

[14 metho. Et 2. ad Glau. 4.]

[ad Glau. 4.]

De ſecunda operatione dicebat Gal. Et hoc per initia quidem infrigidandum eſt, tunc præſertim, quum ſine manifeſta occaſione factum fuerit. Vnde Auic. dicebat; Poſt euacuationem permuta te ad infrigidandum illud cum infrigidantibus fortibus, ſitis in capite phlegmonis. Idem voluit Cornelius, Aetius, & Paulus. Debent eſſe talia medicamina frigidiora his, quibus in phlegmone vtimur; Et ideò, quæ potenter valent in phlegmone, eryſipelata etiam curare poſſunt. In phlegmone temperatè frigida conueniunt, dicit Princeps ex ſententia Gal. ſed in eryſipelate, quæ multum infrigidant: quoniam (dicit Auic.) flamma, & dolor inflammatiuus in ea eſt plus: & euacuatio in phlegmone eſt magis neceſſaria, quando materia in eo eſt magis inobediens, & groſsior: Non tamen nec ad opium, vel hioſciamum, aut mandragoram deueniendum eſt; nam Gal. dicit; Si ſine methodo infrigidatio adhibita fuerit, ſcyrotizabit apoſtema ſic, quòd remiſsiua minimè proficient. Eligenda igitur medicamina opportuna ſunt, vt & membri natura, & morbi qualitas, & virtus infirmi deſiderat. Et terminum infrigidationis aſsignat Gal. dicens; Eſto autem refrigerationis terminus, ipſa coloris mutatio; etenim quod purum eryſipelas eſt, ſtatim cum hoc quieſcit: Vnde Auic. dicebat; Infrigida, donec alteretur color, purum enim deſtruitur cum alteratione coloris, & diminutione ipſius. Dicit Gal. quòd ſi non fuerit purum eryſipelas, ſed phlegmonodes, & priuſquàm refrigeres, liuidam cutim pręfert, tunc rationabile eſt ceſſare infrigerantes, priuſquã repercuſſam particulam liuor, vel nigredo pręoccupet, innato calore refrigerato: Ergo ſatius eſt, vbi laborantis particulæ alteratum colorem videris, à refrigerantibus, aſtringentibuſque ad contraria tranſire, priuſquã vel liuida, vel nigra prorſus fiat. Et hoc eſt, quod dicebant Serapion, & Auic. cap. proprio: & caue iterum, ne denigretur membrum, & fuſcum fiat, & incipiat ire in viam corruptionis. & cum apparet aliquid de hoc, incede in contrarium &c.

[Lib. 5. cap. de cura eryſipelatis. Lib. 14. cap. 60. Lib. 4. cap 21. 13. metho, d. 3 cap. 2. 14. metho. c. 3. 14. methodi.]

Vnum notat Gal. & Raſis, quòd ſi inflammatio fuerit multa ſic, quòd corrumpat complexionem membri, tunc debet infrigidari, & remitti, etiam ſi nulla pręceſſerit euacuatio, attamen in corpore non impleto, & in tumore à principalibus remoto. De medicinis hanc operationem perficientibus, opiniones multę, multæque deſcriptiones reperiuntur. Nam in eryſipelate à benigna materia, cũ quo excoriationes minimè apparent, auctore Gal. vt etiam docet Raſis, frigidæ, & humidę medicinæ conueniunt, & maximè in principio, & augmento: ex quibus laudat Gal. ſolatrum, ſemperuiuũ, portulacam, vmbilicum Veneris, pſylium, altercum, lactucam, intubum, lenticulam paluſtrem; & cerata ex aqua admodum frigida. Vnde Auic. dicebat; Et permuta te ad infrigidandum cum infrigidantibus fortibus, ſicut cum aqua frigida. Laudat Hypp. hanc intentionem, quando dicit; Frigidum eryſipelas non vlceratum iuuat, vlceratum verò lædit. Conferunt etiam talia medicamina, indicatione ſumpta à materia eryſipelatis, quæ calida eſt, & ſicca; ideò medicamina debent eſſe frigida, & humida, vt talis ſuccus ad temperiem reducatur; quia talis humor, dicebat Gal. non ſolum contriſtat membrum, in quo eſt, ſua quantitate, ſed etiam qualitate.

[14. methodi. 13. contin. 14 metho. Diuis. 126. 14. metho. Et 2. ad Glau. 4. & 4. ſimpl. medic. 5 aphor. 23.]

Cum

Cum verò apparet aliqua excoriatio, quæ infrigidant, & ſiccant, ſummè conueniunt cum aliquali ſtipticitate; & ideò Auic. loquendo de hac paſsione, dicebat; Et oportet, vt ſit infrigidatio eius in principio fortis ſtipticitatis, ad hoc, vt forſitan augmentetur eius ſtipticitas ſuper ipſius frigus. Et ratio eſt: nam cum exulceratio apparet, ex Gal. materia peccans ſubtilis eſt, ideo indicatione ſumpta à tali materia, frigida conueniunt propter caliditatem, & ſicca propter ſubtilitatem, vt expellatur materia, & confortetur membrum. Et quantò materia fuerit ſubtilior, tantò magis medicina debet eſſe ſtiptica. Ideò Auic. non abſolutè ſtipticitatem præcipit frigiditatem præualere, ſed dicit; ad hoc vt forſitan augmentetur, ſcilicet cum apparent excoriationes, aut vlcerationes, quæ ſiccitatem deſiderant. Verificatur operatio hæc ex Auic. quando dicit; Et cum eryſipelas eſt incedens ſuper cutem, curetur cum his, in quibus eſt reſolutio, & exſiccatio fortis cum infrigidatione: & non incedit eryſipelas ſuper cutem, niſi dum excoriat. Verificatur item hæc opinio, quia Auic. de cura formicę, & quę currunt 3. f. 4. tract. 1. cap. 7. curſu eius, dicit; Via autem, ſecundùm quam curatur formica, eſt, vt quæ ex ipſa eſt corroſiua, alienetur ab humectatione, quam iam adminiſtraſti in eryſipelate; quia humectatio ab vlceribus valde aliena eſt. idem 4. f. 1. c. 28 Et verè eadem eſt materia formicæ corroſiuæ cum eryſipelate apparente, quòd herpes exædens dici poteſt. Nam, dicebat Auic. Cholericum apoſtema, aut eſt à cholera ſubtili valde, quæ non continetur 3 f. 4. cap. 2. in eo, quod fit magis intus, quàm illud, quod apparet de cute, & eſt acuta, & fit formica; & ex ea aut ambulatiua ſola, & eſt ſubtilior; aut ambulatiua corroſiua, & eſt mala.

Igitur cum apparet mala complexio materialis in aliquo membro, pręmiſſa vniuerſali intentione circa regimen in rebus non naturalibus, ad talia medicamina deueniendum eſt, & maximè in principio, & augmento: quorum latitudo adeò breuis eſt, quòd magna cum difficultate percipi poteſt, propter naturam humoris. Cognoſcitur tamen ex vehementia, & acuitate accidentiũ, & primò hęc olea laudantur, & ſi oleum eſt calidæ complexionis; nam Gal. dicit; Omnia olea ſapiunt naturam eorum, quæ in 6. ſimpl. cap. 120 grediuntur; ideò valet oleum roſatum, & maximè omphacinum, violatum, de ſemine citrulli, de ſem. cucurbitæ Gal. de nenufare Raſis, de ſem. lactucæ Gal. de ſem. papaueris Gal. de ſem. hioſciami eiuſ- 7. ſimpl. cap. 35. 3. ad Alm. ca. 21 dem. De vnguentis, vnguentum roſatum Meſue, de calce lota cum oleo roſato, infrigidans Gal. popu- 2. almi. fac. c. 39. leonis, de lythergirio crudo &c. Aut R. aquam fontis frigidam, & cum ea locum ſæpe fomenta. Aut 7. ſimpl. cap. 101 8. ſimpl. cap. 148 R. olei ros. ompha. mirthini an. ℥. ij. vnguenti roſ. Meſ. ℥. j. populeonis ℥. s. ceræ albæ q. s. pro vnguento. Aut R. ſucci plantaginis, vnguenti ros. an. ℥. j. & cum albumine oui fiat linimentum. Alter, auctore Gal. R. coriandros contritos cum modica cera, & albumine oui. Aut R. ex Gal. ſucci ſolani, olei vio- 2. ad Glau. 4. lacei an. q. u. ſpumæ argenti, ceruſſæ ad ſpiſsitudinem. Alter, quo vtor. R. ſpumæ argenti ʒ. ij. olei violati ℥. ij. miſce, & emplaſtra. R. florum chamæmeli, roſarum, farinæ hordei, ſumach, mirthillorum an. m. s. violarum, nimpheæ, an. m j. bulliant in vino nigro ſtiptico, & fiat emplaſtrum. Aut R. maluas decoctas cum coriandris, & lentibus, & piſtentur; & cum oleo violato, & parum aceti, fiat emplaſtrum. Aut R. foliorum maluarum, violarum, nimpheæ, hordei mundi, an. m. j. bulliant in aqua, & piſtentur, cui addatur ſeminum cithoniorum, mucilaginis, pſilij, an. ℥. j. vnguenti populeonis, roſ. Meſ. an. ℥. j. olei violati q. s. miſce, & in mortario plumbeo fiat emplaſtrum.

Sequitur Auic. loquendo de diuerſitate complexionum medicinarum, quò ad temporum diuerſitatem, & dicit; Circa ſtatum verò ſit ipſius frigus vehementius ſtipticitate eius. & dicit auct. Hypp. & Gal. Caue cum hoc, ne redire facias materiam ad membrum intrinſecum, aut ad membrum nobile; 5. aphor. 25. Quare non debent eſſe ſtiptica medicamina in ſtatu, ſed frigida; quia cauendum eſt (dicebat Gal.) 14. metho. 3. 2. ad Glau. cum materia eſt coniuncta, ne ad duritiem perducatur: ſed frigiditas cum aliquali reſolutione laudatur; nam in ſtatu indigemus alteratione aliquali, cum reſolutione, vt doctè docet Raſis. Et ideò conuenit Diuis. 126. emplaſtrum ex folijs liliorum alborum, decoctis in vino, tritis cum farina molendini, & oleo violarum. Aut R. lanæ ſuccidæ vſtæ ʒ. xij. carbonis de interiore cortice pini ʒ. x. ſcorię plumbi, ſepi caprini veteris, abluti cum aqua ſolatri ʒ. xv. olei mirthini ℥. v. ceræ. ʒ. xx. Aliud, R. plumbi vſti, ſucci ruthæ, olei roſati an. ℥. ij. ceræ. q. s. Aliud Raſis in Antidotario, ſanthal. rub. ſieph, memithe, ſauſel, ceruſſæ, boli arm. an. ℥. s. corticum mandragoræ, opij an. ʒ. vj. aquæ roſarum, aceti an. parum ceræ ℥. ij. miſce in mortario plumbeo, & fiat vnguentum.

Tempus declinationis continetur in ſtatu; nam cum coniungitur, materia citò reſoluitur; & ideo de tali tempore nihil dixit Auic. ſed Raſis in diuiſionibus dicebat; Cholericum apoſtema parum indiget reſolutiuis, quoniam reſoluitur per ſe ipſum poſt ſtatum ipſius, adeo quòd nulla indiget operatione.

Et quia talia apoſtemata raró fiunt exituralia; ideò de eis nihil dicam. Sed notandum eſt, quòd cum frigus inimicum ſit vlceribus, quòd eryſipelati excoriato actu calida medicamenta applicentur. No 5. aphor. 20. tandum eſt etiam, quòd poſt iſtius diſpoſitionis reſolutionem, ſæpe in membra aliqua mala diſpoſitio remanet, quæ mala ſua qualitate, interdum venenoſa, membri complexionem corrumpit; & ideò dicebat Gal. Tranſacto autem feruore, & impetu, mutato etiam colore, ſi locum ſcarificare volue 2. ad Glau. & 14 methodi. ris, nihil læſeris, ſed profueris; & vtere cataplaſmate reſoluente, & exſiccante ex farina hordei, aceto, & aqua maris. Et ſi remanſerit durities, vtere cerato diaquilone.

Vnum reſtat videre, quod adnotauit Hypp. dicens; Ab eryſipelate putredo, aut ſuppuratio, ma- 7. aphor. 20. lum. Et Gal. dicit, quòd illud eryſipelas eſt malum, quod tendit ad putredinem: quod eſt malũ per in com.

viam cauſæ: quia ſanies in eryſipelate fit à materia acuta, & calida, & per conſequens corroſiua, ad quam ſequitur vlcus phagedenicum. Et eſt mala per viam ſigni; quia naturæ impotentiam declarat, cum materiam reſolutioni aptam reſoluere minimè poſsit. Necnon materiam valde malam declarat, quia craſſam, deductam ad ſanguinis ſubſtantiam. Ideo Auic. dicebat; Et ſi fuerit cholera mala, & tranſierit in groſſitie ſua vſque ad ſubſtantiam ſanguinis, accidet eryſipelas malum. Hæc autem aut pruna, aut ſacer ignis, vel herpes dici ſolet.

3.f.4 tract.1.c.1

De Venæ ſectione Dubitationes.

Lib. de euac. per ſang. miſs. 4.f.1.c.15. & 1. f.3. cap.29. Lib.5. cap. de cura eryſipelatis. lib. 4. cap. 25. 2. ad Glau. c.4. 14. metho. c.3. 15. Cōtinentis. Diuiſion. c.126 4.f. 1. cap. de phlebotomia. 1. de temper. Lib.14. cap.60.

Videndum eſt, nunquid in cura eryſipelatis venæ ſectio conueniat. Et primò videtur, quòd ſic ratione, & auctoritatibus. Ratio eſt, quia à phlebotomia talis materia euacuari poteſt; ergo competit: maior eſt nota, cum phlebotomia ſit vniuerſalis euacuatio, auctore Gal. & Auic. Præterea eam concedunt etiam Celſus, & Paulus. In contrarium eſt ſententia Gal. qui cum loqueretur de cura iſtius morbi, dicit; Scito hos minimè eſſe phlebotomandos. Et rurſus alibi dicit; Loco phlebotomiæ medicinis choleræ eductiuis patiens eſt purgandus, ab hac ſententia non recedit Raſis, & huic opinioni videtur ſuffragari illa Auicennæ auctoritas, quæ dicit; Et in vniuerſum cauere debes, ne ęgroto duorum alterum afferas, vel humorum biliosorum ebullitionem, vel frigidorũ cruditatem: cum enim ſanguis, auctore Gal. ſit frenum choleræ, eo remoto, cholerę acuitas magis accenditur. Huic dubitationi ex ſuperius dictis reſponſio patet. Nam in pura materia cholerica nullo modo venæ ſectio conuenit: in materia verò ſanguini admixta competit ſanguinis emiſſio, ſic voluit Aetius, quando dicit; Eam igitur, ſi ſanguis exuberet, venæ ſectione curabimus: ſin bilis, medicamento flauam bilē ducente, corpus euacuabimus. Et quia verba Principis in hoc loco ſunt aliqualiter obſcura, decreui ea exponere. Dicit Auic. cap. de cura eryſipelatis, loquendo de phlebotomia; Phlebotomia nō multum confert, niſi quando materia eſt inter duas cutes; ſi autem profunda fuerit, minoratur eius iuuamentum, & fortaſſe attrahit. Verè hæc verba magnam in actu practico difficultatem ſemper fecerunt; cum iam dictum ſit, quòd quantò magis materia fuerit pura, & ſubtilis, tantò minus laudatur venæ ſectio: igitur ſi materia fuerit inter duas cutes, declaratur eius ſimplicitas, auctore Gal. cum dicit; Verum enim, & certum eryſipelas cutis tantùm, vel pellis paſſio eſt. & Auic. dicebat; Cholericum apoſtema aut eſt à cholera ſubtili valde, quæ non continetur in eo, quod ſit magis intus, quàm illud, quod apparet de cute: ergo in tali diſpoſitione ſanguinis emiſſio non eſt fienda.

2. ad Glau. 1. 3.f.4. cap.1.

Sequitur Auic. Si autem profunda fuerit, minoratur eius iuuamentum. Profunditas ſucci eius arguit mixtionem cum ſanguine. & ſi fienda eſt phlebotomia, ſummè conuenit in tali tempore, & diſpoſitione: tamen Princeps dicit, quòd minoratur eius iuuamentum. Conatur & Dinus, & Gentilis hanc exponere ſententiam, & Principis verba ſaluare. Tres expoſitiones huius rei aſſignant Doctores, & dicunt, quòd per materiam eſſe inter duas cutes, paucam bilem cum ſanguine multo admixtam intelligere debemus, qui ſit aptus fluere, & pro parte eſt in fluxu: ſi autem profunda fuerit, ideſt ſi bilis multa fuerit, & quòd non profundatur per admixtionem ſanguinis, ſed propter eius quantitatem: tunc minoratur iuuamentum phlebotomiæ. Secunda expoſitio talis eſt. Quando materia eſt inter duas cutes, ideſt quando materia plus impellit, & apparenter tumet, ſignū eſt, quòd ſanguinis ſecum eſt plurima admixtio, cum natura ſanguinis ſit impellere, & tumorem cauſare, vt de phlegmone dictum eſt: ſi autem profunda fuerit, ideſt ſi minus impellit, vel nullo modo impellit apparenter, minoratur iuuamentum phlebotomię; nam bilem peccare declaratur, & fortaſſe attrahit, ideſt fortaſſe augmentatur tumor. Tertia exp. eſt. Quando materia eſt inter duas cutes, ideſt quando materia eſt benigna, & non aduſta, ſicut eryſipelas ex bile benigna, vel ex ſanguine ſubtili proportionato choleræ, conuenit phlebotomia: ſi verò profunda fuerit, ideſt ſi fuerit groſſa, vel aduſta, & calidiſſima, ſicut eryſipelas malum, quod veſicat, & vlcerat cutem (nam bilis propter eius aduſtionem profundatur, & etiam cutem exulcerat) tunc phlebotomiæ iuuamentum minoratur. Profectò iſtæ expoſitiones non ſunt ad rem. Et ad primam dico, quòd Princeps ibi loquitur de materia cholerica ſola, & non de admixta; cum inferius, vbi de pruna, igne perſico, & formica agit, diffuſè locutus ſit de bile admixta, & aduſta. Nec eſt vera hæc prima exp. quia ſi bilis fuerit pauca, & ſanguis multus, non debet dici eryſipelas, ſed phlegmon, auctore Gal. Nam tunc fiet tumor eleuatus, & materia non ſtabit inter cutes. Nec valet dicere, quòd ſanguis ſit aptus fluere; quia tunc erit materia cholerica pura, & pauca; & ex methodo non competit phlebotomia. Ad alteram partem autem ſi profunda fuerit, ideſt ſi fuerit multa, & non admixta, ſed multa in quantitate, tunc minoratur iuuamentum phlebotomiæ. Ad hanc dico, quòd ſi fuerit ſola, etiam quòd multa, non per hoc ſtabit in profundo; quia (vt declaratũ eſt) eius natura eſt, expandi ad extra. Ad ſecundā expoſitionem dico, quòd aliud eſt eſſe inter duas cutes, & aliud eſt eleuare in tumorem, & impellere. Hæc accidentia differentiam ponunt inter eryſipelas, & phlegmon. Et verè quod ineſt vni, non accidit alteri. Non eſt igitur dicendum, quòd eryſipelas eleuet; quia eleuare eſt de ratione groſſarum materierum. Et ad alteram partem, quando dicunt; ſi verò profunda fuerit, ideſt ſi non impellit, quia materia eſt pura, & ſola, iuuamentum minoratur: dico, quòd non eſt vera exp. quia de ratione choleræ non eſt neque profundare, neque eleuare; & eò magis, ſi ſola fuerit, & pura, vt ipſi exponunt.

Ad

Ad tertiã expoſitionem, quæ ſatis apparens eſt, quando dicitur, quòd bilis alia eſt benigna, & naturalis; alia furioſa, & acuta. & ponendo differentiam inter ipſas ſcribitur, quòd cholera benigna non eleuatur, neque profundatur, ſed ſtat inter duas cutes. Quæ autem eſt craſſa, & aduſta, ex qua fit malum eryſipelas, profundatur; et in hac non competit phlebotomia, imò attrahit; ſed peccante cholera benigna, poteſt competere phlebotomia. Hæc, vt dixi, verior eſt, non tamen vſquequaque conſentit verbis Auicennæ, & omnino repugnat dictis antiquorum, qui vno ore negarunt, in eryſipelate ex materia ſimpliciter cholerica, cuiuſmodi eſt, quæ ad cutim diffunditur, conuenire venæ ſectionem, vt iam demonſtratum eſt. Quare reiiciatur.

Aliqui dicunt, quòd textus debet ſtare ſic; & phlebotomia non multum confert, niſi quando materia eſt inter duas materias; Et quòd ly cutes, debet dicere materias: ſi autem profunda fuerit, ideſt ſuperficialis, minoratur iuuamentum, vel profunda, ideſt pura bilis, ſed aduſta: nam minoratur iuuamentum phlebotomiæ in materia cholerica aduſta, per comparationem ad materiam cholericam, ſanguini admixtam, aut ad ſanguinem cholericum.

Ego verò credo, quòd conditionalis illa [niſi] nullo modo poſſit ſtare, & textus debeat legi ſic: Et phlebotomia quidem non multum confert, quando materia eſt inter duas cutes, ideſt pura, silioſa, quia tunc expanditur inter cutes; Ideò dicebant antiqui, quòd eryſipelas eſt paſſio cutanea: ſi autem profunda fuerit, minoratur eius iuuamentum, ideſt ſi fuerit aduſta, phlebotomia eſt minoris iuuamenti; cum verò cholera eſt aduſta, eſt magis craſſa, & magis profundatur; & dico, quòd eſt minoris iuuamenti per comparationem ad phlegmonem, cuius materia profundatur, cum ſit pura ſanguinea. Princeps verò non negat iuuamentum in materia cholerica profunda, ſed dicit quòd minoratur. & ratio eſt; quia vera cura ſanguineæ paſſionis eſt ſanguinis emiſſio. Et fortè etiam tres innuit gradus eryſipelatis inter ſe differentes, quorum prior eſt ſuper cuticulam, tanquam flos apparens; ſecundis inter duas cutes; tertius verò etiam in carne. primo non conuenit venæ ſectio, quia à ſimplici bile procedit. ſecundo autem conuenit principaliter, quia à bile cum ſanguine mixta generatur. tertio autem minus competit phlebotomia, quoniam ab humore valde craſſo fit talis morbus. Quòd autem adſit eryſipelas ſuper cutim incedens, in eodem loco declarauit Auicenna. Et hanc arbitror eſſe veram huius loci explicationem: quemadmodum vnicuique etiam patebit, qui ſedulò, atque integrè caput illud perlegerit, atque totam ſententiam auctoris collegerit, quæ profectò tantum abeſt, vt Galeni dictis repugnet, quòd potius illa exponit, atque diligentius, clariuſque enucleat.

De pruna, & igne ſacro. Cap. III.

SACER ignis, aut perſicus ignis, more Arabum, vel herpes, vt placuit Hypp. Gal. Paulo, Aetio, Oribaſio, ac omnibus Græcis, aut ignis ſancti Antonij, vel morbus diuinus, vel etiam hercularius ab Hercule, qui eo laborabat, eſt puſtula, aut puſtulæ plurimæ commeſtiuæ, adurentes, veſicantes cum ambulatione, & emiſſione cholericæ humiditatis, paucæ nigredinis, ſed plurimæ aduſtionis, ebullitionis, & eleuationis. & differt herpes hic à formica; nam quę corrodit formica, non continuatur in forma vlceris, ſicut herpes, ſed habet pluralitatem vlcerum: herpes verò, de quo nunc loquimur, ad phagedenæ naturam conuertitur: nam fit hic morbus, quando flaua bilis, non naturalis, ſola, & ſecreta, nullo alio admixto humore, in particulam aliquam confluit, & talia producit ſimpthomata: nec multum differt à puro eryſipelate. verum, vt Gal. docet ſecundo ad Gla. tenuior eſt bilis, quæ herpeta creat, quàm quæ exulceratum eryſipela.

Pruna autem, ſeu carbunculus, eſt puſtula, aut puſtulæ adurentes, & locum ad modum carbonis denigrantes abſque humiditate, ſubmerſæ nigredinis. Et fortaſſe non apparent puſtulæ; imò ſtatim tantùm eſchara cum aliquali eleuata dimenſione.

Solent nanque in humanis corporibus à bile flaua tumores parui generari, qui à medicis puſtulę appellantur; & diuerſificantur ab eryſipelate, quia materia eryſipelatis eſt ſanguis cholericus, aut ſanguis mixtus cum cholera: ſed ignis ſacri ſuccus, vt docet Gal. eſt ſanguis feruefactus, & coactè deductus ad naturam bilis. 2. ad Glau. 1. ſi enim ex ſanguine, flaua bile commixto, & intemperato, & calidiori, quàm par eſt, vel ſi ex ſanguine tantùm feruenti, & tenui phlegmon fuerit exortum, eryſipelas dicitur, ideſt ignis ſacer. Magnam ſymboleitatem cum puro eryſipelate tenet hic herpes, adeò quòd antiqui ferè nullam inter has paſsiones poſuerint differentiam. Et cum iſtę humiditates per vlteriorem coctionem aduruntur, ad bilem atram conuertuntur, paſſioque illa fit, quæ pruna, & multotiens carbunculus nuncupatur. Et quia iſtæ duæ paſsiones ſunt quaſi eiuſdem formę, & eiuſdem materiæ, etiam quòd vna ſit aduſtior altera, ideò de eis erit ſermo ſub vno capite. Dicebat Auic. Materia prunę, & ignis perſici, eſt ſanguis malus, cuius malitia eſt vehemens: vnde fit aduſtio, & prouenit cruſta. Et quia ſanguis cum aduritur, vt declarat Gal. vtque retulit etiam Auic. ex eius ſubtili parte fit cholera, & ex craſſa melancholia; ideò cum aduritur, permutatur, & non remanet amplius ſub forma ſanguinis, & expellitur à natura, vt dicit Auic. & non retinetur in aliquo membro, niſi in cute, & quod approximat ei, ideſt in aliqua parte carnoſa

3 f 4. tract. 1. c. 1
2. de diff. feb. 12
1. f. 4. cap. 45.
3. f. 4. tract. 1. c 1
& 2. f. Doct. 1. cap. 5.

arnoſa; & hoc quia iſte humor, etiam quòd ſit factus bilioſus, ſapit tantùm craſsitudinem ſanguinis. Succus verò eryſipelatis, quia ab origine eſt cholericus, non continetur niſi in eo, quod apparet de cute. Si verò ſanguis, qui permutatur, aduritur, erit aptus, vt ex ſui natura bilis atra generetur: quæ ſi ad extra expellitur, ex tali pruna generabitur, non autem cancer; quia materia cancri, ſiue carcinomatis eſt melancholia, genita ex bile flaua, vt cap. de carcinomate dicemus. Si verò in permutatione ſanguinis ſubtilis, bilis multa generatur, quæ non tenet formam ſanguinis, ſed choleræ, generabitur 2. ad Glau. Herpes; ideò Gal. dicebat; flaua verò bilis quando ſui ſeruans naturã, vnà cum ſanguine per totũ corpus defertur, morbum facit, qui regius appellatur. ſola verò, quando excernitur, & in aliquo membro conſiſtit, Herpes vocatur: cum verò humor deductus eſt ad melancholiam, fit carbunculus, aut pruna.

Nec mirandum eſt, ſi Gal. & Raſis, & Paulus, necnon Oribaſius, Antillus, Auenzoar, Haliabas, & 14. methodi, 13 continentis. Lib.4.cap.25. alij hanc paſsionem carbunculum appellarunt. nam (vt dicit Paulus) cum ſanguis in atram bilem conuerſus, inferueſcenſque aliqua ſe parte receperit, carbunculus fieri ſolet: quod vitium plerunque à puſtula a mbuſtis conſimili, interim verò & ſine hac incipit.

3.f.4.cap.9. Dicamus modò cum Principe, quòd iſta duo nomina abſoluuntur ſuper omnem puſtulam corroſiuam, veſicantem, adurentem, facientem accidere eſcharam, qualem facit accidere combuſtio, & cauterium. Et verum eſt, quòd iſtud vltimum ſympthoma, inter ſacrum ignem, & prunam quandam differentiam ponere videtur. Differentiam etiam ponit inter herpetem, & formicam: nam formica veſicat, corrodit, & adurit, non tamen cruſtam cauſat. Dicit Gal. Tumores hoſce ſolitos eſſe aliquando Lib. de tumor. præt. nat.& 14. metho.cap.10. ſecundùm ſucci malignitatem puſtulas, aut ampullas præmittere; aliquando verò eſcharam tantùm: Sed in hoc cognoſcitur ſacer ignis, quia in primis locum puſtulat, deinde vlcerat, & eſcharam ducit. Et ideò hæ paſsiones ab humore bulliente fiunt, & incipiunt aliquando ab ampulla, deinde fit vlcus Lib 5.cap.prop. 7.ad Alm. 17. eſcharotes. Et Celſus dicebat, quòd iſtæ puſtulæ ſunt exaſperatæ, continuæ, quarum nulla altera maior eſt, ſed plurimæ, & perexiguę. Et Raſis dicit; Aliquibus membris pruritus, & feruor intolerabilis quandoque accidit, vbi ſuccedente tempore, ampullæ aqua ſubtili plenę generantur. Vnde Auic. dicebat; Et totum illud incipit cum pruritu, ſicut in ſcabie. Ratio eſt, quia materia talis non eſt totaliter apta tranſpirationi. Apparet interdum pruritus aliquo in membro, deinde veſicæ ſubtili quodam humore plenæ, quæ cum aperiuntur, ſtatim efficitur vlcus cum eſchara, & talis paſſio appellatur ignis ſacer. Et Cornelius dicebat, quòd ignis ſacer malis vlceribus adnumerari poteſt, nam ſerpit id non- 4.f.4.cap.9. nunquam ſaneſcentem, eo quòd primum vitiatum eſt. Dicit Auic. Abſoluitur iſtud nomen ſuper illud apoſtema paruum, quod eſt de genere formicæ comeſtiuæ cum talibus accidentibus, ſcilicet quòd materia propter ſui caliditatem adurit; & quia ſubtilis, veſicat omnes partes, niſi epidermidam, penetrando. Quæ dum rumpuntur, ab eis exit humiditas cholerica, vlcerans, & ambulans propter eius acuitatem, cum loci inflammatione propter ſucci caliditatem. Et in hac non apparet nigredo, neque putrefactio multa, ſed multæ apparent puſtulæ alteratę cum humore fætido, plurimum ebulliente, qui non eſt verè humor, ſed humiditas fœtida, ſicut apparet in omni re calida, & humida, dum putreſcit. Dicit Celſus, quòd poteſt videri id, quod exit; nam eſt medium inter ſaniem, & pus. Et quia non perfectè coquitur, in ea eſt fętor. Et quia in eius ebullitione flatus quidam reperitur, ideò ampullæ, & di 14.metho.c.10. uerſæ procreantur. Dicit Gal. In his paſſionibus vlcus cicatrizoſum fit, quandoque quidem in cinericea eſchara, quandoque verò nigra. Et caro, quę in circuitu eſt, valde inflammatur. Abſoluitur autem nomen prunæ, dicebat Auic. ſuper illud paruum apoſtema, quod denigrat locum, id eſt cuius acuties nigra eſt. Nec dicendum eſt, quòd illa nigredo aſsimiletur eſthyomeno: ſed quia materia facta eſt melancholica, ideò tumor eſt obſcurus, & talis nigredo eſt plurima, & ſubmerſa; & non multum eleuatur talis eminentia: non quòd de natura humoris melancholici non ſit eleuare, vt in carcinomate, & ſcirrho videri poteſt: ſed non multum eleuant; quia quantitas iſtorum tumorum eſt parua, vt dicit Celſus, & Princeps, ſcilicet ad lupini quantitatem. Talis etiam humor eſt ſiccus, & non fluxibilis, & per conſequens non penetrabilis ad extrinſeca. Et aliquando talis ſuccus nullo modo impellit, & nulla apparet puſtula, imò in primis apparet pruna, id eſt eſchara nigra ad modum carbonis, & ſupinalis, vt dicit Auic. Gal. verò dicit; eorum color non eſt liuidus, ſed habet quid ſplendens, ſicut aſpalthus, Lib.de tum.c.7. aut pix. Et rurſus dicit; nigra autem vtplurimum, & cinericia apparet eſchara in vlcere carbunculorum. Vnde Auic. dicebat; & illud, quod appropriatur nomine prunæ, eſt nigræ radicis igneę, & eſt eis ſplendor prunæ. Dicit Auic. quòd eſt apoſtema abſque humiditate; & verum eſt, quia humor frigidus eſt, & ſiccus. Et Raſis dicit; Pruna eſt vlcus, aut bothor cum cruſtis abſque humiditate: & verè Diuis. 133. Lib.4.cap.14. credo, quòd hæc paſsio ab Oribaſio, & Paulo therebinthus appelletur, quibus ſuffragatur Dioſcorides.

Sciendum eſt, quòd eſcharæ, quæ generantur in iſtis paſsionibus, ſunt partes ſubſtantiæ carnoſæ, aut cutaneæ, quæ relinquuntur à proprio humido, accedente calido aliquo violento. Vnde remanet pars ita ſicca, quæ poſtea alienatur à ſubſtantia membri, & ideò ſeparatur aut vi naturæ, aut virtute humidarum medicinarum.

Et quia non ſemper fit vltima aduſtio in huiuſcemodi ſanguine; ideò aliquando apparet color rubeus, qui à colore phlegmonis diuerſificatur, cum ad quandam nigredinem tendat. Et cum ſubtilior pars ſucci aduſti remanet ſub forma virulentiæ, à tumore reſudat: vt in membro cauterizato videri ſo-

let,

let, à quo emanat humiditas tenuis. Differunt iſtæ paſſiones in hoc, auctore Auic. quia apparitio, & reſolutio fit velocior in igne ſacro, quàm in pruna, cum pruna à magis aduſta materia cauſari ſoleat, & ideò ſtat ſupinalis, & profunda; in ſacro igne eſt magis acuta.

De facili reſoluuntur hæ puſtulæ (dicit Princeps) quando oriuntur in membro carnoſo: cum difficultate verò, cum in neruoſis, & frigidis infiguntur. Et 14. methodi dicitur, quòd febriunt de neceſsitate, quæ ita laborant, corpora. Et Princeps dicit, quòd ſunt cum his ęgritudinibus ſpecies malæ febris, vehementis caliditatis, & pernicioſæ. Nec mirandum eſt, vt docet ipſe auctoritate Gal. ſi accidant hæ paſſiones quandoque cauſa peſtilentiæ, & earum materia ſapiat naturam veneni, aut humoris corrupti. Dicit Auic. quòd multotiens hę puſtulę phlegmoni aſſimilantur, & ad nigredinem tendunt in ſui principio: & propriè in ætate ſua. Nec credo Auic. aliud per hæc verba voluiſſe, niſi quòd talis materia tempore peſtis interdum generari ſolet ex humore corrupto, quòd in aliquibus accidentibus phlegmoni aſſimiletur, vt in colore, & accenſione membri, cum inflammatione totius. Nam color eſt nigrior colore phlegmonis, & apparet in tumoris principio, cum talis humor malignus, aduſtus, corruptus, aut venenoſus membrum ſua mala intemperie malè affectum reddat, ſtatim quòd ad ipſum opera naturæ expellitur; vnde ad quandam nigredinem tendit, & propriè in ætate ſua, ideſt in ſui conſiſtentia; & eſt tempus, in quo materia eſt coniuncta, & apparet effectus. Correllariè in iſtis paſſionibus pruritus in primis apparet, deinde puſtulæ cum ampullis, & alijs accidentibus, vt dictum eſt. Dicit Celſus, quòd talia vlcera ſunt cachoetæ, & generantur in facie, pectore, & lateribus, aut eminentibus partibus, præcipuèque in plantis, & eſt cutis paſſio ſine altitudine.

Lib. de tumor. præter nat.

14. methodi.

De cura prunæ, & ſacri ignis. Cap. IIII.

CVRA iſtarum paſsionum tres principales habet conceptus: quorum primus eſt, rerum non naturalium debita adminiſtratio, vt doctè docet Gal. ſecundus eſt antecedentem materiã adæquare: tertius ad localia extenditur, accidentia corrigẽdo.

1. de comp. me.

Regimen rerum non naturalium in aliquibus regimini eryſipelatis aſsimilatur, & magis, cum materia ad bilem declinat. Fugiendus eſt aer calidus, & ſiccus, nec propter hoc humidior eligendus eſt; cum in putredinem addat; ſit igitur tẽperatus. Cibi ſint boni chimi, & boni nutrimenti. Dimittantur acuta, amara, & ſalſa, ac omnia calefacientia, & exſiccantia. Sed auctore Gal. humectantia frigida bona ſunt. Hæc actu, & potentia ſint talia, cum morbus ab aduſta cauſa creetur. Non laudatur motus, nec vigiliæ, cum corpora ſiccent. Sic etiam nec ira, ſollicitudo, triſtitia, & animi paſsiones, vt ſupra diffuſè diximus. Dicit Cornelius, vbi de ſacro igne, & eius curatione: cum tamen febricula acceſsit, abſtinentia, lectulo, alui eductione opus eſt. In omni verò ſacro igne neque lenibus, & glutinoſis cibis, neque ſalſis, & acribus vtendum eſt, ſed quæ inter vtunque ſint, qualis panis eſt ſine fermento, piſces, hædus, aues omniſque fere venatio, excepto apro. Et ſi non eſt febris, & geſtatio vtilis eſt, & ambulatio, & vinum auſterum, & balneum, atque in hoc quoque genere potio magis liberalis eſſe debet, quàm cibus.

Secundus conceptus, corpus euacuando, conſequi ſolet, aut ſanguinem emittendo, aut alui eductione. Quòd venę ſectio conueniat, rationem reddit Auic. vbi dicit; Neceſſaria eſt phlebotomia, vt euacuetur ſanguis cholericus; & quando ęgritudo eſt timoroſa, tunc neceſſarium eſt ipſam approximari ſinchopi. Raſis dicebat; Quando in corpore egrediuntur bothor, & incipiunt velociter peruenire ad hoc, vt fiant cruſtæ nigræ, aut virides, & quod eſt in circuitu eorum, rubeum, aut coloris violacei, tunc id nominatur ignis perſicus: & tunc oportet, vt extrahatur ſanguis cum phlebotomia ex loco oppoſito eductione plurima, donec accidat ſinchopis. Hæc fuit Gal. opinio, cum dicit; Et quidem vtique, & quòd à phlebotomia incipienda ſit ſanatio, manifeſtum eſſe exiſtimo. & ſi fuerit vſque ad lipothimiam, eũ magis iuuabit, præterquam aliorum quid abſit, quod prohibeat phlebotomare. Sit igitur ſanguinis emiſsio copioſa; quia in materia timoroſa, & venenoſa phlebot. eſt facienda vſque ad animi defectum, vt docet Princeps ex doctrina Gal. dicentis, quòd talis phlebot. eſt conueniens in acutis apoſtematibus, cum neceſſariò febriant, qui tales patiuntur morbos; quia ex tali euacuatione refrigerantur corpora, & extinguuntur febres, ac dolores ſedantur. & Gal. phlebotomiam concedit vſque ad animi defectum, aut in magnis phlegmonibus, aut in ardentiſsimis febribus, aut in doloribus vehementiſsimis. Dicit Auic. quòd talis euacuatio eſt magis facienda in igne ſacro, quàm in pruna, vt euacuetur ſanguis cholericus; & non immeritò equidem; nam cholera talis, dum ſtat ſub forma cauſę antecedentis, nõ ſeparatur à ſanguine: ideo phlebotomia conuenit, vt vnà hi mali ſucci euacuentur. Addit Raſis, quòd oportet, cum in aliquo membro aliquid tale ſentitur, vt velociter ſanguis mittatur. Valet igitur in principio; & ſi materia fuerit venenoſa, ſit phlebot. copioſa, & à proprio latere, ne fiat deductio ſuper principalia. Nec dubium eſt, quòd in extrinſecis tumoribus, quando materia eſt ſubtilis, vt cholera, aut craſſa vt ſanguis, poſsibile ſit tali mediante phlebot. eam materiam euacuare. Sed quando eſt dura, aut aduſta, omnino impoſsibile eſt. Et ſi contingit, cum difficultate tamen. Sed in hac paſsione principalis cauſa phlebotomiæ eſt accidentium ſedatio, ac vt intraneæ materiæ extrin-

3. f. 4. tract. 1. cap. 10.

Diuis. cap. 133.

14. metho. 10.

1. aphor. 29.

7 ad. alm. 17.

extrinſecam paſsionem fouentes, propter earum ſimboleitatem purgentur. Non autem ſperandum eſt, quòd immediatè à tali operatione coniunctæ amoueantur.

Laudatur venæ ſectio in cura ignis ſacri, potius quàm in cura eryſipelatis, aut formicę; cum hæ paſsiones producantur à cholera naturali, etiam quòd facta ſit innaturalis, & mixta ſanguini. Sed materia ſacri ignis non eſt cholera naturalis, nec facta innaturalis, ſed eſt ſanguis cholericus, nulla remanente forma ſanguinis.

In pruna, dicebat Auic. fortaſſe neceſſarium eſt ſcalpellationem profundam facere, vt egrediatur ſanguis malus, conſtrictus in ea, qui eſt in naturam veneni; & non fiat illud, quando materia eſt decliuis ad choleram. Omnia hæc fuere dicta à Gal. vbi ſcribit, nimirum ſcarificare hos tales labores, cum demum prephlebotomaueris, non incongruum erit, & profundis inciſionibus propter groſsitiem humoris contriſtantis vti. [1. de cóp. per genera 14. metho. cap. 10.] In pruna materia eſt aduſta, ad melācholiæ naturam redacta; igitur debet euacuari faciliori modo per loca habiliora, & propinquiora. Magno equidem labore hæ humiditates contentæ in circunferentia ad centrũ deducuntur, vt euacuationi aptę ſint, & magis cum veneni naturam ſapiunt; & valde magis ſcarificatio competere videtur, cum materia aliquo in ſinu conſiſtens, tranſpirationi rebellis redditur, ſicuti in loco profundo; & ideò, vt habilis reſolutioni reddatur, locus ſcarificandus eſt. Et quantò magis fuerit materia craſſa, & profunda, ſcarificationes profundiores eſſe debent: vt ſi non tota, attamen maior pars euacuetur. Quod autem reſidet, præparatur. Non eſt autem ſic dicendum de ſacro igne, cum eius materia ſit ſubtilis, & reſolubilis, & non venenoſa, ac in ſuperficie poſita.

Et quia interdum ſanguinem emittere tantùm non ſufficit, ſed opus eſt pharmaco vti, aut choleram, aut atram bilem educente, idque magis in plethorico, aut cachochimo corpore: igitur cogente tempore, & neceſsitate, patienti pharmacum exhibeatur, compoſitum ex elect. de ſucco roſ. aut diaprunis ſol. rhaubarbaro, caſsia, manna, & ſimilibus. In aduſta verò materia ex confectione hamech, de dact. diaſenna, &c.

Et ſic facta materierum minoratione, reliquum digeratur cum ſyr. de fumaria, biſantino, de epithimo, de lupulis, de endiuia, acetoſo ſimpl. &c. Et irrorentur cum aqua endiuiæ, fumariæ, lupulorum, boraginis, cichoreę &c. Et ſi opus fuerit alia euacuatione, euacuetur, ſicut diuerſitas materierum requiret, vt clarè docet Raſis, [Diuiſ. cap. 133.] ſcilicet ſubtiliando, & humectando ſanguinem abſque acuitate; nam ſanguis iſte in ſe eſt groſſus, & ſiccus.

Iſtis vniuerſalibus celebratis intentionibus, ad localem curam deueniendum eſt, ad quam intentionem multa dixerunt Plinius, & Paulus. [Lib. 30. cap. 13. Lib. 4. cap. 21.] ſed notandum eſt, quòd hæc paſsio interdum ſtat ſub forma accenſionis plurimum alteratæ: aliquando parui tumoris, nonnunquam vlceris; vnde ſub vno tantũ methodo ſtandum minimè eſt. Cum igitur ad membrum aliqua bilis fluit, & locus inflammatur, & adhuc nec vlcus, nec eſchara apparet, dicit Auic. quòd talis debet eſſe cura, qualis eryſipelatis non vlcerati, quæ frigida, repercutiens eſt, & potens. Verum eſt, dicit Auic. quòd in igne ſacro non oportet, vt ſit linimentum vehementis infrigidationis, ſicut in eryſipelate, quoniam materia ad groſsitiem eſt decliuis: aut quando eſt talis, quòd non tolerat, vt parum ex ea redeat ad interiora, ſcilicet quando eſt venenoſa. Nec licet, dicit Auic. vt adminiſtrentur ea, quæ ſunt vehementis ſtipticitatis; quia materia eſt tardæ reſolutionis, & ſtipticitas opilat poros, & materiam ingroſſat. Nec licet, ait ipſe, reſolutiua adminiſtrare, neque in principio rei, cum apparet, neque apud quietem inflammationis, & eſt tempus ſtatus; quoniam additur in qualitate materiei, & augetur; cum & materia peccans, & applicata medicina ſit eiuſdem qualitatis, & potentiæ. Sed oportet, dicit Auic. vt adminiſtres medicinas exſiccatiuas, in quibus eſt infrigidatio, & reſolutio quædam, cum expulſione: ſicut eſt emplaſtrum, quod fit ex arnagloſſa, ideſt lingua bouis, & gallis, & lentibus, & pane plurimi furfuris. [14. metho. 10.] Nam huiuſmodi panis ſubtilior eſt in ſua ſubſtantia. Hæc ſententia reperitur formaliter in verbis Gal. cum dicit; In parte verò patiente, quantum quidem ex inflammatione humoris, frigidis eſt opus; ſed propter eius groſſitiem, & malam morigerationem, opus eſt inuenire pharmacum moderatè expellens, & euaporans. Et ibi Gal. deſcribit ſupraſcriptũ emplaſtrum. Aut vtere, dicit Auic. gallis, aut alumine cum aceto vini in forma linimenti; aut granata acetoſa ſciſſa, decocta in aceto, & trita ad formam linimenti; quia valet in omni hora, & ægritudinem eradicat in principio, & ſtatu. Ego verò addo huic emplaſtro furfures, & chamæmeli flores, & parum lixiuij. Valet emplaſtrum ex lentibus, roſis, farina hordei, & oleo roſato. Nec laudantur in hoc tempore emplaſtra pinguia, & glutinantia propter opilationem pororum. [7. ad Alm. 17.] Supra membrum verò patienes ponatur defenſiuum ex bolo, aceto, & oleo roſ. Dicit Raſis; cum apparent ampullæ, non ſunt dimittendæ, donec aqua aliquo modo in eis adunetur, ſed in circuitu ipſarum ex bolo arm. & aqua, & aceto epithema eſt faciendum. Vnde Auic. dicebat; Et oportet, vt ſubuenias ei, quod continet locum, & loca aduſtionis cum bolo arm. & aceto, & aqua, & reliquis, quæ infrigidant, & repercutiunt; & id, quod eſt propinquius in illo, eſt lana æſypi, infuſa in vino; ſit autem talis non lota. Si verò in augmento, atque ſtatu apparuerit vehemens inflammatio. R. ſumach, plantaginis, gallarum an. ℥. i. s. panis furfuracei ℥. j. pulu. roſarum, violarum an. ℥. ij. vini nigri q. s. pro emplaſtro; Aut R. hordei mundi, lentium, fabarum an. m. j. arnagloſſæ m. ij. balauſtiorum, roſarum,

an. m. j

an. m. j. granorum mirthi, ſumach an. m. s. terantur omnia groſſo modo, pręter hordeum, & bulliant in ſufficienti q. aquæ vſque ad hordei crepaturam; dein cum ſapa, & vino nigro fiat emplaſtrum. Aut R.(& eſt medicina conueniens in pluribus horis, dicit Auic. & hoc quia aliquando dolores adeò ſunt intenſi, quòd ad narcotica, vel ſtupefacientia deuenire opus eſt; & ideò valet in aliquibus horis, ideſt in tempore vehementiſſimi doloris) opij, acatię, draganthi, corticum granatorum, floris aeris, ſeminum hioſciami an. ʒ. j. fiat emplaſtrum. Et ibi notat Auic. quòd huiuſcemodi medicinæ non ponuntur, niſi ſuper locum, quod non eſt vlceratum, ſed vbi apparet inflammatio. Cum autem apparent ampullę, Lib. 5. dicit Celſus, tales acu aperiendæ ſunt. Vnde Raſis dicebat; Puſtulæ aperiendę ſunt, & totum virus, 7. ad Alm. 17. quod in eis continetur, eſt expellendum, deinde ſuperponatur emplaſtrum de ceruſſa, & fit iſto modo. R. ceræ albę ℥. j. olei roſati ℥. iiij. omnia ad ignem ponantur vſque ad liquefactionem cerę; deinde adde ceruſſę quantum capere poteſt, & continuè agitetur, ſicque dimittatur infrigidari aliqualiter, & adde albumina duorum ouorum, camphuræ parum, & continuè agitetur vſque ad ſpiſsitudinem. Laudatur vnguentum de lythargirio crudo, aut de calce, & fit iſto modo. R. calcis albæ, & mundæ Gal. 1. de med. ℥. iiij. aquæ claræ, donec calx cooperiatur, & ſic dimittatur per duas horas, deinde proijciatur aqua, & per genera. noua reiteretur; ſicque ſeptem vicibus reiteretur, vſque quò fuerit bene lota: & adde olei roſati ℥. vj. foliorum ſiclæ. ℥. ij. cerę albæ ℥. iij. omnia in mortario plumbeo ponantur, & cũ ſyr. acet. fiat vnguẽtum.

Et cauendum eſt à nimia exſiccatione, & infrigidatione, cum expurgatur materia talis, aliqualiter venenoſa, ne conculcetur, & redeat ad principalia membra; ſed exſiccatio valet, cum iam expurgata fuerit materia, & locus ad cicatricem peruenit. Et ideò Auic. dicebat; In illo verò, quod de eo eſt vlceratum, eſt neceſſarium illud, quod exſiccat, non tamen in vltimo, quoniam addit in malitia ægritudinis: ſed quando talia vlcera fiunt maligna, fortiter exſiccantia conueniunt, ſicut medicamen Andaron, & ſimilia, quæ deſcribuntur à Raſi in diuiſionibus, & à Petro de Arg. cap. de cura formicę corroſiuę, auctoritate Cornelij, & Gal. vt dicam, vbi de cura gangrenæ. Aut R. lythargirij, ceruſſę, 5. de cõp. med an. ℥. iiij. mirrhæ ʒ. ij. thuris ʒ. i. s. floris aeris ʒ. ij. olei mirthini, cerę albæ an. q. s. pro vnguento. aut adde aliquam partem ziniar vnguento de lythargirio, aut apoſtolorum, & vtere. Et ſi perambulat corruptio, & fit vlcus phagedenicum, R. Gallas, & tere cum aceto, & adde decimam partem aluminis, & duas ziniar, & vtere. Dicit Raſis; Et cum adhuc perambulat vlcus, oportet, vt proijciatur ſuper ipſum medicamen acutum, aut cautherizetur. Vnde Auic. dicebat; Curentur talia vlcera cura vlcerum corrodentium. Dicebat Celſus; Sępe, quod iam ſanum videbitur, iterum exulceratur, & circa proxima cutis, quæ vitium receptura eſt, tumidior, & durior eſt, coloremque habet ex rubro ſubni- Cap. 2 44. grum. Scribonius in hoc morbo maximè commendat hoc medicamentum. R. ruthæ viridis ℥. iiij. ſpumæ argenti ℥. viij. Aceti, olei an. ℥. xxiiij. Cum aceti parte rutha, & ſpuma teruntur, donec leuia fiant; poſtea quod ſupereſt aceti, vicibus cum oleo adijcitur. Et hæc ſufficiant de localibus ad ignem ſacrum. Sequitur pruna, de cuius remedijs abundè ſuperius tractatum fuit, cum de carbunculo ageremus; eadem enim vtrobique remedia conueniunt, quare huiuſmodi morbis iam finem imponamus, ad alterum tumoris genus accedentes, quod formica ſolet communiter appellari.

De formica. Cap. V.

MIRO quodam, & breui ordine Auic. huius paſsionis eſſentiam declarauit, dicens; 3. f. 4. tract. 1. c. 6 Formica eſt puſtula, aut puſtulę, quæ egrediuntur, & faciunt accidere apoſtema purum, & paruum, quæ interdum ambulant, & aliquando vlcerant, & fortaſſe reſoluuntur. & Raſis dicit; In aliquibus corporis locis cum paruo apoſtemate par- 7. ad Alm. cap. 16. uæ puſtulæ cum pruritu, & ardore, ac vehementi calore in tactu quandoque fieri conſueuere; quæ etiam citò vlcerantur, & interdum vicina loca perambulare incipiunt, ac dilatari. Et rurſus ait; Exeunt in corpore bothor paruæ, vna, aut plu Diuis. cap. 133. ręs numero, & apoſtematur locus apoſtemate paruo, & quandoque ſcinditur, & incipit vlcerari, & vadit de loco ad locum: Hæc paſſio nomen formicę accepit à punctione, quę in ipſa ſentitur, auctore Auic. & ſentitur in omni formica; ſicut punctura formicæ. Et Haliabas dicit; ideò dicitur formica, quia 8. Theor. cap. 19 huc, & illuc diſcurrit, ſicut animal illud paruum, quod formica appellatur.

De natura humoris cholerici non eſt multum eleuare: hinc eſt, quòd cholericæ paſsiones aliquando ad extra expelluntur ſub forma puſtulæ; aut bothor, quod idem eſt, ac ſi diceres, paruum apoſtema. Ratio autem, quòd non expanditur iſte ſuccus, ſicut in eryſipelate, eſt, quia aduſtus, & per conſequens non ita fluxibilis. Et ſi non eſt aduſtus, ſed valde tenuis, pertranſit omnes partes vſque ad extremam cutim, & ampullas producit; deinde ſua caliditate, ſubtilitate, & acuitate vlcerat regionem, in qua conſederit, vt docet Gal. Suntque hi tumores parui, & diuerſi. Eſtque calidior, & ſubtilior materia 14 metho. 17 formicæ, quàm eryſipelatis; ideo cutem exulcerat, & comburit. Vnde dicebat Auic. cap. de eryſipelate; Et quandoque conſequitur ex caliditate eryſipelatis, vt comburatur cutis, quare alteratur illud, quod nominatur eryſipela: valde enim eſt ſubtilis humor, faciens formicam: & ideò exulcerat. Et quia non aduſtus, ſicut in pruna, nullam creat eſcharam. Ideò etiam declarando cauſam materialem

3.f.4.tract.1.c.1 — 4.coll.cap. 35. — 14.metho.17. — 1.ad Glau.& 14. methodi. — Lib.4.cap.21.

iſtorum tumorum Auic.dicit; cholericum aũt apoſtema aut,eſt à cholera ſubtili valde, quæ non continetur in eo, quod ſit magis intus, quàm illud, quod apparet de cute, & eſt acuta, & fit ex ea formica aut ambulatiua ſola, & eſt ſubtilior, aut ambulatiua corroſiua,& eſt mala. Et Auer. inter tumores cholericos formicam ambulatiuam enumerat, ſententia eſt Gal. quæ dicit; Valde enim eſt ſubtilis humor, qui herpetem, ideſt formicam, facit, vt non ſolum omnes pertranſeat, quę interius particulas, quæcunque carnoſę ſubſtantiæ ſunt, ſed & per cutem vſque ad partem extrinſecam, quam ſolam corrodit, & comedit, eo quòd detinetur quid ab ipſo: quòd ſi demum hanc quoque pertranſiret, perinde atque ſudor, nequaquam vtique vlcus operaretur. Hæc paſsio ab Hypp. & Gal. & à Paulo herpes exædens appellatur. Irritata natura, dicit Auic. propter aliquam cauſam, bilem peccantem aut in quali, aut quanto ad extra expellit, quæ non continetur intus de cute, & facit accidere nonnullos paruos, & puros tumores coloris citrini, q acuitate humoris, corrodunt, & vlcerant, cum pluralitate paruorũ vlcerum, paucæ profunditatis, quæ hincinde ſerpendo diſcurrunt, & talis paſsio dicitur herpes exædens, aut formica ambulatiua. Et Celſus dicebat, quòd in hac paſsione ſæpe id, quod ſanum videbitur, iterum exulceratur, & cutis proxima, quæ vitium receptura eſt, tumidior, & nigrior fit.

3.f.4.tract.1.c.1

Et ſi talis cholera valde craſſa fuerit, & aduſta, ſolum corrodet, & corroſionem perambulare non faciet. Et talis dicitur formica corroſiua. Ait princeps; Et ſi fuerit materia craſsior, & deterior, fiet formica corroſiua, & hoc, imprimendo ſuam malam qualitatem in membro. Hæ duæ paſsiones diuerſificantur ſecundùm humoris peccantis diuerſitatem.

14.methodi. — Lib.de tumor. cap. 10. — Lib. 4. cap. 10. — 3.f.4.cap.1.

Additur & tertia ſpecies formicæ,quę & ipſa à cholerica cauſa generatur, non tamen ſub tali forma, ſed à cholera cum phlegmate mixta, vt declarant Gal. Paulus, & Auic. dicentes, aut generatur à cholera groſsiore illa, & eſt minoris caliditatis, & continetur magis intus, quàm prima, in cute, & eſt qua ſi, ſit in ea phlegma, & fit ex ea formica miliaris.

Lib.de tumor. cap. 16. — 14.metho. cap. 17. — 2.ad Glau. 1. — Lib.4.cap.20.

Aliquando igitur fit bilis, & pituitæ admixtio, & cauſantur aliqui parui tumores; nam Gal. dicebat; Paruus verò eſt hic tumor ad quantitatem milij ſtans intus de cute non corrodens, coloris cinericij. Clarè etiam hoc declarat Gal. cũ dicit; Eſt quandoque mixta cholera ſimul, & phlegma, quemadmodum in alterutra formica, quæ ad milij ſimilitudinem producitur: iſta enim non mox vlcus operatur, quemadmodum alia, ſed tumores ad ſimilitudinem milij. Et rurſus dicebat Gal. quòd hæc paſsio fit ex bile minus acri, & calida, quàm ſit formica exędens, & hæc appellatur herpes miliaris, & maximè quãdo in effectu puſtulæ paruæ,ac multæ per ſummam cutem ſimiles milio excitantur.Paulus autẽ dicebat; Cum bilis flaua nullo infecta humore,excreta in particulam quampiam decumbit, malum herpes nuncupatur: ſi verò ſubſtantia craſsior ſit, acriorque, totam cutem aduſque carnem ſubiectam exulcerans, vocaturque herpes exędens: ſi verò tenuior, & minus acris, calidaque,puſtulas exiguas, per ſummam cutem milio ſimiles excitat, ob quam ſimilitudinem herpes miliaris dicitur. At Oribaſio auctore, pituita cum flaua bile mixta miliarem herpetem creat. Vnum dicit Auic. ſub corellario, quòd ad ſummum omne apoſtema in cute, quod latitudinem, &profunditatem non habet, eſt formica: Verùm diuiditur, quia alia ambulatiua, alia corroſiua, & alia miliaris. Et Auicenna dicit; Quando fit vlcus, & putrefit, ideſt putredinem generat, ſub titulo de apoſtemate amplius non ſtat, ſed de vlcere putrido. Et nota, quòd antequam hæ puſtulæ vlcerent, color puſtularum, & regionis, ad citrinitatem cum inflammatione apparet declinans.

De cura formicæ. Cap. VI.

13.methodi. — 14. metho. 17. — 3.art.med. 95. — 2.aphor. 22.

Dicit Gal. dum de tumorum cura in vniuerſali loqueretur; Vniuerſalem doctrinam non obliuiſcaris, vt per eam poſsis particularia operari. Hoc dixi, quia, vt ipſe aſſerit, vanum eſt circa aliquem tumorem operari, & maximè ab aliqua vna iſtarum materierum, aut materiam repercutiendo, aut digerendo, ſiue exſiccando, vel reſoluendo, ſi corpus fuerit plenum. Nam continuè materiæ ad læſum locum, aut ratione doloris, aut loci debilitatis pręcipitantur. Plenariam doctrinam de hac operatione docuit Gal. de aſperitate, & lenitate loquens. Hæ paſsiones ſunt materiales, & à repletione, ideò auctore Hypp. inanitione, & euacuatione curantur.

14.metho. 17. — 3.f.4.cap.7. — Lib. 4. cap. 20. — Diuis.cap.133. — In Regali diſpoſitione.

Eſt igitur prima intentio, corpus euacuare. Ait Gal. Si quis anticipauerit, purgans vniuerſum corpus, poſt hęc repercutientibus, & repellentibus ſuperinfluentes humores, vtatur pharmacis, ſanabit formicam. Neutrum autem horum operans, ſed ſolis contentus conſolidantibus vlceratam epidermidam, hãc quidem ſanabit, continuam verò ei pati non prohibuit. Et rurſus; Illa conſolidata, ea quæ continua eſt, excoriatur, & hoc amplius fit, velut ſerpente paſſione, donec vtique operans humor euacuetur. Et ibi Gal.recitat caſum cuiuſdam mulieris nobilis Romanæ,quę ante euacuationem,nunquam ſanitati præſtita eſt. Vnde Auic. dicit; Cum non incipis in ea cum euacuatione humorum, ſecundũ quòd oportet, imò medicaris vlcus cum eo, quod ſanat, redit ex alio loco cum nocumento, & non ceſſat humor facere corroſionem poſt corroſionem. Idem voluerunt Paulus, Raſis, & Hali. Perficitur hęc operatio cum his, quę purgant materiam, ſecundùm quod oportet, ſicut dicit Auic. nam in formica

ambulatiua materia eſt cholerica, ſubtilis, ſicut in Romana illa muliere, cuius paſsio ſucceſsiuè pertingebat à pedis clauicula vſque ad inguinem. & cum accepiſſet aquam lactis iuſſu Galeni cum pauciſsimo ſcamonio, liberata eſt. Hinc Auic. dicebat cap. de cura formicæ. & aqua quidem caſei cum ſcamonio iuuatiua eſt in euacuatione materiei formicæ, & ei ſimilium. Et Auer. dicebat; Formica ambulatiua, quæ fit ex humore cholerico ſubtili, debet curari cum medicinis, illum humorem euacuantibus, ſicut eſt ſcamonium cum ſero caprino. Raſis verò exhibet ſcamonium cum aqua fructuum; vt puta, R. aquæ caſei, aut ſeri caprini, aut decocti fructuum, aut decocti thamarindorum. ℥.iij. vel ℥. iiij. ſcamonij pręparati gr.iiij. fiat potio.& exhibeatur patienti per quatuor horas ante cibi aſſumptionem. Aut R.(& eſt de bonis euacuantibus in hac paſsione) ſyr.de fumaria,aceroſi ſim. de endiuia an.℥.s. aquarum fumariæ, cichoreæ, lupulorum an. ℥. j. diaprunis ſol. ʒ. iiij. miſce, & vtere, vt ſupra; & patiens ſtet ſine ſomno. Valet elled. de ſucco roſarum, roſarum Meſ. de pſilio, rheubarbarum, Diacat. & ſimilia. Pro digeſtione reliquarum materierum, ſi quæ erunt, valent ſyr. ſupraſcripti & violatus, de ſucco endiuiæ, aceroſus, nenufarinus &c.

7. coll.31.

7. ad Alm.

Et ſi formica fuerit corroſiua, & bilis fuerit aduſta, & acuta, purgetur patiens cum diacat. diapheni cone,diapruni, & ſimilibus ellect. Aut R. pul. caſsię no. ex. Diacat. an.℥. s.confect. hamech. ʒ. ij. aquæ fumariæ, aut decocti thamarindorum q.s. ſyr. violati ℥.j. miſce, & fiat p. 6. Aut R. rheubarbari ellect. ʒ. j. s. teratur, & infundatur in tribus vncijs decocti fumariæ per ſeptem horas, deinde exprimatur, & adde ellect. roſati Meſue ʒ. j. ſyr. roſati ſol. ℥.iij. aquæ acetoſæ q. s. fiat potio breuis.

Si verò fuerit miliaris herpes, in quo materia eſt pituitoſa, pro ſolutiuo, dicit Auic. quòd turbith valent ſummopere, & melius epithimum eſt; agaricus verò mirabilis eſt, ſimiliter ellect. lenit. Diaſenna, confectio hamech. &c. Aut R. ellect. lenit. diapheniconis an. ℥. s. turbith pręparati. ʒ. j. aquarum fumariæ q.s. Aut R. Diapheniconis ʒ.vij. confectionis hamech, diaprunis ſol. an.ʒ.ij. decocti epithimi Meſue q.s. miſce, & fiat p.6. & adde ſyr. violati ℥. j. Dicit Auic. Miliaris formica eſt tardioris reſolutionis, & ideò non ab re eſt materiam digerere, cum ſyr.de fumaria,de epithimo, de lupulis, biſantino &c. Aut cum decocto epithimi Meſ. aut R. ſcolopendriæ,capil. Veneris, polipodij, foliculorum ſennæ epithimi, florum, & fructuum cordialium, an. p. ęq. & fiat decoctum in ſufficienti aquę quantitate, & patienti in mane exhibeantur ℥.iij. vel iiij. iſtius decocti cum ſacharo. Et ſi indiget alia euacuatione, fiat cum pillulis de fumaria,& aggregatiuis. Aut R. pillularũ de fumaria,aggregatiuarum an. ʒ.j. agarici tro. ℈. ij. turbith pręparati ℈.j.& cum ſyr. de fumaria fiant pillulæ. viiij. & tribus vicibus accipiantur. & ſic ſecundùm indigentiam celebretur euacuatio. De phlebot. nulla fit mentio, niſi quòd Raſis dicit;Si autem cum hoc apoſtemate calor ſuperfluus,& rubor affuerit, eius curam à phlebotomia incipe.

3. f. 4. cap. 1 & cap. de formica.

7. ad Alm. 16.

Patiens hoc interim ſtet in competenti diæta, quę eſt valde ſimilis diætæ eryſipelatis; frigida enim & humida dięta eſt valde conueniens in hoc caſu, vt docet Raſis. Stet igitur cum panatella, & lacte ſeminum communium, aut chondro,aut iuſculis hordeaceis, vel cum ſpinachijs, bletis, lactucis, boraginibus, endiuia,decoctis in aqua, aut brodio paruæ pullæ. Aut cum carne hædina, aut vitulina, aut paruæ pullæ, vel venatilium &c. Dimittat vinum præcepto Celſi, niſi granatorum,cum aqua ex coriandris, & Iuleb violato: aut ſaltem vinum ſit pauciferum, & limphatum. Iſtis vniuerſalibus intentionibus præmiſsis, ad localia deueniendum eſt: & dicamus cum Gal. Principe, & alijs, quòd hic morbus ſtat ſub duplici conſideratione; nam ſi tantum apparent puſtulæ, intentio eſt materiam cum apocruſticis retropellere, in quibus ſit virtus frigida, & humida, ambabus ſuis qualitatibus contrariando complexioni materiæ peccantis, calidæ, & ſiccę complexionis.Sed cum formica ſtat ſub titulo vlceris, indiget alio ingenio,ſcilicet,medicina ſicca;ideò dicebat Auic.cap.de cura formicæ; Via autem, ſecundùm quam curatur formica, eſt, vt quę eſt corrodens, & vlcerata, alienetur ab humectatione,quam iam adminiſtraſti in eryſipelate. Humectatio autem non eſt conueniẽs vlceribus, vt patet auctoritate Hypp.& vt declarat Gal. Exſiccatio eſt cura vlcerum,& maximè eorũ,quæ nitida ſunt. Et ideò laudat Auic. in principio, ideſt antequam appareat vlcus, lactucam, nimpheam, ſemperuiuam, volubilem, portulacam. Et ſi opus fuerit medicinis non ita humidis, ſed his, in quibus eſt maior vis exſiccandi, laudatur ſolatrum, & propriè ſiccum, & tritum, arnagloſſum, rubus, lens, farina hordei, cortices granatorum, rami vitis &c. Ex his enim & emplaſtra,& vnguenta perficere poſſumus, vt ſic: R. lactucam, ſemperuiuam, ſolatrum, nimpheam, marinam lenticulam an. q.u. Aut R. lactucę, ſemperuiuę, ſolatri an. m.j.piſtentur, & exprimantur,& adde pulueris roſarũ, balauſtiorum an ℥.ij. olei roſati, mirthini, an. q. s. pro emplaſtro. Aut R. maluarum m. j. farinæ hordei, foliorum lactucæ an. m.s. decoquantur in ſufficienti q.aquæ, piſtentur, & facta expreſsione, adde vitellum oui numero j. olei roſati parum pro emplaſtro. Dicit Raſis, quòd in tali tempore cura eſt linire formicam cum luto armeno diſſoluto in aceto, & ſi locus fuerit vlceratus, aut timetur vlceratio, dicit Raſis, bonum eſt in circuitu loci ac cenſi linire tali linimento; R. boli armeni, terræ ſigillatæ an. q. s. miſce, & cum ol. roſ. & cera fiat vnguentum molle.

7. ad Alm.

4. f. 1. cap. 28.

Lib. de cura vlcerum.

5. metho cap. 1. & 3. eiuſdẽ c. 1.

14. metho. & 2. ad Glau.

in Diuiſionibus

7. ad alm. 16.

Dicit Auic. Et cum timetur ſuper eam corroſio, & vlcera, adminiſtra cum medicinis frigidis, & ſiccis aliquid mellis, & maximè cum farina thuris, & aceto, aut cum aqua, quæ currit ex ligno vitis, cum aduritur. Idem facit ſtercus caprinum cum coriandris, & aceto: acetum enim prohibet omnem corruptionem.

ptionem. Aut R. pulueris roſarum ʒ.ij. malicorij,balauſtiorum an.ʒ.j.ſanthalorum citrinorum ʒ. iij. cupularum glandium, ſumach an.℥.s.ceræ, olei mirthini an. q.s. Aut R. lythargirij puluerizati, corticum granatorũ, roſarum an. ℥.j. ceræ parum,olei roſ. q.s. Aut R. farinæ thuris, lentium, pulueris roſarum. cort. granatorum an. ℥.s. mellis ℥.j. ceræ parum,miſce. Aut R. Paulo auctore, corij mali punici dulcis ʒ.vj. argenti ſpumę æ̃tidem ʒ.vj.lanæ illotæ, tedæ combuſtæ adhærentis ʒ.iij. ceræ ʒ.xij. ceruſſæ ʒ.viij. thuris, aluminis ſciſsi ſingulorum ʒ.j. vino, aut oleo mirtheo excipiuntur.

Lib.4.f.4. tract. 3. cap.2.& 3.

Sed cum apparet, dicit Princeps, corroſio, & ambulatio, adminiſtra fortes medicinas in exſiccando, & prohibendo corroſionem, ſicut ſunt trociſci andaracaron,ideſt de alumine, aut alumen zucharinum arte factum. Valent certè, ſi apponuntur cum vino ſtiptico, aut aceto, aut ſucco ſilueſtris cucumeris. Idem facit ſal cum fele hirci, aut rutha cum nitro, & vrina pueri. & Paulus dicebat; In hoc paſtillus Muſæ, & Andronius efficax eſt. Aut vtere his trociſcis: R. cort. granatorum ʒ.ij. ariſtolochiæ, gallarum non perforatarum an.ʒ.iiij. ſalis ammoniaci, thuris, aluminis iameni, an. ʒ.s. calcanthi, mirrhæ an. ℈.ij.terantur omnia, & cum aceto fiat paſtillus. Aut R.arſenici,auri pigmenti an.ʒ.ij. ſucci plantaginis, ſolatri an. ℥. iij. ſucci chelidoniæ ℥. j. bulliant omnia in catiola vſque ad ſucci conſumptionem, deinde educantur in mortariolo vltima eductione. Verum eſt, quòd interdum ſufficit vnguentum ceraſeos, aut apoſtolorum, aut ægyptiacum. Dicit Raſis ad Almanſorem, quòd ſępe opus eſt ad actualem ignem deuenire, vlcera talia phegedenica comburendo, quod præſtantiſſimum remedium eſt, & laudatur etiam à Gal. & alijs auctoribus.

2. ad Glauconē.

In miliari verò formica, cum apparet, pręmiſſa euacuatione, R. gallarum, nucum cipreſsi, fructus thamariſci, cort. gran. boli armeni an. p. ęquales, coquantur in aqua roſata, & aceto pro linimento. Aliud in ſtatu. R. ozimi, rutæ, roſarum, vitreoli Romani, recrementi plumbi, lanę non lotę vſtæ an. p. æqual. olei mirthei, aquę fluentis ex vite an. q. s. pro emplaſtro. Modum faciendi aquam ex vite docet Leonardus de Predapalea, vbi de cura formicæ. Laudat Auic. capita piſcium ſalitorum aduſta cum vino pontico. Aut fortius, R. ſulphuris citrini, floris aeris, mellis an. ℥. j. aquæ plantaginis, ſucci chelidoniæ an. ℥. ij. bulliant ad ignem, & ſecundùm artem fiat vnguentum. Sed ad quid in his laborare, ſi nunc nouum ingenium has curandi paſsiones deſcribere intendo colendiſsimi genitoris mei inuentione, qui in hac medicinę parte maximus fuit experimentator? R. mirrhæ electę, aloes hepatici, ſpicæ nardi, ſanguinis draconis, thuris, mumiæ, opopanacis, bdelij, carpobalſami, croci, gumi arabici, maſticis, ſtoracil liquidę, ſtoracis calamitę, laudani an.℥.ij. therebentinæ claræ, olei antiqui an. lib. j. omnia in botia vitrea bene obturata ponantur: & per tres dies in fimo caballino ponatur; deinde in elambico ad ignem; & extrahatur oleum; & ſeruetur in vaſe bene obturato. Et R. galbani, viridis aeris, thuris, ariſtolochiæ longę, maſtiches, mirrhę, lapidis hematitis, opopanacis, an. ℥.j. lythargirij lib.j. ammoniaci ℥. ij. ceræ nouæ ℥. viij. therebentinæ ℥.vj. olei communis ℥. x. omnia ponantur in catia aenea nitida ad ignem, & ſecundum artem fiat vnguentum in bona forma. In primis igitur facta vniuerſali euacuatione, vlcera curentur ſic, abſtergantur cum lana, aut bombace, & pręparatis lichinijs latis, ſuper ea extendatur vnguentum, & infuſis in dicto oleo, ſuperponantur vlceribus, deſuper verò petia valde lata cum dicto vnguento applicetur. Et verè hęc eſt vera cura harũ paſsionum, ſi experientię credendum eſt. Si verò cum hac paſsione dolores appareant, circa locum vlceratum applicetur vnguentum roſatum Meſ. in ipſo autem vlcere vnguentum de lythargirio: et deſuper emplaſtrum ex mica panis, & lacte dulci vaccino.

1. de cōp. med. per genera.

Gal. auctoritas, quomodo intelligenda in cura formicæ cuſpide pennæ.

Citat Princeps auctotitatem Gal. in cap. de cura formicæ in fine, dicens; Et Gal. quidem dixit eſſe conueniens, vt ſumatur aliquid, ſicut embuba pennæ, ex extremitate pennę, aut alterius rei, cuius extremitas ſit acuta, quam poſſibile ſit deglutire formicam; deinde penetret in circuitu eius vſque ad profundum cum acuitate ſua; deinde eradicentur formicæ cum radice ſua. Ego verò neſcio, quantum valeat iſtud ingenium in cura formicæ; cum formica ſit vtplurimum vlcus, ideſt ſolutio continui; nec credo, quòd mirmix, de qua loquebantur Gal. & Paulus, ſit ea formica, de qua nunc eſt ſermo; ſed potius credendum eſt, quòd ſit excreſcentia illa, quam nos porum vocamus. Nam verba Gal. in bona tranſlatione hæc ſunt; Plurima inueniuntur, hodieque ſunt, quæ apud maiores noſtros non fuere inuenta, veluti nunc Romæ quidam excogitauit, quemadmodum acrochordonas, & myrmecias ore ſanet: verum de prioribus, vt pote a cute extantibus, minus eſt mirum: de myrmecijs verò, potiſſimum quæ cum ſumma cute prorſus ſunt æquales, mirum videbitur; veruntamen has quoque certa primum labiorum applicatione, ceu ſuctu, ad ſe traxit, atque à radice euulſit, deinde primoribus apprehenſas dentibus totas ſimul exemit; ſed & ſcalpro ad mirthacei folij ſpeciem formato, & ferramento eo, quod ſcolopomacherion Græci vocant, quiſpiam manibus exercitatus facilè eas excidat, cum proprijs lineamentis a circumpoſita cute circumſcripta diſcernantur. Aequè verò, & valente aliqua penna, circulo myrmecię impoſita, ipſam educimus; debebit porrò pennę fiſtula eſſe myrmeciæ craſsitudini par, vt eam vndique prorſus conſtringat. In vlcere verò hęc operatio fieri non poteſt. Nec formica eſt tantùm vlcus, ſed vlcera diuerſa; nec agnoſco, quomodo dentibus amplecti poſsit, aut radices euelli, cum nulla adſit

14 methodi. Lib.4. cap. 15, & lib. 6. cap.87.

la adſit radix. Præterea myrmeciæ, ſeu mirmirices, vt docet Gal. ſunt penſiles verrucæ. Et ſi Albucaſis doceat curare formicam tali medio, & ingenio, dico quòd per formicam intelligit porum; quia ibi dicit, quòd eſt eminentia parua filtrata, groſſa, ſuper ſuperficiem corporis, vadens in profundo valde; & dicit, quòd plurimum eius fit in manibus. & Paulus myrmicem nomine formicæ appellat; quia ſimilem mordentis formicæ ſenſum inducit. & Dioſcorides appellat verrucoſas formicas. Hæc paſsio eſt valde diuerſa à formica, de qua nunc loquimur. Et in hoc verè deceptus eſt Auicenna.

2. methodi in principio.
Lib. 2. cap. 8.
Lib. 4. cap. 15.
Lib. 2. cap. de cicere.

De veſicis, & inflationibus. Cap. VII.

ACTVM eſt in ſuperioribus ſermonibus de tumoribus generatis à calidis humoribus; nunc verò aliquorum tumorum eſſentiam declarare remanet, quorum materia calidorum humorum eſt ſuperfluitas. Nam in ebullitione humorum in propriis vaſis aliquando ſequeſtrantur à virtute, quæ noſtrum regit corpus, vt docet noſter Gal. partes aliquæ ſubtiles, ſicut etiam docet Auic. quæ eleuantur ſubitò propter earum ſubtilitatem, & pertranſeunt omnes partes carnoſas vſque ad cutem, quam inuenientes ſpiſsiorem, & duriorem, quàm id, quod eſt ſub ea, ibi retinentur, cauſantes inflationem, & tumorem paruum, qui eſt de genere puſtularum. Et ſi talis humor ebulliens erit bilioſus, eius ſuperfluitas erit valde ſubtilis, & in ſubſtantia aquea; ex qua ampullæ generari ſolent, ſeu veſicæ quædam, aqua plenæ. Et hæc eſt inflatio, quam Auic. dicit eſſe propter aquoſitatem. Et Raſis dicebat; Exeunt in corpore veſicæ, aqua plenæ, ſimiles eis, quæ accidunt ex aduſtione ignis. Cum tali ſucco ſemper proportio aliqua naturalis humoris inuenitur. Et tales puſtulæ, ſeu veſicæ, ſunt paſsiones ſuperficiales, coloris crocei, & doloroſæ, & vtplurimum febrem adducunt, & citò ad ſtatum deueniunt, & facillimè reſoluuntur. Multique vapores cum tali humiditate in his veſicis reperiuntur (vnde multi cauſam materialem vaporem eſſe iudicarunt) qui poſtea in aquam conuertuntur, vulgariter dicuntur ſchioppi. In ſanguinis verò ebullitione partes magis craſſę ſequeſtrantur, quàm in bulliente bile, & eſt vna quędam virulentia ſanguinea, quæ magis ſupinalis permanet. Et quia ſapit ſanguinis naturam, & in magis profundo loco quieſcit, eſt valde parata putredini, & in ſaniem conuertitur, calore extrinſeco accedente. Et talis paſsio nomen inflationis meretur, & eſt coloris valde rubei, & accenſi. Hinc dicebat Auic. Secundus modus generationis inflationis eſt, vt ſit loco aquoſitatis ſanguis, quare fit pus deſupter.

4. aphor. com. 2
lib. de inæq. Intemp. cap. 4.
3. f. 4. tract. 1. c. 8
Diuis. cap. 133.

De cura veſicarum, & inflationum. Cap. VIII.

AVCTORE Gal. vbi eſt multus ſanguis, ibi eſt multum de ſuperfluitate ſanguinis. ſic etiam de bile dicendum eſt; Et ideò apparentibus ſuperfluitatibus iſtis, ſicut veſicę, & inflationes ſunt, quarũ cauſa eſt humorum multitudo, opus eſt, vt euacuentur humores, ſecundùm quod peccant; ſic docet Auic. cap. de cura veſicarum, quando dicit; Mundificatio corporis cum ſolutiuo, vel phlebotomia, eſt neceſſaria. ſic & regimen in cibo, & potu. Et Raſis dicebat; Cura eſt phlobotomia, ſi corpus plenum fuerit: ſed bile flaua peccante, cum pharmaco bilem educente purgetur: quod multę caliditatis eſſe non debet. Celebrata euacuatione, detur ægro aſsiduè (dicit Raſis) aqua prunorum, & granatorum acetoſorum; & cibetur æger cibis bilem extinguentibus; & quotidie materia cum ſyrupis alteretur.

Lib. 2. de Temperam.
Diuis. cap. 133.

Cum verò & pruritus, & rubedo apparere incipit, locus tali linimento liniatur: R. ſpumę argenti, boli armeni, thutię pręparatę an. ℥.ij. olei violati q.s. & fiat linimentum in mortariolo plumbeo; Aut locus cum lentibus decoctis in aqua, & tritis emplaſtretur. Idem faciunt cortices granatorum, aut cortices ramorum eorum, in aqua decocti, & triti. Raſis laudat mirthos cum aqua roſarum. Ab his medicinis remittitur pruritus, caliditas extinguitur, & locus ab vlceratione præſeruatur. Sed cum apparent veſicę, & augmentantur, ait Raſis, rumpantur ſic, quòd currat ab eis totum, quod continetur. Et Auic. dicebat; Si autem exierint veſicæ, & volueris earum curationem, quando illę, quæ ſunt in groſsiori cute, dolent, oportet, vt aperiantur cum acubus; & currat, quod in eis eſt; & quæ ex eis ſunt ſubtiles, per ſe aperiuntur. Et non oportet, dicit Princeps, vt tardetur; imò aperiantur, & exprimatur quod eſt in eis cum facilitate paulatim, & maximè ampullæ, quæ doloroſæ in groſsiori cute conſiſtunt. Subtiles verò per ſe rumpuntur à ſucci acuitate.

Dicit Auic. facta tali euacuatione, impoſsibile eſt, quin aut locus ſanetur, aut vlceretur. Et ſi excoriatur, curetur cum vnguento de ceruſſa, aut de lythargirio, aut de minio &c. & cum malignantur talia vlcera, & in eis mala caro reperitur, cadat caro illa cum vnguento apoſtolorum, aut Iſis viridis, aut ægyptiaco. Aut R. ſpumę auri ℥.vj. olei veteris ℥.viij. ſimul omnia coquantur ſic, quòd lythargirium non aduratur, & adde arſenici ℥.iiij. & ſimul incorpora. Et ſi paſsio hæc contingit in membro humido valdè, erit opus multa exſiccatione, tunc R. colcothar, ideſt vitrioli citrini, calcadis, ideſt vitrioli

trioli albi an. ʒ.iiij. foliorum roſarum ʒ. ij. & cum aqua roſarum fiant paſtilli, qui pro vſu ducantur in mortariolo, & cum oleo roſato, & pauca cera fiat lenimentum.

Et ſi apparuerit virulentia poſt veſicarum diſruptionem, abſtergatur; & exſiccetur cum fimo caprino, & melle. Et ſi contingit, quòd à nimia exſiccatione eſchara cauſetur, cadat cum butiro, aut aſſungia, aut cum maluis decoctis; deinde vlcus, ſicut alia ſimplicia, curetur. Et ℞. ſpumæ auri, & argenti ℥. ij. minij ʒ.x. boli arm. terræ ſigil. an. ℥.s. thutiæ prꝫparatæ ʒ.vj. ceruſſæ ℥. j. ſucci ſolatri, olei roſ. an. ℥. iij. camphuræ ʒ.j. ceræ albæ q.s. pro vnguento.

De gangræna, ſphacelo, & eſthiomeno. Cap. VIIII.

[Lib. de diffin. medicis.]

DICIT Gal. Gangræna eſt mutatio cuiuſuis coloris ſecundum naturam in colorem alium, aut mortificatio cum exulceratione, aut ſine ea. Eſt igitur gangrꝫna corruptio, ſeu mortificatio cutaneæ, & ſuperficialis partis. Sphacelus, ſeu aſchachilos eſt corruptio, ſeu mortificatio partis ſenſitiuæ, organicæ, & profundæ. Eſthiomenus verò herpes eſt corruptio, ſeu mortificatio profunda, corrodens; & corrodendo, ac putrefaciendo perambulans in membro. Vnde dicendum eſt, quòd tres iſtæ paſſiones non differunt, niſi ſecundùm maiorem, & minorem, vel ſuperficialem, aut profundam corroſionem, vel putrefactionem.

[3. f. 4. tract. 1. cap. 15.] [4. metho. cap. 6.] [7. aphor. com. 51.] [Lib. 4. cap. 19.]

Non ab re de his paſsionibus hic erit ſermo; nam dicebat Auic. Sermo de his rebus eſt proportionalis quodammodo rebus, quarum memoratio prꝫceſsit: præceſſerat autem ſermo de eryſipelate, de formica, de ſacro igne, veſicis, & ſimilibus ægritudinibus, à quibus ſæpe propter mali ſucci naturam, corruptiones contingere ſolent. Vel forſitan dici poteſt, quòd eſt proportionalis ſermo; quia paſsiones iam dictæ, cum apparent, maximam accenſionem demonſtrant, ſic quòd de priſcorum mente phlegmones, vel accenſiones dici poſſunt. Vnde Auic. de his paſsionibus loquẽdo dicebat; Et propriè quod eſt phlegmonodes in principio, fundamentum eſt; quia Gal. negat, quòd vulnus deueniat ad ſphacelum abſque phlegmone, & dicit; Vulnus, de quo ſumus ſuſpecti, quòd veniat ad ſphacelum, palam intelligimus, quòd magnum, & calidum apoſtema ſequatur illud. Et rurſus loquendo de ſuperficiali corruptione, ait; Talia enim quꝫdam etiam carnoſis partibus in gangrꝫnis accidunt paſsiones ob magnitudinem inflammationis, inſenſibilitatem quandam, atque nigritiem, aut omnino morticinum colorem afferentes parti patienti. Dicimus autem, illos, qui in paſsionem incipiunt incidere, ad gangrꝫnam ire: Vnde Paulus dicebat; Cum inflammatio neque diſcutitur, neque in pus mutatur, ſæpe in gangrꝫnam, & ſiderationem, quæ Græcè dicitur ſphacelos, incidit: gangrꝫna enim appellatur, cum membrum aliquod, ob inflammationis, qua conflictatur, magnitudinem, emoritur; neque iam confirmatas ſic dicunt, ſed quꝫ etiam fiunt. Paſsio igitur, quæ gangrꝫna appellatur, nil aliud eſt, quàm ſuperficialis corruptio, & ad ſphacelum præparatio. Dicebat Auic. Et quod de hoc eſt in principio, & non corrumpitur cum eo ſenſus eius, cui eſt ſenſus, nominatur gangrꝫna; in cute enim, vt cutis, nullus eſt ſenſus; ideò corruptione contingente in ea, gangrꝫna denominatur. Et Gal. Gangrꝫna, inquit, & carbunculi propè phlegmonem ſunt, quando quaſi ebulliẽs ſanguis cutem combuſſerit. Et rurſus; Si non ſpiſſum fel fuerit, ſed tenue, atque liquidum, ſummitatem loci, ideſt cutem tantum, quaſi ex igne combuſtam reddit, & hoc non dicitur herpes eſthiomenus, ſed gangrꝫna. Et iterum; Valde eſt ſubtilis humor, qui gangrꝫnam operatur: Nec credendum eſt, quòd gangrꝫna ſit adeò cutanea paſsio, quòd aliqua pars carnis cum ꝫa non ſit corrupta ſed ſuperficialis. Vnde Gal. dicebat; Cum dicendum eſt tibi de gangrꝫna, ideſt de quaſi mortua carne, vel cute. Et alibi; Inter maximos phlegmones eſt vocata gangrꝫna mortificatio patientis particulæ; & niſi citò quis eam curauerit, mortificat faciliter, quæ paſſa eſt, particulam, & comprehendit continuas, & interficit homines. Quo in loco Gal. clarè demonſtrat iſtius corruptionis proceſſum.

[Lib. de tumor. cap. 7.] [2. ad Glau. 1.] [14. metho. c. 17] [2. ad Glau. d. 3. cap. 1.]

Sequitur Auic. Et quòd ita confirmatur, eſt, vt deſtruatur ſenſus eius, cui eſt ſenſus; & illud eſt, vt deſtruatur caro, & quod ipſam ſequitur, vſque ad os, ſiue ſit incipiens, ſiue ſuccedens apoſtemati, nominatur ſcachilos. Hæc paſsio à Grecis σφάκελος, à Latinis ſideratio dicitur. Dicebat Gal. Voco autem ſphacelum corruptionem ſolidorum corporum vniuerſam, vt & neruis, venis, & carnibus innaſcatur. Cum ergo pars ſenſitiua corrumpitur, ſphacelos dici debet, & maximè cum lacerti læduntur, in quibus ſenſus reperitur, vt declaratur à Gal. Ariſt. & Auerr. Nec credendum eſt, quòd caro ex ſe ſentiat, vt dicit Auer. qui Ariſtotelem reprehendit, quoniam non cognouit carnem, mediante neruo, ſentire. Nam verè ſenſus eſt in carne neruoſa, ſeu admixta villis nerueis, auctore Gal. dicente; Senſus eſt in pelliculis, ideſt in neruoſitatibus carnis. Sequitur Auic. Et cum corruptio incipit perambulare in membro, & apoſtematur, quod eſt in circuitu corrupti, & fortaſſe peruenit ad corruptionem; tunc dicitur totum accidens eſthiomenus. Dicebat Gal. Herpes eſthiomenus dicitur, quia comedit, & in altum ſerpens latè paſcitur. Dicit Cornelius; Herpeta eſthiomenon Grꝫci vocant, quòd celeriter ſerpendo, penetrandoque vſque oſſa, corpus vorat. Id vlcus inæquale eſt, cenio ſimile; ineſtque multus humor, glutinoſus; odor intolerabilis, maiorque, quàm pro modo vlceris, inflammatio. Vnde dicere poſſu-

[De tumor. c. 12.] [1. de vſu part. cap. 18.] [2. de anima tex. 129. in com.] [2. de anima. tex. com 108.] [2. de partibus. cap. 6. Et 3. de gen. anim. ca. 3.] [Lib. de cauſis reſpirationis c. 2.] [3. ad Glau. ca. 6.] [Lib. 5. cap. de theriomate.]

poſſumus, quòd gangrena eſt corruptio fiens, ſphacelus eſt corruptio facta, eſthiomenus verò eſt facta corruptio cum putredine multa, latè paſcendo.

Signa iſtarum corruptionum patent ex iam dictis, & ſunt ægritudines in propatulo; quæ, vt dicit Gal. non indigent demonſtratione, cum ſenſui eorum oſtendant eſſentiam. [1. de locis. aff.]

Cauſæ verò putrefacientes, & corrumpentes membrum, illæ ſunt, quæ faciunt membrum vitam de perdere; deperdit aut membrum vitam, quando proprium temperamentum amittit. Iſtius verò effectus cauſa eſt optimi nutrimenti deperditio: nam, vt docent Gal. & Ariſt. tam diu viuimus, quandiu nutrimur. [1. de ſympthom. caus. cap. 5. 2. de anima, tex.] Quattuor efficiētes cauſas aſſignat Auic. quarum prima eſt, res corrumpens complexionem membri, & vitalem ſpiritum, qui eſt in ipſo: ſecunda eſt res prohibens ſpiritum ad membrum deuenire: [3. f. 4. cap. de gāgrena.] tertia eſt, res ſimul prohibens aduentum ſpiritus ad membrum, & corrumpens membri complexionem: quarta poteſt eſſe malum regimen à medico, vel ægroto procedens in cura alicuius paſſionis. De claratum eſt à Gal. quòd omnis actio à membris peracta appetendo, attrahendo, digerendo, & expellendo fit mediante ſanguine, & ſpiritu, & proprijs vaſis, ad operationem deputatis. [Lib. de poteſt. nat.] Cum autem corrumpitur complexio membri, tale ad operationem ineptum redditur, & maximè virtutum animæ, quæ perficiuntur, mediante ſanguine, & ſpiritu. Corrumpitur membri complexio, ac vitalis ſpiritus à multis cauſis, membri complexionem ſecundùm omnes qualitates ad contrarium alterantibus. Et aliquando non tantùm complexio, ſed & compoſitio; vt à veneno aut calido, aut frigido, quod ſua ſubſtantia, & natura animali, & vitali ſpiritui contrariatur; aut ſicut tumores mali, aut vlcera cachoetica, & phagedenica, aut puſtulæ malæ venenoſę ſubſtantiæ. Cauſa verò prohibens ſpiritum ad membrum deuenire, aut eſt accidentalis primitiua, ſicut infrigidatio nimia à narcoticis medicinis in calido tumore, quæ vias claudendo, vitam tranſire prohibent. Ab ambientis etiam aeris frigiditate hoc euenire poteſt; vnde homines moriere. Aut fortis conſtrictio quorundam membrorum in ſua radice, [Ex 3. de morbis] vt docet Gal. Quando fortiter obſtructa fuerit ſecundùm maximas venas, & ora vaſorum; & pori omnes, qui ſecundùm cutim ab ea, quę ſecundum naturam, tranſpiratione ſunt priuati, faciliter mortificantur, quæ ita laborant corpora, & hoc multotiens viſum eſt ex nimia ſtrictura in oſſium magnarum fracturarum reſtauratione. [Lib. de tum. cap. 9. Et de cauſ. morb. cap. 1.] Aliquando talis cauſa eſt corporalis, & intrinſeca, ſicut apoſtema calidum, malum, fixum, magnum; groſſæ materiæ, opilantes meatus, & retinentes ſpiritum; vnde membrum non nutritur, & corrumpitur. Et cum vnaquæque harum cauſarum fuerit valde potens, corrumpet membri complexionem, & ſpiritum ad nutriendum membrum venire prohibebit. Medici malum regimen iſtius erroris cauſa eſſe poteſt, vt docent Hypp. Galenus, & Auicenna, ſcilicet curando vlcera, aut vulnera cum humidis medicinis, putrefactionem cauſantibus, cum cura vlcerum ſit exſiccatio; aut indebitè regendo luxata, aut fracta membra, aut doloroſe operando &c. [Lib. de Vulneri. 3. art. med. cap. de cur. ſoluti cōtinui in carne. Et 4. metho. c. 1. & lib. de oculis.]

Dicit Raſis; Gangræna illa eſt mala, quæ fit ſucceſſione chronicarum, & acutarum ęgritudinum. [3. f. 4. cap. 27. & 4. f. 4. cap. 3.] Et Celſus; Illa eſt mala, & cum difficultate curatur, quę in ſenili corpore, aut in extremis corporis partibus contingit. Loca humida, ſicut labia, & teſtes, huic diſpoſitioni ſunt valde parata. Hæc mortificatio, dicit Paulus, quam Græci gangrænam appellant, tantæ eſt ferocitatis, vt niſi quis, rupta omni mora, præſentiſsimas tulerit ſuppetias, laborans particula facilè emoriatur, & vicinas ſedes inuadat, ac hominem iugulet, [Lib. 4.]

De cura gangrænæ, ſphaceli, & Herpete Eſthiomeno. Cap. X.

AVCTORITAS eſt Gal. quòd medicus debet cognoſcere ægritudinis eſſentiam, deinde ab ea ingenium curationis aſſumere. [6. metho. cap. 1.] Et alibi; Quia diuerſificantur ægritudines, ideò & eorum curæ debent diuerſificari. [Et 3. eiuſdē c. 1. Et 2. ad Glau. cap. 1.] Igitur harum paſſionum cognita differentia, quæ ſecundùm maiorem, & minorem corruptionem cognoſci poteſt, ſecundùm eorum indigentiam medicaminum diuerſitatem aſsignare debemus. Curantur iſti affectus duobus præcipuè medijs; primo, in omnibus regendo corpus: altero putrefactionem prohibendo. Primum medium multis indiget intentionibus, ſcilicet regimine rerum non naturalium, prohibitione præternaturalium, & conſeruatione naturalium.

Quò ad ſex res non naturales, aer aut temperatus, aut aliqualiter ad frigidum, & ſiccum tendens, eligendus eſt. Cibus frigidus, cum aliquali humiditate, & paruæ quantitatis eſt conueniens, cum hęc paſſio inter acutas enumeretur; quia ante quartum decimum iudicatur. [2. aphor. 23.] Et dictum eſt. Quibus ſtatim morbus conſiſtit, his ſtatim tenuis victus adhibendus eſt. [1. aphor. 10.] Ait Celſus, præcipuè in hoc caſu; petendum eſt, non à medicamentis ſolum, ſed etiam à victus ratione, præſidium. [Lib. 5. cap. de cura gangrænæ.] Primò igitur, niſi imbecillitas prohibebit, abſtinentia vtendum eſt, minuenduſque cibus, & vinum ſubtrahendum. Stet patiens cum priſana, aut cum panatella, & lacte amigdalarum, aut ſeminum communium, aut cum brodio pullæ alterato cum lactucis, boragine, endiuia &c. Eiuſque potus ſit decoctum hordei, aut coriandri cum ſyr. violato, & ſucco granatorum. Quies laudatur, ne humores in motu ponantur, quia faciliter ad læſum locum, ſubtiles, acuti, & mali pręcipitare conſueuerunt. Moderatè dormiat, vt in ſomno vir

tes tum vitales, tum animales reficiantur. Stetque bono, & hilari animo, abſque coitu, ira, timore, & animi agitatione. Et tali regimine vtatur, maximè dum cauſa fuerit malignitas, & quantitas corruptorum humoru m: quod cognoſcitur ex feſtina, & manifeſta corruptione, nulla primitiua apparente cauſa.

Vt autem prohibeamus præternaturalia, ſcilicet morbum alium, aut accidens, aut cauſam, euacuatio eſt neceſſaria, aut ſanguinem emittendo, aut pharmaco euacuante. Nam ex hoc ab apoſtemate ſecuri erimus, & à dolore, ac malarum humiditatum fluxu. Dicebat Cornelius; In huiuſmodi caſu primum eſt, ſi vires tolerant, ſanguinem mittere; aut per potionem, aut cibum aluum ducere. Verùm in hoc aduertendum eſt, vt ſi corruptio à venenoſa materia prouenit, vt ſæpe contingit, venæ ſectio
.f. 1. cap. 1. non-ſit talis, vt fiat tractus materiæ corruptæ ad cor, vt docet Auic. Sit igitur huiuſmudi phlebot. aut à vena propinquiori affecto loco, aut à longiori per rectam diametrum. Multotiens verò opus eſt euacuare, & non diuertere.
ib. 4. cap. 19. Dicit Paulus; Gangrænam curamus ſanguine ex parte vitiata affatim emiſſo; vel enim vena inciſa, ſanguis corruptus (cum vena amplior in ipſo membro appareat) detrahendus: vel cute totius corporis diuiſa, multis, altiſque plagis idem vt exeat, procurandum eſt. Forti verò exiſtente virtute, pharmacum patienti exhibeatur, in quo ſit virtus purgandi corruptos, & aduſtos humores, præ oculis habendo auctoritatẽ Hypp. in qua dicitur; ſi qualia oportet purgari, purgentur, confert,
1. aphor. 25. 1. aphor. 2.
& facilè ferunt; ſin contra, difficulter. Et inſpicere oportet regionem, ætatem, tempus, & morbos, in quibus conuenit, aut non. Sit tale pharmacum benedictum, euacuans cum facilitate, ne materia mala in extrinſecis coniuncta, in centro deducatur, cuiuſmodi eſt: R. floris caſſiæ no. ex. ʒ. x. elect. de ſucco roſarum ʒ. ij. zuchari fini q.s. fiat bolus. Aut R. pulpæ caſſiæ no. ex. diacat. an. ʒ. vj. Decocti florum, & fructuum cord. q.s. miſce, & fiat p. 6. & adde ſyr. violati ℥. j. Aut R. caſsiæ, mannæ elect. an. ℥. j. rehubarbari elect. ſecundùm artem infuſi ʒ. j. ſyr. violati ℥. j. decoct. florum, & fructuum cordialium q.s. miſce, & fiat p. 6. In ſubtili materia R. caſſię, diacat. an. ʒ. iiij. elect. roſ. Meſ. ʒ. ij. thamarindorum ʒ. j. s. ſyr. violati ℥. j. & cum communi decocto fiat 6. p. & aſſumatur in mane per quatuor horas ante cibum. Deinde fiat humorum adęquatio cum ſyr. de ſucco acetoſæ, de ſucco endiuiæ, de fumatia, acetoſo ſimp. violato, de lupulis, & ſimilibus. cum aquis lupulorum, bugloſſæ, acetoſæ, endiuiæ, fumatiæ, boraginis &c. Et ſic celebrata tali operatione, non concurrent nouæ ſuperfluitates ad locum, & non emergent nouæ ægritudines, & naturalia præſeruabimus. Nunc ad localia deueniamus: Pro quibus notare oportet morbi qualitatem; nam ſuperficialis affectus debilibus medicinis curari poteſt, cum ægritudo curam ſuſcipere valeat. Dicebat Celſus; Gangrænam, ſi nondum planè tenet, ſed adhuc incipit, curare non difficillimum eſt, vtique in corpore iuuenili, & magis etiam ſi muſculi integri ſunt, ſi nerui vel lęſi non ſunt, vel leuiter affecti. Vnde Auic. dicebat; De gangręnis quidem, dum
7. aphor. 51. in principio perſeuerant, ſperatur, quòd ſanentur. Similiter Gal. Sicut gangręnam iam ita completam,
2. ad Glau. d. 1. cap. 7. vt pars ſit intermortua, ſanare eſt impoſsibile; ſic eandem, dum adhuc fit, poſsibile eſt. Et ideò in gangręnæ cura non niſi debilia medicamenta declarat, vt inquit Paulus. Scribit Auic. Cum vides co-
Lib. 4. lorem membri alterari, & eſt in via putrefactionis, oportet, vt ſuccurras liniendo ipſum cum eo, quod prohibet putrefactionem, ſicut eſt bolus arm. & terra ſigil. cum aceto. Tale medicamentum lauda-
Lib. 5. cap. de cura gangrænæ. tur etiam à Celſo, & à Galeno. Ego verò credo, quòd tali linimento locum ſuperiorem linire potius
2. ad Glau. d. 5. cap. 1. debemus, defendendo, ne ad affectum locum currant humores. Vnde dico, quòd bonum eſt vti tali defenſiuo: R. olei roſ. omphacini, mirthini an. ℥. ij. ſucci plantag. ſolatri, an. ℥. iij. bulliant omnia vſque ad ſucci conſumationem, & colẽtur, cui colaturæ adde ceræ alb. ℥. ij. ſanguinis draconis, boli armeni, terræ ſigillatæ an. ℥. s. ſanthal. alborum, pulueris mirthillorum an. ʒ. ij. miſce, & in mortaiolo plumbeo fiat vnguentum molle. Locus autem liuidus emplaſtretur cum frumento maſticato, bolo armeno, &
Lib. 2. cap. 110. aceto, aut cum emplaſtro Dioſcoridis ex farina lolij, raphano, ſale, & aceto. Sequitur Auic. Si autem illud non valet, ideſt ſi locus incipit corrumpi, non inuenies excuſationem, quin ſcalpellationem pro-
Lib. 7. cap. vlti. fundam facias diuerſorum modorum in locis. Et Celſus; tunc inter ſanam, vitiatamque partem incidenda ſcalpello caro vſque ad os eſt ſic, vt neque contra ipſum articulum id fiat, & potius ex ſana par-
2. ad Glau. d. 2. cap. 1. te aliquid excidatur, quàm ex ęgra relinquatur. Gal. & idem dicit; Illa pars., quæ adhuc aliquid ſenſus retinet, & non penitus mortua eſt, frequenti ſcarificatione, & ſcalpello purgabitur; atque curabitur, nunc multis & profundis plagis, nunc paucis & leuioribus, vt locus, ideaque poſtulauerit. Et Paulus dicebat; Cum diſpoſitio in principio tendit ad corruptionem, vbi comprehenditur eius ſenſus, & color eſt violaceus, & ſanguis incluſus, debet curari cum emiſsione totius illius, quod in membro dolenti eſt, aut cum minutione, ſi in loco illo fuerit magna vena, apta ſecari, aut cum ſcarificatione pellis diuerſa, & plurium viarum. Idem Auic. dum ſcribit; Phlebothoma venas paruas propinquas, vt euacuetur ſanguis malus cum cautela, & aliquando cum appoſitione ſanguiſugarum. Facta ſcarificatione, dicit Princeps, ſuper locum ponatur quod putredinem prohibeat, ſicut farina orobi cum ſyr.
1. ad Glaucon. acetoſo, aut farina fabarum cum ſyr. acet. & ſale. Medicamen tale laudat Gal. dicens; Poſt ſcarificationem vtere his medicinis, quibus putrida ſanentur, ſicut farina orobi cum aceto, & melle. Et facit ad hoc, dicit Gal. etiam farina fabarum cum aceto, & melle cocta. Et ſi volueris vehementius exſic-
Lib. 4. cap. 19. care, adde aliquid ſalis. Et Paulus dicebat; Poſt ſcarificationem medicamentum aliquod putridis conſe-

cratum

cratum induci debet, quale eſt farina erui, aut lolij, aut linimentum ex melle acetoſo. quod ſi valentius imponere cogites, ſalem adijcito, aut paſtillum Andronis. Dioſco. laudat multum ad nomas, & Lib. 5. cap. 16. depaſcentia vlcera acetum, & ſal, quod medicamentum ab eo oxalme vocatur. Et Actuarius de medicamentorum comp. vbi de liquoribus medicatis, ſummè laudat acidam muriam, ideſt acetum ſalſum. Aut R. farinę fabarum, orobi, lentium, lupinorum an. ℥iij. ſucci abſynthij, baurach an. ℥. ij. ſyr. acet. ℥.j.s. lixiuij barbitonſoris q. s. pro emplaſtro: Ante verò medicaminum applicationem locus abluatur cum lixiuio, aut aceto calido, aut cum decoctione lupinorum vſque ad eorum crepaturam. nam, dicebat Aegineta, opitulatur ipſis & lupinorum amarorum decoctorum ius inſperſum. Et ſi hæc non curant, dicit Gal. vtere trociſcis Andronij, qui ſummè laudantur à Paulo, & ab eo deſcribuntur ſub 2. ad Glauconē. titulo paſtillorum Andronij: R. floris ſatiuæ punicæ ʒ. x. gallę ʒ. viij. myrrhæ ʒ. iiij. ariſtolochiæ lon- Lib. 7. Gal. etiā 5. de med. per genera. gę ʒ. iiij. atramenti ſutorij, croci, aluminis ſciſſi, crocomagmatis, miſios, thuris, ſingulorum ʒ. ij. leuigantur in vino aſtringenti, vel aceto. Aut vtere mercurio præcipitato, & fit breuiter iſto modo. R. aquæ, cum qua partitur aurum ab argento ℥. viij. mercurij Hiſpani noui ℥. vj. ſtet per diem in infuſione in dicta aqua in aliqua parua bocia; deinde bociam ad ignem pone in vaſculo terreo; & inter vaſculum, & bociam ſit cinis, adeò quòd non tangantur adinuicem, & ſic permitte bullire igne lento vſque ad aquæ conſumptionem; frangatur bocia, & inuenies mercurium condenſatum: ipſum tritura ſuper porfidum, & fiat puluis ſubtiliſsimus. Aut R. (& eſt medicina, cui non eſt par) argenti viui lib. j. aquæ, cum qua ſeparatur aurum ab argento lib. ij. omnia in elambico vitreo ponantur, & extrahatur aqua; qua ſic extracta, iterum ponatur in elambico ſuper dictum mercurium, & fiat noua di ſtillatio, iterumque aqua ſuperimponatur, & fiat tertia elambicatio, poſt quam argentum rubicundum remanebit in fundo badiæ in forma pulueris; Frangatur bocia, & extrahatur puluis, & ponatur in vaſe terreo ſuper calidum cinerem, deſuperque accommodetur palla ferrea, lata, igne magno accenſa per horam, donec ſcilicet partes aereæ malę euaneſcant, & mercurium perfectè rubificetur; deinde opus eſt ſuper porfidum ſubtiliſſimè eum leuigare, & leuigatum ponere in ampulla vitrea, atque ſuper illum aquam roſaceam infundere, adeò vt aqua ſuper emineat mercurio per vnum digitum; bulliat poſtea leniter vſque ad aquæ conſumptionem; deinde puluerizetur, & iterum trituretur, ſemper roſaceam ſuperinfundendo, atque tandem ad Solem exſi ccetur, & fiat trituratio ſicut alchohol cum duobus folijs auri, & ſeruetur tanquam aurum in vaſe vitreo, bene obturato. Valet calchantum, & fit iſto modo. R. vitreoli Romani clari ℥. vj. ponatur in vaſe terreo nouo, & alio ſimili cooperiatur, adeò quòd non reſpiret, & ponatur in igne magno vſque ad vitreoli aduſtionem; extrahatur poſtea, & trituretur. Gal. 3. de med. p gen dicit, quòd inter metallica hoc maximè exſiccat. Vnguentum cauterij ſummè valet, & fit iſto modo. R. colcothar vſti ʒ. vj. calcis non extinctæ ʒ. j. mellis ʒ. ij. ceræ parum. Mirabilis eſt etiam operatio vnguenti ægyptiaci, quod ſummè laudatur à Principe cap. de cura gangrenæ, & ibi dicit, quòd eſt de medicinis prohibentibus corroſionem, & facit cadere illud, quod eſt putridum, & conſeruat illud, quod ſequitur, & fit iſto modo. R. floris æris, mellis, aluminis, an p. æquales, miſce. Alterum Raſis. R. flo Diuis. circa ſinē. ris æris, mellis, aceti an. p. ęq. miſce: Iſtud vnguentum poteſt adhiberi per ſe, & cum lixiuio, aut ſapa, vlcus abluendo, & maximè cauitate aliqua apparente. Et ſi quæris exſiccationem maiorem, adde huic lotioni granum arſenici; aut decoque tartarum vini in lixiuio decocti lupinorum. Optimè quoque hoc facit (dicit Cornelius) ſuperimpoſita arundinis radix; ſi tenera eſt, protinus contrita; & ſi dura, in mulſa decocta, cui ſemper mel adijciendum eſt. Vnguentū Azeneti multum laudatur ab Actuario. in de compoſitione med. & à Gal. lib. 5. de med. per genera. Aduerte tamen ad ea, quæ dicit Gal. vt 2. ad Glauconē. ſemper attendas ad qualitatem, & habitudinem corporis, vel virtutem; cum fortes, & duri corporis medicamina de facili ferant; molles autem, & tenuis corporis talia ſufferre non poſsint. Neceſſe eſt igitur talia adhibere virtute medicamina, qualia viderimus & corpora: quia vir, mulier, & infans, multum & corpore, & virtute diſtant. Et ſi fuerit vir, conſiderabis, an ſit ruſticus, aut operi quotidiano deditus: vel vrbanus, & otioſus; aut iuuenis, aut ſenex. Horum aliqui fortiſsimæ virtutis medicamina, alij imbecilliora petunt. Vnde Auerr. cum diuerſa corpora ſecundùm diuerſas regiones, & ætates, & ſexus adinuicem compararet, dicit; Aliqui ſunt, qui ex fortibus euadunt ęgritudinibus ſine me- 7. coll. 31. dico, & medicina, ſicut Barbari, & Arabes, & qui in deſertis habitant; & hoc ſit, quia aliquando cum brutis aſsimilationem habent. Multa alia, quæ valent ad gangrænam, habētur ab Auic. qui deueniens 4. 4. tract. 3. c. 9. ad ſphacelum, dicit; Si autem pertranſit diſpoſitio diſpoſitionem apoſtematis, & diſpoſitionem corruptionis coloris eius, & incipit peruenire ad mollitiem, & humectatur parumper, tunc hæc eſt inceptio eius in putrefactione; & eſt tempus deueniendi ad vlteriorem exſiccationem. Quare oportet, vt puluerizetur ſuper ipſam puluis ariſtol. rot. & gallarum. Similiter calchantum, aut colcothar cum aceto, aut cucumeris agreſti ſucco, & epithimetur. Et ſi pars carnis incipit corrumpi, incide eam. Modum autem faciendi hanc operationem docet Auic. Et Gal. ſcribit; Quando corruptionem auferre 4. f. 1. cap. 27. 2. ad Glauconē. volueris, penitus debes ſecare vſque ad viuum, & vſque ad eum locum, qui ſanus eſt, ita vt nihil de mortua carne reſtet: cumque hoc feceris, reliquum ſcarifica. Aut fac ipſam cadere, dicit Auic. cum trociſcis Andaracaron; aut fortius calchadicon. Trociſci andaronij deſcribuntur à Petro de Argelata ſub titulo Andaronis in cap. de cura formicæ corroſiuæ. ſed trociſcum andaracaron non inueni. Tro

ciſci verò andaronis ſic fiunt: R. corticum gran. ℥.iiij. ariſtolochiæ, gallarum non perforatarum ℥. 8.
ſalis ammoniaci, thuris, aluminis iameni an. ʒ.x. calcanthi, mirrhæ an. ℥. ij. terantur omnia, & confi-
ciantur cum aceto, & fiant trociſci. Trociſci verò calcadicon deſcribuntur à Raſi his verbis; Medica-
ad Alm. cap. 5 men, quod vocatur calcadicon, carnem mortuam corrodens, R. calcis viuæ partem vnam, arſenici ci-
trini, chali, acatiæ, arſenici rubei, omnium an. partem mediam: hæc omnia cum aqua, quæ vocatur
4. tr. 4. cap. 9. prima, terantur. Alia deſcriptio reperitur apud Principem hoc modo. R. arſenici, draganthi, floris ęris,
calcis non extinctæ an. p. ęq. Et Petrus de Argelata deſcribit trociſcos calidiconis: R. calcis non extin-
ctæ ʒ.x. de tribus arſenicis ʒ. s. acatiæ ʒ.ij.s. conficiantur cum aceto. Hos etiam deſcribit Guido in ſua
parua Chirurgia cap. 6. Dinus in ſuo antidotario, & Meſue in cap. de polypo ſub nomine alcadicō. Lau
dantur & alij ad hunc paſtilli ſcopum, vt Polyde, Muſæ, Paſionis, de Aſphodelo, de Arſenico &c.
Trociſci alij, quibus vtor: R. arſenici albi, ſalis ammoniaci, tartari calcinati, vitrioli albi an. ℥. i. ſalis
nitri ℥. viij. fiat omnium puluis, & ponatur in vaſe terreo nouo vitreato; & alio ſimili cooperiatur, in
cuius medio ſit quędam perforatio, ſic quòd aliqualiter poſſit reſpirare; & luta bene, & pone ad ignem
paruum per medietatem horæ; deinde ignem augmenta, donec aliquem rumorem in vaſe audieris; &
ſic permitte, donec rumor ceſſet: tunc autem aduſtio facta eſt; & tunc frangantur vaſa; & quod intus
eſt, extrahatur, & in minutiſſimum puluerem redigatur. Et nota, quòd puluis hic eſt fortiſſimæ ope-
rationis; Cautè igitur eo vtere ſecundùm indigentiam. Et quia cauſtica omnia ſubſtantificam humidi-
tatem exſiccando eſcharam faciunt, dicit Princeps; ſuccurre cum butiro, donec cadat primus ordo
eſcharæ; deinde fac cadere ſecundum, donec peruenias ad partem ſanam. Gal. dicit; Appone folia
pori cum ſale, & citò eſchara, ideſt combuſtio, cadet: aut puluerem hermodactilorum cum melle;
aut medullam panis cum apio, aut ozimo: aut aſſungiam cum maluis decoctis; aut emplaſtrum Mace-
Lib. 4. cap. 19. donicum; aut macherionis &c. De his multa dixit Paulus. Remota eſchara, locus cum vnguento cera-
ſeos, aut damaſceni, aut apoſtolorum mundificetur; poſtea incarnetur &c. Et quia non ſemper aſſequi
mur deſideria noſtra ex talium medicaminum applicatione, ſicut dicit Cornelius; ideò interdum opus
eſt ad ipſum ignem deuenire; & ſi opus igne perfici non poteſt, à membri amputatione fugere minimè
3. art. med. vbi de morbo in numero. Et de dinamidijs in fine poſſumus. Dicit Gal. Totius corporis medicamina ad tria reducuntur adiutoria, medicamentum, fer
rum, & ignem: quod enim medicamento curari non poteſt, igne curare tentes; quodque igne ſanari
non permittitur, ferro ſanari conceditur; quod autem à nullo iſtorum, inſanabile eſt; quia nulla alia cu
ra ſupereſt. Verum eſt, quòd etſi vſtio, quam cauterium vocamus, ſit efficaciſſimum remedium, quod
valet ad prohibendum expanſionem corruptionis, nihilominus ægrotantes terrefacit; ideò niſi turgen-
te cauſa, ea vti debemus: Sed furioſa exiſtente materia, & igne, & ferro vtere: quia dictū eſt ab Hypp.
1. aphor. 6. Extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima eſſe: ſed de tali remedio aliqua dicamus. Si cor-
ruptio, & mollities multa cum foetore apparet, nec medicamento talem malignitatem corrigere poſ-
4. f. 1. libri. ſumus, ad ignem deueniendum eſt, his conſideratis, quæ ab Auic. cap. de vſtione, dicuntur. Si locus
fuerit tolerans vſtionem, factis defenſionibus circum circa locum corruptum in ſuperiori parte cum iam
dicto defenſiuo, & prope locum appoſitis ſtupis, in aceto infuſis, deinde in oui albumine, locus caute
rizetur; Et opus eſt habere inſtrumenta diuerſa, ſeu clauicula ferrea, magna, & parua; lata, & anguſta,
Lib. 2. cap. 54. optimè ignita, vt docet Albucaſis; Cauterizetur locus ab omni parte, donec eradicetur corruptio tota,
8. ad Glauconē. & non remaneat ex ea aliquid penitus. Et hæc eſt cautela Auicennæ. Galenus autem ſcribit; Quando
neceſſe erit amputare, vel adurere aliquod corporis membrum, vſque ad confinium ſanæ carnis abſcin
das; ita vt nihil putridę carnis relinquas, ſed magis de viua, aut ſana carne aliquid ſeradas, ſic enim
& melius, & citius curabis. Et ſi adhuc aut mollities, aut liuiditas, aut corruptio aliqua in parte vide
bitur, cauterium reiterare, vſque ad eradicationem totalem, timendum minimè eſt; cum à tali caute-
4. f. 1. cap. de vſtione. rio & membri exſiccatio, confortatio, & rectificatio cauſetur. Dicebat Auic. Vſtio, quam cauterium
vocant, efficaciſsimum remedium eſt; quod valet ad prohibendum expanſionem corruptionis, & par-
ticulam, cuius intemperiem corrigere cupimus, roborandam, materiaſque corruptas membro infixas
diſſoluendas. Et ſi ad tollendam carnem corruptam vſtionem feceris, & terminum incolumem depre
hendere velis, ſcias eum eſſe, vbi adeſt dolor, & fortaſſe cogeris vnà cum carne os, quod ſub carne exi
Lib. 5. c. proprio ſtit, vrere, & vſtionem infigere, donec tota eius corruptio tollatur. Talem modum vrendi laudant
Lib. 4. cap. 19 etiam Cornelius, & Paulus, atque tandem omnes ſcribentes in hac materia: Hinc Dioſcorides dicebat;
Lib. 7. cap. 3. contra virulentos, & venenoſos ictus vſtio expeditiſſimum eſt auxilium, vt pote cum ignis cætera viri-
bus præſtet medicamenta. Inſtrumentorum autem, quæ numero, & magnitudine plurima eſſe debent
ad hunc vſum, imagines fusè in nono huius operis libro delineauimus: quare ibi confugiat omnis me-
dicinæ ſtudioſus.

Cum autem remota fuerit eſchara, locum mundifica, & incarna: ſed caue, ne nerui alicuius incor-
rupti tangas ſubſtantiam, neque venam, neque cordam, neque ligamentum; & cautè age.

Si verò mollities, corruptio, & putrefactio confirmata omnes partes organicas infectas reddiderit,
paſsio erit ſub titulo herpetis eſthiomeni. Et tunc non poſſumus excuſari, quin ad totalem membri
Lib. 5. c. proprio amputationem deueniamus. Dicebat Cornelius; Vnum aliud auxilium ſolum eſt, vt cetera pars cor
poris tuta ſit, membrum, quod moritur, totum abſcindere. In qua inhumana operatione ſic proceden
dum

dum eſt,vt docet Albucaſis; Liga membrum incidendum per tres, aut quatuor digitos ſupra corruptum Lib.2. cap. 89
locum, ſi ligari poteſt, ligamento forti, propter ſanguinis hæmorrhagiam: & facta rerum ſanguinem
ſiſtentium præparatione, (ſicut eſt thus, ſarcocolla, mirrha, maſtix, ariſtolochia, cum pilis leporum
ſubtiliſſimè inciſis; aut cum gipſo, vel calcantho &c.) cum ſtupis in oui albumine, & ſale madefactis;
ac in ſuperiori loco preparata defenſione, primũ cum ferro incidente, aut ignito, aut non ignito, par-
tem carnoſam vſque ad ſanam, in qua dolor ſentitur, abſcindas; deinde cum ſerra opportuna partem
oſſis amoue; & illicò cauterijs ignitis locum totum adure. Dicebat Paulus; Nonnulli vbi putridam
partem præciderint, quò ſecurius mali radicem euellant, candens ferramentum adigunt. Vnde Auic.
vbi de cura eſthiomeni, dicebat; Cum inciditur membrum, quod putrefactum eſt: tunc oportet, vt
cauterizetur illud, quod continet ipſum, cum igne. Quamoperationẽ laudat etiam idem auctor, quan
do dicit. Cumque res ad nigredinem tranſierit, aut viriditatem, & conſequitur ipſam, ipſa ſecun- 3.1.Doct.5.c.5
dùm putrefactionem præcedentem, non laboret medicus, niſi vt auferatur illud, quod putruit, ne
etiam ſanum, quod in eis cõſiſtit, vicinitate putrefiat, & putrefactio paulatim ad interiora præcedat.
De hac re etiam multa alibi dixit, quæ omnia à Paulo declarata fuere. Et quia aliqua reperiuntur 4.1. cap.27.
membra, quæ abſcindi minimè poſſunt, vti tamen cum difficultate, vti caput, teſtes, anus &c. dice- Lib.6. cap. 84
bat Auic. tunc procede cum medicinis cauterizantibus, & adurentibus, & propriè in membris putre-
factionem faciliter ſuſcipientibus propter caliditatẽ ſuam; Et quia ſuperfluitates calidæ eisapproximan
tur, ſicut ſunt teſticuli, & anus; & ſi corruptio in capite contingat, ait Princeps;caue in aduſtione, ne
cerebrum ferueſcat, & ne membranæ ipſæ conuellãtur: alias verò non verearis integrè vrere. Hac
operatione celebrata, ſi dabitur mora, eſchara ſubleuata, locus tali medicamine mundificetur: R. the
rebentinæ clarę, mellis crudi an. ℥. ij. reſinæ pini, ceræ albæ an. ℥. s. boli arm. ℥.j. floris æris ʒ. ij. mi-
ſce pro vnguento. Vt autem incarnetur,R. cerę albæ ℥.iij. olei ſeminum lini ℥.j. ſucci betonicæ ℥ ij. the
rebentinæ, vitrioli Romani an. ℥.s.thuris, ſanguinis draconis,maſtiches an. ℥. j. s. oleum, & cera bul-
liant in ſucco, deinde omnia admiſceantur, & fiat vnguentum: Aut R. ſucci ſolatri, plantaginis, ace-
ti albi, olei ſeminum lini an. ℥.x. vnguenti populeonis, olibani, maſtiches an. ℥.ij. olei laurini, lythargi
rij argenti, ceræ albæ an. ℥ v. ceruſſæ, boli armeni an. ℥.iiij. ammoniaci, ſanthalorum rubeorum an. ℥. j.
minij. ℥.i.s.cãphuræ ʒ.j. ireos ℥.i. diaquilonis albi ℥.vj. therebentinæ ℥. iiij. pulueris malicorij, aluminis
rochæ an. ℥.j.s. & ſecundùm artem fiat vnguentum; Aut fiat in minori doſi, vt indigentia requiret.
Valet vnguentum citrinum, baſilicon, aureum, & ſimilia, ſigilleturque tandem cum vnguento de minio.

Anno Domini 1546.die 15.Octob. in ciuitate Cenedæ, caſum præ manibus habui, in excel. iuris
vtriuſque Doctore, domino Petro Bragino, ex his, qui de raro contingunt: et eſt valde
ſimilis ei, quem adnotauit bonus ille chirurgus Ioannes de Vico in Reuerendo domi-
no Faccio, tituli ſanctæ Sabinæ, Cardinali. Pariter Venetijs in monaſterio ſanctæ Lib.4.& de vlceribus cap. vlti.
Crucis Iudaicæ 1551. in quadã moniali coram Trincauelio, & Sicco; Nec-
non aliud 1552. in contrata Sancti Angeli coram Buriano in quo-
dam Buranello. Et hos omnes ſecundum canones antedictos
curauimus, quemadmodum & alios vnuſquiſque pote-
terit ad laudem Dei benedicti curare, ſi diligens
obſeruator extiterit, atque operator in hac
arte. Et hæc ſufficiant de tu-
moribus cholericis.

LIBRI PRIMI.

TRACTATVS QVARTVS.

De Tumoribus pituitoſis.

De œdemate. Cap. I.

CVM de tumoribus, qui ſuccis calidioribus contrahuntur, diſputatum ſit; nunc de contrarijs agamus, ab œdemate, vel vndimia deſumpto principio. Eſt enim talis paſsio pituitoſus tumor ex naturali pituita;& eſt aliqualiter eleuatus, & expanſus; interdum verò expanſus, & non eleuatus; albus, mollis, indoloroſus, digitis cedens; abſque caliditate, cum membri grauitate, & frigiditate; & cum in eo digitus imprimitur, fouea remanet. Dicitur autem vndimia, quia dum tangitur, eius materia inundare videtur.

14.metho.ca.4. & 2.ad Glau.vbi de œdemate. Lib.4.cap.27. Lib.15.cap.1. 7.ad Alm.ca.12 3.f.4.tr.2.cap.2 7.coll.36. Lib.de ſenſu, & ſenſib. 3. de inter.aff. cap. 7.

Sicut autem ex bilioſa fluxione eryſipelas, & ex melancholia cancer; ita ex pituitoſa conſtat œdema auctoritate Gal. quem ſecuti ſunt Paulus, Aetius, Raſis, & Auic. Eſt igitur cauſa materialis huius tumoris phlegma naturale. Signa autem, tumor, albus, eleuatus, mollis, indoloroſus, frigidus, & digitis cedens; nec caliditas in eo reperitur, niſi per accidens, dum putreſcit; quia tumor omnis, dum putreſcit, calefit. Talia apoſtemata, dicit Auer. ſunt apparentia, & oculis diſcreta, & quaſi ſemper ſimplicia; & eſt de frigidorum genere: quia eius materia in actiuis eſt frigida, & in paſsiuis humida. Nec reperitur in homine frigidior pars, quàm cerebrum, quod eſt minera pituitæ, Ariſtotelis auctoritate.

Gal. 14.metho. & lib.de tumo. cap. 8.

Ariſt.2. metheorum.

3. de ſymptom. cauſ. cap.3.

Differt hęc paſsio à melancholicis, dicit Auic. duplici differentia, ſcilicet in genere cauſæ materialis, ex doctrina Gal. quia aliud eſt materia pituitæ, aliud bilis atræ, quamuis bilis ex pituita generari poſsit, vt patet in ſcyrrho. Differt etiam per aliqua inſeparabilia accidentia; per duritiem, nam hoc molle eſt, illud verò durum; per colorem, quia hoc album, illud fuſcum, aut ad nigritiem tendens; hic aliqualiter ſenſibilis, ille verò ex toto inſenſibilis. Dicit Auic. quòd eſt de genere eleuationis: tamen de ſui natura, & eſſentia in eo non reperitur multa eleuatio, cum eius materia tenuis ſit, niſi acquiſiuerit aliam naturam per admixtionem, aut aduſtionem, & per conſequens ſit fluxibilis. Forſitan dixit, quòd eſt de genere eleuationis, ideſt tranſit in eleuationem, hoc eſt, in flatuoſum tumorem; nam ventoſitas cauſatur ex reſolutione ſubtilium, & ſiccarum partium frigidorum elementorum, quæ, cum prohibitam inuenit tranſpirationem, eleuat, vt in tumefactis videri poteſt. Dicit Gal. Ventoſitas in ventre naſcitur, dum materia phlegmatica liqueſcit, atque diſſoluitur, debili agente caliditate. Vnde dici poteſt, quòd cum reſoluitur hic morbus, poſsit tranſire in eleuationem, & erit de genere eleuationis. Differt tamen vndimia ab eleuatione; quia eleuatio, ſicut œdema, non cedit, & ſonitum veluti timpanum reddit, & Princeps dicebat; Et quantò plus materia phlegmatica eſt ſubtilior, & magis madida, & mollificatio eius vehementior, digitus facilius penetrat in eo phlegmate, quod comprimit ab extra, ideſt tumet. Non cum prohibitione eius materiæ, quę eſt in eo apoſtemate, quod eſt eleuatum, ideſt ventoſum; nam talis flatus digiti ingreſſum prohibet: quod in œdemate minimè contingit; imò in eo remanet fouea poſt digiti compreſsionem. Et plurimum eius, dicebat Auic. ſupple, eleuationis in vndimia, eſt à vapore phlegmatis, ideſt à ventoſitate ab ipſo phlegmate euaporante, & Gal. ſecundo ad Gla. vbi de œdemate, ait; Oedema aut vocamus tumorem mollem, doloris expertem, quē ex pituitoſa ſubſtantia, aut ſpiritu vaporoſo fieri conſtat. Eſt tumor ſine dolore, quia materia benigna ſatis eſt. Et ſi de natura frigidi conſtringendo, & lacerando ſit cauſare dolorem, non tamen omnis frigidi, ſed in ſummo. Hæc verò pituita, cum ſit ſanguis diminutè decoctus, ſapit naturam ſanguinis. Neque eſt de genere illius frigiditatis, de qua infrà, vbi de nodo dicam. Dicebat Auic. Dolor non concomitatur frigidum, ideſt phelg. apoſtema: cuius rei potiſsima ratio eſt hæc; quia cum materia eſt humida, nullo modo poteſt cauſare dolorem, frigiditas poſtea membrum ſtupidum reddit. Eſt tumor albus, quia nullus eſt alius humor in nobis albus, niſi pituita. Eſt molle, quia ſapit naturam aquæ in colore, odore, ſapore, & ſubſtantia. Dicit Gal. quòd vtplurimum in hydropicorum pedibus, atque tabidorum apparet complexio corporis cachochima facta, cum hepar à propria temperie per frigidum lapſus eſt. Verum hæc paſsio inter accidentia, & non morbos, enumerari debet. Generatur hic tumor fere ſemper ab antecedenti cauſa; cum dictum ſit à Gal. quòd natura ſemper ſanguinem bonum à malo ſequeſtrare intendit; & ſi potens eſt, eum ad extrinſeca demandat. Contingit hic tumor in extremis, & infimis partibus, cum grauis, & ponderoſus ſit. Dicit Princeps; Et quandoque accidit ex percuſsione, & ſimilibus.

Gal.14. metho. Raſis diuis. cap. 127.

Auic.1.f.1.cap. de humoribus. 1.f.1.d.3.ſum.1 cap. 10.

14.methodi.

5.de aff. inter. cap. 2. Lib. de atrabile. c 4.& 2. de diff. feb. cap. 5.

ſimilibus. Et non concurrit materia, quæ attrahitur ad locum,niſi phlegma; & tunc non apoſtematur præter apoſtema phlegmatis, & illud eſt parum; & non euacuatur à dolore. Hoc dixit Auic. quoniam tumor à primitiua cauſa non fit, niſi quia ad locum læſum humores calidi à natura tranſmiſſi, prout eſt ſanguis, & ſpiritus (cum hæc ſint vitæ principia) concurrere conſueuere: tamen interdum concurrit phlegma; non autem euacuatur à dolore, quia ibi fit tumor talis,ſed quia iam facta eſt continui ſol. violenta, ac ſecum ſemper eſt calidi ſucci proportio aliqua. Et quando dicit, non concurrit niſi phlegma, eſt verum, pro maiori parte, ſed raro hoc contingit; Et ideò ſubdit Auic. Et illud eſt parum, ideſt raro contingens. Nec dicendum eſt, & illud eſt parum, ideſt in parua quantitate, quia dixit,non concurrit, niſi phlegma. Tales tumores in hyeme, in ſenibus, mulieribus, & crapuloſis multiplicantur. Dicebat Raſis; Apoſtema molle, quod digito, cum premitur, cedit, aliquando eſt ægritudo ſola; aliquando comitatur aliam ægritudinem propter debilitatem digeſtionis. Hic morbus interdum dicitur mollis tumor, interdum laxus tumor, ab aliquibus ydema,œdema, vndimia &c. Determinatur autem vtplurimum per reſolutionem, raro ad ſaniem deuenit; & quandoque ſine dolore cum ſanie tenui, & non alba. Terminatur quandoque ad duritiem, malo adhibito regimine, tum in regimine vitæ, tum in localium applicatione.

3.4.tract.2.c.2
Modus improprius loquendi
Non eſt ſine dolore.
7.ad Alm. 12.

De cura œdematis. Cap. II.

ACtus actiuorum fit in patiente bene diſpoſitio; nam forma non introducitur in materia, niſi materia prius fuerit bene diſpoſita, & inſtructor non patitur à materia, ſed materia ab illo. Hinc dicere volo, quòd hæc paſſio eſt de numero illarum, quę cum facilitate ſcirrhotizantur, & indurantur. nam in habentibus ſimbolum facilis eſt tranſitus. Eſt enim talis materia frigida, inobediens, & cum difficultate digeritur, & præparatur. A medicamento verò non opportuno in qualitatibus proprijs, & debito tempore non adminiſtrato, ex ipſius phlegmatis ſubtilium partium reſolutione, craſſæ indurantur: quod ſæpe adnotauit Galenus. Hoc igitur animaduertens Auic. in eius cura pluribus vtitur ingenijs; & dicit; Euacuatio quidem, quæ fit cum ſolutione ventris, & abſtinentia ab eo, quod generat phlegma, eſt res, quæ eſt neceſſaria; ſed oportet eam loco, & tempore applicare, quæ talem ſuccum reſoluere ſit potens.

Ariſt. 2. de anima tex.com.24.
Gal. 1. de differentijs febrium cap. de febre peſtilentiali.
Ariſt. 2. de anima tex.45.
Ariſt. 1. de gen. & cor. tex.24.

In primis igitur hæ duæ intentiones celebrandæ ſunt: poſtea ad localia deuenire oportet. De victus regimine dicebat Raſis; Aeger ſuū attenuet regimen, & à faſtidio ſe, & aquæ multiplicatione cuſtodiat. Sit ergo eius dietha ad caliditatē,& ſiccitatē tendens; dimittēdo piſces, caſeum,legumina,olera,& omnia pituitam multiplicantia, ſcilicet difficilis coctionis. Carnes verò ſint aſſatæ, facilis digeſtionis, & boni nutrimenti: ſicut vituli, hædi, caſtrati iuuenis. Aues omnes, prętęr paluſtres, vt turdi, perdices, faſiani, turtures, & iuuenes pulli: piſces que rubei ſaxatiles, conceduntur. Frigida verò, & cruda dimittantur. Potus ſit vini mediocriter potentis, clari, & odoriferi. Aqua non conuenit, niſi apparente febre, aut aliquorum membrorum intrinſecorum euaporantium debilitate.

7.ad Alm.ca.12.

De euacuatione dico ex eo, quia talia apoſtemata ſunt de genere chronicarum paſſionum, ideò concoctionem,ſeu præparationem, ſeu adæquationem expectant, & euacuationem in tempore debito. Dicit Auic. de mente Gal. In diurnis morbis expectanda eſt concoctio, non in alijs. Quòd hæc paſſio ſit ex diurnis, patet auctoritate Hypp. vbi dicit; Mollis tumor dolorem non inferens,& digito cedens, longiori tempore finitur, ſed non ita graue ab eo periculum pendet. Sed notandum vnum eſt, quod notarunt Gal. & Paulus,nempe aliter quoque œdemata prouenire, ſiquidem in pedibus, in ſubter cutem aquæ affectibus, habitu corporis contabeſcente, qui phrhoe Græcè dicitur, & malo habitu, qui cachexia: atque in illis quidem tumor hic accidens eſt. De qua paſſione hic ſermo non erit, ſed de œdemate, quod ex pituitoſo humore in particula influente conſtitit. In hoc digeratur materia, vt docet Auic. de intentione curæ febrium putredinis, vbi dicit; Intentio in digerendo eſt æquare ſubſtantiam materiei, ita vt fiat præparata ad expulſionem facilem. Et ſubtile imbibitum, & groſſum fixum, & viſcoſum adhærens, totum illud non eſt præparatum ad expulſionem facilem; imò eſt neceſſarium, vt inſpiſſetur ſubtile, & ſubtilietur groſſum paulatim,& incidatur viſcoſum. Phlegma enim quoddā ſpiſſum, & viſcoſum eſt; ideo ſubtiliatione, & inciſione indiget. Ideò dicebat Auic. Apoſtemata tumida, quæ œdemata vocantur, curantur medicaminibus vim calefactoriā habentibus cum tenui ſubſtantia, vt flatus diſſoluatur, meatuſque exigui dilatentur. Nam horum apoſtematum tumidorum cauſa eſt craſſus humor, & flatus, ac meatuum obſtructio. Oportet adhuc ſtudere,vt amoueatur ea materia, quæ vaporem gignit flatuoſum. Digeratur igitur talis pituita, & laudatur ad hoc ſyr. acet. Teleniabin zucharinum, biſantinus cum aceto, oximel, mel roſaceum, acetoſus de duabus radicibus, acer. diarodon, & ſimiles, cum aqua fœniculi, ſcabioſæ, apij, cichoreæ, menthę, boraginis, &c. Facta digeſtione, quæ paulatim fit, dicit Princeps; euacuetur materia cum pillulis, quia ſunt fortiſſimæ operationis; ſicut ſunt pillulæ fœtidæ, aſſaiareth cum ag. aureæ, de euforbio, ſine quibus, de hermodacidis, de benedicta, & ſimiles. Aut ſi opus fuerit, R. caſſiæ penè no. ex. ℥.x. ellect. indi maioris ℥. ij. agarici troc. ℥. j.

4.f.1 cap.3.
1.aphor. 24.
1. prognoſticorum. 38.
14. methodi,& 2. ad Glau.
Lib.4. cap.27.
4.f.1.tra.2.c.7.
Gal. 1. aphor. 22. & 2. aphor. com. 9.
4.f. 1. cap. 25.

quarum cychoreę, fæniculi an. q.s. Aut R. elléct. lenit. ℥.j.Indi maietis,diaprunis ſol.an. ʒ.ij.aquarum cychoreæ,ſcabioſæ an. q.s. Aut R. elleƈt. de ſebeſtem ℥.j.confectionis hamech ʒ.ij.ſyr.roſ.ſol.℥.ij. aquę fumariæ, q.s. Confortetur ventriculus, & hepar, ne has multiplicet humiditates: quia dicebat Auerr. 7.coll.cap 31. Apoſtemata mollia, quæ fiunt de phlegmate non multum groſſo, multotiens ex hepatis errore contingunt. Et ſi corpus plethoricum apparuerit,baſilicam ſecare non erit abſurdum; idque magis in ſanguineo corpore. Nam aliquando expellitur talis humor mixtus, quia eſt multi ſanguinis ſuperfluitas. 1.f.3. cap.31. Nec Auic. hoc negaret.

De localibus Auic. ſecundùm temporis diuerſitatem diuerſas facit conſiderationes, & dicit; Cum factum fuerit iſtud, ideſt euacuatio, oportet, vt ſit repercuſſio eius in principio cum eo, quod aggregat exſiccationem, & reſolutionem. Igitur conſiderandum eſt, nunquid materia adhuc fluat, vel iam fluxa eſt: quia ſi fluens eſt, eam aliquo ingenio retinere debemus, ne tota ad vnum tantum locum concurrat; quia ſua ponderoſitate, & frigiditate adeò mẽbrum lędere poſſet,quòd innatus calor materiam regulare, vel reſoluere non valebit. Hoc opus duobus ingenijs fieri poteſt, aut apocruſtico medica- 7.ad Alm.cap.12 mine, cui inſita ſit vis, & ſiccandi, & reſoluendi,vt docet Raſis,R. aloes,mirrhæ litij,acathiæ,ſieph,memite, ciperi, croci orientalis, boli armeni an. partes ęquales,& cum aceto fiat linimentum. Hunc etiam 3.4.tra.2.cap.3. laudat Auic. aut cum faſcia, membrum totum tumidum inuoluendo; Ideò ſi membrum tumidum faſciari poteſt, incipiendo à decliuiori loco,aſcendendo cum faſcia opportuna, non veteri, quia retinere 14. methodi, non poteſt, nec noua, quia dolorem cauſare ſolet, locum inuoluere debemus, vt docet Gal. aliqualiter ſtringendo, ne fiat triſtis ſenſus; nec fortiter ſtringatur, vt vita ad membrum venire poſsit. Sic enim materia ad diuerſas regiones ſpargi poſſet, & ab actione tantum naturæ reſolui. Hunc modum 7.ad alm.12. docet Raſis, vbi dicit; Valet ligatura immediatè ſuper apoſtema fortis conſtrictionis, quę ad vtranque tendat partem. Sed Princeps dicit; Et ſtrictura cum ligamentis confert ei,in quo non eſt materia groſſa,& oportet,vt in illa ligatura ſit incæptio ab inferiore ad ſuperius. Cognoſcitur autem, quando materia eſt ſubtilis, quia cum quieſcit æger, videtur reſolui: cum autem eſt groſſa, non reſoluitur. Cum ligamus, ab inferiori parte cum principio ligationis incipere debemus, & ibi magis ſtricta ſit, quàm ſucceſsiuè procedendo: ligamentum verò totam tumefactionem amplectatur: vnde dicebat Gal. Si in 2.ad Glauconẽ. aliquo talium membrorum fuerit œdema,incipiendo ligaturam in imis partibus, finire oportet in altioribus, adiectionem, & compreſsionem, & vniuerſam diſtributionem faciendo, velut in fractionibus. 14.metho ca.4. & 2.ad Glau.10 Si autem finem deſideratum tali medio conſequi non poſſumus: tunc iubet Gal. quòd debemus manibus inunctis roſaceo, membrum diu fricare; aut fortiori fricatione,ſicut dicit Auic. cum mantili, ideſt panno lineo exaſpero fricatione dura. Frictio talis ſit ad medicinarum in profundo faciliorem penetrationem, obſtantibus poroſitatibus membris ſtrictis ob materiæ viſcoſitatem. In corpore autem forti, 13.contin. aut in ignobili membro præcipit Gal. fricare cum aceto, aut oxirodino, & ſale. Et Raſis cum lixiuio, 2.ad Glauconẽ. aceto, ſale, & alumine. Quod medicamentum laudatur à Gal. dicente; Mox poſt fricationem ſpongiam nouam infuſam in poſca ſuperponimus, cui addas aliquid ſalis, vel aluminis. Et ſi non habebis ſpongiam nouam (dicebat ipſe) accipe quancunque haberi poteſt, & ipſam laua cum ſapone, lixiuio, & vitello oui: aut abluatur ex aphronitro, nitro, & conia ſtacte, ideſt lixiuio: ſed ſpongia noua omnino applicetur. Et princeps dicebat; Deinde, ideſt in augmento,adminiſtrentur ſuper ipſum exſiccatiua, & non oportet, vt contangat ipſum aqua. Et de illis, quæ bona ſunt, eſt, vt adminiſtretur ſuper ipſum ſpongia noua infuſa in aceto commixto cum baurach,& aqua cineris: in ſubſtantia enim ſpongiæ ſunt exſiccatio, & reſolutio. Dicebat Serapion cap. de ſpongia marina; Virtus ſpongię marinę prima eſt, quia deſiccat; & ideò Dioſcorides dicebat, quòd reſoluit apoſtemata phlegmatica. Vnum notãt 14.methodi. Gal.et Paulus, quòd ſi nouæ ſpongiæ copia non ſit, melius eſt eo, quod vulgus vocat ellychnion, vti, Lib.4. cap.27. ideſt panno duplicato, aut triplicato: id verò ante omnia molle eſto. Dicit Auic. & quotiens additur ęgritudo, ponatur acetum, in quo infunditur ſpongia fortius parum, quia eſt minus aquę permixtum: aut cum ſucco chelidonię, & eſt glaucium Gal. & Pauli, cum nitro. Aut R. calamẽthi, origani, abſinthij, mentæ, florum chamæmeli, hypericonis, an. m.j. baurach. ℥.ij. lixiuij. q.s. fiat decoctum: & ſume ſpongiam nouam in dicto decocto infuſam, & ſuperpone, & liga. Aut R. florum ſalicis, nenufaris, mirthi. an. m.s. farinæ cicerum, fabarum, lupinorum an.℥.ij. bulliant omnia in lixiuio vſque ad conſumptionẽ lixiuij,& adde olei de abſcinthio,mirthini,roſati an. ℥. j. ſalis m j. miſce, & fiat emplaſtrum. Aut R. cineris cribrati, ſulphuris ſubtilis an.℥.iij. pulueris nucum cupreſsi ℥.i.s.cimini, ſalis, an.℥.i. lixiuij q.s. bulliant omnia ſimul; & adde farinæ cicerum, fabarum, an.q.s.pro emplaſtro. Sequitur Princeps; In ſtatu ad vltimam exſiccationem deueniendum eſt, & ibi laudat ſpongiam in fortiſsimo aceto, aut in lixiuio facto cum cinere fici, & vitis; & dicit, quòd oportet, vt ſpongia omnia latera tumoris amplectatur, ne materia ad latus aliquod declinet: aut infundatur ſpongia, aut ellychnion in aqua calcis, Ra lib.de med. per genera. quia eſt fortiſſimæ operationis. Laudat Gal. emplaſtrum, ex farina millij, & ſucco granatorum. Aut fortius,R. ſpumæ argenti ℥.iiij. adipis porci ℥.viij. olei veteris ℥.iij. radicum altheę.m.ij.decoquantur radices in vino, & aceto; ſubtractis poſtea addas argenti ſpumam, & agita omnia ſimul ad emplaſtri modum. Ego verò vtor medicamento ex rutha, melle, & ſale, & mirabilem vidi operationem. Aliud, R. ſulphuris, mirrhę, ſalis an. olei veteris,aceti. an. q. s. pro linimento. Laudatur ſtercus vaccinum, &

valet,

valet, quia mollit, & reſoluit. & Auic. iubet fieri emplaſtrum ex ipſo, cum olibano, ſthorace, calamo arom. ſpica, & abſinthio: & dicit, quòd eſt fortis iuuamenti. Aliud fortiſsimæ operationis. R. foliorum intybi, radicum ſalicis, aſfodillorum, foliorum thamariſci, liliorum an. m.i. fermenti, tartari vini, calcis ablutę, ſulphuris, an. ℥.i.olibani, ſtoracis, pinguedinis cerui, medullæ crurium vituli an. ℥.ij. aquæ caulium q. s. bulliant omnia vſque ad ſpiſsitudinem; & adde, olei mirthini, rutacei q. s. croci parum pro emplaſtro: Medicamentum in ſcirrho Galeni, vbi iubet malaxare tumorem cum aceto, 14.metho.ca.5. in quo extinctus ſit lapis, aut molendini, aut pirites, ideſt marcheſitæ: deinde in oleo antiquo veteri, agreſtis cucumeris, & althee radices decoquere, ac locum emplaſtare: & ibi ſummè laudat acetum; & dicit, quòd virtus aceti, ſi quis ea moderatè, & ſecundum decens tempus vtatur, iuuat has diſpoſitiones, & diſſoluit groſſos humores: ſi verò immoderatius; vel non in tempore decenti, quod ſubtilius rapiens, reliquum ſinit lapideum fieri: & dicit, quòd nullo modo in locis vtatur neruoſis. Et Auic. dicebat; cum hoc apoſtema eſt in loco neruoſo, ſpiſſo, aut ligamento, aut corda, permiſceatur ſuccus mirthi cum medicinis incidentibus cum lenificatione. Dicit Gal. in antiqua tranſlatione (nam 2.ad Glau. 10. in noua eſt ſententia de ſcirrho) ſi verò talis tumor antiquus, & inueteratus ſclirosim fecerit, & ſi penitus ſine ſenſu fuerit, hunc talem moneo relinquas, ne incaſſum labores, quia inſanabilis eſt. Si verò ſentit, vel permodicum, & non penitus eſt inſenſibilis, propè ſanabilis eſt: tamen non ſatis facilis ad ſanitatem: Vnde ſi videbitur ſclirrotizari, R. mucilaginis al. ſem. lini, fenu græci, pinguediuis gallinæ, anſeris, medullæ crurum vaccæ, ireos, florum chamæmillæ an.℥.ij. ſthoracis liquidæ, olei chamæmillini, pulueris mirrhæ, thuris an.℥.j. ceræ q.s. pro cerato. Aut R. aſſungiæ porcinæ, pinguedinis gallinæ, anſeris, anatis an.℥. iij. farinæ fen. græci, ſem. lini, an.℥.i.bdelij, opoponacis, thuris, an.℥. s.diſſoluantur gummæ in aceto, & cum cera fiat vnguentum. Si autem cum tali tumore dolor adfuerit, hoc erit, aut quia ad ſuppurationem tendit, quod rarò contingit: Vnde medici de chyrurgia nullam fecere mentionem; 2.aphor. 47. cum dicatur, circa generationem ſaniei dolores, & febres magis accidunt &c. Quod ſi ſic erit, (quod cognoſcitur ex loci rubedine, pulſatione) &c. retineatur calor cum medicina viſcoſa, attractiua, & calida: vnde R. maluæ, branchę vrſinę, radicum altheæ, liliorum an. m. j. cepas alb. ſub prunis decoctas numero ij. fermenti ℥.ij. farinæ ſem. lini, fen. græci an.℥. iij. limacias coctas num. vi. aſſungiæ porcinæ ℥. iiij. miſce, & bulliant in decoctione caulium, & piſtentur; & adde croci ℈. i. Digeſta materia, non expectes, vt ex ſe rumpatur, quia, tardè. Nec ferro incidas, ſi poſsibile fuerit, ſed potentiali cauſtico aperiatur. Cum enim à ferro inciditur, vulnus facillimè ad fiſtulam deducitur ob loci malam, frigidamque qualitatem. Cumque facta fuerit loci perforatio, euacuetur materia, & locus tali medicamine mundificetur. R. ſucci apij, praſsij, abſynthij an.ʒ.i.mellis roſ.℥.ij.therebentinę clarę ℥.iij. bulliant omnia ſimul, vſque ad ſucci conſumptionem, & adde farinæ hordei ℥. ij. vnguenti ægyptiaci ℥.s.miſce, & fiat vnguentũ. Incarnetur poſtea cum vnguento baſilicone, aut citrino, aut aurea, aut R.terebēthinæ claræ, olei maſticini an.℥.iij. ſepi hircini, caſtrati, vaccini an. ℥.s.centaureę, conſolidę maio. & min. mille folij, comarũ roris marini, linguæ paſſarinę an.m.i.piſtentur omnia, & extrahatur ſuccus; & addatur mirrhæ, ſarcocollæ, thuris, aloes an.℥.s. maſtiches ʒ.iij.reſinę pini ʒ.ij.bulliant omnia ſimul lento igne, vſque ad conſumationem ſucci; deinde coletur, & cum cera alba fiat vnguentũ ſecundùm artem.

Aliquando verò dolor accidit propter materiam calidam admixtam, & tunc propter talem diſcraſſiam dolor contingit. Et Princeps dicit; Oportet, vt ſedetur dolor cum hyſopo humida, & ſapa cum oleoros.auctore Gal. aut inungatur cum vnguento roſato Meſue. Et ſi peccauerit ſanguis (quod co- 14.metho.ca.7. & 2.ad Glau.c.3 gnoſcitur ex ſignis phlegmonis) R. foliorum maluæ, violarum an. m. i. radicum linguæ bouis, althee an. ℥.iij.ſeminis cytoniorum ℥.i. hordei mundi m.ij. bulliant omnia ſimul in ſufficienti aquæ quantitate, vſque ad hordei crepaturam; deinde piſtentur, & cribelentur, & adde olei roſati, mirthini, violati an.℥.ij. pinguedinis gallinæ, vnguenti roſ. Meſ. an.℥.i.ſepi vitulini, pinguedinis cerui, ceræ albę an.℥.ij. bulliant iterum ad ignem leui ebullitione, & fiat vnguentum, aut cum farina hordei, & ſem. lini fiat emplaſtrum. Rarò equidem dolores ab his cauſis contingere ſolent, ſed vtplurimum à ventoſitate, 12.metho.ca.8. ſicut docet Gal. dicens; Craſsis verò, humidis, & viſcoſis humoribus dominantibus, nimia reſolutio, & exſiccatio contrariiſsima exiſtit, & multum eorum vſum cuſtodire oportet in talibus diſpoſitionibus, non tamen dolor aliquis ſequitur vehemens hos tales humores ſolos exiſtentes, ſed aliquando complicatur aliquod accidens vaporoſum; & vtplurimum ventoſitas, quæ non eſt potens propter obſtructionem exire, vehementiſsimè omnino, quæ ita laborant, corpora dolent. Craſſa enim, & viſcoſa materia ventoſum ſpiritum apta nata eſt generare. Et talis ventoſitas aliud non eſt, quàm improprius humor attenuatus, & ſub vaporis formam deductus. Et cum talis apparet dolor, locum embroca cum oleo anetino, chamemillino, de abſynthio, & ruta. Aut fac cum his oleis emplaſtrum, & farina fabarum, abſynthio ſicco, ruta, & parum cimini. Valet locum petijs calidis fricare; & ſtercus vaccinum cum floribus chamomillæ, cimino, & oleo roſato ei ſuperponere. Interdum cucurbitulę non ſcarificata laudantur. Aut R. cimini, calamēthi, rutæ an. m. s. ſulphuris. ℥. s. puluerizentur omnia, & cum melle fiat emplaſtrum. Et hæc ſint dicta de tumore pituitoſo à cauſa intranea. Si verò hæc paſſio aliam ęgritudinem ſequitur, vt hydropen, aut ptyſim, dicit Auic. cura eſt remotio cauſæ, ideſt primę ægritudinis, quam ſententiam potulerunt Serapion, Raſis, Auer. & Gal.

DE

De nodis. Cap. III.

NODVS pituitoſus eſt tumor ex non naturali pituita, quæ aut à frigiditate condenſante, aut à caliditate reſoluente in atrę bilis naturam conuerſa eſt. Vnde eſt tumor ſenſilis, albus, abſque caliditate, cuius materia proprio continetur chiſti; & à ſubiecto, in quo eſt, vndequaque ſeparatur. Et dicitur nodus, quia vtplurimum propè nodos oriri contingit:

3.f.4.cap.20.

Differunt inter ſe hæc nomina Auic. auctoritate, apoſtema, dubellet, & exitura: quoniam apoſtema eſt nomen determinatum ſuper omnem tumorem diuerſum in quanto, & quali; aut à materia calida, aut frigida ſiue aggreget, vel non aggreget. Dubellet eſt nomen abſolutum ſuper omnem tumorem, in quo materia fuerit coiuncta, & factus eſt ſinus, aut concauitas ab intra, & talis materia aut fuerit putreſcibilis, aut non, cuiuſcunque ſpeciei. Exitura verò declarat illum tumorem, in quo qualiſcunque materia fuerit coniuncta, erit aut putrida, aut cocta, & quærit exitum. Nam dicebat Auic. Cum aggregatur materia, vocatur exitura. Et Gal. ait; Sic autem nominamus abſceſſus eas diſpoſitiones, in quibus inuicem diſtant, quæ prius ſe contingebant, corpora. Et ſic apoſtema dici poteſt de omni tumore in principio, & aug. dubellet in ſtatu, & exitura in declinatione. Nec reprehendendi ſunt hi, qui dicunt exituram dici ſolum de calido apoſtemate, cum & humores frigidi, dum putridi ſunt, aut digeſti, petant exitum. Nam omne, quod putrefit, fit calidę complexionis, vt declarat Gal.

2.f.1.cap.5. 2. ad Glau. cap. de abſceſsibus.

4. ſim. 3. & 4. methodi 5. & 6. eiuſdem 2. & li. de ſect. venæ c. 2

Sępe in noſtris corporibus, in extrinſecis locis, pituitoſę aliquæ ſuperfluitates originaliter ex non naturali pituita coniunguntur, & ibi tumorem cauſant, qui nodus appellari ſolet. Dicebat Auic. Nodi ſunt dubellet phlegmaticæ, comprehendentes humores phlegmaticos, aut generatos à phlegmate. Et hoc dixit propter duritiem, quę ad tactum in ipſis ſentitur. Nam durities, & maximè chronica, fit à melancholicis humoribus, vnde nodi duris tumoribus aſsimilantur. Nec admirabile eſſet, ſi materia talis eſſet melancholica; nam, vt dicunt Gal. & Princeps. Non eſt longinquum, quin neceſſarium faciat eius obuiatio eſſe melancholia. Verùm nos poſuimus eam phlegmaticam; quoniam radix illius duri eſt phlegma, cui accidit, vt deſiccentur groſſę partes ipſius phlegmatis: vnde redditur ſicut caro, aut ſicut pultis, aut ſicut mel, aut aliud, quod omnino eſt præternaturale. Dicit Paulus, quòd hæc materia ſortitur nomen à ſimilitudine rerum, quæ in tumoribus continentur; alij quidem ipſorum, veluti pingue quoddam, ſeu adeps, ſubeſt, alij melli ſimile quippiam, alij quaſi tenuis pulticula. Et Celſus ait; Sunt aliqui tumores, qui in qualibet parte noſtri corporis poſſunt euenire, generati à materia phlegmatica, non naturali, contenta in ſua tunica: qui propter maiorem, & minorem aduſtionem rebus diuerſis aſſimilantur, & ex paruunculo incipiunt, & diu paulatim creſcunt. Et Gal. dicit, quòd ſunt aliqui tumores, qui omnino ſunt præter naturam, qui dum diuiduntur, ſanè inueniuntur in huiuſce modi abſceſsibus proprietates quædam non paucæ, nec humorum modò, ſed etiam ſolidorum quorundam corporum, ſiquidem vnguium, pilorum, oſſium, teſtarum, lapidum, & pori fragmentorum ſimilia, ac humorum ipſorum, alius veluti lutum, vel cenum, vel olei quidam limus, vel vini fex; alius adeò grauiter olens, vt omnes aduerſentur; verùm hæc rarò incidunt. De hac re multa ſcripſit Aetius. Talis enim pituita omninò eſt non naturalis, & deuiat à naturali infra terminos ſuę latitudinis, quos dum tranſit, non eſt amplius pituita, ſed aliam acquirit ſubſtantiam. Tranſit autem latitudinem propriam multipliciter, aliquando in propria ſubſtantia, dum aquoſatur, ventoſatur, vel aliquo alio modo attenuatur: aut ingroſſatur, & inuiſcatur, & fit tunc phlegma groſſum, aut mucilaginoſum, aut gipſeum per vlteriorem indurationem, aut à frigiditate nimia condenſante, aut à caliditate naturali, vel præternaturali reſoluente. A tali materia producuntur tumores, qui ſortiuntur nomina diuerſa ſecundùm diuerſitatem rei contentæ, auctore Gal. ea ſunt Atheromata, Steatomata, & Meliceris. Celſus verò ſigna proponens dicebat; Atheromati ſubeſt quaſi tenuis pulticula; Meliceridi liquidior humor, quale mel, ideòque preſſum circumfluit; Steathomati, vel adipini, pingue quoddam, quale adeps, aut caro &c. In aliquibus, quale gipſum, vt in podagra, & chyragra, interdum quaſi grana panitij decocti, vt in natibus, & fauoſis tumoribus.

3.f.4. tr. 2. ca. 4.

14. methò. ca. 5. in cap. proprio.

Lib. 4. cap. 34.

Lib. 7. cap. 6.

14. metho. cap. 12. & 17.

Lib. 15. cap. 7. & 8.

Talia apoſtemata ſunt dura, œdemati ea comparando; mollia verò, per comparationem ad ſcirrhum. et aliquando fiunt de genere melancholicarum. Nec reprehendendus eſt Auic. ſi inter attrabiloſos tumores nodos enumerauerit, quando dixit; Et illorum quidem apoſtematum, quæ ex materia fiunt melancholica, tria ſunt genera, durities, & cancer (quorum plurima ſunt acuta) & glandularum genus, ex quibus ſunt ſcrophulæ, & noti. Nam Gal. dicit; Crudi verò, & humidi humores, cum non rectè pertranctantur, per ſpatium temporis exſiccantur, & fiunt melancholici, & apoſtemata ex eis orta fiunt melancholica. Proprium iſtorum eſt, quòd proprio continentur chiſti, & ſeparantur ab omni parte à mēbro, in quo ſunt, nec fixi, aut imbibiti ſunt in mēbro, ſicut cancer, aut ſcirrhus, vt optimè declarat Auic. Et Raſis dicebat; Iſti nodi ſunt plurimorū modorum, quibus omnibus cōmunicat, quòd ſeparantur à carne corporis, & mouentur cum mouente eos, ſicut res in chiſti, & tolerant, vt ſuper eos fiat compreſſio.

3.f.1.cap.5.

14. methodi.

3 f.1.cap.5. Diuiſ. 130.

Veſica

Veſica verò, aut chiſtis, membranaue, aut panniculus, aut ſacculus, vel ſaliculus, vel tunica, vel velamen, aut callus, aut quocunque modo dicas, talem continens materiam, ſic generatur: quia nodorum materia eſt frigida, & craſſa cum viſcoſitate; quæ cum ſit talis, eſt apta vniri, non autem ſpargi, ſicut in œdemate: & quantò magis eſt frigida, tantò magis inſpiſſatur, & vnitur. Agens poſtea in eam innatus calor, partem exſiccat extrinſecam, & ipſam magis vnitam reddit cum quadam ſoliditate propter viſcoſitatem, & panniculi naturam acquirit cum aliquali tenacitate. Materia verò melancholica, quia frigida eſt, & ſicca, cum non habeat viſcoſitatem, ex ea chiſtis non generatur; ideò ſcirrhus panniculo non continetur, nec œdema; quia ſubtilis eſt eius cauſa; forſitan quòd naturam ſic ordinauit, vt talis paſsio faciliori ingenio curari poſsit, quàm ſi ad diuerſa loca eſſet expanſa. Dicit Auic. quòd aliquando accidit, vt nodetur neruus, & aſſimilatur nodo, & non eſt de nodis. Et differt à nodis per hoc, quòd non ſeparatur ex omni parte, ſicut nodus. Hoc autem contingit, quando duo neruorum extrema ad medium contrahuntur, & pars media eleuatur. Et ideò, vt ibi dicit Auic. & Raſis, cum compreſsione, & ligatura partes ad primum eſſe reducuntur. Et rurſus Auic. Glandulæ quidem, & his ſimilia à neruorum differunt nodoſitate, eo quia nodoſitas magis fit in ſuo loco manſiua, & eius tactus ſentitur nodoſus. Dicit Cornelius; Quædã ex his dura, ac renitentia: quædam mollia, cedentiaque ſunt; quid intus habeant, vt coniectura præſagari poteſt, ſic ex toto cognoſci, niſi cum eiecta ſunt, non poteſt, quia propria non habent accidentia. Hæc ferè ſine dolore ſunt, dicit Celſus. Similiter Gal. Eodem modo fiunt (inquit) hi tumores, ſicut in renibus lapides, aduſto in eis humore craſſo, & viſcoſo. Generantur in locis ſiccis, dicit Paulus, vt in iuncturis, & concatenationibus, quæ ex pituita nutriuntur. Fiunt ſemper per viam paulatinæ congeſtionis, & rarò ad exituram deueniunt, niſi qui melinus dicitur, in quo ſatis benigna ſubeſt materia, & maximè cum ſecum calidus commiſcetur ſuccus, non naturali agente calore.

7. ad Alm. 2.f.1.doct.1.c.5

Lib.7. cap.6.

14 methodi c 4 Et 7. de comp. med. ca. de relaxantibus.

De genere horum tumorũ enumerantur, ſpecificando, & ea apoſtemata, quæ Natæ, vel Naptæ dicuntur; quæ vtplurimum in capite, & alibi oriuntur, & eſt tumor rotundus, albus, valde eleuatus, dolore carens, niſi fortè adeò magnus exiſtat, vt partes membri trahendo, aliquem dolorem inferat; et ad aſteromata ſpectat. Pari modo & botium, ſeu, vt dicit Albucaſis, hernia gutturis, aut bronchocele, quod in gula naſcitur, & ſcrophulæ, & gangilia, & talia apoſtemata, quæ tamen in proprijs ſuis ſimpthomatibus à nodis differre videntur, vt locis proprijs dicam. Nodus ergo tripliciter ſumi poteſt, communiter, propriè, & magis propriè. Communiter enim omnes tumores frigidi ex craſſa pituita nodi dici poſſunt. Propriè autem omne apoſtema ex phlegmate groſſo quando chiſti continetur. Magis propriè, tumor pituitoſus cum prædictis conditionibus, & ſignis.

De cura nodi. Cap. IIII.

HAec paſsio eſt de macronoxijs; longo enim tempore oriuntur, & breuiter curantur, cum curari poſſunt. Rarò enim, niſi per chyrurgiam, curantur. Nec medicus in his multum, materias reſoluendo, vel emolliendo, aut ad ſaniem reducendo, defaticari debet; quia non curantur, niſi cum proprio panniculo extrahantur. Etſi dictum eſt ab Auerr. quòd nodoſitates triplici medio curantur, aut diſſolutione, aut putrefactione, aut inciſione: non propter hoc reſtat, quòd etſi partes aliquæ interdum diaforentur, quin ſit opus ad manuum operam etiam deuenire; quia non datur cura, niſi per extractionem chiſtis. Vnde dicebat Gal. quòd intentio curæ iſtorum tumorum eſt contentarum rerum extractio, vel earum putrefactio, aut tumoris totalis abſciſſio. Quidam tumores, vt meliceris, in quibus materia ad mellis modum continetur, aut ad milij cocti formam, vt in natibus, interdum per putrefactionem contenti ſucci, & extractionem curantur: quod fit, quando materia obediens eſt: tamen longo tempore operantur, quod membris infirmis eſt moleſtum, & cruciatum affert; vtplurimum verò ſectione, & chiſtis extractione. Adipinum verò, in quo materia ſtat ad modum adipis, aut carnis, aut alterius rei ſimilis: & ſteatoma, in quo materia eſt omnis præter naturã, ſola manuũ opera curatur, cum nec putrefieri poſsit, nec digeri medicamento.

7. coll. cap. 31.

14. metho. cap. 12. & 13.

Habent nonulli horum tumorum, qui ſola chyrurgia curantur, actiones proprias, aliqui verò communes; ſed qui omnino ſunt pręter naturam, oblationem indicant, veluti in ſteatomatibus, & atheromatibus; ac huius certè generis eſt, & qui myrmecia Gręcè vocatur, & qui acrochordon, ac in veſica calculus, & hypochima &c. Non enim in his putrefactio, nec reſolutio expectanda eſt; quia in ipſis non eſt diſpoſitio ad putredinem, nec ad reſolutionem; Nam quodlibet non agit in quolibet, ſed determinatum in determinatum, cum determinatis conditionibus. Hæc omnia finaliter, dicebant Gal. & Raſis, extrahere, aut abſcindere oportet. Præmiſſa igitur vniuerſali euacuatione ſecundùm indigentiam, ne in corpore pleno, aut ratione doloris, aut propter membri nobilitatem, materiæ diuerſæ ad ſectum locum concurrere poſsint, aut cum phlebot. quę ſummè conuenit, conditionibus conſentientibus, aut pharmaco humores frigidos, groſſos, & viſcoſos purgante, ne tranſeant in cauſam coniunctam, vt cum benedicta, hyera, hamech, elect. de dactilis &c. aut cum pillulis de ag. de hermodacti-

14. methodi. Diuiſ. cap. 13.

lis

Lib.7. cap.6. lis maioribus, ad tumoris ſectionem deuenire oportet; et ſcindatur cutis ab eis cum facilitate; deinde excorietur ita, vt egrediatur cum chiſti ſua. Dicit Celſus; Omnia deraſa ante, ſi capillis contegun- Lib.4. cap. 34. tur, per medium incidere oportet, & chiſtim extrahere. Et Paulus dicebat; Conſilium igitur curatio nis eſt commune, vt quod tunica illa contineat, diſcutiatur, aut medicamentis totum exædatur, aut 14. metho.13. ſectione auferatur. Dicebat Gal. quòd ad talem perficiendam operationem diuerſę requiruntur conſi derationes, tum ex temporis curandi breuitate, tum ex curando citra dolorem, tum ex maximè tutè cu rando. Rurſus, vt tutò cures, tria propria ſunt, quibus intentus ſis, oportet: vnum, primumque, vt omnino abſolutionem operis conſequaris; alterum, vt ſicubi hunc non conſequaris, ſaltem ęgrotantem non lædas; tertium, vt vitium non facilè reuertatur. His conſiderationibus ſi optimam curationis viam iudicaueris, inuenientur in omnibus, quæ nunc propoſuimus, quando potius chyrurgiæ, & quan 3.f.4.cap. de cura nodi. do potius medicamentorum ope ſit curandum. Omnes has intentiones etiam oſtendit Auic. Breuitatem quidem temporis, quando dicit; Nodorum, qui ſunt glandoſi, ideſt ex non valde condenſato phlegmate, cura eſt inciſio, aut perforatio, & non aliud, ideſt non reſtat breuior, aut tutior hac via. Operationem indoloroſam autem, quando dicit; Et cum extenderis tibi cutem bene, tunc ſeca eam cum facilitate. Certitudinem verò curæ, quando dicit; Cum incæperis excoriare, oportet, vt egredia tur chiſtis ſana cum eo, quod eſt in ventre eius; illud enim eſt magis certum, quod eſſe poteſt. Oſten dit deinde, quomodo finem deſideratum aſſequi poſſimus, dicens; Si in inciſione, & excoriatione rema net aliquid de chiſti, non incarnes ipſum, donec ſcias, quòd non remanſit aliquid de ipſo; & ſi poſſibile eſt extrahere totam chiſtim cum ſua materia, hoc eſt melius. Tradit etiam, quomodo laborantem nocere non debemus, quando dicit; Et quando currit ab eo res plurima, tunc oportet, vt cuſtodiatur patiens cum conſeruantibus naturam ſuam, & conſeruetur apud ſomnum; fortaſſe enim adueniet ei ſin chopis. Manifeſtat in fine, quo nam modo ægritudo non reuertatur, quando dicit; Et cum perforatur, oportet, vt auferatur chiſtis, quę eſt ei cum complemento ſui; & ſi non cum alio, ſaltem cum vncinis; quoniam cum dimittitur, & ſi minimum ſit, redit faciliter. Et quia dicebat Gal. quòd ſi opus perfici nequeat, labor dimittendus eſt, ne medicus ſubeat notam mali viri; Ideò Auic. dicebat; Si no dus fuerit in manu, aut pede, aut in loco coniunćto cũ neruis, & cordis, non præſumas extrahere ipſum, quoniam faciet cadere patientem in ſpaſmum.

Ingenium operandi in iſtis paſſionibus clarè habetur apud Auic. Auer. Celſum, Antillum, & Raſim, dicentes; Extende cutem, quæ eſt ſuper nodum, cum manu ſiniſtra, aut eam extendant miniſtri, & in cide longitudinaliter cutim totam cum ferro incidente vſque ad chiſtim; & caue, ne eam incidas; quia tunc prohibetur excoriatio. Cum enim inueneris chiſtim, quæ (vt dicit Celſus) oſtendit ſe albam, & duram, excoria eam à loco eam continente cum gamedin, ideſt inſtrumento non multum incidente, extendendo cutim ex omni latere; & excoriando procedas, donec chiſtim totam cum ſuo contento extraxeris. In adipino verò, & mellino ſis ſollicitus, ne chiſtis rumpatur, quia nodus eſt ſatis tenuis, & ideo enumeratur inter exituras. Et ingenia, dicit Auic. vt egrediatur cum ſuo chiſti: quia ſi rumpitur, eius egreſſio erit difficilis. Hunc operandi modum accepit Princeps ab Albucaſi de verbo ad ver- Lib.2. cap.45. bum, vt patet: & ideò credo, quòd Antillus, qui ſæpe à Principe citatur, ſit Albucaſis. Dicit etiam Auic. Si accidit, vt rumpatur chiſtis: tunc quære, vt conſeruetur, quod remanet intra, cum ligamento, ſutura, aut alio ingenio, donec extraxeris totam chiſtim. Deinde ſi ſanguinis hæmorragia non apparuerit, cauitatem vino mellito, aut mellicrato ablues; inde facta loci mundificatione, eum incarnabis. Et ſi contingit, vt partes adinuicem ſint multum diſtantes, poſſunt vniri aut ſutura, aut ligamento ſimul labia aggregante, aut plumaceolis, humiditates contentas in fundo ſinus expellendo. Multotiens hæ operationes non perficiuntur ob timorem aliqualem, aut ne ſecetur res timoroſa; aut quia timidus patiens ſećtionem non admittit; aut eius complexio debilis eam celebrare non permittit; aut tumor eſt adeò magnus, quòd timorem infert: Tunc, dicebant Auic. Antillus, Raſis, & omnes moderni, cutim, & chiſtim incide, aut perfora; & eam humoris quantitatem, quam poteris, extrahe, & ſic in dies, aliquid euacues; Deinde quod remanet, acuto medicamine remouebis: aut cum oleo, & butiro cali Lib.7. cap.6. do fac eam putreſcere; nam chiſtis putrefiet, & egredietur per ſe. Dicebat Cornelius; Vbi vel tota tu nica, vel aliquid ex ea relićtum eſt, pus mouentia adhibenda ſunt. Et ſi aliquid ex chiſti remanſerit, extrahatur, ſaltem cum vncinis, cuius formam deſcribit Albucaſis, & eſt plurium modorum, ſcilicet vnius, & plurium curuaturarum, vt habebitur proprio libro.

Et ſi inciſio, aut excoriatio propter aliquam cauſam opportuna non fuerit, cutis potentiali cauſtico aperiri poteſt; & medicus tunc aſſumat ingenium curæ à qualitate, & quantitate morbi; deinde à loco, natura, & compoſitione patientis membri, cum multa ſint loca, quæ operam expuunt. Sunt igitur cauſtica duorum modorum, ſcilicet debilia, & potentia; nam in mellino tumore (cum eius materia ſa- 3.f.4.cap.31. piat ſaniei naturam) debili medicamento rumpi poteſt, de quibus ſermonem habuit Auic. vt radices narciſsi, aut cannæ recentes cum melle, & oleo irino. Aut R. ammoniaci ℥. vj. glutinis albotim, ſul phuris citrini, nitri añ. ℥. iij. cerę ℥. iiij. fiat emplaſtrum. Aut ex medulla granorum cotti, nuce rancida, fermento, caulibus, & cæpis decoćtis, & ſinapis, & fimo columbino fiat emplaſtrum cum melle anacardo. Aut R. ſalis alchali, calcis non extinćtæ, añ. quantumuis ſubmergantur in aqua, & bul- liant,

liant, poſtea colētur; & iterum bulliat hæc aqua in caldaria de ære, donec aqua congeletur in ſalem. R. iſtius ſalis ʒ.iiij. ſalis am. ʒ.j. mellis anacardi q.s. pro vnguento: Dicit Paulus; Parte fomentis prius nutrita, hæc imponuntur. Vnde Auic. dicebat; De bona autem curatione mellini fauoſi eſt, vt incipiatur, & euaporetur cum aliquo calido. Sed in aſterothemate, & ſimilibus tumoribus, in quibus & materia, & cutis craſſa, & dura eſt, fortiori medicamine vti oportet. De quibus multæ ſunt deſcriptiones apud Paulum, & Principem. Lib.4.cap.34.

Vt R. Tartari nigri aduſti, nitri, añ. ʒ. ij.
calcis, ʒ.i.
terræ ſigillatæ. ʒ.i.s.
bulliant omnia in aqua cineris, vſq; ad ſpiſſitudinē, & ſerua in vaſe plūbeo

Aut R. ellebori, arſenici rubei, añ. ʒ.ij.
corticum æris. ʒ.4.
olei roſati. q.s. pro vng.

Aut R. ſem. vrticæ. ʒ.j.
corticū ęris, arſenici añ. ʒ.s.
olei roſati parum, miſce.

Aut R. calcis viuæ non lotæ ʒ. ij.
calcithidis, auri pigmenti añ. ʒ.i.
miſce.

Moderni verò aliam viam reperiere, apud quos multa medicamenta ſunt deſcripta, & valent. R. capitelli, ideſt primi lixiuij ſaponis, quod magiſtra appellatur, lib. j. vitrioli Romani ʒ.j. ſal. am. ʒ.ij. aluminis rochæ ʒ. j.s. bulliant omnia ſimul in caciola ænea, vſque ad ſpiſſitudinem lapidis. Aut fortius. R. capitelli lib.j. calcis non laboratæ, colcothar, arſenici añ. ʒ.j. bulliant, vt ſupra. Aliud nobiliſſimę operationis. R. capitelli fortiſsimi quantum vis, bulliat in caciola vſque ad ſpiſsitudinem, abſque vlla humiditate, & R. iſtius lapidis lib.j. ſalis am. arſenici ſublimati añ. ℥.j. opij. ʒ. iij. miſce, & tritura omnia ſimul, & ſerua in vaſe vitreo in loco ſicco. Aliud mirabiliſsimæ operationis, R. aceti albi ℥. xx. calcis viuæ, cineris vitæ, calcitidis, aluminis plumæ añ. ℥.j. bulliant omnia, vſque ad conſumptionem medietatis aceti, & permitte clarificari. R. de parte clara ℥. viij. ſalis am. ſalis gemmæ, ſalis alchali, mellis anacardi an. ℥.j. opij ℥.ij. bulliant omnia lento igne, donec fiat lapis. Aliud Raſis, R. arſenici citrini triti, chali, calcis, ziniar añ. ℥.vj. argenti viui ʒ.xij. ſalis am. ℥.iij. terantur omnia in aqua, quæ dicitur prima, donec mercurium extinguatur; exſiccentur poſtea, & terantur, & ponantur in bocia, ignem ſub ea faciendo, donec eleuentur, & ſublimentur; & quod ex hac medicina ſublimatum eſt, ſumatur in vitrea ampulla, & ſeruetur. Aliud, quo vtebatur Pater meus, qui in hac arte fuit magnus experimentator, & eſt mirabile cauſticum, R. ſalis nitri, vitrioli Rom. añ. ℥.x. & pone in elābico, & primam, ac ſecundam aquam extrahe; primam abijcies, & ſecundam ſerua, in qua diſſoluas arſenici albi ℥.ij. tartari albi aduſti (eius aūt aduſtio cognoſcitur, cū fit niger, deinde albus) argenti ſublimati añ. ℥.i. ponantur omnia in caciola ænea nitida ad lentum ignem, vſque ad totalem exſiccationem, & vtere; aut ſolo, aut cum pauco ſapone nigro fiat vnguentum. Et nota, quòd ab his medicinis eſchara cauſatur, quæ aut peruenit vſque ad chiſtim, vel non; ſi peruenit vſque ad chiſtim, reliquum cum facilitate excoriari poteſt; nam redditur locus fere inſenſibilis: remoueatur igitur eſchara cum butiro recenti, aut aſſungia porcina non ſalita, aut alio ingenio: denique ſi opus fuerit, reliquum ſecetur, & operator ſit cautus à ſanguinis fluxu, qui multotiens contingit. Et ſi ibi fuerint venæ, aut artheriæ magnæ, eas adligare oportet. Sciat etiam operator, quòd cauſtica & dolores, & intemperiem adducunt; vnde non eſt ab re, locum cuſtodire cum defenſiuo, & cum olei roſati embrocatione confortare. Quod etiam præcipit Paulus in fine capitis, quando dicit; Quæ ambiunt partes orbiculatim, omnes prius delinito ceruſſa cum roſaceo. Extrahatur materia; & ſi pelliculæ cum aliquali ſordicie in fundo cauitatis remanſerint, abſtergantur cum vino mellite, & vnguento ęgyptiaco. Multotiens verò, aut quia ſic requirit morbi eſſentia, aut propter fluxum ſanguinis, aut ad dolores ſedandos, aut ad loci rectificationem, aut ad prohibendum reditum ęgritudinis, aut ad eradicationem morbi, & loci mundificationem, & ad multa alia accidentia euitanda, cauſtico actuali, & ferro ignito vti opus eſt. Præterea notandum eſt, quòd aliqui horum tumorum in radice ſua adeò tenues ſunt, & vndecunque à membro ſeparati, quòd tantùm ligatura cum ſerico remoueri poſſunt, aut abſcindi in eorum radice, vt præcipit Auicenna, quando dicit; Et ſi magnificatur ſuper ipſum plurimum propter compreſsionem nodi, tunc abſcinde radicem eius totam, deinde cura. Generantur aliquando nodi, dicit Auic. & Raſis, in vola manus, & ſuper frontem, aut inter focilem, & raſetam ad auellanæ quantitatem, aut parum plus, & eſt ſicut glans. Et dicunt iſti, quòd ſi in principio comprimantur, ſeparantur. Sed cum magnificantur, eorum cura eſt cura nodorum. Igitur cum apparent, debent comprimi; deinde ſuper ipſos, ſtringatur plumbum, aut aurum grauis ſtricturæ; quoniam digerit ipſos, & præparat ad reſolutionem, aut truſtum pergamenæ, vt docet Raſis, cum aloe, bitio, mirrha, acatia, & glutine piſcis. Hæc fiunt, quando paſsio eſt in loco neruorum, artheriarum, venarum, aut membrorum timoroſorum, & nobilium.

7. ad Alm. cap. 15.

Cap. dè glandulis. In diuiſionibus

De ſtrumis. Cap. V.

14.methodi. 3.aphor. cõ.26.
Lib.4.cap.33.& lib.6.cap.35.

SCROFVLA, aut ſtruma, dicebat Gal. eſt glandula in ſcirrhoſum affectum mutata. Et rurſus alibi dicit; quòd eſt glandula tumefacta, dura, à phlegmate groſſo, viſcoſo, apto chiſtim generare. Ideo vtplurimum proprio chiſti continetur. Et Paulus dicit; Strumæ glandulę ſunt induratæ, quæ in ceruice, alis, & in inguinibus maximè naſcuntur. Et Hipp. dicebat; Struma eſt tumor, ſub quo concreta quędam ex ſanie, & ſanguine craſſo, quaſi glandulæ naſcuntur; maximè verò in collo, ſub alis, & in inguinibus: ſic dicit & Celſus. Struma differt à nodo, quia non mouetur ſecundùm omnem differentiam poſitionis, ſicut nodus, & magis adhęret carni. Nam, dicebat Auic. ſcrofulæ aſſimilantur nodis, ſed differunt ab eis in hoc, quòd non ſunt ſeparatæ, ſicut nodi, imò ſunt ſuſpenſę in carne. Et ad vltimum ſcrofulę ſunt glandulę ſcirrhoticæ. Nonnullæ ſunt priuatæ dolore, & aliquibus aſſociatur dolor; & ſunt difficilis curationis, & maximè cum materia eſt diuerſa. Raro ſtruma tantùm reperitur, ſed plures numero, & dicitur ſcrofula; quia in ſcrofis ſic tumefactæ glandulæ inueniuntur, vel quia multæ iſtarum glandularum ab una oriuntur, ſicut ab vna ſcrofa multę producuntur. Hæc paſsio à Græcis dicitur choeradas, auctore Paulo, vt etiam recitat Aetius, à choeradibus petris, per marinas aquas tranſparentibus, à Latinis verò ſtruma.

3.f.4.tr.2.cap.9
Lib.6.cap.35.
Lib.25.cap.5.
3.locatium c.2. de parotidibus & lib.de ſect.venæ ſum.2.cap.3 & 13.methodi. 2.cap.2.

Dicit Gal. tibi, arbitror, non excidit, vtpote ſępe à nobis monſtratum, ſuperuacanea, quę à valentioribus partibus ob redundantiam, vel qualitatem expelluntur, ea in imbecilliores percumbere; atque hinc accidere, vt glandulæ, quas adenas vocant, facilè fluxiones recipiant, & maximè quæ rariores natura ſunt, quippe valentius et artheriarum, & venarum, & neruorum, & muſculorum robur; imbecillior verò adenoſorum corporum. & ſi adenes, quæ eleuantur, ſcirrhoſæ, & duræ fiant, & maximè circa collum, ſecus aures, & in inguinibus, & ſub aſcellis, & ęgrè ſanabiles, ſtrumæ dicuntur. Raſis dicit; Strofulæ ſunt in collo ſecundùm plurimum, & quandoque ſunt in inguinibus, & in omnibus locis, in quibus ſunt glandes; & eorum ſigna ſunt apoſtema durum, rotundum, albi coloris, quod mouetur cum mouente ipſum, & quandoque ſunt tres, aut quattuor ſimiles nuci in ſuo chiſti. Et rurſus; Scrofulæ in collo ſæpius naſci conſueuere, quæ plerunque ſimul exiſtunt, & aliquando ſparguntur; vnde cum in hac habitudine locum videris apoſtemoſum, quem tangendo durum inuenies, ſcias ſcrofulas eſſe. Celſus quoque dicit, Struma eſt tumor, in quo ſubter concreta quædam ex pure, & ſanguine, queſi glandulæ, oriuntur; quę, vel præcipuè faticare medicos ſolent; quoniam & febres mouent, nec vnquam facilè matureſcunt; & ſiue ferro, ſiue medicamentis curentur, plerunque iterum iuxta cicatrices ipſas reſurgunt, multoque poſt medicamento eſt opus; quibus id quoque accedit, quòd longo ſpatio detinent. Naſcuntur maximè in ceruice, ſed etiam in alis, & in inguinibus, & in lateribus pullulant. Auic. dicit, quòd aſsimilantur nodis, & verè aſsimilantur nodis quò ad materialem cauſam; quia ex phlegmate groſſo ſolent hæ paſsiones generari; quò etiam ad formalem, quia in rotunditate, duritie, & colore. ſed differunt ratione loci, quia ſtrumæ ſunt adenes induratę, & tumefactæ; nec apparent, niſi vbi ſunt glandes aptæ tumefieri, aut vbi ſunt molles carnes; vnde & in mammis repertæ ſunt ſtrumæ, vt Meges Sidoneus recitat. nodi verò habent totum ſubiectum commune. Differunt pręterea, quia nodi ſunt vbique ſeparati; ſtrumæ verò ſunt magis annexæ, & carni infixæ. Communicant tamen in hoc, quòd omnes iſti tumores tunica inuoluũtur, quæ in ſtrumis neruoſior eſt. Datur & aliud accidens ſcrofulis proprium, quo omnino à nodis differunt, quia ex vna ſcrofula plures ſolent generari, ideſt vna apparet, & aliæ conſequuntur, quod in nodis non contingit, & ideò dicebat Auic. quòd aſſimilantur atheeltit, ideſt ſcrofis. Vnde eſt autem, quòd non vna tantùm glandula, ſed plures intumeſcunt, Dico; quòd in locis adenoſis diuerſę reperiuntur adenes, quę naturaliter ſunt paratę ad rheuma ſuſcipiendum; vnde cum ad eas regiones humores diuerſi concurrunt, replentur hęc loca; & ſi materia fuerit multa, diuerſi oriuntur tumores. Non enim impetuosè, aut violenter fit harũ materierum tranſmiſsio, vt fit in motibus creticis, cùm hæc paſsio ſit in numero chronicarum, quia eius cauſa craſſa eſt, & viſcoſa; vnde per partem poſt partem fit eius expulſio, & ideò ſucceſſiuè intumeſcunt adenes, & ſic apparet, quòd ab vna diuerſæ producantur. Ordinantur interdum hæ adenes vna poſt aliam, & eſt tanquam cingulus pendens ex collo. Multotiens vnà permanent, ad modum vuæ racemi.

Lib.diuis.c.129
7.ad Alm.cap.8.
Lib.5.cap. de ſtrumis.
lib.2.cap.42. 13.Contin.
par.aphor.26
In commento. 7.ad Al.cap.8.
1 de criſi c.12.

Albucaſis dicit, quòd ſpecies harum ſcrofularum ſunt multæ; ex eis enim ſunt lapideæ, & ex eis ſunt, quæ continent humiditatem, & ex eis ſunt malignę, quæ curationi non obediunt. Corpora ad tales diſpoſitiones parata, dicebat Raſis, ſunt corpora puerorum, & mulierum, quia humida, & guloſa. Et Hipp. enumerando puerorum ægritudines, ante pubertatis ætatem ſtrumas adducit. Gal. reddens rationem, dicit. In ipſis enim multæ, craſſę, & viſcoſæ ſuperfluitates generantur. Et Raſis dicebat; Scrofulę ex digeſtionis malitia, atque ex faſtidio accidunt. Gal. dicit, quòd in pueris multum de crudo humore gignitur propter eorum ſacietatem, & voracitatem; & eorum ventriculi operatio non poteſt duobus officijs ſimul ſufficere, augendo ſcilicet, & perfectè alendo. Et Auic. dicebat; Homines vehementius diſpoſiti ad habendas ſcrofulas in partibus colli, & capitis, ſunt curta habentes colla, humidarum complexio-

plexionum. Saluiores ſcrofulæ ſunt, quæ accidunt infantibus; & grauiores earum ſunt, quę accidunt iuuenibus. Ratio eſt, in pueris humores ſunt reſolubiles; quia pori ſunt magis aperti, permutanturque eorum habitudines. Strumæ, in quibus dolor reperitur, ſunt difficilis curationis; imò Gal. dicit; Omnis ſtruma eſt difficilis curationis. Dolent ſtrumę aut propter loci ſenſationem, aut propter calidorum humorum admixtionem; vnde in eorum cura ad putrefactionem, aut ſectionem peruenire oportet, ideò ſunt difficilis, ideſt laborioſæ curationis.

13. methodi.

De ſtrumarum curatione. Cap. VI.

AVERROES de ſcrofulis agens, duplicem eius cauſam materialẽ aſſignat: Vnde in cura diuerſæ oriuntur operationes, & dicit; Scrofulæ ſunt apoſtemata dura in carne molli generata; & quæ ex eis fiunt ex phlegmate ſubtili, curari debent cum medicinis reſolutiuis, & mollificatiuis: & quæ fiunt ex phlegmate groſſo, cum medicinis purgatiuis, aperitiuis, cauſticis, & cum ferro incidenti. Cur autem talis materia non poſsit reſolui, in cauſa eſt tum inuolucrum, in quo continetur, tum venarum magnarum abſentia, necnon ſubſtantia propria, quæ minimè eſt muſculoſa, ſed ſeparata, medicinam ineptam reddens, pro craſſa materia reſoluenda; Diaforeſis nanque, reſolutio uè, teſte Gal. & Auic. fit à medicamento, cuius proprietas eſt, vt ſeparet humorem, faciendo ipſum vaporem, & extrahat illum à loco, in quo eſt coniunctus, per partem poſt partem, donec aſſiduatione, illius operationis reſoluat illum; ad hoc autem conducit, viarum amplitudo, pororum raritas, & humoris diſpoſitio, quæ conditiones in huiusmõi tumoribus non reperiuntur; quare ad talẽ operationem deueniendum eſt. hoc autem magna cum pręmeditatione eſt faciendum: Vnde Gal. dicebat, quòd ſtrumæ, quæ fiunt ex phlegmate duro, non curantur, niſi manuali operatione, & aliquando ſunt incurabiles, quæ ſcilicet ſenſu, & dolore priuantur. Quæ verò ex ſubtili pituita, interdũ medicinis mollientibus, & reſoluentibus ſanantur; hę autem nec ſenſus, nec doloris inexpertes ſunt; & proprio panniculo recluduntur. Et dicit, quòd talis pituita innaturalis eſt, & de membro ad membrum tranſmittitur. Et quamuis lapſa ſit à proprio temperamento, tamen eiuſdem naturæ non eſt cum phlegmate reperto in nodis; nec acquirit diuerſarum rerum formas, ſicut illud. Hinc eſt, quòd cum mollientibus, & reſoluentibus medicinis paſſionęs ex ipſo generatæ curantur. Inuictiſſimi Francorum reges ex diuino quodam priuilegio, vt recitat Dioniſius Coronius in epiſtola ante Act. & Ioannes Tagaultius in ſua dedicatoria, ſolo Chriſti ſigno ſtrumoſos omnes, præcipuè die ſancta paſsionis Chriſti, mirabiliter ſanant. Auic. verò dicit, quòd radix fiduciæ in curatione ſcrofularum eſt euacuatio, & ſubtiliatio regiminis; Et verè euacuatio eſt neceſſaria, quia ægritudo eſt de repletione, & maximè ſoluendo phlegma groſſum. Adhuc regiminis ſubtiliatio eſt vera cura, cum hæc paſſio in humidis corporibus generetur. Dictum eſt ab Hypp. Corporibus carnes habentibus humidas famem adhibere conuenit. Fames enim corpora ſiccat. Et Gal. dicit, quòd omnia, quæ exſiccant, ſunt humidarum paſſionum cura. Fames enim per accidens corpora ſiccat. Raſis dicit; Curationis principium eſt, vt ægrum ſemper famem pati, & cænam dimittere facias, neque aquam bibere permittas, neque groſſa nutriatur diętha. Idem voluit in lib. Diuiſionum vbi addit; Et fac ipſum vomere, & ſolue cum eis, quæ educunt phlegma groſſum. Vnde Auic. dicebat, quòd ſubtiliatio regiminis eſt deuiare cibos groſſos, & potum aquę ſuper eos, & nauſeatiuam ſacietatem, & repletionem; et opus eſt tolerare famem, quantum poteſt. Et caueat æger ab omnibus cauſis caput replentibus. ſtet rectus, inquantum poteſt, etiam dormiendo, nec ſe ſuper faciem, aut genua proſternat. A locutione plurima, ira, ac capitis dolore omnino fugiat: quia hæc omnia ad caput materias currere faciunt. Fugiendus eſt aer humidus, groſſus, nebuloſus, paluſtris, & frigidus, nec ſub diu ſtandum eſt, nec ſub lunę lumine. Boreas, & auſtralis flatus peſſimus. Cibaria, quæ in his morbis conceduntur, declarantur infra cap. de cura ſcyrrhi.

7: coll. cap. 31.
5. de ſimp. medicina diſt. 4. ca. 2. 2. Canon. tract. 1. cap. 4.
3. f. 4. tr. 2. ca. 10.
7. aphor. 60. in com.
7. ad Alm. ca. 8.
Cap. 129.

Potus ſit vini pauciferi, odoriferi, albi, & clari. Euacuatio eſt neceſſaria, quæ multipliciter fit. Et Princeps dicit, quòd de euacuatione laudabili eſt vomitus. De tali remedio diſputabimus in fine iſtius curæ.

Phlebotomia aliquando eſt iuuatiua, ſed non in omni ſtruma, cephalicam ſecando, vt docet Auic. & ſileant dicentes phlebotomiam humores incrudare, cum eos magis frigidos reddat; nam in corpore repleto, & in dolentibus ſcrofulis, cum etherogenea peccat materia, conſentiente ætate, tempore, & virtute, venæ cephalicæ ſectio ſummè conuenit. In induratis adenibus abſque ſenſu, & dolore dimittenda eſt hæc via. Cucurbitularum appoſitio, dicit Auic. eſt medicina inconueniens. & reddens rationem dicit, materiam in adenibus coniunctam euacuare impoſſibile eſt; quia cucurbitulæ magis quàm venę ſectio, partes ſubcutaneas expurgant, ac magis tenue, quàm craſſum, extrahunt. Pinguibus tamen corporibus, quæ craſſiorem ſanguinem obtinent, minus opitulantur; quoniam non adducunt ſanguinem eorum, vt deceret, ſed tenuiorem eius portionem. Strumarum verò materia, craſſa eſt: imò dicit Auic. Cucurbitula trahit ad eas, & ingroſſat ipſas, per id, quod extrahit de ſanguine ſubtili. Et intelligere oportet de cucurbitula ſuper tumorem, non autem diuertendo; quod in materia mixta

Cap. prop.
4. f. 1. cap. de ventoſis.

poſſet eſſe opportunum remedium. Ideò, dicit, eſt inconueniens remedium ſecundùm plurimum. Et quia hæc paſſio chronica eſt, ideò digeſtionem expectat. Talis autem materia longa digeſtione præparatur, ſi præparationem recipit, & fit cum ſyr. acet. comp. oximelle, melle roſ. de ſtechados, biſantino, & ſimilibus cum aqua capil. Veneris, fumariæ, Iuæ, ſolatri, ſcabioſę, boraginis, lupulorum &c. Digeſta materia euacuetur, & R. auctore Auic. (& eſt med. Raſis) turbith, zinziberis, zuchari añ. p. æquales. [ad Alm. c. 71.] Patiens huius confectionis in mane vſque ad ℥.ij. cum brodio accipiat, quia euacuat phlegma groſſum, non calefaciens, neque rodens inteſtina, & maximè in infantibus. Aut euacuetur materia cum elect. lenitino, de ſebeſtem, indo maiori, de dactilis, aut confect. hamech, cum decocto epithimi Meſue, aut cum decoctione magiſtrali ad pituitam. Hyera, & benedicta laudantur, pariter diarob cum turbith, cũ rheubarbaro & cum ag. Laudantur pillulæ fetidæ, de euforbio, de hermodactilis, de hyera, de ag. & ſimiles. Celſus dicit; Album veratrum rectè datur. Nec confidendum eſt in his, ſed quotidie, aut ſæpè patienti aliquid exhibeatur, vt R. epithimi, euforbij, agarici, ſulphuris añ. q. s. miſce, & fiat puluis; & da infirmo de tali puluere in potu cum aqua lactis à ℥.j. vſque ad duas per quatuor horas ante cibum. Aut exhibeatur ℥.j. 6. p. ſulphuris cum brodio in mane, quia exſiccat hanc materiam citò: Aut aſſumat ℥.j. euforbij cum ſyr. acetoſo alternis diebus, per hebdomadam in mane ante cibum: Aut R. radices herbæ ſcrofulariæ, ſeu minoris vrticæ, & ſubtiliſſimè incidantur, & cum ouis fiant fritellæ, & per duas horas ante prandium pluries ęger vnam comedat. Aut R. ex ſecretis naturę, talpam, & eli xetur, poſtea ad Solem exſiccetur, & fiat puluis; & cum melle albo fiant pillulæ ad quantitatem ciceris, & exhibeantur tres, aut quinque patienti. Gal. dat theriacam, aut athanaſiam, aut ambroſiam. [14. methodi.] Valet ellectuarium diaſenæ Meſ. aut diacalamintha ex 4. de ſanitate tuenda.

Ex parte autem ęgritudinis, ideſt quò ad localia, dicit Aetius, Paulus, Celſus, & Serapion, quòd his intentionibus curantur, quibus apoſtema melancholicum. Et Princeps dicebat; Omnino aſſimilatur [14. methodi. cap. 11.] regimini ſcirrhi. Et eſt ſententia Gal. quòd eorum cura, quantum quidem in paſſione, communis eſt ſcyrrhis, ideſt induratis tumoribus, qui in aliqua alia parte fiunt. Et rurſus; Scrofulę quidem, ait, [Lib de rem. par. 1 ad lib.] curantur ea via, qua & ſcyrrhus, ergo indigent mollificatione, & reſolutione, ideſt interdum mollire, [3. de med. loca- lib. cap. de parotidib.] & interdum reſoluere oportet. Ad hoc laudat Gal. emplaſtrum ex farina lupinorum, & oximelle. Aliud, ſtercus capræ in aceto decoctum; & eſt medicamen Archigenis.

[Lib. 2. cap. 1.] Aliud Dioſcoridis cap. de coriandro, & laudatur à Principe, farina coriandrorum, & fauic cum melle: aut radix lapatij cum vino, aut ficus ſicca cum abſynthio. Et ibi dicit Gal. quòd ficus digerit ſcrofulas, & reſoluit. Aut ℞. calcis, mellis, adipis porci, miſce. Aut R. farinæ ireos, fimi columbini, añ. q. s. coquantur in vino. Aliud, aſſungiæ veteris, ſeminis hioſciami, picis, olei antiqui, ſthoracis, galbani añ. q. s. miſce, & vtere.

[Lib. experimẽt.] Alterum ex Gal. & eſt de medicinis Socionis. ℞. dragaganthi, floris chamæmillæ, picis liquidæ, ammoniaci, medullæ cruris vituli; galbani añ. q. s. diſſoluatur ammoniacum in aceto antiquo, & vtere ad formam cerati. ℞. foliorum capparis, ammoniaci, bdelij, capilli Veneris, florum chamæmillæ, medullæ crurium cerui añ. q. s. conficiantur ſimul ad modum emplaſtri. Alterum, quo vtor; ℞. ammoniaci, ſalis gemmæ, pirethri, ſucci marubbij, añ. q. s. terantur omnia, & cum modico olei liliorum, & ceræ q. s. fiat vnguentum. Aliud R. ſthoracis, radicum lilij, ammoniaci, medullæ cruris vituli, adipis capræ, añ. q. vis terantur, & cum melle fiat emplaſtrum. Aut ℞. radicum ireos, aſphodillorum, cucumeris agreſtis, filicis, ciclaminis, ebuli, ficus ſiccę añ. q. u. omnia in aceto coquantur, & cum aſſungia vr [De med. ꝑ gen. vbi de malaſt.] ſi, & medulla crurium vituli, & pauca cera fiat ceratum ſecundùm artem. Auic. laudat emplaſtrum Gal. R. ſinapis, ſeminum vrticæ, ſulphuris, ſpumæ maris, ariſtolochiæ, bdelij añ. ℥.i. ammoniaci, olei antiqui, cerę añ. ℥. ij. Ego autem addo huic medicamento hyſopi cerati ℥.iij. diaquilonis comp. ℥.i. miſce, & vtere. Hoc medicamento pluries cum magno honore vſus ſum: ſed prius inungo tumorem ad modum fomenti cum oleo antiquo, calido, in quo decocti ſint pori iuuenes. Iceſios medicamentum [Lib. 7. cap. 17.] laudatur à Paulo, ſimiliter emplaſtrum ex radice lanaria, quod diaſtruthiu dicitur. Dicit Auic. De medicinis calefacientibus ſcrofulas eſt diaquilon ſimp. compoſitum; et ſi alteratur cum aliquibus rebus, eſt [in diuiſionibus cap. 129.] melius. et hoc eſt, quod Raſis dicebat; Emplaſtretur locus cum diaquilone, & mirrha. Deſcribitur diaquilon 7. ad Alm. Alteratur aliquando cum ſtercore caprarum, ouium, cum naſturtio, cum cu- [Et à Paulo l. 7. c. 17. & à Meſue. 6. ſimpl. cap. 7. & 6. ad Paternianũ cap. 148. & lib. de rem. facilè parabilibus. cap 24. & de Med. per genera cap. 80. & vbi de Emplaſtris lib. 5.] cumeris agreſtibus, ficubus cadentibus ante maturationem, farina fabarum, amigdalis amaris; & maximè cum radicibus lilij, vt docet Hypp. aut cum ammoniaco, bitumine, cortice radicis cappari, galbani, ireos, pipere, auellana inda &c. ab Actuario emplaſtrum è viua calce Democriti ſummè laudatur. Multa medicamenta ab antiquis in hac re deſcribuntur, vt à Dioſcoride, à Gal. à Scribonio, à Celſo, [Lib. 30. cap. 5.] & à Plinio, à Raſi, & ab Auic. [7. ad Alm.] Modernique valde copioſi in hac re fuere; ſed hoc non facit ad curam: [3. f. 4. cap. de cura ſcrofularum.] nam non ſumus in re determinata, & multa de nouo emergunt: Opus eſt ergo aſſumere ingenium curæ à multis rebus, vt dixi. Ideò debemus ex nobis ipſis diuerſa medicamina componere, vti requiret morbi eſſentia, & alia, quæ conſiderantur circa morbum; nam pueri, mulieres, & iuuenes diuerſimodè regi debent, cum eorum complexiones, & ætates ſint diuerſę: & cum loca diuerſa curæ diuerſitatem adducant. Et verè medici priores, & iuniores defaticati valde ſunt, quęrendo, nunquid his ingenijs hæc paſſio curam reciperet, emolliendo ſcilicet & reſoluendo, cum dicat Gal. quòd hęc eſt cura

huius

huius paſſionis: attamen veritas eſt, quòd non ſanantur his medijs, pręcipuè cum ex toto chiſtis creata fuerit. Aliquando verò ad manuum operam deuenire opus eſt, & ſtrumas cum ſuo chiſti ferreo inſtrumento extrahere, & maximè dum adeò ſunt induratæ, quòd nullo modo molliri poſſunt. Et Raſis dicebat; Si autem iam ingroſſantur, aut indurantur, eſt neceſſe, vt extrahantur, & non remaneat ex eis aliquid; nam ſi remanet aliquid, redit iterum, & morbum regenerat. Et ſi opus fuerit ferro vti, conſiderandum eſt, ſi ibi fuerint nerui, aut venæ, aut artheriæ, & maximè prope gulam, in quo loco nerui reuerſiui, qui & vocis dicuntur, orti à ſexto pari neruorum, reperiuntur. Sunt & venæ alguidegi, ſiue apopleticæ, quæ & ſomni dicuntur, intrinſecę, & extrinſecę. Sunt & artheriæ multæ, & amplæ, ortę ab Aorta aſcendente, bifurcatæ ab vtroque latere, quæ carotides, ſoporariæ, apopleticæ, & ſubetiæ dicuntur; ideò cautè procedendum eſt. Dicit Auic. vnum, quod recitant etiam Gal. & Raſis. Quidam empirici, dum abſque anathomiæ cognitione manualiter ſtrumas in collo alicuius curare vellent, neruos vocis inciderunt, & vocem ſtatim amiſit. Si verò contigerit ſectio in latere vno, medietas vocis amittitur. Et Auic. dicit; quòd ſi neruus inciſus non fuerit, ſed ab aere alteratus, hoc etiam contingit. Pari modo ſi inciſa eſſet aliqua harum venarum, aut artheriarum, magnum incōmodum, & periculum ſequeretur. Dicit Raſis, quòd interdum ſtruma magnificatur ad modum melonis, & amplectitur collum, & caput; & ſunt periculoſæ: Vnde Auic. dicebat; Et cum ſcrofulæ ſunt magnæ, tunc plagarij alienant ſe à curatione earum cum ferro, & medicamine acuto; quia eſt de illis, quæ ducunt ad vlcerationem earum, & ipſarum corruptionē. Et eſt neceſſarium vti in iſtis euacuatione, mundificatione, & cibi ſubtiliatione; & adminiſtrare medicinas reſolutiuas ſuper eas cum facilitate, ſic iubet & Raſis, atque Albucaſis: vnde Arnaldus de Villa noua dicebat; Scrofularum inciſio fugienda eſt, in quantum poſſumus: ſed cum ad operationem coacti ſumus, Albucaſim ſequimini, qui in hac re mirabilis fuit. Dicit autem Albucaſis; In illa ſcrofula, quam ex eis vides bonæ diſpoſitionis, in tactu, cuius manifeſtum eſt propinquum colori cutis, & mouetur ad omnem partem, & non eſt annexa cum neruis colli, neque cum guidegi, neque cum artheria, neque eſt profunda, oportet, vt ſeces eam ſectione ſuperficiali à ſuperiori parte ad inferiorem corporis; & excoria eam ab omni parte; & extende duo labia cutis cum vncino, aut cum vncinis multis, ſi indiges illo, ſicut diximus in nodo; & extrahe eam paulatim, & ſit cautela, vt non incidatur vena, aut neruus. Et ſi accidit in operatione fluxus ſanguinis, ſiſtatur cum reſtringentibus ſanguinem; deinde ad opus reuertere, donec omnis ſtruma, & tota chiſtis extrahatur: quod ſępe cognoſcitur per intromiſſionem indicis digiti. Extracta ſtruma, ſi partes, ſeu labia fuerint adinuicem multum ſeparata, vniantur aut ſutura, vel alio ingenio. Cauitas mundificetur cum vino mellite, & ęgyptiaco, aut apoſtolorum; deinde cum aridis ſarcoticis, & medicamento baſilicone incarnetur. Et cum ſtrumæ fiunt pendentes, & ab omni parte à membro, in quo ſunt annexæ, ſeparantur, excidantur in radice ſua, ſi nullus aderit timor, quòd venam, aut neruum incidere timeamus; aut filo duplicato ſerico in radice ligentur, donec cadant per ſe. Et quæ de ſtrumis continent humiditatem, ideſt ſuppurantur, cum materia fuerit mixta, perforentur perforatione ſuperficiali, vbi apparet locus maturitatis, à quo poſſit contenta materia exire, & adminiſtra poſt perforationem ellichnia cum vnguento. Et Auic. ſummè laudat emplaſtrum apoſtolicum, relatum ad Chriſtianos; & credo, quòd ſit vnguentum apoſtolorum ex duodecim rebus ex ſui deſcriptione 5. canonis: quod forſitan dici poſſet eſſe vnguentum iſis, deſcriptum à Scribonio ſub titulo, emplaſtrum viride Gliconis chyrurgi. Et dicit, emplaſtrum viride, quod ſui generis meo iudicio ſuperat omnia, & vocatur iſis. Iſtud vnguentum adeò laudatur à Gal. ſub titulo, Iſis Epigoni, quòd alterum ſimile reperiri negat. Reperitur etiam apud Actuarium in de compoſitione medicamentorum, ſub titulo, iſis Epigonos, & ibi dicit Actuarius; Strumas cum cingentibus tunicis celerrimè tollit. Iſtud ergo vnguentum adminiſtretur, abluto prius vlcere cum lixiuio, & melle roſato; aut ſi remanſerit aliqua pellicula, cum lixiuio ſapa, & ægyptiaco. Et Princeps dicebat; Cum excoriatur, deſtruatur, quod reſiduum eſt, cum medicamine acuto, & non perueniat lateri læſio: Aut R. (& eſt vltimum medicamen) æs viride, ſolatrum, lapatium, aſpalthum añ. p. æq. piſtentur omnia ſimul, & cum ſucco pori, & parum mellis fiat vnguentum. Celebrata mundificatione, incarnetur, &c. Et ſi contingit, vt ſæpè aduenit, quòd talia vl cera ad canceroſitatem perducantur, tunc cura eſt vlcerum, quæ ſapiunt naturam carcinomatis, de quibus erit ſermo loco proprio.

14. metho. c. 11
Diuiſ. cap. 129.
x. 3. tra. 2. cap. p. vbi de voce, & cap. proprio de ſcrofulis.
Lib. de approp. med. & 1. de aff. int cap. 6.
13. continentis.
13. contin.
Lib. 2. cap. 42.
Lib. 2. cap. 5.
Cap. 206.
5. de med. per g.

Nunc in cura iſtius paſſionis aliqua de vomitu dicamus. Dicit Auic. de euacuatione laudabili eſt vomitus, hic tamen omnibus abſolutè non eſt concedendus; quia non omnia corpora, nec omne tempus ad vomitionem apta ſunt. Dicebat Hypp. Graciles, & facilè vomentes purgato ſuperius, cauens hyemem. Et Gal. dicit, quòd graciles ſunt bilioſę habitudinis: quę autem ſtrumas patiuntur, humida ſunt, pituitoſa, &guloſa. Et rurſus Hypp. Vomentes difficulter, & mediocriter bene carnoſos, per inferiora, cauens æſtatem. Vomitus verò prodeſt his, qui facilè vomunt; quia (vt dicit Auic.) vomitus pituitam, ac flauam bilem euacuat, ventriculumque expurgat. Igitur concedatur faciliter vomentibus nitidi corporis, & non cacochimi, quia trahendo materias ad caput, ſummè noceret. & Celſus dicebat; Sponte vomere non alienum eſt, pręcipuè his, quibus in conſuetudine fuit; ſed neque protinus poſt cibum, neque iam inflammatione orta, neque cum in ſuperioribus partibus plaga facta eſt. Hinc quo

4 aphor. 6. in com.
4. aphor. 7.
4. f. 1. cap. de vtilitate vomitus.
Lib. 5. cap. de ratione victus, & notis vulnerum

que Hypp. dicit 4. aphor. 8. Tabidos verò cauentes ad ſuperiores euacuationes. Vomitus per prius ventriculum expurgat, & per poſterius caput: idque magis ſi in debita complexione, ætate, & tempore fuerit celebratus; Nam temperatè materias craſſas, & viſcoſas, propter aliqualem indigeſtionē genitas,euacuando corpus,ad aliqualem temperiē reducit. Hoc opus fieri ſolet poſt vniuerſalem euacuationem. Prouocatur autem multis ingenijs, aut digito, penna, aut cum ag. vel raphani decocto: vel conficiantur flores gineſtræ cum melle, & patienti exhibeatur ad quantitatem fabæ; aut exhibeatur pillula de elaterio; aut prouocetur cum oximelle, & ſeminibus atriplicis, vt R. ſem. atriplicis ſubtiliter puluer. ʒ.j. oximellis ſimpl. vel comp. aut ſquilitici ſecundùm naturam humoris ℥.j.aquę ſim pl.tepidæ ℥.iiij. miſce.

OBIECTIONES DE VOMITV.

Et ſiquis diceret, vomitus eſt cauſa augmenti ſcrofularum,ergo non conuenit, antecedens probādo, quia replet caput, & facit materiasad ipsū aſcendere, quod eſt contra Auic. qui dicit; Abhorreat ab omni, quod replet caput. Et alibi; Vomitus eſt ex eis, in quibus non fit iuuamentum in ægritudinibus capitis. Reſponde, & dic, quòd antecedens eſt falſum, loquendo de vomitu facto cum conditionibus iam dictis; quia tunc materiam minuit, & reliquum ad caput aſcendere non permittit; cum vt plurimum hæ paſſiones fiant per communicantiam à ſtomacho; & ideò materiæ, quę in ventriculo reperiuntur, meliori modo euacuantur per vomitum, iuxta ſententiam Gal. Quæcunque ſecundùm ſuperiorem ventrem ſunt materiæ, per vomitum purgantur; quęcunque ſecundùm inferiorem, per ſubductionem. Vnde ſequitur hæc concluſio, vomitus competit, dum caput patitur per communicantiam à ſtomacho, aliter non. Et ſi diceret, vomitus eſt quid præter naturam, igitur non eſt de intentione curæ; nam dicitur à Gal. Natura eſt artifex, medicus verò miniſter. quod etiam retulit Auicenna, & diuinus Meſue in de conſolatione medicinarū in ſermone vniuerſali. Antecedēſque probetur,vomitus cauſat aſcenſum rerum grauium ſurſum, ergo &c. Præterea ratione inſtrumenti, quia ſtomachus mouetur ſicut graue ſurſum; Pariter ratione agentis, quia virtus mouet cum nocumento inſtrumenti. Reſponde, & dic, quòd vomitus, qui in tali cura laudatur, non eſt ſimpliciter præter naturam; nam hoc, quod eſt ſimpliciter præter naturam, largius ſumitur à medicis, quàm à philoſophis:medici enim id appellant præter naturam, quod fit à virtute non regulariter operante; ſicut patet, cum fit fœcum euacuatio per vomitum in illiaca paſſione, & dum fit chili euacuatio per ſeceſſum in lyentheria: modò hic vomitus non eſt huiuſmodi; quia non eſt graue,aſcendere ſimpliciter,ſecundùm medicos; imò medici appellant hunc motum naturalem, quia ſequitur operationem naturalem, naturaliter intentam à virtute regulariter operante propter finem, qui non dicitur naturalis abſolutè. Et ſi diceret, vomitus ſtrumarum materiam non euacuat immediatè, ergo non conuenit, conſequentiaque teneat, quia tumorum cura ex 14. Methodi, eſt contentarum materierum extractio, & euacuatio. Reſponde, quòd vomitus non laudatur, neque enumeratur inter medicinas, quæ curant immediatè; ſed quia materiam coniunctam, cauſamque fouentem purgat, ideò laudatur, & eſt cura conueniens. Et ſi diceretur, talis materia in ventriculo exiſtens, eſt magis apta euacuari per ſeceſſum, quia grauis, & groſſa, ergo non debet euacuari per vomitum; & Gal. dicebat in lib. de plenitudine, & in lib. quibus medicamentis purgare conueniat.quòd in euacuationibus ab arte fiendis naturam humorum ſequi debemus. Reſponde, quòd ſi per ſeceſſum poteſt purgari, purgetur; quod melius eſt, in quantum eſt grauis, & magis apta deſcendere; ſed quia fit cum maiori arte, & difficultate, ideò vomitus laudatur: qui ſi in corpore apto ad vomitum pluries prouocatur, efficaciſſimum remedium eſt. Et ſi diceretur, Gal. negat hanc operationem, quando dicit; Neque igitur, cum vel circa ſedem, vel aliquam huic vicinam partem, initium phlegmonis incidit, aluum deiicies; neque cum in veſica, vel colle, vel renibus eſt cępta, pharmaca, quæ vrinas prouocent, bibenda dabis; nec ſi mulieri in vtero, vel pudendo inſedit, menſes huic prouocabis; ſed ad partes, quæ maximè longinquæ ſunt, ſemper auerſionem facies. Reſpon de, quòd ibi Gal. loquitur de ratione diuertendi: tamen cum materia fuerit multa, hanc negat operationem; quia dicit; Si plurima ſuccorum abundantia ſit, nec exercitatione, nec balneo ſine periculo vtare: ſin exigua ſit, licet,& per hæc vacues. Et ſi quis hanc operationem improbare vellet tali medio, dicens; ſi vomitus competit, aut ante alias euacuationes vniuerſales, aut poſt: Non ante, quia talis vomitus eſſet magis agitatiuus,quàm curatiuus propter materiæ quantitatem, quam natura non eſt potens euacuare, ſed bene agitare: Nec poſt, quia aut euacuat totam materiam, aut non: dicendum non eſt, quòd euacuet totam materiam, quia non coniunctam: Nec partem, quia aut magis aptam, aut minus aptam: non eſt dicendum, quòd minus; quia realiter magis reſiſtit: nec magis, quia dimittendo minus aptam noceret, ergo nullo modo conuenit. Reſpondendum eſt, in corpore non repleto, cui facilis eſt vomitus, ante alias euacuationes conuenit, & à tali nulla fit humorum agitatio;immo immediatè pituita, & materia craſſa, quæ eiuſdem eſt naturæ cum cauſa coniuncta, purgatur, & in hoc nobis opitulatur natura, quæ, vt dicit Gal. ſemper intendit expurgare nociuum, bonum conſeruando. Si autem corpus repletum fuerit poſt alias euacuationes; quia natura facta leuis reſiduum digerit, vt Gal. docet; et tunc materia minus apta magis apta redditur. Præterea clarum eſt, quòd ſumus in

labo-

A.3.cap.29.

3.art.med.144.

Idē 3.art.med. 198.& 1.de aff. inter.cap. 4.

3.art. med. 87.

3.f.4.

13.methodi d. 2.cap.3.

Lib. de tumo- ib. & 4.aphor. com. 1.

2. aphor. com. 9.

labore euacuandi materias craſſas, in ventriculo exiſtentes, quæ faciliori modo per vomitum, quàm per ſeceſſum, aut venæ ſectionem, purgantur; nam pillorum, ſeu portonarius, ſtrictius eſt ore ventriculi, vnde fit vomitus; ideò faciliori modo, & cum minori agitatione hæ materiæ per ſupernas, quàm per infernas regiones, euacuantur.

De glandulis. Cap. VII.

ALTERANTVR interdum ab aliquali pituitoſa humiditate nonnullæ partes noſtri corporis, quæ genitæ ſunt, vt dicunt Anathomiſtæ, ad vacuitates replendas, & vtplurimum, vt dicit Auic. ſuper volam manus, & ſuper frontem; et iſtæ partes dicuntur glandes, ſeu glandulę: vnde & paſſio in eis orta, glandula, aut gangilia, ſeu ganglia dici ſolet: vulgariter lupie, quia eſt tumor paruus, rotundus, albus, non tranſiens quantitatem lupini, aut auellanæ, aut nucis, & minus eis. Et non ſemper continetur chiſti, ſicut nodus. Et differt à ſcrofula, quia omnino priuatur dolore, & vt plurimum vna tantum reperitur: non autem ſic eſt ſtruma. Et cum glandula comprimitur, ſeparatur, & redit; quia nullam habet radicem, neque principium ſui ortus. Nec dicitur glandula, quaſi oriatur in locis glandoſis, ſed propter eius ſimilitudinem cum glande. Horum tumorum aliqui ſunt molles, aliqui verò duri; nam aliqui fiunt ex phlegmate molli, ex quo nutriuntur membra pituitoſa, & iuncturę; aliqui verò ſunt duri, cum partes ſubtiles ipſius phlegmatis reſolutæ ſunt. Raſis dicit; Cum in aliqua corporis parte aliqua apparuerit additio, quæ, cum tangitur, & ad latera tranſponitur, cuti continuari non inuenitur, neque duriter moueri; ſed taliter exiſtens, ac ſi à corpore ſeparata foret, neque radicem, neque principium in ea habens, erit glandula. Et dicit, quòd aliquæ ſacculo includuntur, & aliquæ non; & quæ ſacculo includuntur, à ciceris quantitate incipientes vſque ad melonis magnitudinem perueniunt. Paulus de quadam paſſione ſermonem habet, quam ipſe ganglion vocat, & dicit, quòd eſt quædam neruorum concretio, ex ira, aut laſſitudine oboriens, in pluribus quidem corporis partibus, præcipuè verò motui dicatis, nempe manu ſumma, & pedibus. Et hæc eſt illa paſſio, quam Auic. in cap. de nodo. appellat nodoſitatem, vt ſupra declarauimus.

Marginal notes: 3.f.4.tr.2.cap.6 — 7.ad.Alm.c.14. — Lib 4 cap 16. & Lib.6. c. 39.

De glandularum cura. Cap. VIII.

DICIT Auicenna, quòd hæc paſſio in principio talis eſt, quòd cum ſuper ipſam fit compreſſio, ſeparatur, ideſt reſoluitur; & maximè quando materia eſt benigna, vt in œdemate; deinde redit multotiens, & multiplicatur. Hoc contingit in corpore cacochimo, in quo pituita abundat; vnde non eſt malum, tale corpus à craſſis humoribus euacuare, vt dictum eſt; & fortaſſe non redit, cum tamen ex toto à longa ſtrictura materia deſtructa eſt. Comprimatur igitur, cum apparet glandula, forti compreſſione; deinde irino, & laurino oleo cum media parte aquę ardentis, & tantundem aceti liniatur; deſuper verò lamina plumbea, lata, & ſubtilis ſtringatur graui ſtrictura, quoniam digerit ipſum; & maximè quando linitur ſuper plumbum epithema digeſtiuũ, ideſt harum materierum inciſiuum, & reſolutiuum. Plumbum facit hoc, quia cõprimit ratione ſuæ ponderoſitatis, & reprimit, quia habet potentiam frigidã; Eum laudant Raſis, Paulus, & Aetius. reſoluit, quia compo nitur ex partibus aereis multis, ut docet Gal. idem facit & aurum. Oribaſius verò, non ſubtilem laminam, ſed plumbum ampliorem ganglio imponebat, & arctiſſimè deligabat; nec amouebat ante nonam, aut decimam diem. Aut fiat medicamentum ex aloe, acatia, mirrha, & ſarcocolla cum aceto, & albumine oui: aut ficus cadentes ex arbore contriti cum ceruſsa, & melle ſuperponantur: aut liniatur cum vnguento de plumbo, & ſucco draguntheæ. Dicit Raſis; Si autem glandula dimittatur, cum parua eſt, & eius negligatur cura, augmentatur; vnde poſtea ad ipſam extrahendam medicus ſuauiter operans eſt neceſſarius. Et ideò Auic. dicebat; Quandoque cura eius eſt de nodorum curationis genere; & quandoque ſufficit, vt conteratur, & comprimatur. Dicit Raſis; Nos tamen, in quibus error contingat, dicemus; & hoc eſt, quia earum partes in panniculo continentur, qui glandularum ſaccus vocatur; quapropter ſaccus cum eis ita eſt extrahendus, ne ex eo ibi aliquid omnino remaneat. Verum cum hæ partes vtplurimum in locis concatenationum reperiantur, ſummo quidem ſtudio aduertendum eſt, ne à manuum opera, muſculorum capita, quæ ibi terminantur, aliqua lęſione afficiantur, vt docet Paulus. fiat igitur leuis ſectio, donec eam inueneris materiam, quam vbique ſeparare opus eſt, neruos, cordas, artherias, & venas euitando: cumque glandulam extraxeris, locum ab omni pellicula denudare oportet; deinde plaga cum mundificatiuo de melle, aut de apio abſtergatur; impleaturque poſtea, aut vniatur cum pulueribus, & medicinis carnem producentibus.

Marginal notes: 3.f.4. cap. de glãdulis. — 7.ad Alm. ca. 15 Lib.4. cap. 16. 9.ſimpl. tr.3. c.2 — 7. ad Alm. — Lib.6. cap.39.

LIBRI PRIMI

TRACTATVS QVINTVS.

De Tumoribus melancholicis.

De ſcirrhis. Cap. I.

Gal.2.ad.Glau. Paulus lib.4.ca. 32. 3.f.4.tr.2.ca.11

SCIRRHVS tumor eſt melancholicus, ex naturali, aut fæculenta melancholia, magnus, durus valde, totaliter indoloroſus, & inſenſibilis, quietus, coloris aut plumbei, aut cinericij; & talis eſt exquiſitus ſcyrrhus, qui etiã legitimus dici ſolet. Auic. verò hanc paſſionem appellat ſephiros purum. Hic tumor fit incipiendo, & ſucceſſiuè augmentatur; & talis curam non recipit; & maximè cum illi ſupereminent pili. Alter tumor atrabiloſus reperiri ſolet, qui fit ex humore lento, craſſo, & naturali, aut pituitæ admixto, & color eius eſt declinans ad colorem corporis, non omnino inſenſibilis, ac dolore priuatus. Hic aliquando fit per aduſtionem, aut indurationem aliorum humorum, aut ſanguinis, aut bilis flauæ, vel pituitæ: & appellatur ſcyrrhus ex permutatione, quia incipiendo non generatur. Hic incurabilis non eſt, nec facilem curationem admittit, & vocatur à Principe ſephiros non purum; ſed credo, quòd potius nomen ſcirrhotici tumoris mereatur, quàm ſcirrhi.

14. metho. cap. 6. Et 5. ſimpl. diſt. 2. cap. 6. & de med. per gen. & 2. ad Glau.

Hic tumor, quem Græci ſcyrrhum, Arabes ſephiros, & Latini duriciem appellant, ita membris infigitur, atque inſitus loco, vbi cõſederit, eſſe videtur, vt nullo modo exinde diuelli poſſit, nec pellicula includitur, ſed totaliter annexus, membro infixus, & adhærens permanet. Dicebat Gal. Scirrhum nominamus tumorem durum, indoloroſum, qui omnino inſanabilis eſt. Et Auic. exponendo hæc verba, dicit; Puris quidem color eſt color plumbi, & eſt vehementis tenſionis, & duritiei, & fortaſſe ſupereminent ei pili; & hoc eſt illud, cui non eſt ſanitas. Talia accidentia non ſequuntur hoc apoſtema, niſi propter cauſæ materialis qualitatem, quæ eſt fœx ſanguinis, terreæ complexionis, & difficilis reſolutionis, & magis, cum in membro debilitas aliqua introducitur, & materia facta eſt æqualis in membro, & virtus in eam pigrè agit. Noc curatur talis paſſio, quia aut materia debet ſuppurari, aut reſolui; ſi ſuppurari, indiget medicina valde forti in caliditate, cum & materia, & membri complexio ſit frigida, à qua fit attractio: ſi verò debilis fuerit, non erit in operatione potens. Pari modo ſi debet reſolui, potentem requirit medicinam; ab actore verò potenti in materia ità diſpoſita fit tenuioris partis reſolutio, & craſſarum induratio, vt doctè nos docuit Auer. Priuatur ſenſu triplici ratione. prima propter oppilationem factam à materia prohibente ſpiritus tranſire ad neruos, qui ſunt ſenſus inſtrumenta. ſecunda vita ſtat per calidum, & humidum, & ſimiliter vitæ operationes: materia verò peccans frigida eſt, & ſicca, & opponitur vitæ principijs, & ideò fit ſenſationis prohibitio. tertia in tali materia calor nec per ſe, nec per accidens reperitur, & membrum in toto eſt diſtemperatum ab humore diuerſo, & facta eſt æqualis complexio membri cum materia peccante. Dicebat Auic. Nullum apprehendens aliquid apprehendit, niſi apud alterationem, ſicut in tactu patet; tangibilis enim qualitas tandiu delectatur, quamdiu membrum tactiuum permanet diuerſę qualitatis, & patitur ab alterante qualitate: quando ergo fuerit paſſum ab ea ſufficienter, efficitur æqualis complexio membri, & ideò non delectatur ab ea; cum omnis delectatio cum quadam alteratione perſiſtat, & nihil alteretur à ſemetipſo, vt etiam patet in hæcticis. Et Auer. dicebat; Quando mala complexio materialis dominatur ſuper membrum totum, membrum non ſentit, aut ſtupidè ſentit. Non dolet, quia non adeſt ſenſus, dolor verò eſt ſenſus nocitiuus, aut ſenſus rei nocentis; nec fit ſubita impreſſio rei nocentis, ſicut requiritur in dolore producendo, quod oſtenſum eſt à nobis ſupra cap. de phlegmone. Nec aliter credendum eſt, quàm docuerit Galenus, nempè vnam paſſionem certiſſimam ſcirrhum exiſtere, cui cum alijs accidentibus inſenſibilitas exiſtit, etiam quòd ibi ſit organum cum inſtrumento debito ad ſenſum, & quòd debito obiecto approximato, membro naturaliter ſe habente, naturaliter ſenſatio debeat fieri, cum ibi ſit neruus, & inſitus calor. Suntque ibi cauſæ doloris, quia ægritudo eſt in complexione, compoſitione, & vnitate; & per conſequens ſenſus, qui eſt eius obiectum. Iam diximus, quòd à qualitate, & quantitate iſtius ſucci nerui opprimuntur, & calor ſuffocatur. Et quamuis ibi tria morborum genera reperiantur, & dolorum cauſę, non tamen dolor; quia non omnis mala complexio, ſed diuerſa, auctore Gal. facit dolorem: at in ſcirrho mala qualitas eſt facta ęqualis, & membrum ad humoris naturam deductum, ideo non ſentit diſpoſitionem cauſæ, vt in hæctica videri poteſt, ac in membro alicuius, qui eum diu in calida aqua tenuerit; cum verò ad aquæ caliditatem peruenerit, eius altera-

Gal. 14. metho. 17.

7. coll. cap. 31.

Lib. de virib. cordis cap. 4.

3. coll. 21.

14. metho. c. 9.

Lib de ineq intemp. cap. vlt.

rationem non cognoſcit. Et quantò magis bilis atra fęculenta fuerit, tantò minus & ſenſum, & dolorem percipit. Et talis tumor eſt ille, quem antiqui curam recipere, negarunt.

Datur & ſcirrh us non exactus, illegitimus, & non exquiſitus. Hic vix ſenſilis eſt; & (vt dicunt Gal. Raſis, & Auic.) generatur ex bile atra pituitæ commixta, aut ex ſola pituita, quæ iam indurata eſt: & eius color ad corporis colorem declinat, talis non omnino ſenſu priuatur; non quòd ſenſus ſit de ſui ratione, ſed quia non ex toto diſcraſsiatur particula ab humore diuerſo, ſicut in exquiſito fit. Hic vix ſaneſcit, & incipit apparere paulatim, & additur, cum ſucci pro membri nutritione ad eum mandati, conuertuntur pro parte in naturam peccantis humoris. Talis tumor denominatur à Principe ſephiros non purum, & Gal. dicit, quòd potius meretur nomen tumoris ſcirrhotici, quàm ſcirrhi.

5. ſimpl. med. 14. Continẽtis. cap. proprio.

Interdum talis tumor fit ex conuerſo phlegmone, aut eryſipelate, vt clarè oſtenderunt Gal. Paulus, & Auic. cap. de cura phlegmonis. Fit frequenter ſcirrhus etiam ab indoctis medicis, qui non intelligendo, mox à principio vehementer ea, quæ tali humore loca laborant, atque intumeſcunt, diaforeticis curant medicaminibus, ſublataque humoris tenuitate, ſpiſſitudo, quæ remanſit fæculenta, quaſi in lapidem coaleſcit: ſic eryſipela, & phlegmon vertitur in ſcirrhum, ſi nimium ſtipticis, & frigidis mox à principio perſeueranter curentur medicaminibus. Dicit Auic. Et quandoque canceratur ſephiro, ideſt deducitur ad diſpoſitionem carcinomatis, ſcilicet ſcirrhus non exquiſitus, permutatus à materia calida, aut cum quo calida materia admixta eſt. Et Gal. Apoſtemata dura (inquit) melancholica omnia fiunt de genere cancrorum, idque magis ſi ferro agitantur; & id cognoſcitur, cum in eis dolor apparere incipit, ſicut apparet in carcinomate, & eſt tumor ſenſibilis; nam in cancro, quòd ſenſus deſtruatur, non eſt neceſſe, vt dicebat Auic. niſi elungatum fuerit ei tempus, & mortificetur membrum, & deſtruatur eius ſenſus. Non exquiſitus igitur ſcirrhus ex aduſtione bilis flauæ eſt in propinqua diſpoſitione ad cancrum, & hic eſt ille tumor, de quo dicebat Auic. quòd non multum diſtat, quin differentia inter cancrum, & duritiem exiſtat per accidentia inſeparabilia, & non per differentias ſubſtantiales. Et Raſis dicit; Cum apoſtema durum eſt, tenebroſum, & ſuper ipſum apparent venę rubeæ, & eſt in ipſo pulſatio, & aliquantulum caliditatis, eſt cancer, qui non ſanatur: differunt tantum hæ paſſiones in ſignis, in quorum aliquibus etiam conueniunt, vt dicam cap. de carcinomate. Corpora verò ad talem ægritudinem parata, ſunt corpora melancholica non ſecundùm diſpoſitionem naturalem, vt docet Gal. vbi dicit; Recordare, quia in corpore, quod eſt molle, craſſum, album modicè, rarò melancholia generatur: & illud, quod eſt macile, nigrum, & obtuſæ cutis, & venas habet latas, conueniens eſt in hac materia: & poſſibile eſt, quibus corpus eſt nimis ruffum, vt complexio eius citò fiat melancholica; & poſt hos glauci, maximè ſi eorum corpus habuerit vigilias nimias, ſolicitudines, laborem nimium magis, quàm oportuit, cum ſubtili dietha, aut vſu ciborum melancholicorum. Item ad hæc addam, aut ſi ſanguis inferius exire ſolens, aut de alijs locis, clauſus non exeat: aut in mulieribus menſtrua.

14. metho. & 2. ad Glau. & 7. de med. p genera. Lib. 4. cap. 32.

Lib. de atrabile cap. 5. & 5. ſimpl. diſt. 2. cap. 6.

2. f. 1. cap. 5.

2. f. 1. cap. de ægritudinũ tẽp.

Diuiſ. cap. 127.

3. de aff. inter. cap. 7.

De cura ſcirrhi. Cap. II.

AEgritvdo iſta, quam cõmuniter ſcirrhum vocamus, vt dictum eſt, dupliciter conſideratur; nam aut eſt exquiſita durities, aut non: exquiſita verò quantò magis à medicis pertractatur, tantò magis condenſatur, nec digeritur materia talis, & hinc eſt, quòd non recipit curam, vt declarat Gal. Vnde Auic. dicebat; Oportet, vt de eis apoſtematibus illud curetur, cui eſt ſenſus. Tale enim, dicebant Gal. & Paulus, non exquiſitus ſcirrhus appellatur, cuius curam nunc, Deo fauente, de priſcorum mente breuiter deſcribam. Quatuor intentiones in hac cura haberi ſolent. Prima eſt regimen victus, cum ex inordinato regimine corpora noſtra alterentur, & maximè in ſex rebus non naturalibus, vt docet Gal. ſcirrhus enim eſt ægritudo chronica. Secunda eſt, materiam peccantem euacuare, cum hæc paſſio de repletione fit. Tertia coniunctam cauſam emollire, & reſoluere: ſic enim procedendum eſt, vt clarè docet Princeps, de mente Gal. in reuolutione duarum operationum. Quarta denique intentio eſt, corpus à noua ægritudine præcuſtodire; nam, vt dicit Auic. eſt quoddã ex eo, cuius color eſt color corporis, & permutatur de mẽbro ad aliud, & nominatur fermos.

Lib. de atra bile. & 24. methodi, & 7. de comp. med. cap. de relaxantibus.

Cap. de cura ſephiros.

2. ad Glaucone͂, & 7. de med. per genera.

Lib. 4. cap. 32.

3. art. med. 85.

Prima ergò intentio in victus regimine perficitur, ea omnia euitando, quæ ſanguinem craſſum, & melancholicum generare poſſunt, ea verò eligendo, quæ ſanguinem bonum, calidæ, & humidæ complexionis producunt, quæ ſunt facilis coctionis, & boni nutrimenti, vt docet Gal. Panis ſit ex tritico, leui pondere, paucæ viſcoſitatis & duritiei, coctus, & bene fermentatus, vt docet Raſis. De carnibus, perdices, & turtures ſummè laudantur. Et Gal. dicit; Perdices, & turtures neque ſummè duras habent carnes, neque indigeſtibiles; ſed durities earum, die vna mortuis ſeruatis, tranſcendit faciliter, & fiunt fragiles; etenim benignum nutrimentum dant corpori. Aues montanæ conceduntur, ex ſententia Gal. quia carnes auium, quæ in montibus degunt, calidiores, & ſicciores earum ſunt, quæ in paluſtribus, ſuntque meliores, quia minus de pituita, & viſcoſa humiditate gignunt. Laudatur vituli caro, quia digeritur faciliter, tamen Gal. dicit, quòd chimum generat groſſum: optima quidem eſt hædi, pullæ, & iuuenum caponum. Ideò, dicebat Auer. Carnes hædulinæ ſunt meliores vitulinis, quia

2. de alim. fac. & 2. aphor. com. 8.

In lib. de pręſeruat. à lapide.

Lib. de attẽ. vict. rat. cap. 8.

Lib. de diſſol. cont. cap. 5.

5. coll. 32.

quia generant meliores humores : & ibi dicit, quòd caro gallinę iuuenis, ſanę, & pinguis mirabilem habet proprietatem in temperando complexionem : & propterea brodium ſuum leproſis eſt optima medicina. Et Auic. dicedat; Brodium pullæ paruæ adæquat humores. Oua ſorbilia dantur, & conceduntur à Principe cap. de cura cancri. & Auerr. dicit, quòd nihil ſuperflui in vitello oui reperitur, & quòd tota eius ſubſtantia ad nutrimentum perfectum facit. Dicit Gal. Dimittantur alimenta, qualia lens, oſtraca, carnes taurorum, hircinę, magis que ſi ſalitę ſunt. Et rurſus; Cibaria, quæ melancholiam generant, ſunt ſicut caro caprarum, boum, & magis omnibus aſinina, camelina, vulpina, & canina, quia aliqui ſunt, qui eam comedunt. Aliqua verò ſunt, quæ minus his hunc humorem gignunt, ſicut leporina, porcina ſilueſtris, & omnia venatilia. Porcina caro non eſt bona, quamuis dicat Gal. quòd ſimilis ſit carni humanæ; nam, vt ipſe ait, humores groſſos, humidos, & difficilis coctionis generat. Carnes bouinæ, etiam quòd ſint multi nutrimenti, tamen generant groſſum ſanguinem. Et dicit Gal. quòd ſiquis fuerit naturaliter melancholicus, ex earum vſu continuo, aliqua melancholica ægritudine capietur, ſicut eſt cancer, elephantiaſis, ſcabies, lepra, & febris quartana. Leporinæ carnes etiam ſunt groſſi nutrimenti. Et Auenzoar dicebat; Scias, quòd ab aceto eſt abſtinendum in omni ægritudine melancholica, & ab omnibus cibis groſſis, ſicut caules, oliuę, piſces, & carnes bouinę. Gal. dicit; Carnes omnes aſſatæ, & frictæ ſiccum nutrimentum corpori dant, elixę verò temperatiorem. Piſces omnes dimittantur, præter ſaxatiles, parui, & rubei, tales à Principe laudantur cap. de cura cancri. & à Gal. & meliores ſunt, quàm qui in ſtagnis degunt; tales enim humidiores, ac duriores ſunt. Caſei omnes, & maximè vetus, groſſorum humorum cauſa ſunt, ideò mali. Lacticinia dimittantur. Fructus omnes, præcipuè horarij, quia facillimè corrũpuntur. Conceduntur paſſulæ, & ficus ſicca. Relinquantur legumina omnia, & maximè lentes, quia talis humoris multum generant. De oleribus laudatur bleta, borago, endiuia, ſpinachia, lupulus, apiũ, mentha, ruta, & ſimilia. Vinum autem ſit album, clarum, odoriferũ, & pauciferũ, aut nigrũ clarũ ſubſtantię tenuis; tale nutrit, confortat, nec humores craſſos generat : & ſi tale non adeſt, fiat ex paſſulis, melle, & amigdalis amaris. Aqua verò, niſi in febre, datur. Patiens ſobriè viuat, & bis in die comedat, hora ſolita. Aer ſit temperatus; dicebat n. Auerr. Aer eſt de fortioribus rebus noſtrũ corpus alterantibus. Et Gal. Corpora noſtra à calore innato, & ambientis reſoluuntur, & à nimia frigiditate condenſante, & caliditate reſoluente, indurantur. Stet patiens boni animi, & lætè viuat; quia, vt dictum eſt à Gal. Multi gauiſi ſolum, à malis ægritudinibus liberati ſunt. Somnus, atque vigilia, vtraque, ſi modum exceſſerint, malum, auctore Hypp. Et Gal. dicebat; Exercitia vltra menſuram, & anguſtia, triſtitia, & vigilię adiuuant in creando melancholiam.

Secunda intentio eſt materiam peccantem euacuare, quæ cum inobediens ſit, & craſſæ ſubſtantiæ, indiget concoctione, præparatione, & digeſtione; atque, vt relatum eſt à Principe, in materia melancholica digeſtiua debent eſſe ſubtiliatiua, & inciſiua : & ſi fuerit aduſta, eam linire, & humectare oportet, eius quantitatem conſiderando : nam ſi multa fuerit, non de facili digeritur : ſi verò pauca, his ſyrupis pręparatur, ſicut eſt de fumaria, de epithimo, biſantinus, ieleniabim, de ſtecade, acetoſus ſimplex, & compoſitus, de duabus, & de quinque radicibus, & ſimilibus cum aqua fumariæ, boraginis, abſinthij, capilli Veneris, lupulorum &c. aut cum eorum decoctis. Præparetur multis diebus; poſtea, vt dicebat Auic. euacuetur ex ea aliquid, denique reſiduum decoqui incipiat. Gal. dicebat; Oportet in principio eos purgari frequenter purgatorijs vtique illis, quibus melancholicum propriè ſcis purgari humorem, ex quo, vt diximus, cauſa naſcitur : & ſcito id tandiu eſſe faciendum, quandiu minoretur cauſa, atque purgetur. Et Raſis dicit; Cura ſit cum aſſiduatione eorum, quæ educunt melancholiam, cum permutatione totius ſanguinis cum ſanguine nouo temperato, per cibos humectantes, laudabilis humoris, & boni. Sunt verò purgatoria ad hæc vtiliſſima, dicebat Gal. quæ recipiunt epithimum. Et rurſus, euacuare, ait, quidem confeſtim humorem paſſionem generantem cum pharmaco bilem atram euacuãte, vel per aliquod ſimplicium, quale eſt epithimum; cuius multitudinem drachmarum iiij. cum ſero lactis, aut mellicrato in mane damus. Et Dioſcorides dicit; Epithimum cum melle potum, detrahit pituitam, bilemque atram per inferna. Auic. verò laudat de ſimplicibus folia lauri, ſtęchadem, abrotanum, ſquinanthum, chamœmelum, ſertulam campanã, anetum, hyſopum, rutam, polipodium, ſenam, epithimum; & dicit, quòd hæc propriè medicamina ſunt melancholiæ : nam hæc omnia, vltra hoc, quòd contrariantur cauſæ ægrotare facienti, ſoluunt etiam. Et alibi laudat epithimum, elleborum, lapidem lazuli, armenum, ſtechadem, polipodium, & mirabolanos. Dicit etiam Gal. Melancholiam purgat epithimum, polipodium, elleborus niger, & praſſij ſuccus. Polipodium laudatur à Dioſcoride, à Gal. à Raſi, à Principe, & à Meſue cap. proprio. Vnde Auic. dicebat de mente Gal. Hæc omnia faciliter choleram nigram expellunt; ſimiliter etiam fumaria. Cum verò materia fuerit multa, aut cruda, ex his decoctum facere poſſumus, in quo virtus ſimul conſiſtat & eam pręparandi, & benignè ſoluendi, vt R. turbith albi, & gummoſi, polipodij, ſenæ, añ. ʒ.iij. epithimi ʒ.iij. fiat decoctio in aqua fumariæ, & boraginis, & patiẽti bis in hebdomada ʒ.vj. iſtius decocti cum zucharo exhibeantur : aut R. ſenæ, thimi, epithimi, cuſcutæ, añ. ʒ.j. polipodij, ʒ.iij. florum boraginis, violarum añ. ʒ.j. prunorum numero xxx. paſſullarum ʒ.i.s. ſem. aniſorum, feniculi, petroſelini, apij, añ. ʒ.s. ſcolopendriæ, capilli Veneris, camędrios, eupatorij, añ. m. j. miſce, & fiat decoctio in aqua boraginis, & fumariæ,

5. coll. cap. 36. — in lib. de atra bile cap. 4. — 3. de aff. intern. 7 — 3. de alim. fac. cap. 1. & 10. ſimpl. cap. 2. — 7. methodi c. 6. — 3. de alim. fac. cap. 1. — Lib. 2. tr. 3. ca. 2. — 3. de aff. int. ca. 5 — Lib. de Euchimia cap. 7. & de ſubt. vict. rat. cap. 8. — 1. f. 4. canonis c. de feb. putrida. — 3. coll. cap. 3. — Lib. de diff. continua. — Lib. de luſu paruæ pilæ. — 2. aphor. 3. & 7. aphor. 68. — 3. de aff. inter. cap. 7. — 1. f. 3. cap. 29. — 2. ad Glauconẽ. — in diuiſ. ca. 128. — 14. metho. 9. — Lib. 4. cap. 189. — 1. f. 3. cap. 29. — 1. f. 3. tr. 5. ca. 11. — Lib. de catharticis cap. 5. — Lib. 4. cap. 198. — 8. ſimpl. cap 64. — 3. ad Alm. c. 29. — 2. Can. cap. pro. — 2. Canonis. — 6. ſimpl. 130.

mariæ, in qua diſſoluātur mirabolanorum Indorum ℥.iiij. chebulorum, diaſenæ an̄. ℥. iij. ſucci caſſiæ fiſtulæ ℥.i. lapidis lazuli ℈.ij. ſtent omnia per diem ſimul, poſtea colētur; ſitque eorū doſis, vti requiret infirmi virtus, & exhibeātur in aurora. Aut fiat ſyrupus talis. ℞. ſenæ ℥. vj. corticum turbith, dicta-mi albi an̄.℥.iij. ellebori nigri, polipodij, paſſularum an̄.℥.ij. liquiritiæ, epithimi, florum bugloſſæ, bora ginis, violarum, an̄. ℥. s. aquarum fumariæ, lupulorum an̄. q. s. fiat infuſio per horas quattuor, & bul liant, vſque ad tertiæ partis conſumptionem, & colentur; & adde zuchari, mellis an̄. q. s. fiat ſyr. lon gus; & ter, vel quater in hebdomada, aut ſicut fuerit opus, propinentur ℥.vj. iſtius ſyr. calidi in aurora. Mirabiliſſima certè eſt decoctio epithimi Meſue, quæ ab omnibus ita laudatur. Poteſt etiam materia cum appropriatis electuarijs euacuari, cum lenitiuo Indo, diacatolic. de dactilis, hamech, & ſimilibus: Aut cum hyera Archigenis, quæ deſcribitur à Meſue, aut hyera Ruffi ex quinto canonis. Laudantur pillulæ de lapide lazuli, quæ à Meſue deſcribuntur, vt puta ex ʒ. i. fiant pillulę ſeptem. Ego verò exhibeo pillulam aſſaiereth, vigoratam cum elleboro, aut epithimo ex pręcepto Principis. Pillulæ etiam fætidæ, indæ, aggregatiuæ, & ſimiles ſunt opportunæ. Sed in hac operatione vnum aduertendum eſt, quod notat Gal. quòd omnis euacuatio fundamentum accipit à virtutis fortitudine, & ægritudinis qualitate, obſeruando ea, quę dicuntur ab Hipp. De phlebotomia, dicit Auic. & fortaſſe fit mundificatio corporis cum phlebotomia, ſi eſt ſanguis plurimæ nigredinis. & Gal. dicit; Cum melancholicum habet ſanguinem totū corpus, principium curę à phlebot. facere decet; non autem, cum ſecundùm partem. & rurſus dicit; Si nihil eſt, quod obſtet, atque impediat, vel prohibeat ſanguinis detractionem, phlebothomabis in brachio; & denuo intermiſſis diebus, purgatorio purgabis. viā hanc laudauit etiam Raſis. Verum eſt, quòd phlebot. eſt vniuerſalis euacuatio tantum, non potens coniunctam materiam euacuare; quia materia talis iam eſt extra vaſa, & in loco non ſuo, quia in poroſitatibus carnis: ſed iuuat, quia euacuatur de fæce ſanguinis; & eò magis in corpore pleno, ſanguineo, in quo eſt ſanguis niger, aptus in bilem atram conuerti; Et ideò laudat Auic. phlebothomiam cum additione, ſi fuerit ſanguis plurimæ nigredinis. Et ſic euacuatur materia, quę fouet tumorem, & ſuffocat virtutem: vnde poſtea virtus eſt potens ſuper reſiduum, quod eſt cauſa coniuncta. Sed in corpore melancholico, tabido, in tempore hyemis, & ægritudine frigida, dicebat Gal. ſanguinem mittere malum eſt. Fluxus hęmorroidarum in melancholicis paſſionibus præſtantiſſimum præbet iuuamentum: qui ſi à natura non fit, fiat ab arte. Et Gal. dicit, quòd hæmorroidæ ſummoperè à bile atra purgant corpora. Sic Auic. ait; Sanguis hęmorrhoidarum purgat morbum ſplenis, hoc etiam eſt laudabile in melancholia. Et ſi in muliere contigerit ęgritudo, dicebat Gal. ante quinquaginta annorum ætatem, menſtrua prouocanda ſunt; ſi verò hoc tempus pertranſierit, hoc minimè facere poteris.

Lib. de cur. ran per ſang. miſſ.
1 aphor. 2. & 25
3. de aff int. c. 7
14. methodi c. 9
In diuiſ ca. 128.
Auic. 1. f. 3. cap. 29. & 4 f. 1. c. de phlebothomia.
3. de aff. inter. cap. 4.
Lib. de atra bile. cap. 4.
1. Conticæ 469
2 ad Glauconē.

Tertia verò intentio eſt, ſtare, vt dicit Auic. ſuper id, quod reſoluit ſimul, & lenit. Auctoritas eſt Gal. & Pauli, in ſcirrhoſis, & duris tumoribus nullum eorum, quæ fortiter calefaciunt, vel deficcant, pharmacorum, congruum eſſe, ſed id, quod emollit ſufficienter, & euaporat. Princeps exponendo iſta verba cap. proprio dicit; Et non curetur cum eo, quod reſoluit, & exſiccat tantùm, quando illud ad vehementiam lapideitatis perducit, propter exſiccationem groſſi, & reſolutionē ſubtilis; quia omne reſolutiuū ſecundùm plurimū exſiccat: ſed oportet, vt ponantur curationi eius duæ reuolutiones, reuolutio nempè reſolutionis cum lenitate abſque plurima exſiccatione, & ſit gradus in caliditate ex ſecundo ad tertium, quod idem voluit Raſis, Serapion, & Auerr. ſitque alia reuolutio lenificans, & ſint iſtę duę reuolutiones ſuccedētes. Dicit Gal. Medicinę lenientis membrum, in quo ſcyrrhus reperitur, complexio eſt pluris caliditatis, quàm complexio corporis temperati, ſed non fortis caliditatis; & illud, quia tumor durus non incipit, niſi ex materia viſcoſa, groſſa, quæ adhæret, & retinetur in foraminibus, & poris paruis membri, in quo collecta eſt: quandoque ergo reſoluitur, quod eſt in illa materia de humiditate tenui, & ſubtili, & infrigidatur reſiduum, quod eſt in materia illa, & peruenit ad diſpoſitionem ſimilem congelationi, & fit ſcirrhus. Et rurſus dicit; Medicinæ mollificatiuæ non ſunt vnius ſpeciei, imò quædam earum mollificant ex via, qua humectant, aut quia leniunt, aut quia euacuant, aut quia deſtruunt apoſtema, & quædam hoc faciunt ſecundùm combinationem. Modum curandi hanc duritiem accepit Auic. à Gal. in ea parte, vbi laudat ammoniacum ſolutum in aceto, quod ita à Principe laudatur, & maximè quando apparet lenitas, & diebus pluribus vti debet. Dicit autem Gal. Sufficit iſto medicamine ſecundùm vnam, vel & ſecundam diem vtens, redire rurſus ad mollificantia: poſtque illis vſus fueris diebus pluribus, redire rurſus ad pharmacum, quod per acetum, & ammoniacum fit, deinde ad aliquod mollificatiuorum. Nec oportet offerre aliquod ſiccorum pharmacorum; nam approbabit quidem in principio hoc pharmacum, inſanabile verò operabitur reliquum diſpoſitionis: Procedatur ergo modò leniendo, & modò reſoluendo: nam auctore Gal. talia quidem vtique auxilia variare oportet. Pro tali autem operatione perficienda commēdat ipſe medicamenta illa, quæ malacſtica dicuntur, ſeu malagmata, ita enim ſcribit; Malagmata vocant medici, quæ partes ſupra naturam induratas emolliunt, calido omnia temperamento mediocri prædita, non tamen exſiccantia, quemadmodum nec manifeſtè humectantia; nam cum exactè malacſtica medium quendam ordinem inter humectantia, ſiccantiaque ſortiantur, induraſcentium ſubſtantiarum veluti fuſionem quandam molliuntur. Laudat etiam Gal. eas medicinas, quas appellat lenientes pro tali complicata intentione, veluti medul

2. ad Glau. cap. de ſcirrhis, & 14 metho. cap. 4. & 7. de med. per gen. circa initiū.
Lib. 4. cap. 31.
13. Continentis.
5. coll. cap 6.
5. ſimpl. d. 2. c. 3
5. ſimpl. d. 2. c. 7
14. methodi. 5.
2. ad Glaucon.
7. de med. pur. gan. in princ.
14. metho. cap. 4. & 5. ſimpl. d. 2. cap. 4. & 6.

lam

lam ceruinam, vitulinam, adipem caprinum, taurinum, leoninum, & mel. Adhuc autem cum his am
2. ad Glaucon. moniacum, maſtichem, bdelium Sicilienſem, ſtoracem humidam, & his ſimilia. Et rurſus laudat me
dullas, adipeſque omnes, & ſeuum; & dicit, quòd ex medullis primas partes obtinet ceruina, deinde
vitulina; ex adipibus autem, anſerinus in volucrum genere: leonis verò in pedeſtrium cæteris præſtat:
at verò qui ex gallina ſumitur, anſerinum; & qui ex pardo, leoninum ſequitur, ac deinde vrſinum,
atque taurinum: At qui ex capris accipitur & craſſior, & ſiccior prædictis eſt: idque magis ſi ab hirco
2. ſimpl. cap. 4. capiatur: de volatilibus etiam faſianinum. Idem rurſus memoriæ tradidit, medulla mollificatiuæ po
tentiæ eſt induratorum tumorum patientibus corporibus; Prima (quod ſemper ego expertus ſum) eſt
ceruina, & poſt hanc vitulina. Et ideò Auic. capite proprio dicebat; Lenificantia quidem, quibus eſt
reſolutio, ſunt, ſicut adeps gallinarum, anſerum, vitulorum; & breuiter laudat omnia, quę iam dicta
5. ſimpl. d. 2. cap. 6. ſunt à Gal. & debent miſceri cum ammoniaco, bdelio, ſtorace, & ſimilibus. Et vnum addit, quòd pin
guedines debent eſſe ſine ſale; quia ſal exſiccat, & indurat: nam ſcripſit Gal. quòd ſal exſiccat exſicca
2. ad Glau. cap. de ſcirrhis. tione vehementi. Et tandem dicit Auic. (& eſt doctrina accepta à Gal.) quòd horum medicaminum
operatio in materia ſcirrhi talis eſſe debet, qualis actio Solis in cera, quæ lenit, & liquefacit eam, & non
Ex Gal. 7. de medicamentis per gen. exſiccat. Dicit etiam ibi Auic. In mucilagine fenu græci, & ſeminum lini eſt talis operatio. Gal. verò
vtebatur radicibus altheæ, & folijs maluæ, ſolutis cum adipe; quòd ſi fuerit anſerinũ, aut gallinaceum,
14. meth. cap. 5. & 5. ſimpl. medicamẽtorum. aut porci, fuerit melius. Scribonius verò laudat radices cucumeris agreſtis decoctas in mulſa, tritas, &
ſuperpoſitas: quas etiã multum laudat Galenus, ſi in Sabino oleo fuerint decoctæ. De oleis laudat
Auic. oleum vetus, de lilio, de alcanna. Gal. verò Sabinum, & de aneto. Oleum Sabinum eſt oleum
Lib. de comp. med. ſerm. 80. vetus, penetratiuum, ſubtilium partium, abſque ſtipticitate, vt melius ſcirrhoſim penetrare poſſit; & fit
Ex 14. metho. cap. 5. & 2. ad Glau. cap. 11. & 7. de med. per gen. ex oliuis maturis in regione Sabina apud Romam. Auic. tamen dicit, eorum meliora ſunt, quæ ſunt
minoris antiquitatis, & exſiccationis, & vehementioris humiditatis. De compoſitis laudat Princeps
ſtercus aſini cum radicibus hybiſci, & ſtorace. Aut fiat emplaſtrum Raſis cum mucilaginibus altheę, &
7. ad Alm. 13. fenu græci, ammoniaco, bdelio, caricis pinguibus, & oleo de ben, & liliorum. Aliud Gal. & dicitur
7. de med. per gen. malagma primi ordinis, ℞. butiri, reſinæ colofoniæ, ceræ albæ añ. q. u. miſce. Aliud ſecundi ordinis, ℞.
farinæ fenu gręci, ſeminum lini, radicum althee añ. ℥. ij. bulliant in aqua mulſa, & adde butiri recentis
℥. iij. bdelij, ſtoracis liquidę, ammoniaci añ. ℥. i. hæc diſſoluantur in vino, deinde ſimul fiat emplaſtrum.
Pro reſolutione iſtius materiei, cum aliquam acquiſiuerit mollificationem, laudat Auic. ea, quæ in de
cura ſtrumarum dicta ſunt. Aliud, ℞. fæcis aceti, fæcis olei antiqui añ. lib. s. pulueris marcheſitæ, pin-
guedinis equi añ. ℥. iij. farinæ fenu græci, ſeminis lini añ. q. s. aceti parum miſce, & fiat emplaſtrum.
Vnguentum mirabile, ℞. adipis vulturis, taſſi, tarabus, cerui, medullæ crurium vaccæ, pinguedinis ana
tis, hyſopi humidæ añ. ℥. i. mucilaginis fenu græci, ſeminis lini, altheæ añ. ℥. iij. bdelij, ammoniaci, gal-
bani, opoponacis añ. ℥. s. olei chamæmelini, liliorum alborum añ. ℥. iiij. adipis vulpis, gatti, leporis, añ.
℥. i. vnguenti marciaton, agrippę, aragon, dialtheę, butiri añ. ℥. i. miſce, & fiat vnguentum.
7. de med. per gen. circa princ. In iſtis verò ordinationibus ea notanda ſunt, quæ dicuntur à Gal. ſcilicet vt inſpiciat medicus, & con
ſideret, inter ipſa pharmaca, alia magis, alia minus emollire, ideo in primis debili vſu medicamentorum
vtatur: at poſt vnum, aut alterum diem, ſiue intendere medicamenti virtutem, ſiue remittere conueniat,
intelliget. Præterea indureſcentia apoſtemata, quę ex methodica, ſeu rationali arte non curata ſcir-
rhum contrahunt, optimè curabuntur, ſi medicus ſpectet, quantum ægri corporis ſubſtantia à medio-
cri humiditate, aſiccitate receſſerit; quemadmodum ſi affectus ipſius incrementum inſpiciat: nam cor
Ex 3. methodi. pora dura fortia patiuntur medicamina, tenella vero (cuiuſmodi habent mulieres, pueri, eunuchi, &
viri delicatiores, in vmbra, otio, & effæminati) ad talia apta non ſunt. Præterea conſideranda ſunt mem
Ex 14. methodi bra patientia, nam aliqua habent rariores naturas, aliqua verò denſiores: nonnulla ſunt neruoſæ ſub-
ſtantię, & aliqua muſculoſæ. Vnde neceſſe eſt diſtinguere membri compaginẽ, & medicamenta permu-
tare. Vnde Princeps ex ſententia Gal. dicit; Et medicus tunc ſit audacior in adminiſtrando acetum, cũ
apoſtema eſt in membro carnoſo: in neruoſo verò cauere ab aceto eſt opus, ne eius complexio corrum
5. Aphor. 18. patur ex Hipp. Verum eſt, quòd in tendonibus, & concatenationibus aceto vtimur ex Gal. & Princi-
pe, vt dura, & viſcoſa materia incidatur. Sed Auic. addit; Et oportet, vt iterum alleuiatio fiat in admi
niſtratione aceti, vt non ſeparetur ſubtile, & ſpiſſum induret; Ideo ponuntur adminiſtrationi eius inter
pollationes, in quibus eſt lenificatio. Verùm oportet, dicit Auic. vt ſit adminiſtratio aceti, & intromiſ-
ſio eius in medicinis in fine rei, & non in eius principio, nam tunc rarificat, & ampliat poros mem-
bri denſi. Gal. laudat acetum, & dicit, quòd ſi quis eo moderatè, & ſecundùm decens tempus
vtatur, iuuat has diſpoſitiones, & diſſoluit groſſos humores: ſi verò immoderatius, vel non in tem-
pore decenti, ſubtile reſoluens, groſſum deſinit dilapidari. Dicit Auer. Apoſtemata dura, quæ ex hu
7. coll. 31. more fiunt groſſo, debent emplaſtrari cum medicinis emollientibus, ſicut cum medulla cruris arietis,
aut vituli, cum modico ammoniaco &c. Iſta & ſimilia vtilia ſunt, quia medicinæ multum reſolutiuæ
ſubtile reſoluunt, & groſſum petrificant; ſed quæritur hic compoſitio, in qua ſint reſolutiua, & præpa
14. metho. & 2. ad Glauc. vbi de ſcirrhus in fine. ratiua, eo quòd omnes partes tumoris non recipiunt reſolutionem æqualiter ſecundùm vnum modum.
Et aliquando cum iſtis medicinis miſcentur medicinæ fortis reſolutionis, & melius omnium eſt acetũ,
quando cum iſtis temperatè miſcetur. Dicit Gal. In tendonibus autem, & colligationibus in acer-

rimo aceto lapidem ignitum extingue. & ſi poſſibile eſſet habere lapidem piritem (i. marcheſitam, quem aliqui lapidem gagatem appellarunt, qui in magnis ciuitatibus rarus non eſt) hoc melius eſſet: ſi non autem, accipimus molarem, ex quo molæ ad triticum frangendum conficiuntur, & ignitum in aceto infundimus, & locum durum euaporamus; deinde ad mollificatiuum pharmacum reuertimur. Aut cum lapis igne excanduerit, acerrimo aceto eum aſpergere opus eſt, ac deinde ſuper lapidem mouere partem affectam, vt à vapore ſurſum lato ſcirrhus diſſoluatur: multi enim hoc modo curationis perfectè ſanati ſunt, vt ferè potius magicum, quàm medicum opus, videretur.

Locus igitur durus ſic ſituetur, vt nihil de vaporatione lapidis perdat; & poſtea locum ſabino, aut anetino oleo calido foueas, aut cum decoctione altheæ, maluæ, brancę vrſinæ, cucumeris agreſtis, ſertulæ campanæ, fenu græci, aneti comarum, &c. Et ideò dicebat Auic. cap. primo de curationibus bonis. ad illud eſt vaporatio ex lapidibus ignitis, ſcilicet molendini, & melius quo fit vaporatio ab eo cum aceto; & melior, à quo fit vaporatio, eſt marcheſita. Et addit Auic. Oportet, vt ad hanc perueniatur ſummam in euaporando, & ſuffumigando, donec appareat ſudor; & quandoque linitur cum marcheſita trita cum aceto, & confert. Dicit Auer. quòd Gal. laudat operationem marcheſitę, quando virtus aceti portat æqualiter calorem in ipſum membrum, eo quòd eſt in ſubſtantia aereum, & digeritur materia dura à calore aceti æqualiter penetrante: ſicut res, quæ maturantur in medio aeris, quæ æqualem recipiunt maturationem: nec credit Auerr. quòd hæc operatio fiat ratione lapidis, nec ratione caloris impreſſi in lapide; nam valerent lapides contriti, & duris apoſtematibus ſuperpoſiti. Balnea cõmuni omnium opinione damnantur in hoc morbo; quia, vt memoriæ mandauit Auicenna, reſoluunt ſubtile, & aggregant ſpiſſum, & non perueniunt ad hunc finem, vt leniant ſpiſſum. Quod item nobis admonuit Paulus, dicens; A balneo in totum ipſis abſtinendum eſt, aut ſaltem à frequenti: balnea enim partes ſubtiliores humoris contenti digerunt per halitum; & quæ remanent, duriores, & rebelliores fiunt, vt monuit Galenus pluribus in locis. Nec de hoc eſt aliqua dubitatio.

7. coll. cap. 31. — 3. f. 4. 12. de cura Scirrhi. — lib. 4. cap. 31. — 2. ad Glauc. ca. 4. & 5. ſimplic. cap. 7.

Quarta intentio, ſcilicet corpus à noua ægritudine cuſtodire, ob hoc in hoc loco proponitur; quoniam cum ſcyrrhus generetur ab humore valde terreſtri, & contumaci, rarò fit, vt perueniatur ad totalem ipſius eradicationem: ſed plerunq; inducias præbens denuò reſurgit, atque vel in eadem parte, vel in diuerſa, eundem, vel diuerſum morbum progenerat. Vt igitur caueamus inſidias huius humoris, atque offenſiones ipſius obtundamus, perpetua cura adhibenda eſt, potiſſimum in ſex rebus non naturalibus, vt ea oĩa fugiantur, quæ melancholicũ humorem tum generare, tum genitum excitare poſſunt. Quæ autem hæc ſint, iam diximus ab initio huius capitis, & inferius etiã magis demonſtrabuntur: Quare tandem huic morbo finem imponamus.

De Cancro, ſeu Carcinomate. Cap. III.

CANCER, ſiue carcinoma, aut (vt aliqui dicunt) carum, tumor eſt à bile atra genitus, teres, durus, mobilis, addens, lædens, habens radices apparentes, nigras, innexas membro, non totaliter à dolore priuatus, neq; à ſenſu expoliatus; cuius materia aut eſt talis per aduſtionem choleræ, aut naturalis, cui admixta eſt bilis flaua: non autem à pura fæculenta. Hic tumor interdum fit incipiendo, aliquando verò ex alia in hanc permutatur ægritudinem: ſæpè etiam magnificatur, & nõ vlceratur, & dicitur cancer occultus; & cum vlceratur, manifeſtus cancer appellatur. Hic tumor dicitur cancer, propter ſimilitudinem, quam habet cum cancro, animali marino, in tenacitate ſua cum membro, ſicut tenacitas cum eo, quod venatur, ac etiam in rotunditate: & venæ in eius circunferentia apparent, ſicut apparent pedes cancri animalis in circuitu eius.

A cholera nigra duæ tumorum ſpecies generari ſolent, quarum vna dicitur ſcyrrhus, altera verò cancer nuncupatur. Particulares equidem ſunt hę paſſiones per comparationem ad lepram, & elephantiaſim. Sit nunc ſermo de cancro, ad quem interdum ſæua ſequuntur accidentia. Dicit Auic. aſſignando materialem cauſam iſtius tumoris, quòd eſt apoſtema melancholicum ex melancholia aduſta, à materia cholerica, aut in qua eſt materia cholerica, cum qua combuſta eſt, non à pura fæculenta. Ex hoc eſſentialem differentiam demonſtrare voluit inter cancrum, & ſcyrrhum ab ethereogenea, & homogenea cauſa: & dicit, quòd cancer fit à melancholia aduſta, à materia cholerica, propter ea, quæ dicta fuerunt à Gal. nempè cum aduſta fuerit materia cholerica, cancros operatur. Fit talis aduſtio, vt declarabat Auic. quando per vlteriorem concoctionem, aut putrefactionem rubeę choleræ partes ſubtiles reſoluuntur, & craſſę remanent aduſtæ, & incineratæ. Cinis iſte, dicebat Auic. eſt melancholia, à materia cholerica. Et quia interdum reperitur melancholia aduſta ex fæce ſanguinis, ſeu melancholiæ naturalis; quæ, antequam aduratur, admiſcetur cum cholera rubea, & ſimul aduritur; ideò dicit Princeps; Aut in qua eſt materia cholerica. ſ. admixta, cum qua. ſ. cholera combuſta eſt (ſupple) naturalis melancholia, & non à pura fœculenta, quia hęc eſt illa melancholia, quæ fit per aduſtionem cholerę nigræ ſolius naturalis. De qua dicebant Gale. & Auicenna, quòd ſi proijciatur in terram, facit eam ebullire, & fermentare, neque muſcæ volunt eam guſtare, ſed fugiunt. A tali materia ſolet generari

3. f. 4. tr. 2. c. 25. — lib. de tumori. cap. 8 — 1. f. 1. de humo. — lib. de atra bili. ca. 3. & 24. Method. cap. 9. c. 1. princip. — 1. f. 1. c. d. humoribus.

[lib. 4. c. 26. 2. f. 1. cap. 5.]

generari durus tumor, cum quo nullum aſſociatur acutum accidens: ſed in cancro mala apparent accidentia, vt dicit Paulus; quia eius materia eſt ſic admixta, aut aduſta. Dicit Auic. loquendo de cancro non vlcerato, inter quem, & ſcyrrhum, difficile eſt differentiam ponere; nam differentia inter cancrum, & durum apoſtema exiſtit per accidentia inſeparabilia, & non per differentias ſubſtantiales: & ponit quinque media, quibus differt ſcirrhus à cancro, ſcilicet ab accidenti, à forma, ab origine, à ſenſu, & à loco.

[In diuiſ. c. 228.]

Ab accidenti, quia in cancro reperitur aliquis dolor; & non ſolum dolor, ſed acuitas, & pulſatio quædam, cum aliquali caliditate, & velocitate additionis: non contingunt huiuſcemodi accidentia, dicit Auic. ob aliam cauſam, niſi propter multitudinem materiei, & inflammationem. Et propter illud, quod accidit in illa materia de ebullitione, cum ipſa venit ad membrum, propter admixtionem humoris calidi, & ſicci. Dicebat Raſis; Eſt apoſtema acutum, & quandoq; incipiendo accidit, & quandoque poſt alia apoſtemata, quando indurantur. Signa eius ſunt, quòd incipit apoſtema ſimile auellanæ, & minus, deinde augmentatur ſecundum dies cum duritie vehementi, & tenebroſitate in colore, & rotunditate in figura, & aliquantulo caliditatis in tactu; & quando incipit magnificari, apparent in eo venæ virides, & ſunt ei radix, & penetratio in corpore.

[2. ad Glaucon. d. 3. cap. 2.]

[2. Metho. ca. 2. & 2. ad Glauco. cap. de cancro, & 1 li. de diff me dicis. li. 4. c. 26. & lib 6. c. 45. lib. de tum. c. 8.]

[2. ad Glauconē. cap. pro 1.]

A forma, dicit Auic. differt ab eo iterum per venas, quas mittit in circuitu ſuo ad membrũ, in quo eſt, & ſunt quaſi pedes cancri, & non ſunt rubeę, ſicut in phlegmone, imò decliues ad nigredinem, & offuſcationem, & viriditatem. Dicebat etiam Gal. Videntur venæ eorum locorum, vbi conſederit hic talis humor, plenæ, atque tenſæ ſanguine corrupto, nigro, atque ſpiſſo; qui quantò nigrior, & ſpiſſior erit, tantò peior, periculoſiorque credendus eſt, & grauior, atque inſanabilior. Et in mamillis quidem ſæpe vidimus cancro ſimilem effigiem, atque formam, vnde & nomen, & ſimilitudinem accepit; nam ſicut illi pedes, ità & huic protenſæ venæ ex vtraque parte cernuntur; Et ideò hæc paſsio dicitur cancer propter ſimilitudinem cum animali illo maritimo, qui cancer nominatur, vt docent Gal. & Paulus. Scribit rurſus Gal. Implentur venę earũ regionum, & tenduntur magis, quàm in phlegmonibus; minus enim egredietur à vaſis ad eam, quæ in circuitus carnem, propter groſſitiem humoris, qui cancrum generat, at verò rubeæ non ſunt, ſicut phlegmonis venæ, ſed ſecundum triſtantem humorem. Ratio verò, quare apparent iſtæ venæ in cancro, & non in ſcirrho, eſt quia vt plurimum cancri fiunt incipiendo, & talis materia tranſmittitur per venas, quæ propter eius craſſitiem pro parte ibi remanet; & cum ad minimas peruenit, incuneatur, & incipit eleuare, & ſic colorantur venæ, vt fusè docuit nobis Gal. Præterea acuitas, & caliditas materię, cum tali craſſitie conculcando, reddit venas, & artherias difficiles in ſuis operationibus, & mouentur cum difficultate ad ſui refrigerium; ideò ſentitur pulſatio, & venæ apparent protenſæ, & magis in cancro non vlcerato, quàm in vlcerato, cum pro parte hi mali ſucci in vlcerato euacuentur.

[2. ad Glauc. & 14. Methodi.]

[cap. 10. lib. 2. d. 2. c. 5.]

Ab origine, dicebat Auic. etiam diuerſificatur ab eo; quoniam plurimum aduentus cancri fit incipiendo, & duri fit permutando ex calido. Gal. dicit; Fit frequenter ſcirrhus etiam ab indoctis medicis, qui non intelligendo, mox à principio vehementibus ea, quæ tali humore loca laborant, atque intumeſcunt, diaforeticis curant medicaminibus, ſublataque humoris tenuitate, ſpiſſitudo, quæ remanſit fæculenta, quaſi in lapidem conſtringitur; ſic eryſipela, & phlegmon vertitur in ſcyrrhoſim, ſi nimium ſtipticis, & frigidis à principio curentur perſeueranter medicaminibus. Hoc etiam memorauit Gal. in lib. de tumoribus. & ad Glauconem, dicens; Moneo te, dum aliquid facis, diligenter quotidie attendas, ne locum nimium ſiccando, ſcyrrhoſim inducas.

[14. Metho. c. 9.]

[2. ad Glauconē. Idem & Celſus lib. 5. lib. 4. c. 26. & 6. cap. 45.]

[14. Metho. c. 9.]

[7. ad Alm. c. 9.]

A ſenſu, dicit Princeps, etiam differt à ſephiros, ſupple puro, quoniam eſt ei ſenſus, & duri non eſt ſenſus omnino. Gal. quoque ait; Dixi vnam paſſionem ſcirrhum, cui cum alijs accidentibus inſenſibilitas coexiſtit, alios autem tumores, quicunque nondum omnifariam ſunt inſenſibiles, à medicis dupliciter eſſe vocatos, nempe vel ſcirrhos, propterea quòd generis ſcirrhorum ſunt, vel ſcirrhoſos tumores. ¶ A loco, quia cancer vtplurimum accidit, dicebat Auic. in membris raris, & mollioribus. Galen. autem inquit, vtplurimum diffunditur aut in mamillis, aut in matrice, & dicitur cancer occultus, & maximè in mulieribus, in quibus non fit debita expurgatio. Et Paulus dicebat, quòd in qualibet corporis parte oriri conſueuit, ſed præcipuè in fæminarum mammis, quoniam natura fungoſę, & inanes ſunt, & venas vndique turgidas habent: & magis mulieribus, quàm viris, contingunt propter earum mollitiem; & quia in eis multæ ſuperfluitates ſuperabundant; ſcirrhus verò in duris, & melancholicis corporibus. Declarat Auic. difficultatem cognitionis iſtius ægritudinis in eius principio, & dicit; In primis, cum accidit, eſt occultæ diſpoſitionis, & eſt tumor ſicut faba parua, durus, fuſci coloris, in quo eſt caliditas quædam, deinde apparent ſigna eius. Gal. qui omnia dixit, ſcribit; Simpthomata iſtius paſsionis aliquando ſunt adeò obtuſa, & parua, quòd multos latent; aliquando verò ſunt adeò fortia, & magna, quòd etiam pueris ſunt nota; incipiẽte verò tali apoſtemate, latere decens eſt multos, quemadmodum & plantæ, quæ ex terra progrediuntur; etenim & hæ à ſolis optimis agricolis dignoſcuntur. Dicit Raſis; Hęc paſſio à principio eſt ſicut cicer, & aliquando magnificatur ad modum melonis, & ſecundum quòd tumor magnificatur, oſtenduntur accidentia, quæ ſecundum materiæ naturam, remiſſiora, & ſęuiora ſunt. Inter elementa enim ignis eſt actiuior, & mobilior, terra verò minus mo-

bilis,

bilis, & minus actiua. Et hęc eſt ratio, qua motus Auic. dicebat, quòd quidam cancer eſt vehementis doloris, alius verò parui doloris, & quietus. Hęc accidentia humoris qualitatem ſequuntur: nã mala ſpecies melancholiæ eſt illa, quæ fit per aduſtionem cholerę: quod iam Gal. oſtenderat, quando dixit, quòd quando cholera citrina aduritur, eſt malitioſa, mala, corrodens membra, in quibus aggregatur. Ad hanc ſequuntur mala accidentia, quia adhuc tenet aliquid de caliditate, & ſiccitate. Alia verò melancholia fit per aduſtionem naturalis melancholię, & hæc propter eius naturam terreſtrẽ nõ adducit ſæua accidentia; & ideò Auic. dicebat; Alius perducit ad vlcerationem, quando eſt ex melancholia, quæ eſt aduſtio ſanguinis, aut choleræ puræ ſolius: Alius verò eſt ſiccus, ideſt, ex humore melancholico, ſolo, & non vlceratur. Hæc eademmet ſententia eſt Gal. 5 lib. de tumoribus. Quòd ad naturam autem peccantis melancholiæ ſequãtur diuerſa accidentia, vide Principem cap. de ſignis quartanæ. Dicit Auic. Quandoque permutatur cancer vlceratus ad non vlceratum. quæ verba malè ſonãt; nam ſequeretur, quòd eius eſſet cura: quod non conceditur, nec ab Hipp. nec à Paulo, nec à Gal. &c. niſi intelligamus ſic, qui locus non vlceratus fit aliquando vlceratus propter cauſam corrodentem, acutam: ſed ſi eſſet ſermo talis; Et quandoque permutatur non vlceratus ad vlceratum, ſententia eſſet clara; quia ſequitur Auic. quòd reducit eum vlceratum curatio cum ferro, & tunc fiunt labia groſſiora, & duriora. Raſis dicit; Qui tale apoſtema ferro incidunt, non plus lucrantur, quàm quòd cancrum vlceratum faciunt. Et Alpharabius; Cum cancer inciditur, ait, fit vlcus mali coloris, per totum eius circuitum, cum groſsitie, & mollitie deforis, & color eſt viridis, & fluit ex eo putredo fætida, & quantò magis pertractatur, addit magis in malitiam. Vide Celſum; vnde Albucaſis dicebat; Cauendum ab eo cum curatione eius cum ferro, vt non vlceretur. Et Raſis dicit; Si cancer vlceratur, tunc vlcus eſt turpe, malum valde, habens labia rubea, & viridia, & inuerſa; ex quo currit ſanies mala fætida. Et rurſus dicebat; Cancer deterior eſt, ſi vlceratur: vlcus autem, quod in cancro fit, eſt fædũ, labia habens groſſa, & viridia, foris conuerſa, quæ non ſanantur. Sileant igitur, qui cancrum, tumorem acutum non eſſe, credidere, & ſi eius materia frigida eſt, & ſicca, ad quam non ſequũtur acuta accidentia. Diximus enim, quòd duplex eius poteſt eſſe cauſa, vel ſola atra bilis, & eſt tumor quietus: vel mixta, & tunc eſt acutus. Credidit Auic. cancrum fore tumorem acutum, quando breuiter differentiam inter cancrum, & duritiem poſuiſſe videtur. ibi dicit; Durities, ſiue ſcirrhus, eſt apoſtema quietum, ideſt, de materia, quæ non permutatur de loco ad locum: cancer verò eſt mobilis, ideſt, permutabilis de membro ad membrum, vt ſæpe viſum eſt. Scirrhus verò eſt permanens in eodem ſtatu, ideſt, in eadem quantitate: & cancer eſt addens, ideſt, multiplicans in quantitate. Et ſi ſcirrhus eſt ſedatus, ideſt, non adducens ſæua accidentia, cancer eſt lædens, ideſt, malorũ accidentium. Et ſi in duro tumore deſtruitur ſenſus, in cancro aliquis ſenſus reperitur, niſi membrũ mortificetur. Et ſi ſcirrhus omnino priuatur dolore, cancer eſt doloroſus. Et hæc ſunt inſeparabilia ſimpthomata, quę neceſſariò cum ſua ægritudine adſunt, à quibus poteſt ſumi differentia inter carcinoma, & ſcirrhum, non autem per differentias ſubſtantiales, ideſt, per cauſam materialem; quia ambo à bile atra producuntur.

1. f. 1. cap. de humoribus.
3. progno. ſ. 32.
1. f. 4. tract. 3.
7. ad Alm. ca. 8.
In ſua praxi tr. 29. cap. 16.
lib. 2. cap. 53.
Diuiſ. cap. 128.
7. ad Alm. c. 9.
2. f. 1. cap. 5.

De cura Cancri, ſeu Carcinomatis. Cap. IIII.

Difficilis eſt talis ægritudo in ſui principio quò ad cognitionem, & facilis curæ; ſed in eius ſtatu facilis cognitionis, & impoſſibilis curæ, vt demonſtratum eſt ab Hipp. à Cornelio, à Gal. à Paulo, ab Auenzoar, ab Albucaſi, Raſi, & ab Aetio, quem vide tamen lib. 16. cap. 47. 48. 49. & 50. Ideò Auic. dicebat; Confirmatus verò cancer non ſanatur. & ſubdit; Cum incipit, poſsibile eſt, vt prohibeatur additio ſuper id, quod eſt, & præſeruetur ab vlceratione. Vnde credendũ eſt, quòd cancer potius indigeat cura præſeruatiua, & paleatiua, quàm ſanatiua, vel curatiua. Et eò magis, ſi (vt dicit Raſis) cum eo fuerit caliditas, & pulſatio: Tunc enim oportet, vt blandiendo ſuccurratur, ne vlceretur. Et rurſus; Poſtquam creuerit (ait) & ad ſui peruenerit perfectionem, non eſt neceſſe, niſi vt ei blandientia adhibeantur, ne in ipſo vlcus fiat. Cura igitur blanditiua in talibus vti bonum eſt, victum talem inſtituendo, qui virtutem non minuat, morboque ſuppetias non ferat, ſed dolores, ſimpthomataque ſedet, atque corpus emolliat, ita vt cauſæ virtuti obnoxiæ, aut morbum fouentes, non augeantur.

6. Aphor. 38.
lib. 5. c. de Carcinomate.
14. Meth. c. 13. Et 2. ad Glauc.
d. 3. ca. 2. Et de atra bile. cap. 5.
lib. 4. cap. 36. & lib. 6. c 45.
lib. 2. cap. 27.
li. 2. c. 31. & 53.
7. ad Alm. c. 9.
lib. 14. cap. 58.
3. f. 4. tr. 2. c. 16.
Diuiſ. cap. 128.
7. ad Alm. c. 8.

Dicebat Auic. Accidit in quibuſdam horis, vt ſanetur incipiens, confirmatus verò non. Hæc propoſitio duobus modis intelligi poteſt, ſcilicet; Accidit in quibuſdam horis, ideſt, in quibuſdam regionibus, aut membris; quia ſunt aliqua membra, quæ ſecari poſſunt. Et ſic erit cura, ſi cura dici poteſt, ſecundum quid, vt digitus, manus, pes amputetur: cui aſtipulatur Raſis in diuiſionibus, & Princeps etiam narrat nonnulla membra, in quibus poteſt fieri ſectio, veluti iam dicta; & multa, in quibus non poteſt, vt hepar, matrix, lien, &c. Vel poteſt dici; Accidit in quibuſdam horis, ideſt, in principio morbi, quod tamen cum difficultate cognoſcitur; & cum incipiunt, dicuntur cancri parui: vnde Auic. dicebat; Et fortaſſe ſufferunt cancri parui ſectionem: cum verò ſunt magni, aut occulti, nullo modo ſunt tangendi. Scripſit etiam Gal. Omnia inſanabilia eſſe quæcunque apoſtemata à bile

lib. de atra bile cap. 5.

atra cauſantur, niſi quis vellet appellare ſanationem, inciſionem totius membri vſque ad partem illam, [2. ad Glauc.] quæ ſine paſſione ſit. Et rurſus ait; Cauſa quidem mox in principio à nobis cognita, medicamine, & ferro, curanda eſt, inueterata autem medicamine nullo, vel ferro ſcio aliquẽ potuiſſe ſanari. Idem [lib. 2. cap. 53.] voluerunt Paulus, Raſis, Aetius, Oribaſius, & alij. Et magnus Albucaſis dicebat; Quando cancer antiquatur, & eſt magnus, non oportet, vt appropinques ei; ego enim non potui ſanare ex eis aliquem, [lib. 4. lib. 14.] neque vidi aliquem ante me, qui peruenerit ad illud. Et reddentes rationem Paulus, & Aetius, dicunt, hoc malum planè propter ſucci craſſitiem non conſaneſcit, vt pote quod nec repelli, nec diſcuti queat, nec totius corporis purgationi cedat, tanquam maleficum: vt mitiora negligens remedia, ve[1. de regim. in 2 Aphor. com. 22. 3. de Criſibus, 14. Methodi.]hementioribus irritetur, excandeſcatque. Non quæratur igitur eorum cura, cum cura ægritudinum ſit eorum deſtructio, vt dicebat Gal. quod nil aliud eſt, quam ſuæ cauſæ ablatio. Et Auic. dicebat; Cura ægritudinis eſt reductio eius qualitatis infirmæ ad temperiem, cum ſanitas ſit quædam ſymetria ablatio verò cauſæ iſtius paſſionis magna cum difficultate admittitur, vt dicunt Auenzoar, & Gal. nam medicinæ reſoluentes, & emollientes non operantur in groſſa materia, ſicut in ſubtili; nam ſi debiles ſunt, parum operantur; fortia verò repugnant, & partes tenues ex bile atra diſſoluunt, & non totum: vnde reſiduum permanens induratur, & id magis cum radices profundas vſque ad intrinſecas membri venas tenet, & fit impoſsibilis eius eradicatio: ſed cum incipit, poſsibile eſt, vt ſanetur. Sententia eſt [6. Aphor. 38.] Hipp. Cancros occultos omnes melius eſſe non curare; curati enim citò pereunt, non curati verò longius tempus perdurant. Auic. in capite de cura cancri ait, hanc exponendo ſententiam; Et multotiens quidem accidit cancer interius occultus, & eſt rectificatio in eo, vt dixit optimus Hipp. vt non moueatur; quoniam ſi mouetur, fortaſſe perducit ad mortem, & ſi dimittitur, & non curatur, fortaſſe prolongatur ſpatium cum ſalute quadam: & propriè cum rectificantur cibi, qui generant materiam ſaluam; vnde per cancrum occultum exponebat Princeps, cancrum in cauitatibus corporum, vt in ie[In Commenta.]core, matrice, &c. Gal. verò aliam addit expoſitionem, & ait; Occultos cancros (dixit) vel eos, qui [lib. de bili atra cap. 4.] ſunt ſine vlceratione, vel occultos, ideſt, non apparentes. Idem rurſus ſcribit; Quando ſolus in principio quidem tumorem operatur nigrum, tunc aut deſinit in vocatum cancrum, quando acrior fuerit & mordacior, corroſa cute; quando verò ſobrior, ſine vlceribus, operatur nominatum abſconditum [2. ad Glauc.] cancrum. Et iterum; Aliquando occultus diffunditur, aut in mamillis, & dicitur cancer, aut in matrice, & dicitur occultus cancer. Sed magis credendum eſt, quòd cancer occultus ſit cancer non vlcera[6. Apho. cõ 38.]tus; quia Gal. dixit; Si qua cura eſt, perficitur cum inciſione, & vſtione: quæ actiones in interioribus, [lib. 16. cap. 44.] aut vlcerato cancro minimè celebrari poſſunt. Et hanc expoſitionem laudat Aetius, vbi dicit; Duæ autem cancrorum ſupremæ differentiæ ſunt; nam quidam eorum vlcere carent, quidam exulcerantur: qui vlcere carent, ab omnibus fere Antiquis occulti appellantur, præter Philoxenum, qui occultum nominauit, ſi in vtero, aut iecore contingit. Sed quomodocunque ſit, cancer cura paleatiua, & præſeruatiua potius, quàm alia operatione, indigere videtur. Quod optimè declarauit Cornelius dicen[lib. 5. ca. de carcinomate.]do; Et quò maior vis adhibita eſt, eò magis quidam vſi ſunt medicamentis adurentibus; quidam ferro aduſerunt; quidam ſcalpello exciderunt, neque vlli vnquam medicina profecit, ſed aduſta protinus cõcitata ſunt, & increuerunt, donec occiderent; Exciſa etiam poſt inductam cicatricem tamen reuerterunt, & cauſam mortis attulerunt: cum interim plerique nullam vim adhibendo, qua tollere id malum tentent) ſed imponendo tantum lenia medicamenta, quæ quaſi blandiantur, quò minus ad vltimam ſenectutem perueniant, non prohibetur. Similiter Gal. ait, Multi medici magnę auctoritatis, neque hos manus opera curari permittunt, neque eos emolliri, & omnino abſtinendum conſulunt à remedijs potentibus in omni natura cancri. Melius eſt igitur eos non curare, niſi penitus cum radice eos euellere poſsimus. Et alibi prodidit; Vlcera, quæ contingunt ab atra bile, inſanabilia ſunt, cum nihil [4. particu. Aph. commen. 24.] differant à cancro vlcerato, Ideo dicebat Auic. Et fortaſſe ſufferunt cancri parui ſectionem. nã ſi poſſibile eſt, vt deſtruatur cum aliquo, tunc non eſt poſsibile, vt deſtruatur, niſi per inciſionem vehementem, vt ex toto aſſumatur membrum inuadens, quod eſt in circuitu eius, incidendo ipſum circundan[idem in lib. de colera nigra. ca. 5.]tem apoſtema, eradicando omnes venas, quæ imbibunt ipſum, ita ut non remaneat de eis aliquid, & currat poſt eis ſanguis plurimus. Et fortaſſe, dicebat Auic. Indiget poſt inciſionem cauterio; quia inciſio in pluribus horis addit ei malitiam. Et fortaſſe erit in cauterio timor magnus, ſi apoſtema fuerit propè membra principalia, aut nobilia. ſed fac prius (dicebat ipſe) antecedere corporis mundificationem, cum ſolutione ventris à materia mala, aut phlebotomia; deinde in regimine victus gubernetur bo[14 Meth. c. 9.]no regimine. Idem docuit Galenus, dicens; Si demum tentabis quandoque per chyrurgiam ſanare cancrum, incipiens quidem bilem atram euacuare, circum abſcindas omne certiſſimè quod patitur, & nulla derelinquatur radix, & ſine effundi ſanguinem, & ne citò detineas, ſed ſtringe eas venas, & quæ in circuitu regiones, exprimens ab eis groſſum ſanguinem: demum cura ſimiliter cum alijs vlceri[2. ad Glauc.]bus. Sed alibi Galenus dicit, quòd hæ actiones periculum inferunt, & reos conſtituunt medicos, ſi hæc omnia non antea prędixerint ventura; Ideo in his paſsionibus prædictiones malę fiendæ ſunt, etiã quòd Celſus dicat; Non idem periculum carcinoma affert, niſi imprudentia curantis agitatum eſt. In [lib. diuiſ. c. 128.] omni igitur operatione conſiderandus eſt locus, vt docet Raſis, vtrùm fuerit in loco præparato eius abſciſsioni, ſecundum omne commodum. Item tempus, vtrum ſit ægritudo noua, aut antiqua:

nam

nam inueterata nullo modo curatur. præterea patientis ætas; nam in ſene difficilis, imò impoſsibilis, eſt cura; quoniam vtplurimum ſenes ſunt melancholici. Et Gal. dicebat, quòd ſenectus eſt mala complexio, frigida, & ſicca: Virtus verò infirmi, & qualitas accidentium ſemper ſint præ oculis Medici. Sciat ēt Medicus, nunquid ægritudo ſit reuerſura, aut permutetur in aliud membrū, ſi vnū abſcinditur. quod cognoſcitur ex additione ægritudinis, & habitudine, ac corporis repletione. Dicebat Auic. in fine capitis de cura cancri, auctoritate Antiquorum, quòd quidam Medicus incidit mamillam canceroſam radicitus, & cancerata eſt alia. Et addit Auic. hoc fuit, aut quia erat in via cancerandi, aut ſecundùm ſemitam permutationis. Dicamus igitur, quid ſit agendum pro eius præſeruatione, ac de blanditiua cura ſermonem faciamus. Dicit Gal. Oportet in principio eos purgari frequenter, purgatorijs vtique illis, quibus melancholicum propriè ſcis purgari humorem, ex quo (vt diximus) cauſa naſcitur; Et ſcito id tam diu eſſe faciendum, quam diu minuetur cauſa, atq; purget. In traductione autem Leoniceni dicitur; Tam diu faciendum eſt, donec ſanitas priſtina ſubſequatur. Hanc euacuationem laudant omnes, quæ proficit, vt diximus in capite de cura ſcirrhi. & de medicinis bonis laudatis à Gal. Paulo, Raſi, & Auic. eſt epithimum cum aqua caſei. Gal. & Auic. dant aureos quattuor epithimi cum aqua caſei, aut aqua mellis, & in corporibus fortibus dat ieram ellebori. Paulus verò dat epithimum vſq; ad vncias quatuor cum dimidia, ſed eſt error forſitan impreſſoris, etiam quòd in margine libri ſit; Fortè drachmis quattuor. Et Paulus dat ieram, quæ nigrum veratrum recipit. In victus verò ratione, dicit Gal. ſuccus ptiſanæ abundanter exhibendus, & ſerum lactis, & ex oleribus malua, atriplex, & blitum; & quando tempus fuerit, cucurbitis vtendum, & piſcibus petroſis, & volatilibus, exceptis paluſtribus. Et Auicē. laudat aquā hordei, piſces paruos, & vitella ouorum ſorbilium. Sed in capite de cura ſcirrhi narrauimus præſeruationem cancri per rectificationem cibariorum laudabilium. Sectio venæ laudatur à Gal. à Paulo, & à Principe cap. de cura cancri. In mulieribus autem ante quinquageſimū annum, menſtruorū prouocatio optima eſt; In viris autem, hæmorroidarum expurgatio, conditionibus conſentiētibus. Nunc autem de localibus ſit ſermo. Dicebat Raſis; De foris autem non eſt ſpes in reſolutione eius. Auic. verò ait; Per medicinas locales ad cancrum requiruntur quatuor intentiones. Prima, eſt deſtructio cancri penitus, & hæc difficilis eſt, & duobus modis poteſt perfici, aut inciſione, vt dictum eſt, aut ire verſus illud, in quo eſt reſolutio eius, quod collectum eſt de materia mala, & expulſio eius, quod præparatū eſt ad colligendum in membro de ea. Et ſi fuerit vehementis virtutis, & motionis, tunc dimittatur: nā illud, quod de medicinis forte eſt, addit cancro malitiam. Et ſimiliter oportet, vt alienetur in eis mordicatio; & propter illud ſunt medicinæ bonæ, mineralia abluta, ſicut tutia cum oleo roſato, &c. Dicebat Gal. Poſt purgationem, cum apparet cancer, oportet intro expellere eum humorem, qui deſcendit ad particulam, & prohibere eos maiores augeri: ſed mixtum eſſe oportet medicamentum, ſcilicet in virtute euaporante, & expellente, temperatæ tamen operationis. debile.n. non operatur circa groſſum humorem, & inobedientem; forte verò, aut mordens propter vehementiam actionis malam morigerationem inducit, & cancer ſilueſtris fit; Igitur cōmoderatis virtute medicaminibus eſt opus. Et ibi laudat Gal. metallica lota, & vſta. Secunda intentio eſt, prohibitio additionis. Dicebat Auic. Ad id verò, quod prohibet additionem, peruenitur cum abſciſsione materiei, & refectione cibi, & confortatione membri, & cum medicinis repercuſsiuis notis, & adminiſtratione linimentorum mineralium, ſicut linimentū fricationis lapidis molendini, & lapidis cotti, ideſt, molaris. Et debet accipi illa pars molæ, quę attenuata reſidet in fundo in ipſa aqua, & conficiatur cum aliquo alio medicamine: Aut fricentur duæ tabulæ plumbeæ inſimul, inter quas continuè ponatur oleum roſatum: Aut ducatur roſaceum in plumbeo mortario cū ſimili piſtello ſub ſolaribus radijs, donec nigreſcat, & ſpiſſum fiat: Aut lytargiriū ducat, donec plūbi colorē acqrat, vt Gal. docet: Aut ponātur, & triturētur coriandri: Aut emplaſtret locus cū coriandris decoctis in agreſta. Dicit Gal. Facta euacuatione, patienti particulæ ſuccus ſolatri imponat: nā hoc medicamen ad huiuſmodi vtile eſt: Quòd ſi nolit ægrotans medicamento adeo humido illiniri, cum præſertim domo exit ad conſueta negotia peragenda, medicamen ex pompholige cōſtans eſt imponendum, quo me vidiſti, ad cancros exulceratos. Et ſi hoc non adſit, adhibe alterum medicamentū noſtrum, quod ex calcite fit. In veteri traductione reperitur deſcriptio vnguenti diapompholigos, quod apud nos de tutia dicitur, ſed Leonicenus eam non adnotauit. Vnguentum ex calcite, ſiue diacalciteos, deſcribitur à Gal. quod aliquando appellatur à Principe, & ab alijs vnguentum de calcadi, à Meſue vnguentum palmeum, vel diapalma, ab aliquibus dyafinicine, &c. Aut R. olei roſ. omphacini violati, ſucci ſolatri an. ℥.j. pinguedinis vituli, taſſi, tutiæ præparatæ an. ℥. xv. bulliant omnia vſq; ad aliqualem ſpiſſitudinem pro linimento. Aut R. pulueris coriandrorū, tutiæ an. ℥.j. olei roſ. omphacini, ſucci ſolatri an. q. s. deducantur in mortario plumbeo, & fiat linimentum. Valet cinis cancrorum fluuialium cum coriandris, & ceruſſa cum roſaceo, aut ceruſſa cum oleo violaceo deducta in mortario plumbeo. Laudatur vnguentum de plumbo, roſatum Meſue, cum pauco aceto. Et ſic credendum eſt, quòd prohibendo fluxum bilis atræ cum aliqua aliorum humorum admiſtione, fiat etiam præſeruatio ab vlceratione. Et Auic. pro tertia intentione, quæ eſt prohibitio vlcerationis, laudat linimenta, quæ conueniunt in ſecunda, & dicit; Et illa, quibus quæritur prohibitio vlcerationis, ſunt linimenta prædicta ad prohibēdam additionem, cum non fuerit in eis mordicatio; & cum rebus deductis in mortario plumbeo: & ibi

2. de cauſ. ſymptom. cap. 2.

Auic. idem. 1. cantic. 35.

2. ad Glauc.

2. ad Glauc. c. 1. lib. 4. c. 36.

Diuiſ. cap. 128.

3. f. 4. tract. 2. cap. 18.

14. Method.

2. ad Glaucon. vbi de cu. cācri.

2. de comp. ſecundùm locos multa acrius. li. 16. cap. 49.

1. de med. per genera. 5. canonis.

laudat terram ſigillatam, bolum armenum, oleum antiquum, quod a Gal. ſabinum vocatur, aut ſuccũ ſolatri, aut ſemperuiuæ, cum ceruſſa, aut mucilaginem pſilij cum ceruſſa, & plumbo. Et hæc eſt compoſitio bona. Aut emplaſtrum ex cancris fluuialibus, & climia. Plumbum ſummè ab omnibus laudatur [5. coll. cap. 43.] ſecundùm omnem modum adminiſtrationis. Dicit Auerr. quòd ſi piſtetur in mortario cum aliquibus liquoribus, aut oleis, vt roſaceum, refrigerat, & valet contra cancrum, & habet virtutem diſſolutiuam, comparando ipſum carni hominis, quamuis dominetur ſuper ipſum frigiditas, & humiditas. Adiuuat huic operationi ſubſtantia quædã aerea, ſubtilis, quæ in eo reperitur, & ideò ferè omnes medicinæ ad cancrum [9. ſimpl. trac. 3. cap. 22.] conficiuntur in mortario plumbeo. Dicebat Gal. Plumbum infrigidatiuæ eſt potẽtiæ, habet etiam non ſolum humidam ſubſtãtiam multam, ſed aeream, & parum de terreſtreitate participat. Pari modo iuuant metallica omnia lota, in quibus non eſt mordicatio, ſicut plumbum, tutia, lythargirium, ceruſſa, climia, antimonium, marcheſita, &c. Sed plumbum (dicit ibi Gal.) valet ſanioſis vlcerib. & cãcroſis tumorib. ipſum per ſe, aut mixtũ cũ alijs medicinis, ſicut tutia, &c. Modũ lauãdi metal [1. de med. per gen. cap. prop.] lica oĩa docuit Gal. Sępe. n. dixit, quòd metallica prius abluantur, ne mordicent; quia cancer ꝑꝑ qualitatem malam, quam habet ab omni mordicatione malignatur, & citò corruptionem recipit. Notandum eſt, quòd frigidæ medicinæ ab aliquali reſolutione expoliari non debent; Et ſic præſeruando cãcros ab augmento, & corruptione, prolungabitur vita patientis, ſtando in bono regimine victus, & cõtinuis purgationibus. Addit Raſis; Non permittatur æger dormire ſuper apoſtema, ne calefaciat ipsũ, [lib. 16. cap. 44.] quia faciliter vlceratur, & fit vlcus cacoethe, aut phagedenicum: quod, vt dicit Aetius, ab antiquis maleficum, & ferum vocabatur, cancroſum quidem, appellatione à cancro animali tranſumpta, ea. n. animalia aſpera ſunt, & pertinaciter dura: Vnde poſtea reſultat quarta intentio, quæ eſt, vlceratum cancrũ gubernare. & ad hoc ſummè aduertendum eſt, quia ab vnaquaque cauſa irritantur, & malignantur loca cancroſa, & febres, & dolores, & mala alia ſymptomata operantur, quæ ægrum de facili ad mortẽ [Gal. 2. ad Glau. 14. Contin. 14. Metho. & 6. Aphor. 38. 4. de med. per genera.] deducunt. Vnde, cum vlceratur (dicebat Raſis, & Gal.) ad virulentiam, aut ſorditiem abſtergendã abſq; mordicatione ſolum attendendum eſt; Et ad hoc ſummè laudatur lotio aceti roſati, calidi; aut aqua maris, in qua ſint coctæ lentes, & cancri fluuiales: aut cancri piſtentur, vt docet Gal. & in eorum ſucco petia infuſa ſuperponatur. Auic. iubet, vt aſsiduetur pannus lini infuſus in aqua ſolatri ſuper eum, & quoties exſiccatur, madefiat deſuper cum dicta aqua: aut lauetur cum aqua agrimoniæ, aut plantaginis, aut ſolatri, aut ſucco pimpinellæ, aut dragunthee, quæ adeò à Dioſcoride laudatur, aut cum vino albo Lac verò eſt mirabiliſsimæ operationis in cancro. Dicit Dioſcorides; Lac generaliter ſanat omnia vlcera, quia ſedat dolores, & abſtergit virulentiam, & valet per ſe, & cum alio medicamine. Gal. [4. de cõp. med.] dicit; Manna orientalis mirabiliter præſeruat, & curat cancrum.

Puluis bonæ opationis in cancro vlcerato. R. Pulueris cãcrorũ fluuialiũ in furno aduſtorũ, radicũ dragunthee exſiccatarũ an. ℥. j. plũbi vſti, tutiæ præparatæ an. ℥. s. pulueris lapidũ molendini, aut molaris ℥. ij. miſce, & fiat puluis ſubtiliſsimus. Valet, dicit Auic. tutia ſola, aut abluta cũ aqua portulacæ. Aut R. farinæ tritici, olibani, ceruſſæ de plumbo an. ℥. j. terræ ſigillatę, boli armeni, aloes abluti an. ℥. ij. omnium fiat puluis ſicut alcohol, & vtetur in cancro vlcerato. Aut cum oleo roſato, & ſucco ſerpentariæ fiat emplaſtrum in tumore cancroſo. Vel, poſtquam vlcus fuerit cum aliquo abſterſiuo mundificatum, & cum bõbace ſiccatum, præparatis ellichnijs ex filis nitidis ad formam, & quantitatem vlceris; ſuper eis extendatur vnguentum diapompholigos, aut pompholigos, vel, vt dicimus, de tutia, quod ab omnibus lauda[2. ad Glauc. ex veteri transl.]tur, & valet: quod recipit ex Gal. puluerem plumbi vſti loti, pompholigos, olibani an. ℥. s. abſinthij ʒ. j. ceræ ℥. xv. olei roſati ℥. vj. ſucci fructus, vuæ lupinæ, quod ſufficit, &, vt mos eſt, fiat vnguentum. Alia deſcriptio modernorum. R. olei roſati ℥. x ceræ albæ ℥. v. ſucci granorum ſolatri ℥. viij. ceruſſæ lotæ ℥. iiij. plumbi vſti, tutiæ an. ℥. ij. thuris ℥. j. puluerizentur, quæ ſunt puluerizãda, ſicut alcohol, poſt fac coqui ſuccum ſolatri cum oleo roſato, vſque ad conſumptionem ſucci, tunc adde ceram cum puluere, & fac inde vnguentum in mortario plumbeo. Emplaſtrum ex pompholige Pauli, quod põpholygeron appellatur. pompholigis ℥. ij. argenti ſpumæ ℥. iij. leuigantur cum ſucco ſem. lini, & adde ceræ ℥. vj. adipis anſerini, vel gallinacei ℥. ij. chamomelini ℥. vj. vt verò annotauit doctiſsimus Manardus, oleum debet eſſe ex floribus chamomeli. Aliud diapompholigos Aetij. ſpumæ argen. ceruſſæ an. ℥. j. pompholigis, croci, adipis anſeris an. ʒ. iiij. ouorũ aſſatorũ, nu 2. vini antiq, olei roſ. an. q. s. Aut vtere vnguento de ceruſſa Paulli, quod recipit cerę tratæ ℥. vj. roſacei ſexquilibram, argenti ſpumę ʒ. ij. ceruſſæ tantundem, amili ℥. iij. ouorũ quinque aquata. Alterũ de ceruſſa Raſis. R. olei roſati ℥. xx. ceruſſæ bonę ℥. x. ceræ albæ ℥. vj. camphurę ʒ. xv, fiat vnguentum ſecundùm artem. Aut vtere vnguento de plumbo. R. plumbi vſti loti, lythargirij an. ℥. ij. ceruſſę, antimonij an. ℥j. olei roſati q. s. pro vnguento. Aliud vnguentũ de [lib. 14. cap. 2.] plumbo. R. antimonij, ceruſſæ lotæ, lithargirij loti, gallarum, ſarcocollæ, aluminis combuſti, corticum thuris, æris vſti an. ℥. j. tutiæ præparatæ, plumbi vſti an. vnc. ij. fæcis olei antiqui lib. 4. ceræ albę lib. 1. miſce, & conficiatur vnguentum in mortario plumbeo, bene ducendo in Sole tribus diebus. Aut vtere vnguento de cancris fluuialibus Archigeni: de cineribus cancrorum fluuialium recentium vnc. ij. climiæ auri, plumbi vſti an. vnç. s. ceræ, ſucci ſolatri an. q. s. Laudatur ab antiquis vnguentum diacalciteos, [Ex 1. de med. per genera.] quod à Paulo in ſuo Antidotario palmulatum phœnicine dicitur, à Principe vnguentum de calcadis, à Meſue palmeum; Et loco palmæ, quam non habemus, vtimur radicibus cannę. Huius medicamenti

deſcri-

deſcriptionem ponam in Antidotario. Medicamentum, quo utor, R. olei lilliorũ alborum, ſucci agrimoniæ, ceræ albæ an. vnc. j. ponantur in caciola ad lentum ignem, donec liqueſcat cera; deinde adde ceruſſæ, camphuræ, tutiæ præparatæ an. vnc. j. miſce, & fiat vnguentum. Aliud Raſis, R. ceruſſæ, tutiæ lotæ an. partes æquales, terantur cum ſucco ſolatri, & mucilagine pſilij, & fiat vnguentũ. Aut R. ſucci hioſciami, pimpinellæ an.vnc.ij. pulueris florum hypericonis, aloes hepatici an.vnc.s. vnguenti de tutia, roſati Meſue, an.vnc.s. olei roſati omphacini, miſce, & fiat vnguentum. Aut R. ſpumæ auri, vnc.iij. ceruſſæ vnc.ij. pulueris cãcrorum fluuialium vnc.j. corallorum alborum, & rubr. an.ʒ.iiij. tutiæ præparatæ vnc.iiij. camphuræ vnc. s. ſepi hircini, olei omphacini an. vnc.vj. ceræ albæ, quod ſufficit, fiat vnguentum in bona forma. ſuper verò omnia medicamenta teneatur lamina plumbi ſubtilis, quæ amplectatur totam duritiem, vt iubet Dioſcorides, & hæc ad laudem omnipotentis Dei dicta ſint.

7 ad Alm.

De Inflationibus, ſiue flatuoſis tumoribus. Cap. V.

HVMOR ventoſus, quem Græci emphiſema vocant, ex flatuoſo ſpiritu in aliquo ſinu collecto naſcitur, vt docent Gal. & Paulus, & Aetius, aliàs ſub cute, aliàs ſub membranis, quæ oſsibus circundantur, aut muſculis, viſcerum ve aliquibus, includuntur aliquando in ventre, & inteſtinis, itemq; in medio horum ſpatio, & membranæ, quæ peritoneos dicitur. Dicebat Auic. de apoſtematibus ventoſis aliud eſt, quod fit à vapore leui.i.mixto ex ſubtili humore, & ventoſitate aliqua, & ſimilatur æſtuationi, aut excitationi,ſ.ædematis, & currit curſu eius: & aliud eſt, quod fit à vapore ventoſo, & nominatur inflatio. Stat igitur hæc paſsio ſub duplici differentia; nam interdũ cauſa materialis eſt ſola ventoſitas, & aliquando admixta cum ſubtili pituita. Et hic tumor, cum ſit talis, differt ab ædemate, dicit Gal. quia preſſus digito veſtigium non retinet, & ſonitum, veluti tympanũ, reddit. Et Auic. dicebat, quòd differunt ratione cauſæ materialis, & commiſtionis; & cognoſcitur diuerſitas harum paſsionum, nam in vndimia, non fit prohibitio compreſsionis digiti, ſicut fit in eleuatione, dicit Auic. capite de apoſtematibus ventoſis. eſt impulſio, & viciſsitudinaria acceſsio: & fortaſſe percutit percuſsione manus, & propriè quando inuenit ſpatium, ad quod aggregatur, ſicut ſtomachus, & inteſtina. Hic tumor interdum eſt doloroſus, aliquando priuatus dolore. Talis vero dolor aliquando fit propter multam materiam extendentem, & continuum ſoluentem, vt docet Auic. aliquando verò, etiam quòd pauca ſit, quia in membro valde ſenſibili eſt, cauſat dolorem: quod etiam contingit ſecundùm diuerſitatem euaporationis. Dicebat Gal. Specierum euaporationis alia eſt, quæ eſt humida in vltimo, & alia eſt, quæ eſt ſicca in vltimo, & alia, quæ eſt commixta, & alia, quæ non mordicat, & alia mordicatiua; Mordicat. n. cum nullam habet tranſpirationem. Et hoc euenit, dicebat Auic. propter duas cauſas, prima propter ſpiſsitudinem, aut propter groſsitudinem ſuam: ſecunda eſt ſpiſsitudo mẽbrorum eam continentium propter conſtrictionem pororum, vt etiam docet Gal. Flatus verò, ſeu vẽtoſitas generatur, vt docet Gal. & Paulus, dum pituita liqueſcit, atque diſſoluitur, vel talia cibaria; & cauſa, modicus eſt calor. Et iterum dicit; Spiritum autem vaporoſum dicimus in animalium corporib. ex humoribus debiliter excalfactis naſci; nam vbi quidem fortis eſt innatus calor, humiditas particulæ digeritur finaliter, & vapor ſubtilis ſecundùm immanifeſtam tranſpirationem defluit in aerem nos continentem: vbi autem innatus calor imbecillior eſt, aut quod ſecundùm naturam humidum eſt, & ſemidigeſtum, & viſcoſum, & groſſum, in vaporem conuertitur, cum tranſpirare non poſsit, ac potiſsimũ ſicubi particula ipſa denſior eſt reddita: nonnunquam verò humor, qui in membro continetur, ſubfrigidus eſt, & craſſus, & glutinoſus, auctior vero calor in halitum eos craſſos reſoluit: quæ res profectò, dicebat Gal. magnopere tibi ad curationem æſtimanda, diſcernendaq; eſt. alibi dicebat; Neque.n.humida ſubſtantia in flatuoſum aerem ſine calore aliquo poteſt tranſmutari. Dicebat Ariſtoteles; Flatus generatur ex reſolutione ſubtilium partium ſubſtantiæ frigidæ, & humidæ, agente calore diminuto; Cum enim ex halituoſo ſpiritu aliquo in membro fit congeries, dimenſio quædam non naturalis cauſatur: & fit tumor, ſeu enflatio turgida, aut clara, reſiſtens tactui, cum quadam luciditate, ſonans, dum percutiẽ, cum multa fuerit materia, & interdum cum extenſiuo dolore: vnde ferè iudicatur ibi ſanies reperiri. Et ideo Gal. & Auic. dicunt; Et quandoq; exiſtimatur, quòd ſuper membrum, ſicut genu, ſit apoſtema indigens perforatione, quare perforatur, & egreditur ventoſitas tantùm. Innundat interdum talis flatus in membro, ac ſi ibi ſanies reperiretur, & magis in concatenationibus; Cautè igitur ibi procedatur, quia cum difficultate cognoſcitur hæc diſpoſitio. Dicit Raſis, quòd aliquando tale apoſtema transfertur de membro ad membrum, & de loco ad locum, & ſæpè aſsimilatur exituris, & inciditur, & non exit niſi ventus. Et Albucaſis, dum flatus permutatur de loco ad locum, appellat ægritudinem naxis, & ibi docet modũ curandi.

14. Metho. cap. 7. & 2. ad Glauconem, cap. de ſplene indur. lib. 4. cap. 28. lib. 15. cap. 2. 3. f. 4. tract. 2.

2. f. 1. cap. 5. & 3. f. 4. cap. de vndimia.

2. f. 1. d. 2. ſum. 1. cap. 26.

2. ad Glauc. d. 2. cap. 4.

3. de ſimptho. cauſ. cap. 2. li. 3. cap. 38. 14. Methodi. c. 7.

2. & 4. lib. Metheororum.

4. regim. acut. com. 19. ca. de apoſt. ventoſis. 14. Contin. lib. 2. cap. 95.

CVRA.

Flatuoſa diſpoſitio, aut eſt in inferiori ventre, quam Medici timpaniam appellant, aut in aliquo particularium membrorum, quæ paſsio inflatio, ſiue flatuoſus tumor, nuncupatur. De prima non fit hic ſermo, de ſecunda dicamus cum Gal. quòd aut corpus plenum eſt, aut non ita diſpoſitum. ſi primo modo,

cõmune eſt, totum prius corpus euacuare, modò id capax euacuationis ſit, & ea ſunt, misſio ſanguinis, & purgatio tum per ea, quæ ſubter expellunt, tum per ea, quæ ſupra, ſiue ea vomitoria dicere volueris. Præterea multa frictio, & omnis dimotio, itemq; balnea, potiſsimũ quod ex aquis fit digerentib. ſed & acria medicamẽta illita per halitum digerunt, omniaq; vno verbo, quæ calefaciunt, & ſiccant. At æger bono victus regimine regendus eſt, omnia flatum generantia dimittendo, & aquam, & legumina, & groſſa cibaria, & fructus, vt caſtaneas, rapas, & alia id genus, quæ flatum procreant.

2. art. med. Dicit Gal. Vnamquamq; cauſam prius abſcindere oportet, poſtea deuenire ad coniunctam cauſam. Cauſa vero ventoſitatem multiplicans interdum eſt diminutus calor, agens circa materiam ad hoc diſpoſitam, quod forſitan prouenit à multa materia, innatum calorem extinguente: aut fit ex debilitate membrorum in virtute appetitiua, vel attractiua, vel retentiua, vel digeſtiua, aut permutatiua, vel aſſimilatiua, vnde nutrimentum in eo membro incoctum, & non præparatum remanet. Et ſi fuerit in diſpoſitione ad flatus generationem, ex eo generabitur tumor talis: nam de facili introducitur forma in patiente bene diſpoſito. Cum enim contingit hic tumor in corpore plethorico, fit illa paſsio, quam Auic. æſtuationem vocat, & eſt ſpecies ædematis. Et ibi dicebat Auic. quòd eius curatio eſt ſimilis curationi ædematis, de qua plenè ſuperius cap. primo locuti ſumus; Et indiget diætha, pharmaco, & manuali opere. Si verò inflatio fit ex aliquarum virtutum ipſorum membrorum debilitate, eas confortare oportet, & ad naturalem diſpoſitionem reducere; et ideo confectiones præparentur, ſicut aromaticum roſatum, diaciminum, diagalanga, diacalamintha, &c. De localibus verò ad cauſam coniunctã, dicebat Gal. Intentio ſit tibi euacuare, quod præter naturam in quocunque fuerit contentum, quod fit per ſubtiliſsima partibus, & per calidiora virtutibus pharmaca. Rationem huius operationis reddidit, 14. Methodi, 2. ad Glauc. quãdo dixit. Adiuuat autem, ne huiuſmodi ſpiritus efflet, denſitas corporum; quare huiuſmodi affectus curatio communem habebit intentionem ad relaxanda ea, quæ adſtricta ſunt, corpora, atq; ad craſſos ſpiritus extenuandos: nam ſi cum ſubtiliori ſubſtantia ſufficienter calefeceris, id quidem, quod denſatũ eſt, rarefacies, quod verò craſsius eſt affectum, extenuabis: patientium autem particularum natura cõuenientem auxiliorum materiam demonſtrabit. Vnde Auic. dicebat capite de cura apoſtematis ventoſi. In inflationis curatione eſt neceſſarium, quòd cutem ingrediatur, & reſoluat illud, quod eſt in ea, & ſit eius mora ſuper locum ſpatij longi, & eſt neceſſarium vt ſit in fine ſubtiliationis, vt firmetur ſubtilitas partium eius ex profundatione vltima. Sciat igitur Medicus, & conſideret, vtrùm tumor ſit doloroſus, aut priuatus dolore; nam cum dolore, dicunt Doctores, procedatur cum anodinis, in quibus ſit aliqua virtus carminatiua, & prohibitiua fluxuũ, ſicut eſt embrocatio cum oleo roſato, violato, cũ virtute olei anetini. Et ſi apparuerit aliqua caliditas, laudat Gal. infundere lanam œſipi in vino cocto, oleo, & parum aceti. Aut vtere medulla panis cum ſapa, & oleo camomilino. Dicit Paulus; Cura, vt caliditas permaneat, frigus.n. non conducit; Ideò Auic. dicebat; Hæc omnia tepida adminiſtrentur ad caliditatem decliuia: & non permittatur infrigidari, quoniam frigus nocet huiuſmodi malis. Sed cum nullus dolor, nec vlla inflammatio apparet, ad fortiora medicamina deuenire opus eſt, ſicut eſt oleũ ſubtilium partium, in quo decocta ſit ruta, ciminum, apium, & aniſum: Aut fortius oleum de coſto, ſambucinum, nardinum, de caſtoreo, vulpinum, & de euforbio. Si verò materia fuerit profunda, ſicut in paniculis oſſa circundantibus, fortaſſe indiget poſitione cucurbitularum, vt extrahatur, & rarificetur 14. Meth. & 2. ad Glauco. lib. 4. cap. 28. ventoſitas, & hunc modum laudant Gal. & Paulus. Aut procedatur cum fomentis, infundatur ſpongia in decocto aneti, rutæ, cimini, apij, maratri, aniſi, dauci, carui, ameos, fœniculi, lauri, calamenti, origani, &c. Vnguentum è ſeminibus Aetij in lib. de compoſitione med. omnem diſcutit inflationem. 14. Metho. Aut fiat emplaſtrum Auic. R. hyſopi ſiccæ pul. ℥. s. ceræ. ℥. s. olei anetini ℥. iij. miſce. Alterũ Gal. & Pauli, quod à Principe laudatur, ſordiciem balnei cum aqua, calcis viuæ. q.s. & in caciola fiat linimentum. Aut ex vino, & calce fiat emplaſtrum. Aut R. olei anetini, de ruta, de baccis lauri. an. ℥. j. calamẽti, origani, foliorum rutæ, an. ℈. j. farinæ fabarum, cicerum an. ℥. ij. lixiuij. q. s. fiat emplaſtrum ſecundùm artem. Aut R. ſtercoris caprini pulueriʒati ℥. vj. farinæ fabarum, cicerum, lupinorum an. ℥. j. calamenti, origani, foliorum, & baccarum lauri, rutæ an. ℈. s. mellis optimi ℥. iij. olei de ruta, laurini, an. ℥. ij. ſulphuris ignem non experti vnc. s. baurach vnc. xv. lixiuij boni q. s. Dicũt Gal. Paulus, & Auic. cum tumor remittitur, ponatur in medicinis, & nitrum, & acetum, & cinis lixiuij, qui diſtillauerit. Emplaſtrum, quo vtor, R. calamenti, carui, cimini, origani, ameos, fœniculi, aniſi, ſiſeleos an. ʒ. ij. fœnu Græci, ſemin. lini an. ʒ. iij. baccarum lauri ʒ. xv. radicum altheæ vnc. xv. florum camomillæ, ſertulæ campanæ, parietariæ an. ℈. j. farinæ fabarum vnc. iiij. rob, quãtum ſufficit pro emplaſtro.

De

De Tumore aquoſo. Cap. VI.

EXTENSIO non naturalis, cuius materia eſt aqua, aut ſubtile phlegma, eſt ex his, quæ rarò contingunt; & maximè in alijs corporis partibus, quàm in capitibus puerorum (Hydrocephalon vocant.) vel in inferiori ventre, quam paſsionem Medici aſcitem appellant, aut in regione teſtium, quam Hydrocelem, vel aquoſam ramicem, aut herniam vocant. Ideò Auic. de aquoſis, non niſi hæc tria genera, enumerauit, dicẽs; Aquoſa autẽ apoſtemata ſunt ſicut hydrops, hernia aquoſa, & aqua 2.f. 1.cap.8. in capitibus puerorum. Verum aũt eſt, quòd hac in noſtra ætate aliqui tumores in patientibus morbum Gallicum reperiuntur, ex quibus cultello ſectis, non exit niſi aqua, ſeu valde tenuis pituita, & præcipuè cum coaceruantur in regionẽ iuncturarum, aut in panniculis oſſa cooperientibus, aut in aliquo membro, qui de ſui natura ſapit naturam frigiditatis. Poſſuntq; hi tumores reponi in capitulo de aquoſo apoſtemate, ſed alia indigẽt cura. Illi tumores autem non enumerantur inter humorales, & generantur per viam defluxus; Flegma enim ſubtile multotiens deſcendit in rehumatiſmis, & priuantur dolore, nam tumor eſt tactu mollis, concolor, turgidus, & digitis prementibus ſubſidens facilè cedit, & rurſus aſſurgit.

CVRA.

Cum ex toto hæc humiditas eſt præter naturam, & aliquo in ſinu coniungitur, neceſſariò eget euacuatione, nec ſperandum eſt, vt reſoluentibus medicinis euacuari poſsit; cum attenuationi apta non ſit: nec querendum eſt, vt ad ſuppurationem perducatur, cum calefactioni rebellis ſit. ſed quomodocunque ſit, loci ſectionem requirit, niſi aliqua fuerit cauſa impediens. Cum igitur ad inciſionem ſe confert Medicus, ea ſeruet, quæ à nobis dicta ſunt, vbi de modo aperiendi abſceſſus diſputauimus. Euacuata materia, locus digeratur cum vnguento ethiſeos, poſtea mundificetur cum iſide, vltimò incarnetur cũ citrino, & baſilicone. Et nota, quòd poſt inciſionem, ſi non timueris ſanguinis hemorragiam, bonum eſt tali vti cathaplaſmate ad loci rectificationem. R. chamomillæ, melliloti, ſtechadis an. m. j. foliorũ, & granorum mirthi, roſarum, farinæ fabarum, hordei, nucum cipreſsi an. m.s. vini nigri optimi q.s. fiat emplaſtrum ſecundùm artem. Aut decoquantur omnia in lixiuio, & cum ſpongia lata fiat fomentum. Si verò ſinus, aut concauitas remanſerit, ut in his paſsionibus contingere ſolet, locus abſtergatur; nam à diſpoſitione huiuſmodi humiditatis quandam intemperiem acquirit ſinus: ideo lotionibus, & decoctis talis regatur locus, vt puta cum decocto centauris, aut lixiuij, vel aquæ maris cum egiptiaco. Aut R. centaureæ maioris partem.j. minoris partem .s. mali corij, ſymphithis, balauſtiarum an.m. s. decoquantur in vino nigro; vſque ad conſumptionem tertiæ partis, & adde mellis crudi vnc.iij. ziniar ℈. ij. coletur, & vtere locum lauando. Deinde per aliquos dies tali vnguento regatur. R. vnguenti citrini, apoſtolorum, an. vnc. j. Egyptiaci vnc. s. miſce, & vtere. Si verò cognoueris, quòd ſuccus talis ex hepatis intẽperie prouenerit, cum continuè producitur, & vlcus humidum apparet, ad hepatis correctionem deuenire oportet, exhibendo patienti ℥.j. reupontici in mane cum vino, aut aqua hepaticæ, puluerizati; vt feci cuidam iuueni, qui paſſus erat per annum vlcus ex tali ſuppurato tumore, & cum DEI auxilio, qui ſemper ſit benedictus, ſanatus eſt.

LIBRI PRIMI.

TRACTATVS SEXTVS.

De Excreſcentijs.

De Polypo. Cap. I.

3.localiū. c.3. lib.6. cap. 25. lib.6. cap. 91. lib.6 cap.8. Diuiſ. cap. 24.

:ſ. localiū med.

INTER excreſcentias enumeràtur Polypus, auctore Gal. Aetiò, & Celſo, & eſt tumor præter naturam in naribus oboriens, prohibens anhelitum, & implens cannā naſi. Dicebat Raſis; Quandoq; naſcitur in naſo caro mala, opilans locum anhelitus, & implens cannam naſi, ita vt videatur in ipſo groſsities exterius. Et Gal. dicebat; Tumor pręter naturam eſt Polypus in naribus fiens, aſsimilatus ſm̄ proprietatē ſubſtantiæ carnis polipodis, quod eſt animal habens multos pedes. Et Paulus dicebat; Ex marini polypodis ſimilitudine nomē ſortitus eſt, tū ꝙ illius carnē rappręſentet, tum ꝙ ſuo complexu, quemadmodū ille captantes, vlciſcitur, nares ipſorū comprehendens; ita & vitium hoc laborantium nares obſtruit, id efficiens, vt difficulter reſpirent, & ſermonem ægrè exprimant. Gal. cauſam materialem reddere volens, dicit; Manifeſtum igitur eſt, quoniam craſsorum, & viſcoſorum humorum eſt germen hæc paſsio. Formalem autem ait; Fiunt excretiones, quando natura impetum faciens ad optentatiuū auxilium, non fuit commoderatione dominata. Sunt (dicunt Medici) humores, hanc procreantes paſsionem, adeò craſsi, quòd interdum fiunt melancholici, & paſsio

ſ.f.3.tr.2.c.2. fit cancroſa: Vnde Auic. dicebat, quòd iſtę carnes additæ, quandoq; ſunt molles, albæ, & fiunt à pituita, & non eſt in eis dolor, & ſunt facilis curæ: Et quandoq; ſunt rubeæ, aut fuſcæ, vehementis doloris, & ſunt difficilis curæ, præcipuè cum ex eis currit fœtida ſanies: & quandoq, eſt ex eis illud, quod eſt cancer, corrumpens figuram naſi, & dolorem faciens cum extenſione ſua vehementi. Et illè eſt fuſci coloris, & cura talis eſt blandimentum ſine inciſione, & talis paſsio enumeratur inter melancholi-

3. Cantic. 2. cas à Principe. Diuerſas formas iſtius excreſcentiæ aſsignabat Hipp. dicens; Si Polypus in narib. fiat,

2.đ morbis, vbi de Polypo. media cartilagine, tanquam vua hæret: quæ, cum ſpirat, exit, molliſq; eſt; cum reſpirat, regreditur, loquiturq; patiens non clarè; cumq; dormit, ſtertit. Polypus alius, caruncula, vel carunculę naſum complētes, quæ ſi tangātur, duræ ſunt, ſpirareq; non permittunt per naſum. Polypus verò alius, caruncula eſt rotunda, tactu mollis in naſo cartilagini hæret. Polypus alius, durum tuberculum in naſo, ſecundùm cartilaginem, aliqua de cauſa gignitur, quod caro videtur, quam ſi tangas, vti lapillus, ſonat. Polypus alius eſt quid cancello ſimile cartilaginis ſumma parte, & ex obliquo naſcens. Cognoſcitur (di-

ſ.f. 3. cebat Auic.) hæmorois, ſeu Polypus bonæ naturæ à canceroſo, ratione originis; quoniam caro nata ſi ē poſt ægritudines in capite, & catharros, eſt hæmorrois. & ſi non eſt ſecundùm illud, imò accidit poſt claritatem naſi, & priuationem curſus, eſt cancer; & propriè ſi fuerint ante aduentum eius in cerebro ægritudines melancholicæ, & fuerit principium eius, ſicut cicer, aut auellana, & incæperit augmentari, & acciderit palato durities, & vt plurimum ab eo non currit ſanies: ſed Polypus quandoq; adeò elon-

lib. 6. cap. 8. gatur, quòd ex naſo egreditur. Et Celſus dicebat; Polypus eſt caruncula, modò alba, modò ſubrubra, quæ narium oſsi inhæret, & modò ad labra pendens narem implet, modò retro per id foramen, quo ſpiritus à naribus ad fauces deſcendit, adeò increſcit, vti poſt vuam conſpici poſsit, ſtrangulatque hominem, maximè auſtro, aut euro flante, fereque mollis eſt, raroq; dura, eaq; magis ſpiritum impedit, & nares dilatat. Multoties etiam poſt ægritudines capitis præcipitantur catharri ad nares, qui ſua acuitate exulcerant, & fit vlcus, quod ex continua narium humiditate fit rebellis, & caro in eo vlcere augmentatur, quæ mollis eſt, ad modum mori, & talis eſt coloris rubei, ſine dolore, & exſiccatur faciliter à quocunq; medicamine ſicco. Interdum etiam oritur tumor albus, & mollis ſine dolore, q quodam tenui panniculo includi videtur, & cum partes aliquæ reſoluuntur, magis craſſæ induratæ remanēt, & fit caruncula dura, penſilis; quæ, niſi malo regimine tractetur, nullum infert periculum. Multo-

9.ad Alm.c.39. tiens (dicit Raſis) à bile atra poſt melancholicas diſpoſitiones cauſatur tumor præter naturam in cauitatibus naſi, coloris fuſci, doloroſus, ſiccus, qui, dum malignatur, eſt de generè carcinomatis, & ſæua ſecum adducit accidentia.

De cura polypi. Cap. II.

DIVERSAE operationes requiruntur in cura iſtius paſsionis; quia (vt docet Hipp. Celſus, & Gal.) ſecundùm huius paſsionis diuerſitatem diuerſificantur operationes. [2. de morbis. lib. 6 cap. 8. 3. localiũ, quaſi in fine.] Dicebat Gal. Cura cõmunis ozenis, & polypo ſit primò, quæ ſiccant, & corroborant caput; quoniam manifeſtum eſt, propter abundantiam prauorum humorum influi naribus ex eo. Eſt igitur prima intentio, caput confortare, & eius ſuperfluitates exſiccare. Et ſi peccauerit ſangui, ſphlebothomia laudatur. Ait Raſis; [9. ad Alm. c. 39.] Cum polypus rubeus eſt, cephalica prius erit phlebothomanda: ſi verò pituitoſa peccauerit, materia in ipſo capite (quod cognoſcitur ex ſignis proprijs) euacuetur, aut purgetur cũ caputpurgijs, [De his 2. art. med.] & pharmacis educentibus materias craſſas; & agaricus eſt de bonis medicinis. Laudantur pillulæ fętidæ, de hermodactilis, de hyera, de agarico, & de euforbio. Aut R. agarici troc. ℈. iiij. mirobal. citrin. chebul. an. ℈. ij. ſtechadis ʒ. s. pillularum alephanginarum ʒ. iij. maſtiches, olibani, draganthi, gummi arabici, an. ℈. s. ligni aloes ℈. j. diagridij ℈. s. reformentur pillulæ tres pro ʒ. cum ſyrup. de ſtechade, & deaurentur, accipianturq; per horas duas poſt cænam, vnaquaq; hebdomoda. Et ſi materia indiguerit præparatione, fiat cum ſyrupo de ſtechade, roſato, &c. Stet patiens in bono regimine, omnia caput replentia euitando, & mali flatus, & cruda, ac frigida. Poſtea deueniendum eſt ad rei ꝑternaturalis ablationem. Dicit Gal. vbi de morbo ſecundùm numerum agit; [3. art. med. cap. 96.] Quibus ſuperabundat caro, hanc reſecare oportet, aut ferro, aut igne, aut medicamine, quod vrendi vim habeat. Sed aduerte, quòd illa diſpoſitio, quæ ſapit naturam cancri, non tractatur, vt docet Auic. [5. f. 3. tr. 2. c. 2.] niſi blandimento, ſine inciſione, & raſione. Dicebat Celſus; Quæ ferè carcinodes eſt, attingi non debet. Et Paulus ait; [lib. 6. cap. 25.] Duri igitur polypi, tactui renitentes, liuidi, & maligni, ceu cancri naturam induentes, attingi non debent. Idem dicit Albucaſis. [lib. 2. cap. 24.] Hoc præcipit Auenzoar, Auerroes, Raſis, & omnes. Dicebat Raſis; [9. ad Alm.] Hæc præterea paſsio quandoq; cum ferro curatur, radicitus omnino incidendo, & Medici quandoq; in hoc errant; nam ex eorum cura æger maximum incurrit periculum; in hoc namq; loco cancer plerunq; exorditur. Verum cancer quando in hoc naſcitur loco, neq; acutas tolerat medicinas, neq; inciſionem, q̃ fit cum ferro: imò indiget, vt ſuauiter tractetur, & medicaminibus lenientibus, & phlebothomia, & ventris ſolutione curetur. De tali regimine dixi, vbi de carcinomate. Polypus autem, qui non ſapit natura cancri, alter quidem curatur, vt dicit Gal. [3. localium. ca. de Polypo.] eò quia paſsio fit à malis humoribus, propter hoc permixta indiget medicina, hac quidem, vt ſtipticet, hac, vt incidat, & ſubtiliet, hac autem vt diaforet, & ſiccet. Quidam igitur his medicinis curatur. Alter verò indiget manuali opere, vt docent Hipp. [2. de morbis.] Celſus, [lib. 7. cap. 10.] Paulus, [lib. 6. cap. 25.] Albucaſis, [lib. 2. cap. 24.] & Auic. [5. f. 3.] Hipp. dicebat; Aliquando in naſo reperiuntur carunculæ. i. carnes additę, quæ duræ ſunt, & non permittunt ſpirare: quæ cum ſic ſe habent, extra ducantur, & incidantur: deinde fiſtula intro data, candentibus ferramentis tribus, quattuorue vrito, deinde cura vlcerum curato: Princeps verò in principio cap. de cura Polypi. dicebat; Quicunq; illorum ſunt ex diuiſione prima, inciduntur cum cultello paruo, deinde raduntur cum raſorio multum. Polypus verò primæ diuiſionis erat caro addita, alba, mollis, ſine dolore. Et cum polypus rubeus eſt, ſecundæ diuiſionis, aut fuſci coloris, vehementis doloris, melius eſt vt coquatur aut igne, aut cauterio paruo, ſubtili, & incidatur cũ raſorio, extrahendo quod in naſo eſt ex additionibus, & ſuperfluitatibus. Polypus verò, qui eſt tuberculus, apud cartilaginem generatus, magnus, durus, & ſonat vti lapillus; cũ ſic ſe habet, dicebant Hippoc. & Celſus, narem ea parte ſecato, purgato, & ſuperurito; deinde narem conſuito, vlcuſq; curato. Dicit Celſus; [lib. 7. cap. 10.] Cum polypus ferro curatur, adhibere diligentiam oportet, ne infra cartilago lædatur, in qua difficilis curatio eſt: ſed curatur ferramento acuto in modum ſphathæ facto. Vbi verò abſciſſus eſt, vnco ferramento extrahendus eſt: Deinde linimento, aut alio medicamento, quo ſanguis ſupprimatur, vtendum eſt, eoq; nares leniter implendæ. Sanguine ſuppreſſo, vulnus purgandum eſt; deniq; cicatrix inducatur, & ex toto ſaneſcat. Dicebat Auic. Caro addita, dura, rectius eſt, vt curetur cura manus, & illud quidẽ poſt diminutionẽ repletionis à corpore, & capite. Inſtrumẽta verò ꝓ tali operatione ſunt diuerſa; nam quandoque eſt ſicut raſorium ad formam lunæ, aliquando ſicut embula, interdum ad modũ ſpatuminis parui, de quibus omnibus ſuo loco fusè loquemur, quemadmodũ & alibi polliciti ſumus. Dicit Albucaſis [lib. 2. cap. 24.] (& eſt modus acceptus à Paulo de verbo ad verbum) [lib. 6. cap. 25.] Cũ uis curare carnem lenẽ, non fraudulentam, neq; canceroſam, oportet vt facias ſedere infirmum inter manus tuas, oppoſitũ Soli, & aperi nares eius, & proijce vncinum in illas carnes; deinde trahe eas ad exteriora, & incide, quod comprehendiſti ex eis cum ſpatumine ſubtili, acuto à parte vna, donec ſcias, quòd caro tota iam ablata eſt: Quòd ſi remaneret aliquid ex ea, cuius abſciſsio non eſt poſsibilis, tunc rade illud cum vno inſtrumentorum ſubtilium cum facilitate, donec non remaneat ex eo aliquid. Si autem ſanguis tibi dominetur, præcepto Pauli, Auic. & omnium, impone ſpongiam, aceto, & aqua infuſam, & liniatur naſus aqua frigida, & luto, aut ſanguine draconis, vel intromittatur tenta ex lana aduſta, & calcantho noſtro, aut aduratur. Si autem accidat apoſtema calidum, oppone ei, per id, quod conuenit, deinde cura vlcus. Paulus verò dicebat; Malignos, & peruicaces polypos candentibus ferramentis adurere, conſilium ẽ,

inde

inde remedijs vſtioni dicatis vti. Et credo, ꝙ hæc ſit vera via curãdi hãc paſsionẽ; nec tũc de accidentib. aut ſanguine timendũ eſt. Alterũ modũ remouẽdi hãc ſuperfluã carnẽ docẽt Hipp. Paul. Albuc. & Auic. adminiſtrando filum in modum ſerræ; qui modus difficilis eſt, nec alicui Medico hoc facere vidi. Et [lib. 7. cap. 11.] Celſus dicit, quòd ſi hæc paſsio medicinis non curatur, quemadmodum manu curandum eſſet, apud magnos Chyrurgos non reperi, credo quia rarò ad ſanitatem res ſatis perficitur, cum aliquid ad ipſam curationem tormenti habeat. Et verè loquebatur Celſus de hac operatione; de qua dicit Auic. Modus eſt, vt ſumantur fila ex capillis, aut ſeta, & ligentur ita, vt ligatura illa fiat, ſicut ſerra habens dentes. Hipp. verò laudat filum egipæum, durum. Et Albucaſis dicit, quòd debet eſſe filum lini, cui aliqua groſsitudo, & noda in eo nodos multos, & pone inter omnem nodum quantitatem digiti, aut minus. Sequitur Auic. Et immittatur in acu de plumbo, incuruata, intromittendo per naſum, donec egrediatur ad palatum; deinde ſerretur cum ea reſiduum carnis, extrahendo eam ex duobus lateribus, ſicut fit cũ ſerra. Deinde accipe embulam, ex plumbo, aut ex penna, & volue ſuper eam pannum, & pulueriza ſuper eum medicinas de cartis, aut andaron; & penna remaneat in naſo, vt locus anhelitus ſtet apertus. Hipp. dicebat; Cum ſanguis ampliùs non manabit, linimentum ex melle, & flore æris ponas in naſo; Cumq; vulnus iam coaleſcit, plũbeam lamellam, melle tinctam, donec ſaneſcat, ſuper vlcus teneto. Poſt omnem operationem (dicebat Auic.) ſternutet patiens, vt deſtruatur omnis putredo. Dicebat Albucaſis; Adminiſtra ſerraturam carnis cum nodis, qui ſunt in filo, & fac illud, donec ſcias amputatã eſſe carnem; Deinde extrahe filum, & pone in naſum poſt ſanguinis abſterſionem ellichnium, qđ imbibiſti in vnguento ægyptiaco, & fac illud tribus diebus, aut plus, donec vnguentum corrodat totum, qđ remanſit ex carnib. Deinde pone in fine rei in naſum canulam de plũbo diebus aliquot, donec ſanetur.

[3. medic. local. ſerm. vltimo.] Rarò equidem his medijs curatur hæc paſsio: ſed benè eo modo, quo docet Gale. à quo normam ceperunt omnes ſcribentes. Dicebat ipſe, quòd talis caro alia tenuis eſt, quæ debili medicina curatur; alia verò dura, & hęc fortiori indiget medicamine: Vnde Auic. dicebat; Medicinæ verò, quibus curantur illę, quæ ex eis leues ſunt, ſunt, ſicut tenta facta ex cortice granati, contrito cum aqua, & adminiſtretur ſine ceſſatione; eſt enim expertum, ſed eſt tardi iuuamenti: Aut tenta ex pulpa colloquintidis, & [5. f. 3. cap. de cura polypi.] mulſa, ibi dicit Auic. quæ arbitror eſſe nullius momenti. Verum eſt, quòd laudat inſufflationem ex arſenico, & calcantho, contritis cum aceto, quæ exſiccãt: ſed chronica paſsio curatur cum medicinis, ſicut pulueres, & vnguenta facta ex eis, quæ ſunt ſicut alumen, & myrrha, & æs uſtum, & cortices æris, & radix lilij albi, & calcanthũ, & colcothar, & atramentum, & nitrum; ex quibus cum vino, aut aqua ozimi, aut granatorum, fit vnguentum. Aut ſine his ſuffuf. Vltimò laudat trociſcos alchalidicõ, de qui- [3. localium.] bus fuit ſermo vbi de cura gangrenæ. Ibiq; recitat Auic. medicamentum Gal. quod fit ex tribus malis granatis; ſint aũt æqualia & numero, & magnitudine, ex tribus diuerſis naturis aſſumpta, quædam .n. eorum ſunt auſtera, & quædam dulcia, & quædam acida. Incidere oportet ea recentia, & matura, & cõſtringere diligenter, vt exprimi poſsit ſuccus ex eis, quem reponere oportet in vaſe plumbi, & cuſtodire, parum coquendo ipſum, ſi fortè apparet humidior decente. quod verò relinquitur ex eis ſolidum, & craſſum, incidere rurſus diligenter oportet: vt poſsit, poſtquam inciſum fuerit, conteri in mortario, & fieri ſimile collirijs, ſeu ellichnijs commoderatis pro nare eius, qui curatur; Immittatur .n. in porum naſi, in quo eſt polypus abſq; mordicatione, & paſsione, quam operantur acria pharmaca. Si verò humidior, & mollior videtur tibi polypus, plus pone de malis granatis auſteris: ſi verò durior, de acidis. Hæc omnia oportet frequenter facere, vt nunquam deſit patienti particulæ pharmacum.

Aut ℞. ellichnium infuſum in aqua granatorum, aut ardenti, ſuper quem puluerizetur ex calcadis, [lib. de remed. paratu facilib. vbi de Polypo.] & colcothar, & flore ęris, & alumine ſecundùm æqualitatem. Aut R. ex Gal. vitriolum, & cum aceto fiat linimentum. Aut R. corticum granatorũ ℥.xvj. felis tauri, amomi, myrrhę, calamenthi, praſsij. an. ℥.viij. croci ℥.ij. ellebori albi ʒ.j. miſce, & piſtentur in mortario, & fiat puluis. Aut R. aluminis, myrrhę an. ℥.j. [9. ad Almanſo.] colcothar, gallarum. an. ℥.s. miſce, & cum aqua ardenti fiat linimentum. Raſis ſummè extollit vnguentum ægyptiacum ſuæ deſcriptionis. R. puri ziniar, mellis an. vnc. j. ſarcocollæ, ammoniaci an. vnc. s. ace- [7. ad Almã. c. 5.] ti, quod ſufficit. Et ſi hoc non valet, laudat trociſcos alcadicon, ſeu calidicon, aut trociſcos andaron, [Ex Galen. 5. de med. per gene. & Paul. li. 7.] aut paſtillum muſæ, aut andronij. Aliud Aſclepiadis. R. aluminis ſciſsi ℥. ij. zinziberis ℥. iiij. ſandaracæ tantundem, galbani, æris vſti an. ℥.j. tere ſubtiliter, & facta lotione cum vino odorifero, pone remediũ. Hæc fortia medicamina ſunt, & interdũ dolores, febres, & phlegmones adducunt; ideò dicebat Auic. [Ex Galen. 5. de med. ſecun. loc.] Hæc dimittantur, donec quieſcant accidentia. Sæpe etiam poſt iſtius additamenti amputationem, aut exſiccationem propter loci humiditatem remanet vlcus, quod curari debet iſidi medicamento, aut diacalcitide, aut diapompholigos, aut aliquo alio medicamine ad ozenam ex libris de compoſitione medicamentorum. ſic enim appellantur vlcera narium: ſed in patiente bene diſpoſito nil velocius, ſecurius, aut cum minori dolore fieri poteſt in omni genere polypi, quàm cãdenti, & incidenti inſtrumento ipſam excreſcentiam amputare; deniq; vlcus, ſicut cętera ozena, gubernare, aut cum paſtillis cicatricem inducentibus, & plumbeam canulam naribus, ſi opus ſit, per totam curam accommodare.

De Poris, & Verrucis. Cap. III.

A PHLEGMATE valde craſſo, & albo nonnullæ producuntur excreſcentię, quę (vt dicit Auenzoar) verrucæ, & pori dicuntur, & eorum ſpecies diuersę ſunt; nam aliqui pori ſunt adeò infixi, quòd nullo modo extirpari poſſunt, & aliqui ſic debiles, quòd maxima cum facilitate euelluntur: nec multum eleuantur à cuti, ſed infixi, & adhęrentes ſunt, in figura rotundi, & in qualitate duri; in quantitate verò raro lupini quantitatem excedunt. Verrucæ verò extra eminent à cuti, & interdum perpendiculariter cadunt, ſic quòd ad medij indicis quantitatem apparent, in figura teretes, in qualitate molles, in colore albæ, aut rubeæ, aut ſubrubeæ, interdum cinericiæ. Verrucæ a Gal. acrochordones vocantur, dicit enim; Verrucarum genus, quod Gręci acrochordonas vocant. Et Hipp. ait. Verrucę, quas Gręci acrochordonas vocant. Vnde Paulus dicebat; At verruca, quæ acrochordon Gręcè dicitur, exigua cutis eminentia eſt, doloris expers, calloſa, rotunda, plurima parte baſim habet anguſtam, vt ſuſpenſa eſſe videatur. Nominata verò ſic eſt, ꝙ chordę nexui reſpondeat. Et rurſus; Verruca, quam Græci acrochordon vocant, anguſtior, & penſilis eſt, vt chordæ nexu ſuſpenſa pendere videat̃. Dicebat item Gal. Acrochordon eſt carnis ſupercreſcẽtia, per anguſtum tranſitum habens exitum. Et rurſus; Acrochordona, ſiue penſilem verrucam Græci vocant, quod ſummã occupat cutim Pori verò à Gal. dicunt̃ myrmeciæ, ſeu myrmirices. Et Paul. dicebat; Myrmecia cutis tuberculũ eſt exiguũ, calloſum, rotundum, & craſſum, ad baſim inſidens, & ad frigora ſenſum, formicarum morſibus ſimilem, excitat. Hæc quoque paſsio totum corpus, præſertim autem manus, infeſtat. Dicit Celſus; Acrochordona Græci vocant, vbi ſub cute coit aliquid durius, & interdum paulò aſperius, coloris eiuſdem, infra tenue, ad cutem latius, idque modicum eſt; quia raro fabæ magnitudinem excedit, vix vnum tantum eodem tempore naſcitur, ſed ferè plura, maximèque in pueris.

lib.2.tr.7.cap.9
14. Methodi. & 3. aphor. com. 26.
3. aphor. 26.
lib 6. cap. 87.
lib. 4 cap. 15.
lib. de fin. med.
2. Methodi. c. 20.
lib. 6. cap. 87.
lib. 5. cap. proprio.

Et pori diuerſi ſunt; nam aliqui ſunt in ſuperficie, aſperi, quaſi quòd habeant radices inuerſas, & videntur piloſi; Et dicuntur vulgari ſermone pori inuerſi, & aſsimilantur floribus thymi, ideò thymion vocantur. Vnde Cornelius dicebat; At thymion nominatur, quòd ſuper corpus, quaſi verrucula, eminet, ad cutem tenue, ſupra latius, ſubdurũ, & in ſummo peraſperum, idque ſummum colorem floris thymi repræſentat, vt etiam ſcribit Dioſcorides; vnde ei nomen eſt, ibique facilè finditur, & cruentatur, nonnunquam aliquantulum ſanguinis fundit, fereque circa magnitudinem fabæ Aegyptiæ eſt, raro maius, interdum perexiguum: modò vnum, modò autem plura naſcuntur, vel in talis, vel palmis, vel inferioribus pedum partibus: peſsima tamen in obſcenis ſunt, maximè q; vbi ſanguinem fundunt.

lib. 3. cap. de thimo.

Pori verò, qui neque piloſi, neque aſperi videntur, myrmeciæ vocantur. Dicit Cornelius; Sunt breuiora thymio, durioraque, quæ radices altius exigunt, maioremque dolorem mouent: infra lata, ſuper autem tenuia, minus ſanguinis mittunt, magnitudine vix vnquam lupini modum excedunt. Naſcuntur ea quoque, aut in manibus, aut in partibus pedum. Interdum hæc paſsio formica vocatur, vt patet ex Paulo, vbi dicit; Formica, quę Græcè myrmecion dicitur, latiore baſi, & ſeſsilis eſt, ſimilem mordentis formicæ ſenſum induit. Interdum verò formica dicitur myrmix; Et ideò deceptus eſt Auic. in cap. de cura formicæ, quando laudat in cura formicæ modum curandi poros cum embuba pennę, quẽadmodum ſuperius notatum fuit à nobis. Cauſæ harum paſsionum ſunt humores pituitoſi, groſsi, vel melancholici, quibus pituita admiſcetur: nam Auic. enumerat verrucas inter paſsiones melancholicas. Phlegma. n. quamuis ſit naturaliter humidum, tamen per admiſtionem melancholiæ conuertitur ad naturam melancholię, & ſiccitatis.

lib. 4. cap. 15.
cap. de formicę cura.
3. Cant. quaſi in fine.

Fiunt etiam ex ſanguine conculcato, & ingroſſato, vel à ſanguine ſicco, coaceruato à ſtipticitate conſtringente. Auic. dicit; Cauſa efficiens eſt expulſio naturę; & materialis eſt humor groſſus, melancholicus, & quandoque conuertitur melancholia à phlegmate ſicco valde, quando multiplicat̃ in ſanguine, & quãdoque accidit ipſi ſanguini, propterea ꝙ ipſe coarctatur, & multiplicatur: & propter priuationẽ cauſarum putrefactionis, vt conuertat ad ſiccitatem, & frigus, & propriè in venis paruis, in quarum ſimilibus nõ putrefit ſanguis propter ſuam paruitatem, & propinquitatẽ ad cauſas extrinſecas, quę ſũt ad hoc vt exſiccẽt, velociores, quã ad hoc, vt putrefaciãt; ꝑcipuè cũ ſanguis nõ valde eſt calidus in ſubſtãtia ſua,

7. f. 4. tr. 3. c. 12.


De Verrucarum, et Pororum cura. Cap. IIII.

PROPERARE quidem ad minorandũ ſanguinem, & ad euacuandum melancholiam eſt res, quę eſt neceſſaria. Et quando multiplicatur ægritudo, iteretur phlebotomia. Similiter regimen generans bonum chimum. Hæc Auic. & maximę in verrucis. Auenzoar autem dicit, quòd cura harum paſsionũ eſt ſpecialiter purgare phlegma groſsiſsimum, & terreſtre. Et laudat hoc medicamentum. R. aloes, ãn. polipodij, medullæ cartami, ſeminis vrticæ, ſucci liquiritiæ, interioris colloquintidę, ante pondus granorũ hordei. ij. ſucci cucumeris aſinini, vel ſucci foliorum eius, pondus grani. i. & dimidij; piſtent̃ quęlibet

1. f. 4. tr. cap. 13.
lib. 2. tr. 7. cap. 9

per ſe præter colloquintidam, quę incidenda eſt cum forficibus minutim, & incorp ora omnia ſimul cum oleo de ſereg. & cum aureo vno grani fiſticorum, vel amigdalarum dulcium, & tantũdem de gũma arabica, & conficetorum cum melle roſato, & da infirmo de tali confectione aureos iiij. & regatur, ſicut Diuiſ.cap:134. in alijs laxatiuis. Et regatur cum regimine victus ordinato. Et Raſis ait, cum verrucæ multiplicantur in homine, neceſſarium eſt extrahere ſanguinem, & ſoluere ventrem; Cum eis, quæ educunt melancholiam, & adhibere regimen, quod generat ſanguinē bonum, & humectet corpus, & vinum ſubtile plurimæ commiſtionis. Dicit Gal. Plurima namque inueniuntur hodieq; , quæ apud maiores noſtros non 14.Methodi. fuerunt inuenta; veluti nunc Romæ quidam excogitauit, quemadmodum acrochordonas, & myrmecias ore ſanet. Verum(dicit Gal.) de prioribus ideſt de verrucis, vt pote ab ipſa cute extantibus, minus eſt mirum. de myrmecijs verò .i. poris, potiſsimum quę cum ſumma cute prorſus ſunt æquales, mirum videbitur. Verumtamen has quoque myrmecias, certa primum labiorum applicatione, ceu ſuccu, ad ſe traxit, atque à radice euulſit, deinde primoribus apprehenſas dentibus totas ſimul exemit. Docet etiam Galenus modum, quo manuali opere hæ paſsiones ſolent curari, & ibi deſcribit inſtrumentum phlebotomandi, & dicit; Sed & ſcalpro ad mirthacei folij ſpeciem formato, & ferramento eo, quod ſcolopomacherion Greci vocant (& eſt idem, quod enſis curuus) quiſpiam manibus exercitatus, facile eas excidat, cum proprijs lineamentis a circumpoſita cute circumſcripta diſcernatur.

lib.6.cap. 87. lib. 2. cap. 82. 5.f.3.tr.3.cap. 13. Declarat & alium modum Gal. qui laudatur à Paulo. ab Albuc. & à Principe, & dicit; Aequè vero, & valente aliqua penna, circulo myrmeciæ impoſita, ipſam educimus: debebit porrò pennæ fiſtula eſſe myrmecię craſsitudini par, vt eam vndique prorſus conſtringat; quę poſtea circumacta, ac ſimul deorſum impulſa, celerrimè ita myrmeciam, etiam cum ipſa radice, totam educet. Conſtat verò, & ꝙ finis ipſe pennę, quę eã circulo ſecabit, nõ tenuis modò, ſed etiam acutus, & firmus eſſe debebit. Itaque tum galli veteris penna, tum vel magis aquilæ ad hunc vſum eſt accõmodata. Et verè pluries vidi hunc modum reſultaſſe, porum cum propria radice extirpando. Et loco pennæ fit cannula aut ænea, aut argentea. Et aliquos vidi, qui ante hanc operationem myrmeciam liniebant aliquo linimento, aut cum lacte titimali, aut ſucco chelidoniæ, aut fele hirci, aut melle anacardino, etc. Ego verò eos pluries extirpaui proprijs vnguibus, ſed prius porum inungebam oleo meo de vitriolo. Et non ſolum poros, & verrucas, ſed omnes excreſcentias tali ingenio curaui. Et eſt ſecretum mirabile ad omnem carnem malam abſque dolore incidendam. Et debet fieri cum magna diligentia, & ſeruari, vt aurũ. ℞. calcitidis, ideſt exterioris partis vitrioli Romani, mundi ab omni ſorditie, quantum volueris, & ponatur in olla noua, & carbonibus accenſis circum appoſitis. tam diu in ea detineatur, vt omnis ab eo reſoluatur humiditas. reſolutionis autem ſignũ eſt, quòd efficitur rubeũ. tũc extrahatur, & ponatur in diſtillatorio, vitreo, vt infra, & cum igne forti, & continuo ab eo oleum extrahatur. Et ipſum in vaſe vitreo ſtricti orificij, & bene obturati conſeruetur. Et cum volueris eo vti, fac ex ligno oliuæ inciſorium ſubtile ad formam gladij, hoc modo:  Et in ipſo oleo intincto gladio, incides ad libitum. uaſa diſtillatoria fiant in hunc modum, & optime obturentur.



lib.6. Tali ingenio verrucas ſæpe ſecaui abſque ferro. Aut potes, ſicut docet Paulus, cum lino, aut pilo eas deligare. Et Albucaſis laudat filum ſericum, donec cadat. Debet igitur ligari in radice ſua, & quotidie magis ſtringatur, donec cadat. Et vlcus ſemel tantum poteſt aduri: Noui pleroſque, dicit Paulus, has excreſcentias ferramento ignito conſumpſiſſe. Sic iubet & Raſis in diuiſionibus. Poſſumus etiã de comp. med. 2. & 18. verrucas, quas Albucaſis thelil vocat, aliquo medicaminum acutorum remouere. Dicit Scribonius Largus; Si quando nõ exulceratas eminentias tollere ſine ferro volueris, vt verrucas, neuos, aliaue eius generis, hoc medicamento vtimur: Calcis viuæ. ℥ iij. ferulę, vitri vſti an. ℥ xv. hęc terere oportet cum lixiuio cineris caprifici, donec temperetur, deinde in patella fictili cum modica cera coquere ad ſpiſſitudinem, deinde in vaſe plumbeo reponere. Eius vſus eſt talis, quod deſtinatum erit tollere, id ipſum ſpecillo intincto oblinetur.

Dicit

Dicit etiam Scribonius; Triphon chyrurgus eminentias tali medicamento compeſcebat, æris floris vſti 3.vi. calcitidis vſtę, miſi vſti, æris vſti. an. 3.iiij. hoc acre eſt, & quaſi cauterium, cruſtam altam facit, & corruptionem prohibet, & omnem ſanguinis eruptionem, veluti cauterium, ſiſtit. Ad vetuſtas verrucas ex Actuario, ſulphuris ignem non experti, ſandarachæ, ſutorij atramenti, an. elaterij partē mediam, & cum aceto fiat linimentum. Et valet ad ſesſiles, & penſiles verrucas. Et nota, quòd ante applicationem alicuius medicamenti acuti bonum eſt, cum multis acubus ſimul ligatis, aut granis hordei porum, aut verrucam pūgere, vel cum vrtica fricare, donec ſanguinē mittat. Notat Auic. quòd ſi tangit eas medicamentum acutum, & infeſtat, auferatur, & ſuperponatur butirum coctum, & dimittatur parumpe, deinde iteretur donec compleatur eorum caſus.

De Ficu, ſiue Moro. Cap. V.

DICIT Auic. ꝙ in carne rara, & locis humidis, tumor quidā ex carne addita molli oriri ſolet, vt in pene, ano, vulua, & alijs ſimilibus membris, qui tumor morum dici ſolet, à Gręcis autem thimos, vt à Gal. & Paulo propter ſimilitudinē, quā habet cum flore thimi, ſeu epithimi. A Principe autem dicitur alhaſce, ſeu haſce, & eſt flos ſtechadis, et alibi, batarum. Ab Albucaſi verò albather appellatur. Dicitur autē morum, quia moro Celſi in figura, & colore aſsimulatur. Eius materia eſt ſanguis malus, conuerſus in ſubſtantiam carnis rarę, exſiccatus extra poros cutis, ſicut caro pulmonis, eiuſdem fere ſubſtantiæ, coloris, & moliciei; figuræ rotundæ, interdum oblongæ. Aliquando vna tantùm caro generatur, multotiens diuerſæ. Et cum in ano multiplicantur, aut circa eius orificium, ficus appellatur, ſiue porus ficus. Et cum in mulierum vuluis gignuntur, & hæmoroidibus, quæ in ano ſunt, correſpondent, ab antiquis condylomata vocantur, à neotericis verò hęmoroides, vt patet ex Principe. Dicit rurſus Auic. quòd quandoq; eſt ſaluū, & quandoque eſt malignum, & doloroſū, quod ſaluū eſt, nullum ſentit dolorem, & tale ſanguineū eſt ex ſanguine craſſo, & viſcoſo, & ad magnam multiplicatur quantitatem, & faciliter curatur. Quod autem malignum eſt, ſapit atræ bilis naturam, & interdum ſęua adducit accidentia. Et ſi male agitatur, ad carcinomatis naturam peruenire ſolet. exulceratur, inflammationem adducit, ac phagędenicum vlcus cauſſat. Et talis caro nigra, aut viridis, aut cinericij coloris eſt, nec ad magnam venit amplitudinem, ſed dura, & doloroſa permanet.

3.f.4.tr.1.c.35
lib. de defin. medicis.
lib.6. cap.58. & 71.
21.f.3.tr.4. cap.20.
21.3.tr.4.cap.2.
lib.2.cap.56.
21.f.3.tr.4.cap.20. & 17.f.3. cap.2.
3.f.4. libri.

De cura Mori. Cap. VI.

NVLLAM curā mori poſuit Auic. ſed ſolum dicit, quòd quandoq; eſt ſaluum, & eſt illud, quod fit à ſanguine puro, qui eſt materia carnis, & quandoque eſt doloroſum, & malignum, & talis fit à ſanguine melancholico, & eſt de genere cancrorum. Cum verò hæc paſsio nullam ſapit malignitatem, his tribus medijs curatur, primò corpus competenti diethetur dietha, omnia euitando, quę ſanguinem generare poſ ſunt, ſalſa ſimiliter, & acuta, pinguia, oleoſa, & quę multi nutrimenti ſunt. Euacuetur ſecundò corpus; & ſi conſenſerint plebotomiæ conditiones, ſecetur vena; hoc verè potiſsimum remedium eſt, cum ægritudo à ſanguinis abundantia proueniat. Tertiò, vt Paulus docet, & Auic. tollitur hæc caro medicamentis, quę valenter exſiccant, & quantò magis ſunt maioris exſiccationis, tantò ſunt meliora. Et Gal. dicit, quòd mineralia ſummè commendantur, & magis poſt eorum ablutionem, & aduſtiones: nam ab eis reſoluuntur partes acutę, & venenoſę. Multa medicamina ab antiquis laudantur, aut ſub forma lotionis, aut linimenti, aut vnguenti, aut aridi medicamenti, aut paſtilli. De lotionibus aqua maris laudatiſsima eſt medicina, cui interdum addimus & gallas, & malicorium, & balauſtias, & glandium tegmina. Ex his fiat decoctum, & abluatur ſepę talis excreſcentia: cui poſtea ſuperponatur aliquod ſiccum medicamentum, ſicut diphriges inſperſum, ſquamma æris, omniaq; teſtacea cōbuſta. Et Aetius ad carnē ſupercreſcentē in vlceribus nōnulla medicamēta deſcribit, quę in his paſsionibus eſsēt mirabiliſsimæ operationis, quale eſt aridum illud Herculis, quod recipit æris ſquammæ, miſios, calcitidis vſtę, atramenti ſutorij, aluminis ſciſſilis, an. q. u. miſce, & vtere. Trociſci andaron deſcriptione Auic. ſunt mirabiliſſimæ operationis. Hi recipiunt capitum granatorum 3.x. aluminis iameni, myrrhæ an. 3.iiij. olibani 3.viij calcadis, aragaganthi, ariſtol. an. 3.xij. confice cum aqua mellis, & fac trociſcos. Laudantur trociſci deſcriptione Raſis; hi ſic componuntur, & dicuntur de aſphodelis, ſucci radicum aſphodelorum ℥.s. calcis viuæ 3.ij. auri pigmenti 3.j. conficiantur cum vino albo, & exſiccētur in Sole ſub canicularibus. Trociſci ēt calcadicon in lib. experimentorū Gal. fortiſsimi ſunt. Eorum mixtio talis eſt. R. calcis viuæ 3 j. auri pigmenti rubei, & citrini, ſalis alchaacatię. an. 3.s. conficiantur cum aqua cineris de ſtipitibus fabarum. Poſſunt hi trociſci vti per ſe, aut ſub forma lotionis cum aliquo decocto, aut cum aqua maris, aut cum aqua vitæ; aut ad maiorem loci confortationem, cum maluatico, & aceto. Ego verò has excreſcentias tollere ſolitus ſum hoc medio, fiat eorum ablutio cum aceto, aqua vitæ, & parum ſalis. Exſugentur poſtea, & eis ſuperponatur de puluere pręparati

3.f.4.
Gal. de atrabile, & 5. ſimpl. d. 2. cap. 6.
lib.4.cap.43.
4.f.4.tr.3.c.12
In lib. de med. per gen.
lib.14.cap.35

ti Mercurij, deſuper autem iſidis, aut ceraſeos medicamentum. Et ſic per partẽ poſt partem omnis tollitur excreſcentia. Aliud medicamentum.

℞.Calcis viuæ.	an.℥ ſ.	Al. ℞.corticum gran.	an.ʒ j. m.	Al. ℞.aluminis liquidi.	an.ʒ ſ.
vnguẽ.ceruſſę.		gallarum.		calcitidis.	
propolis.		cop. Glandium.		baurach.	
litarg.argentei.ʒ.iij.		mirrhæ.			
corticum oſtreorũ	an. ʒ ij.	aloes.		auri pigmenti.	an. ℈.j.
bucinorum.		& fiat puluis ſubtiliſſimus.		acatiæ.	
ſepiæ.				æris ſquammæ.	
hęc adurantur &c.				opij.	l. j.

Aquæ cineris, aut vini ſublimati q. s. fiat vnguentum ſub tenui forma.

Cum verò talis eſt, quòd ligari poſsit, bonum eſt has excreſcentias in earum radice cum filo ſerico crudo alligare, & ſubcintè quotidie aliquantulum ſtringere, donec cadant. laudat hanc operationem
1.f.3.tr.cap. 23. Auic.Reliquũ verò, quod remanet, acuto aliquo medicamẽto conſumere. Interdũ talia ũſt huiuſcemodi additamenta, quòd ſecure cum fero aut ignito, aut non ignito ſecari poſſunt, Quod verò reſidet, vſq; ad totàlem conſumptionẽ actuali cauſtico aduratur, ſic iubet Raſis, & eſt cura Pauli dicentis; Mitiores thimi ſcalpelli acie deradere cõuenit, & chalcitidẽ ipſis inſpergere, eo, quod vitiatũ eſt, exciſo, aduſtione vtendum. Alij forfice ipſos euellentes, equino pilo deligatos curabant. Multi ferro cadenti eos deurunt. Celſus lib. 6. cap. de vlcere fungo ſimili in ano, poſteaque cerato ex mirtho, ſquamma, fuligine, & calce vſus eſt, ait, ferro adurantur. laudat hanc operationem Albucaſis. Verùm, cum iſtæ paſsiones ſapiunt naturam atræ bilis, magna cum animaduerſione ꝑtractari debent, nam ſæua, & pernitioſa ſolent adducere accidentia. Cognoſcitur eius eſſentia, qm̃ eius color cinericius eſt, aut fuſcus. ſanguis, qui
f.2.cap.56. ab eo reſudat, nigerrimus eſt; regioque talis, dolor adeſt, tumor etiam circa eum locum. Irritatur hic morbus, dum ab acuto medicamento pertractatur. Rebellis eſt hic humor digeſtioni, quemadmodum in cap. de cancro ad amusſim oſtenſum fuit.

De clauo ſiue callo. Cap. VII.

SOLENT produci nonnullæ duræ nodoſitates, vtplurimum in digitis manuum, & pedum, & alibi, quę tilo Græce dicuntur. Et Gal. laudando medicamentum catag
3.de cõp. med. per gen. maticum Moſchionis, ponit hanc paſsionem inter excreſcentias. & dicit, quòd medicamen illud tollit pedum, manuumque calloſas excreſcẽtias, quas clauos vocamus. Et rurſus dicit; Callus eſt ſubſtantia lapidoſa, & rigida, rotunda, vtplurimũ
in lib. de defin. med. eueniẽs in planta pedis. Dicit Paulus; Eſt clauus teres figura, callus, colore cãdidus
lib.3.cap.80, & lib.6.cap.87. clauorum capiti ſimilis, toto corpore, ſed pedum ſolo, digitiſque præcipue na-
lib.2.cap.82. ſcens, quem dolor ſequitur, & inceſſus impedimentum. Idem etiam dicit Albucaſis, & eam paſsionem
3. f.4.tr.2. cap. 14. Auic. vocat almiſmar, & ſcribit, quòd eſt nodus rotundus, albus, ſimilis capiti claui, vnde forſitan ſic dicitur. Idem vocat hãc paſsionẽ almaſemir, & almirmar. aut dicitur clauus, vt dicit Gal. quia
lib.2. cap. 82. patienti clauum infixum habere videtur. Dicebat Celſus; Clauus nonnunquam quidem etiam alibi, ſed
lib. 5. cap. de clauo. in pedibus tamen maxime naſcitur, pręcipuè tamen ex contuſo, quamuis interdum aliter. Solẽt fieri hę durities in pedibus propter nimium motum in ambulatione, aut ex nimijs laboribus, aut ex forti compreſsione calceamentorum. Fiunt etiam, vt docet Gal. in articularibus membris, & alibi, cum humiditas aliqua viſcoſa, & cràſſa locum obſederit, vnde ab ea tenui parte diſcuſſa, craſſaque, ac viſcoſa re
7. de med. per genera. tenta indurat. Hac ratione in morbis articularibus calli proueniunt, & in renum vitio calculi. De hac paſ
lib. 3. ſione locutus eſt Paulus, & Auic. dicẽtes; Et plurimũ quidẽ accidit ex percusſieõ, & poſt exituras, & poſt curationẽ earũ. Et accidit in pedibus, & digitis pedũ, & ĩ inferioribus. & lędit in tãtũ, ꝙ prohibet inceſsũ.

De Cura Claui. Cap. VIII.

CVRATVR hæc paſsio interdum opere manuali, vt docent omnes practicantes: aliquando malacſticis medicinis. Oportet, dicebat Auic. vt ſectio fiat ſuper ipſum, & extrahatur. Et Albucaſis dicebat; Oportet vt ſecetur, quod eſt in circuitu claui, & teneatur cum forficibus, aut cũ vncino, & eradicetur ex radice ſua, deinde cura illud; Et ſi vis, cauteriza illud, ſecundum quod indiget. Paulus dicebat; Circum ſcarificatus, ſpecilloque apprehenſus, ſcalpro acutæ aciei, aut quo venę ſcinduntur, radicitus eximetur. Nonnulli, ne rurſus ſuccreſcant, candenti ferro vtuntur; ſed fiat tale opus à perito medico: nam, cum nõ curatur hæc paſsio, dicit Auic. fit cancer. Et qui clauos incidere quærit, eos emolliat, aut maluis decoctis cum aſſungia, aut ammoniaco, aceto ſoluto.
Alterum modum docet Cornelius, & dicit; Clauum ſubinde deradere commodiſsimum eſt; nam ſine vlla vi ſic emollitur, ac ſi ſanguinis quoque aliquid emiſſum eſt, ſæpe emoritur. Tollitur etiam, ſi quis

eum primò circũ expurgat, deinde imponit reſinam, cui lapidis molaris puluis contritus admiſcetur. Et Dioſcorides dicit, quòd farinaceum fermentum priuatim callos, & clauos pedum extenuat. Et rurſus; lib.2.cap.95. lib.1.cap.139. Cinis corticis ſalicis aceto miſto illinitus, clauos, & callos tollit. Ad clauos, ſiue callos ex Lucio Ktagete, R. ammoniaci, viridis æris, an. ʒ ij. auri pigmenti ʒ.j. diſſoluatur ammoniacum in aceto, & cum pauca cera fiat medicamentum. Aliud Aſclepiadis, R. picis Grecę naualis, bdelij, ſerapini, ammoniaci, ceræ nouæ. an. ʒ.ij. lythargirij ʒ. v. olei roſ. q. ſ. miſce pro cerato.

De Hernia Carnoſa. Cap. IX.

RAMIX hęc inter excreſcentias enumèrari poteſt, cum ſit additamentm ex toto pręternaturale, nec illi inſunt ſigna apoſtematis, ſed tantum eſt caro, quæ circa ſcrotum, aut epididimũ generari ſolet. Vnde Paulus lib. 6.cap.63. dicebat; Caro in parte aliqua corporum, quæ ſcrotum implicant, ſuccreſcens, carnoſum ramicem producit. Producit hæc caro ſecundũ quid, nõ autẽ ſimpliciter (nã in ſolis lacertis vera caro reperit) ex ſanguinis ſuperfluitate, quæ ad teſticulos deſcẽdit, & dũ ibi coaceruatur, à forti teſtium caliditate condẽſatur, & ad quandam carnis duræ, grauis, cui non eſt ſenſus, ſubſtantiam permutatur. Paulus verò dicebat; Naſcitur autem ex cauſa latente, teſticulo fluxionem experto, induratoque, aut ex ictu, vt etiam dicit Albucaſis, aut ex imperitia poſt curationẽ alterius ramicis. Eius color fuſcus eſt, augetur continuè, ſic, quòd ego in quodam nobili Raguſeo in palatio ſereniſſimi Andreæ Gritti, Venetiarum integerrimi Principis, ramicem carnoſam ad pondus librarum xxij. vidi, ad cuius curam fuit & pater meus. Augetur hic tumor, ſicut aliæ excreſcentiæ, quæ à ſanguine gignuntur. Includitur propria tunica, & cooperitur ſcroto. Interdum hęc caro eſt circa inuolutionem didimi: aliquando vero ex toto ſeparatur ab eo, ſtat tamen in oxeo; hincinde mouetur, dum tangitur, nec ſecum mala adducit accidentia.

DE CVRA HERNIAE CARNOSAE.

Celſus ait; Caro quoque, ſi quãdo inter tunicas teſticulorum concreuit, nihil dubij eſt, quin eximen- lib7.cap.23. da ſit, ſed id, ipſo ſcroto inciſo, fieri, cõmodius eſſe credimus. Modum verò hanc perficiendi operationem declarabo in fine lib. 3. vbi de differentia Ramicum agam: quo in loco etiam medicamenta memorabo, conferentia ad hoc propoſitum.

De ſexto digito, & ſimilibus Excreſcentijs Cap. X.

ADNASCVNTVR digiti in manu, nunc prope maiores digitos, nunc prope exiguos, rarò autem viſi ſunt iuxta aliorum aliquem: quod Paulus etiam docet. lib.6.cap.47. Eorum verò, qui adnaſcuntur, alij per totum carnoſi ſunt, alij oſſa in ſe continent, nonnunquam etiã vngues. Oſſa habentium hi ab articulo procedunt, cuius commiſſuram alteri digito cõmunicant: illi ex naturalium digitorum fiſſura oriuntur, atq; huiuſmodi perpetuò ſunt immobiles, reliqui mouentur nonnunquam.

DE CVRA.

Carnoſorum, dicebat Paulus, expedita cura eſt præciſio; nam ſcalpello, quod ſuper vacuum eſt, vna vice tollimus. Cæterum eorum, qui ab articulo prodeunt, difficilior eſt tractatio, illis, qui à digitorum fiſſura originem traxerunt. Primùm autem caro orbiculatim vſque ad os excinditur, ipſumque os exciſum, aut eraſum, aufertur. Verùm interſcurandum radimus, indeque cicatricem obducimus. Nos verò cum talem excreſcentiam auferimus, ſtatim poſt ſectionem locum therebentina multum calida cauterizamus, quod facit ad ſanguinis fluxum, & ad cunuulſionis cautelam: ſtatimque ſuper locum de ipſo glutine applicamus actu calido: præſeruamusque membrum a dolore cum embrocatione facta cum oleo roſato, & de chamomilla. Prope autem manus concatenationem defenſiuum applicare non inconuenit: at poſt ſectionem, cutis extremitates ad inuicem ſutura vnire commodum eſt: tunc.n. partes citius vniuntur; & ſi ſanguis fluxerit, cum oui albumine, aut pulueribus ſanguinem ſiſtentibus eũ tenere, opus eſt. Procedendumque eſt cũ glutine ipſo vſque ad saniei productionem. Inde cum mundificatiuo de ſarcocolla regatur vlcus, vſque ad perfectam mundificationem, inde poſtea incarnetur, ſi opus fuerit, cum baſilicone, aut regali, ſiue citrino medicamento, & pulueribus ſiccis. Vlt. ſigilletur cũ cerato de minio, aut triapharmaco, aut alio opportuno, & conſimili auxilio. Et hæc de ſupercreſcentibus tumoribus ſatis pro propoſito dicta ſint.

Digreſsio De Tumoribus Adenoſis. Cap. XI

e. ad Glauconem.

lib.4.cap.22.

TVMORES, qui in glandoſis locis oriuntur, aut ſunt venenoſi, de quibus diximus, vbi de antrace, aut chronici, pendentes à pituita, aut cauſa etherogenea, quemadmodum declarauimus, vbi de ſtrumate, aut ſunt ſalui, de quibus dicit Gal. ꝙ partiũ laxarum, quas medici adenas vocant, tumores ſunt in triplici differentia, ſcilicet bubo, phima, & phigetlon, vt etiam exponebat Paulus. Bubo quidem inflammatio eſt, ſeu phlegmon, in quo omnia phlegmonis ſigna reperiuntur. Phima eſt tumor, qui ſtatim augetur, atque ad ſuppurationem feſtinat. Phigetlon verò eſt id, quod eryſipelas, particeps inflammationis, aut inflammatio eryſipelatis, nominatur: Vnde Celſus dicebat; Phigethlon eſt tumor non altus, latus, in quo quædam puſtulæ ſimillimæ ſunt, dolor, diſtentioque vehemens eſt, & maior, quã pro magnitudine tumoris cõueniret, interdum etiam febricula: idque tarde matureſcit, neque magnopere in pus conuertitur. Fit maxime aut in vertice, aut in alis, aut in inguinibus; Fiunt hæ paſsiones, dicit Cornelius, poſt febres, aut poſt dolores partis alicuius, maximeque eos, qui ventrẽ infeſtarunt. Et Auic. dicebat; Apoſtemata glandoſa, quę non incedunt via atanguarij. i. althohoin, aut antracis, ſiue apoſtematum venenoſorum, quandoque accidunt caſu expulſionis à membris radicalibus, & fortaſſe attrahunt ea vlcera, & apoſtemata alia ſuper extrema, ad quæ currunt materiæ, in vijs quarum incedunt carnes illæ: quare inuoluuntur cum eis, ſicut accidit inguini, & ſubaſcellæ ex apoſtematione amborum in eo, qui habet ſcabiem, aut vlcera ſuper pedes, aut manus. Nam huiuſcemodi adenes, dicebat Gal. ſunt valde paratæ ad ſuſcipiendum rheuma, & maxime quę raræ naturæ ſunt; nãque eorum virtus expulſiua ſatis debilis eſt. cum igitur ex aliquo influxu tumeſcunt hæ partes, talis tumor cõmuniter bubo appellari ſolet. Verùm bubo proprie tumor eſt, qui inguinum regionem moleſtare conſueuit. Vnde autem dicatur bubo, credo ſit, vt nonnulli dicunt, propter ſimilitudinem, quam habet hic tumor, in eius longitudine, & groſsitudine, cum nocturno illo animali, qui bubo vocatur. Curatur talis tumor, vt Aetius docet, quando inguina, corpore exiſtente plethorico, ſine alia manifeſta cauſa intumuerint, conſtipatio humorum circa glandulas oritur. niſi ergo quidpiam obſtiterit, cubiti vena ſecanda eſt, tantumque ſanguinis euacuandum, quantum plenitudo indicauerit. Loco verò inflammato, & ante venæ ſectionem, & in ipſo ſectionis tempore, adſtringentia, & repellentia medicamenta ſunt apponenda. Sed poſtea euacuata ab vniuerſo corpore plenitudine, ad ea, quę diſcutere poſ ſint, quod influxit, tranſire oportet. At ſi vlcus in crure exiſtens ad affectionis conſenſum inguen per duxerit, ſicuti ex digitorum pedis offenſu fieri conſueuit, glandulã inflãmari incipientem, ſtatim in principio lana, calido oleo madefacta, mitigare oportebit, non quidem adiecto ſale, dicit Aetius, ſicut non nulli faciunt. & reddens rationem dicit; Sal. n. tenuiores partes confertim diſcutiens, reliquum calloſũ, curatu difficile, ac ſæpe immedicabile omittit. Vbi verò inflãmatio quieuerit, à mitigatorijs præſidijs abſtinebimus, & diſcuſſorijs vtemur. Paulus vero dicebat; Verum cum hi tumores veneni naturam nõ ſapiunt, quemadmodum inflãmatio quælibet, auxilijs repelluntur, quę refrigerant, aſtringunt que, vel ſpongijs ex poſca impoſitis, vel lanis oleo crudo, vinoque, imbutis, vel roſaceo, vel mellino, vel lentiſcino, vel mirtheo; deinde his, quæ digerunt, vtendum. Laudatur repercuſsio in omni phlegmone, vt declaraui cap. de phlegmone, de mente Gal. & omnium, pręter quam in expulſo per viam criſis, aut cũ materia eſt venenoſa, aut dum tumor eſt prope primaria membra, &c. Verùm ſi ex remeatione timor aliquis adſit, vt Paulus docet, ſi nihil prohibet, nempe vt ętas, aut virtus, ſanguis prius è cubito dimittetur, quemadmodum etiã docet Aetius. Vnde Auic. dicebat; Timor in expulſiuis eſt reditus materiei ad membra principalia: ſed euacuatio ſecurat ex nocumento. Et in eodem capite dicebat; Si inueneris corporis repletionem, non adminiſtres repercuſsionem, imò euacuatio per phlebothomiam, & ſolutionem ventris; & illud quidem eſt neceſſarium. Si verò fuerit bubo propter multitudinem repletionis, tunc euacuatio eſt radix, & minoratio cibi, & ſubtiliatio. Minoratur autem cibus in quantitate, & subtiliatur in qualitate. Et multi medici, vt Celſus, & Raſis, vinum in bubonibus prohibere videntur; & credo, ne ab eius calefactione febris ſuperueniat. Nã Hipp. dicebat; Ex inguinũ tumoribus febres omnes malæ præter diarias. Et Gal. videtur velle, quòd aliæ febres præter vnius diei, in tumoribus inguinum fiãt ex inflãmatione viſcerum. Verum malæ ſunt febres, quę vnã cũ tumore incipiunt, non autem quæ ſuccedunt, nã dicitur 2. Aphor. Dum pus conficitur, dolores, & febres magis accidunt, quàm iam cõfecto. hi tumores vtplurimum ſuppurantur. Et quia non ingrata conſideratio eſt de venæ ſectione in hoc morbo, iccirco de tali opere nonnulla examinanda ſunt. Habent hi tumores determinata loca, & ideo ſermo hic verus eſt. Adenoſa loca hęc ſunt, poſt aures, ſub alis, & in inguinibus. Nec dubium eſt in via Gal. Pauli, & aliorum, quòd hæ partes à rehumatiſmis defluxionibus intumeſcant. Igitur cum incipiunt aut dolore, aut in colore alterari, & dubium eſt de futuro phlegmone, materiam diuertere opus eſt. Fit autem diuerſio à parte longinqua diametraliter. vnde ſi tumor poſt aures oriri minatur, cephalicam, aut cõmunem in brachio eiuſdem lateris ſecare oportet: aut cucurbitulas ſcarificatas in ſpatulis applicare conuenit; namque hæc eſt melior diuerſio, quæ fieri poteſt. Nam ſi ex alio loco ſanguinem mittis, aut non iuuat, aut tarde. Si autem bubo ſub ala dextera contingit, baſilicam ſiniſtram ferias; ſi verò in inguinibus, baſili-

Marginal notes:
lib 5. cap. de phigethlo
3.f.4.tr.1. cap. 19.
13. Methodi d.2.cap.3. & 3. de comp.med. localium cap. 2. vbi de parotide. & in lib. de ſect. venæ. ſum.2 cap. 2. de pot.nat. lib.14. cap.29.
lib.4.cap.22.
lib.14.cap.19. 3.f.4.tr.cap.19
aphor. 55. in com. aphor.4.7.

baſilicam illius lateris. ſed cum pro parte iam fluxa eſt materia,& adhuc fluit,eam diuertere,quæ fluxit, & quæ fluxa eſt,euacuare oportet. Et ideo venam ſemper eiuſdem lateris ſecamus. In inueterato vero phlegmone,cum ex toto fluxa eſt, & facta eſt cauſa coniuncta,propinquiorē venam, quam habere poſſumus,incidere conuenit. Dicebat Gal. Incipientes phlegmonas reuulſu euacuare oportet:quę verò inueteratæ iam ſunt, ex ipſis, ſi fieri poteſt, affectis partibus: quòd ſi nequeat, ſaltim ex vicinis. Etenim in incipientibus auertere quod influit, expedit: in inueteratis autem ipſum tantum, quod affectæ parti infixum eſt,euacuare. Euacuabitur porro id optime per venas diductas ab ijs,quę in partibus ipſis ſunt ſitæ.

2. ad Glau. cap. de inflam & 13. Methodi. & in lib. de cure per ſangu. mis.

Digreſsio de Tumoribus Mamillarum. Cap. XII.

Vide Etium. lib. 16. cap. 40.

MAMILLA eſt mēbrum creatū ad generādum lac.& eſt corpus cōpoſitum ex venis, & artherijs,& neruis: inter quę exiſtit vacuitas,quā caro replet glandoſa,cui nō eſt ſenſus, albi coloris. Hæc pars eſt valde parata ad recipiendum rheuma, & multis modis in ea tumor generari poteſt: nam ab vnoquoque humore,à lacte etiā more caſei coagulato, vt docent Pau. & Auic. fieri ſolet,aut pp caliditatem exſiccatiuā, aut propter frigiditatem cōgelatiuam. Hic tumor vtplurimum eſt de genere phlegmonis, & ſi peccat lac,dico, quòd lac eſt ſanguis in mamilla dealbatus, vt docet Auic.& ideo ad talē tumorem phlegmonis accidentia conſequuntur. De calido tumore habeatur hic ſermo. Eius cauſa poteſt eſſe corporis repletio, interdum extrinſeca, vt percusſio, aut caſus, & quod ſępe aduenit, indumentorum preſſura. Cumque ad mammam ſanguis fluere cęperit, venam ſecare oportet, baſilicā ſcilicet lateris contrarij,vt fiat reuulſio antecedentis cauſæ. Verum ſi in ſanguinea muliere hoc acciderit, ſaphenam eiuſdem lateris pungere non inconuenit, idque magis,ſi iam mēſtura defecerint. Et ſi aliquid hoc impedierit,ſcarificatas cucurbitulas ſuper nates applicare laudatur. Inde poſtea aut caſsiā, aut aliquod debile ſolutiuum exhibere opus eſt. Adęquare humores cum ſirupis ſummè conuenit: nec non in ſubtili dietha uſque ad morbi conſiſtentiam permanere iubent medici. Scđa operatio eſt, materiā apocruſticis medicinis impellere, dummodo via ſignificationis tumor cauſatus non fuerit: Vnde Paulus dicebat; Vtendum eſt per initia ſpongia molli, poſca gelida imbuta, expreſſaque, loco faſcijs ſuperaccōmodatur:vel palmulæ cum pane,& poſca cōtrita, vel ouo toto vtendum eſt cum roſaceo &c. Vnde Auic. dicebat; In principio quidem eorum adminiſtrentur repercuſsiua cognita in hac cura,& miſceatur cum eis parum de ſubtiliatiuis, & illud quidem eſt,ſicut euaporatio cum aceto vini, aqua calida, & oleo roſato,aut farina fabarum cum oximelle,folijs ſolatri, & oleo roſato. Nec laudantur fortia medicamenta in hoc caſu, cum tale membrum ab unaquaque forti operatione irritetur, in eoque lac à forti frigiditate de facili coagulaſ. Et ideo Auic. iubet,vt ſubtiliatiua applicētur,quaſi dicat, ꝙ reſolutiua admiſceri debeant. Verum embrocatio facta cum oleo violato, aut roſato, aut de nenufare ſatis conuenit. At ſi uehemens apparuerit dolor, cum aliquo domeſtico euaporante procedendum eſt. Fiat igitur decoctum ex chamomilla, ſertula, violis, maluis, hordeo, & parietaria, & locus ſpongia, aut petia,in tepido decocto infuſa, foueatur. Paulus iubet, vt fotus ſit ex decocto fenugręci, altheæ, & ſem.apij: aut, ſi grauitatem non tolerat, lana dulci oleo calente madefacta applicetur. Et ibi Paulus dicit; Ceterum lactare cautio eſt; nam maior per exuctionem materies illuc citabitur. Si autem tumor reſolutionem quęrit, R. furfuris tritici triturati, m.ij. pulueris melliloti m.j. chamomillæ m.s. farinæ fabarū ℥.ij. hordei. ℥.j. olei roſati violati an. ʒ.1. chamomillini ℥.s. rob, mellis an. q.s. pro emplaſtro. Aut R. pulpę panis cōtritæ. ℥ij. farinę hordei, fabarum an. ℥.j. fenugreci ℥.s. pulu. chamomillæ, meliloti. an. ℥.j. pinguedinis gallinę, cerui an. ℥.s. olei roſati ℥.ij. vitelli ouorum n.2. mirrhæ ʒ.ij. croci ℈.s. rob. q.s. miſce ſecundum artem pro emplaſtro. Sed aduertendum eſt, dicebat Auic. ne partes reſoluantur ſubtiles. quod autem remanet, ad lapidis naturam conuertatur; ideo cum reſoluentibus emollientia ſunt admiſcenda. Verum vtplurimum hæc materia, quia calida, & humida eſt,in loco calido, & humido, ad ſuppurationem tendit. Quod facillimè cognoſcitur. nam rubet locus,& dolet,vt aliàs declarauimus. Et Paulus dicebat in fine capitis, Cū tumor in abſceſſum vertitur, his vtendū eſt, quę in parotidibus comprehenſa ſunt. Et Auic. dicebat; Quādo accidit mamillæ apoſtema faciens collectionē, tunc ex medicinis bonis in maturatione eius eſt, vt ſumatur ſeminis lini, & ſiſami, & radicis lilij, & ſtoracis, & ſtercoris caprini, & ſtercoris columbini, & nitri, & gummi pini an. partes æquales, & fiat linimentum cum oleo de alkeiri, & medulla cruris vaccini; & ſi vis, pone in ipſo rob. Quòd ſi indiges perforatione, fac. Veruntamen ab vnoquoque medicamento, cui aliqualis ſit inſita virtus poros cutis opilandi, vt citius innatus calor, cum extraneo, in eam contentam materiam agere poſsit, tumor ad putredinem vertitur. Cōmuniter autem à vaccino lacte, & triticeo pane, aut à tritici farina, oliuarum oleo maturo, & cōmuni aqua, in pultis formā redacta, opus hoc perficitur. Verè tamen interdum fortiorem operationem quęrere debemus, nam non ſolum circa generationem ſaniei dolores, & febres contingunt, ſed & alienationes proprer fumos aſcendentes, eleuatos à materia putrida. Vnde R. foliorū maluarū, violarū, an. m.j. caricarum pinguium, paſſularum enucleatarum, radicum altheæ mundatæ, an. ℥ ij. decoquantur omnia in brodio, & piſtentur, & cribelentur Et adde farinæ tritici ℥.iiij. pinguedinis porci aecentis, butiri, an. ℥.xv. vitelli ouorum n.ij. croci ℈. s. &

lib. 3. cap. 35. 12. f. 3. cap. 4. 12. f. 3. cap. primo.

12. e. 3. cap. 6.

12. f. 3 cap. 9.

cum prędicta decoctione fiat emplaſtrũ. Cumque tumor maturuerit, ſecetur, ſeruatis conditionibus, vt vbi de abſceſsibus dixi. Et ſi qua in tumoris regione durities remanſerit, deſiſtendum non eſt à medicamento emolliẽte, vt cum oleo ſiſamino, de violis, amigdalarum dulcium, pinguedine gallinę, & medulla crurium vituli; aut cum emplaſtro ex medulla panis infuſa in decocto altheæ, addito oleo roſato, & chamomillino cum vitello oui, & parum croci. Fiat cum digerente medicamento vlceris optima digeſtio; deinde cũ mundificatiuo à mordicatione expoliato, locus mundificetur. Vltimò incarnẽt cum ſicco medicamentò, quod nõ multum excedat primum gradum exſiccationis, & ſigilletur. Nota tamen, quòd in operatione tua tinta non ſit, nec nimis longa, ne dolorem inferat, nec groſſa, vt ſanies exire poſsit. Et ſi poſt ſigillationem aliqua remanſerit durities, ſine dubio medicamentum diaquilon eam remouebit.

Eryſipela verò mammis occurrente, curabĩt præmiſſa venę ſectione, ſi fuerit opus, aut euacuatione cum pharmacis choleram educentibus, ſicut reubarbarum, ſir. roſ. ſol. &c. cum applicatione vnguenti roſati Meſ. aut de lythargirio crudo. Aut R. olei violati ℥. iij. ceruſſæ plumbi, lythargirij arg. an. ℥. s. lactis mulieris ℥. j. miſce, & ducatur in mortario plumbeo vſque ad linimenti conſiſtentiam, & vtere.

Frigidi vero tumores, qui in mamillis cõtingunt, magna cum diligentia regi debent; nã de facili, & ſi pituitoſi ſunt, ad bilem atram, & duritiem conuertentur. Cum igitur laxitas, & grauedo cum molli, albo, & ſine dolore, tumore apparuerit; ſit de ratione victus prima conſideratio; nam hic morbus interdum chronicus eſt: igitur regimen victus ſit talis, vt eum deſcripſi cap. de cura œdematis. Ea dimittantur, quæ pituitam generare poſſunt, vti olera, piſces, legumina, lacticinia, & groſſæ carnes. Dietha ſit tenuis, & quæ hanc incidat materiam, nam fames corpora ſiccat. Vinum clarum, album, & lymphatũ concedĩt. Euacuetur materia, ſi poteſt, cum pharmacis pituitam educentibus, ſicut eſt puluis ſenæ, polipodium, epithimum, agaricus, & ſimilia. Aut cũ compoſitis, ſicut eſt electuarius lenitiuus, de dactilis, indus maior, diaturbith, hamech, hiera, &c. Vomitus etiam laudatur, ſed in his, qui de facili vomunt. In multis etiam, quibus ætas, & alia, venæ ſectionem admittũt, phlebotomia laudari ſolet. In ferculis ea exhibeanĩ, quę vrinam ciunt. Vt autem humor iam collectus per halitum digeratur, & diſcutiatur, in primis celebrata inunctione cum oleo de chamomilla, anetino, de lilio, de ſem. lini, de amigdalis dulcibus, cum lixiuio dulci, & pauco ſale; quo medicamento inuncta manu locus aliqualiter fricetur, inde poſtea ſucida, i. nõ lota, lana cooperiatur. At ſi fortiori eguerit medicamẽto, nouam ſpongiam in ſtacte, aceto, & ſale madefactã. & expreſſam ſuperponito. Aut ſaltim tali vtor cerato. R. radicũ altheæ decoctarũ, & cribellatarũ ℥. iiij. olei camęni, anetini an. ʒ. 1. de lilio ℥. xv. diaquilonis, albi gũmati ℥ ij. medullę crurĩu vituli, pinguedinis cerui an. ℥. s. cerę q. s. & ad ignẽ ſm̃ artẽ fiat ceratũ medię formę. Aut vtere emplaſtro de mliloto.

Vide Aetiũ lib. 16. c. 44. 45. 46. 47. 48.

Si vero carcinomatis naturam ſapit hic tumor, quemadmodum ſæpiſsimè accidere ſolet, vt in mulieribus, quibus deficiunt menſes, &c. prout dixi cap. de carcinomate. & eius cognoueris initium, præmiſſa corporis euacuatione, etiam venam ſecando, aut hæmoroidas aperiendo, prout expedit, aut pharmaco craſſum, & melancholicum humorem purgante, quod per initium forte non ſit, præparato poſtea, quo reſidet, humore, fortiori pharmaco iterum euacuetur. Nam, vt multotiens dixit Gal. hunc humorem oportet partim digerere, & partim euacuare. At ſi mẽſtrua nõ apparuerint, & frictionibus, & cucurbitulis euocanda ſunt, & hoc maxime ante annum quinquageſimum. Cum verò corpus purgatum fuerit, remedia affectæ parti, quibus pellendi vis inſita ſit, digerendique abſque mordicatione, adhibeto, quę ſunt, quæ laudanĩ à Gal. ex ſucco ſolatri, aut ex medicamẽto diapompholigos, aut ex dicalcitheos, aut quale recitat Gal. de mente Apollonei. R. olei roſati omphacini ℥. xv. & tandiu ſub Sole in mortario plumbeo pila plumbea agitetur, donec craſceſcat, & adde litarg. arg. ceruſſæ an. ℥. vj. & iterum ad inſimul omnia admiſceãtur, donec fiat unguẽti cõſiſtentia. Et q̃a multa in hac materia à me dicta ſunt, hæc ſufficiant. Verum ſi cancer exulceratur, opus eſt, vt blandiendo ſuccuratur, q̃a eget cura paleatiua; & eo magis, cũ aliqua apparuerit inflãmatio, vt ad plenũ dictũ eſt cap. de carcinomate, & eius cura.

ex 2. ad Glauconẽ
ex p. de med. per gen.
p. de med. localibus.

De Tumoribus teſtium, & cura. Cap. XII.

AB vnoquoque humore in ſcroto, aut oſſeo tumor non naturalis contingere poteſt; ſæpe etiam ab aqua, vnde fit ramix aquoſa, quę hydrocele dicitur; multotiens ex inteſtinorum deſcenſu intumeſcunt, & fit hernia inteſtinalis, quæ Enterocele dicitur; multotiens ex carne addita, vt ſupra ſermo habitus eſt; nonnunquam ex varice, vnde fit varicoſus ramix, quod vitium cirſocele nuncupatur; ſæpe à flatuoſa diſpoſitione, quę paſſio ventoſa ramix vocatur; aliquando etiam, dum zirbus, ſeu omentum in ſcrotum deſcendit, fit ramix, quę zirbalis denominatur; de quibus paſſionibus locis ſuis multa dicenda ſunt. Nunc de tumoribus ab vnoquoque humore prouenientibus ſermo ſit. Si ſanguis multus per venas amplas, inde per minores, poſtea per minimas ad hanc regionem deſcẽderit, & tumor appareat cũ ſimpthomatibus phlegmonis, & ægritudo eſt in fieri, ac phlebotomiæ cõditiones admittunt, vt Auenzoar dicebat, phlebotoma patientem à baſilica ex oppoſita parte ægritudinis, ideſt è directo ęgritudinis, quæ pars (credo) ſit directa ęgritudini ſecundũ rectitudinẽ; Nã ad quid ſtante tumore in dextero latere, & pro parte materia eſt fluxa, venã ſecare in brachio ſiniſtro? Nã & Auic. dicebat

Lib. 2. tr. 3. cap. de apoſt. teſtiu.

cebat

cebat,& quãdoq; poſt phlebotomiã baſilicę,fiat phlebotomia de ſaphena,& oportet, vt attẽdat latus doloris,& fiat phlebotomia ex latere eius. 20. f. tr. 2. ca. 2. de tumor. teſtium. Celſus vero ait; In teſticulis ſi qua inflãmatio ſine ictu orta eſt,ſanguis ex talo mittendus eſt, & à cibo abſtinendum. Similiter & Paulus dicebat; Itaque teſticulorum inflãmationibus proprie cõuenit ſãguis ex talo dimiſſus. Lib. 6. cap. de morb. teſticularib. Aleuietur cibus, dicebat Auic.& dimittat carnem,& quæ ſunt ei ſimilia,& regat regimine ſubtili. Quieſcat patiens,& habeat vẽtris beneficium,ſi nõ à natura, lib. 3. cap 54. ſaltem ab arte. Et Auic. dicebat; Cum adminiſtrãtur ſuppoſitoria,cõfert magnificè; quia attrahitur materia ad anũ. De localibus Auic. dicebat; Et adminiſtretur in primis ſuper membrum pannus imbibitus in aceto, & aqua roſarum, & mucilaginibus, & ſuccis infrigidantibus. Et Auenzoar dicebat; Vnge locum cum oleo roſato,& ſucco ſemperuiuæ, & aceto:nam hæc inunctio valet. Deſuper verò applicetur emplaſtrum ex farina hordei,& ſucco memite, & farina orobi, an. partes æquales, ſeminum roſarum, florũ chamomillæ an. partem mediam,quæ terenda ſunt,tere, & miſce cum aceto, & aqua roſarum. Et, cum incipit, augmentari, dicebat Auic. adminiſtrentur epithimata,aut emplaſtra cum aqua ſolatri, aut cucurbitę,aut cannæ humidæ, aut endiuiæ, cum farina hordei, aut fabarum, & aliquantulum croci, & oleo roſato, aut folia alkekengi, cum farina hordei, & lentium, aut folia cannæ cum farina fabarum, & oleo roſato. Aut fiat emplaſtrum,& eſt expertum, R. alkekengi, farinæ hordei, lẽtium, fabarum, pulueris violarum ãn. partes æquales, & cum oleo roſato, aut ſapa, fiat emplaſtrum. Huic addimus interdum & puluerem chamomillæ, melliloti,& furfuris tritici. Verum, dicit Princeps, ſi in hoc tumoris termino magna caliditas, & vehemens dolor apparuerit, admiſceantur cum repercusſiuis folia hioſciami albi. Et hoc eſt,qđ Paulus dicebat; Si multus infeſtat dolor, folijs alterci cũ triticea farina, aut ciceris, deliniũtur, vel calami folijs, vel cucurbitæ ſilueſtris. Si verò, dicit Auic. apparuerit durities,& pertranſit terminũ principij, & augmenti manifeſte, tunc oportebit, vt regatur cum eis, in quibus eſt maturatio. Fiat igitur tunc medicamentũ ex farina fabarum, & chamæmilla,& althea,& mucilagine ſem. lini,& rob. Aut ex farina hordei cum aqua, & melle. Aut ex folijs caulium cum farina tritici,& vitellis ouorum, & oleo roſato. Aut fiat emplaſtrum macedonicum ex farina tritici communi oleo, & aqua. Cumque ſuppurauerit hic tumor, aperiatur, caute tamen, ne aut didimus, aut neruus, aut vena, ſiue artheria lędatur.& Auic. dicebat; Oportet, vt fiat apertio apud oſſeum,& non conceditur, vt aperiatur illud, quod ſequitur anũ, ne fiat fiſtula mala, imò præſerua talẽ locum ab apertione cum farina rizi,& bolo armeno. Euacuata materia, quod imbibitum remanet, digeretur cum ethiſeos medicamento. Mundificet poſtea cũ melle roſato, aut damaſceno vnguento. Vltimò incarnet cum aureo, aut baſilicone, ſiue citrino medicamine.

Si verò, dicit Auenzoar, apoſtema fuerit ex cholera, aut in eo prædominauerit cholera,& virtus fuerit fortis, purga eum cum his, quæ choleram educunt, ſicut cum ſero caprino, coagulato cum lacte fici,& quartam partem aurei de ſcamonea, cũ duabus ℥. ſyr. de maſt. De localibus nihil dixere medici; nam euacuato corpore, de facili hic tumor reſoluitur, ſtando in frigido, & humido victu, ſine vino, & motu. At ſi oportuerint localia, vnguentum roſatum Mes. eſt de melioribus. Aut R. ſpumæ argenti ℥.j. ceruſſæ ℥.s. olei violati ℥.iiij. miſce in mortario plumbeo, donec ad conſiſtentiam linimenti redigatur.

Cum verò à pituita hæ producunt diſpoſitiones, & fit tumor laxus, mollis, albus, & ſine dolore, vt in cathetticis, aut hydropicis accidere ſolent, cum difficultate curant, niſi prius remoto malo corporis habitu, vt dicam loco ſuo. At, cũ ſine hac diſpoſitione apoſtema contingit, præmiſſa venę ſectione, ſi corpus fuerit ſanguinis multi, aut repletũ diuerſis humoribus, qđ de ratione ſui victus, ac ex pulſu,& vrinis haberi poteſt: aut ſi in eo multa abũdauerit pituita, talis purganda eſt aut cũ pillulis, aut electuarijs: aut fiat confectio ex zucharo, turbith, agarico, zinzibere an. partes æquales, de qua aſſumat infirmus ʒ.ij. in mane. Et quia ægritudo inducias expectat, præparet materia, quia cruda, cum ſyrupis, aut decoctis, inde poſtea euacuet. Auenzoar dicebat in iſtis apoſtematibus phlegmaticis vtere emplaſtro, facto ex farina hordei, cinere lentiſci,& aceto. De fortibus, dicebat Auic. eſt, vt fumat ex farina ciceris, & fabarum, 2. f. 3. tr. cap. 3. & ciminum, & adeps renum capræ, & chamæmilla, & mellilotum, & cera,& fiat vnguentum; aut diſſoluatur bdelium in rob, & cum oleo ſambucino adminiſtretur. Sed ſi tumor durus fuerit,& in eo bilis atra peccauerit,& color ſit niger, ſcias, dicit Auenzoar, quòd multiplicabitur, quia ſic manere non poteſt. Et ſi volueris eum medicare cum fortibus medicinis, fortificabitur ægritudo; ſed ſufficit corpus euacuare à melancholia cum polipodio, lapide lazuli, & ephitimo an. partes æquales, florum nenufaris, violarum an. partem mediam, elleboris nigri quartam partem vnius, piſtent quælibet per ſe, & cribelentur, & rotent cum aureo vno olei amygdalarum dulcium,& incorpora cum ſyrupo ſquinzibi, ideſt, acetoſo. et da iſtius medicamenti aureos .v. in mane ſtomacho ieiuno, cum aqua tepida, diebus pluribus. ſit vero ſpatium inter vnam, & aliam aſſumptionem tot dierum, quot vices aſcellauerit patiens, iterumq; dabis: Nam vna tãtum euacuatione hic humor non purgatur. At ſi lubet, intermiſſis diebus materiam præpara cum ſyr. biſantino, de epithimo, de fumaria,&c. Aut, ſi videbit tibi, alio medio hanc purga materiam. De localibus, dicebant Celſus, & Paulus; Si vetuſtior eſt morbus cum duritie, cucumeris ſilueſtris radix in mulſa cocta, leuigataq; cum lolij farina admouet. Item hoc efficax eſt remedium Pauli, & laudatur à Principe, vuarum, quibus acini ſint exempti, ℥. v. cicerum ſubferuefactorum ſequiuncia, lib. 3. cap. 54. cimini ℥.j. ſulfuris ℥.viiij. nitri ℥.j. reſinę ℥.iij.s. contrita omnia cũ melle in cataplaſmatis formam digerẽs xx. 3. tra. 2. vtitor. Multa alia, ibi dicit Paulus, & fuerant ad hunc ſcopum opportuna, quæ vide. cap. 4.

De

De Tumoribus manuum, & pedum. Cap. XIII.

Lib.3.cap.79.

SOLENT in aliquibus corporibus, & magis in eorum extremitatibus, vt in calcaneis, & digitis pedum, ac manuum, in maximis frigoribus, & vtplurimum puerorum, tumores quidam euenire, qui bugantiæ dici ſolent, Græci autem chimethla vocant: Paulus verò perniones appellat, & dicit; Perniones vlcera ſunt, quę ex frigore hyberno in digitis manuum, pedumq; contrahuntur. Accidit in primis tumor quidam ſine valde eleuata dimenſione, cum dolore intenſo; cui interdum aſſociatur rubedo quædam, & durities. Scinditur ex ſe tumor hic abſq; ſaniei productione, & apparent ſciſſuræ cum quadam ſiccitate, & albedine, propter frigidam, & ſiccam loci complexionem; et interdum ad loci exulcerationem perducitur hæc paſsio. Et ſunt vlcera mala, doloroſa, innato priuata calore, ſicca, abſq; vlla digeſtione.

Lib.5.cap.de vlcerib.ex frigore Lib.14.cap.74.

Lotio preſeruans a pernionib.

Datur præſeruatio huius paſsionis, antequam appareat, præcipuè in his, qui ſoliti ſunt in ingenti gelu hos pati tumores, vt docuerunt Celſus, & Aetius, ſi cuſtodiantur extrema à tali frigore, cum pellibus, & rebus innatum calorem præſeruantibus. Lauentur pedes cum decoctione parietariæ, aut ſertulæ campanæ, aut fœnu græci, aut graminis. Et ſi aliquis dolor apparere incipit, inungatur cum oleo nardino, aut de iunipero, aut de piretro, aut ſupercalefiat locus cum cinere, milio, & ſale, quæ omnia prius ſint bene calefacta. Aut, ſi haberi poteſt rapa, decoquatur ſub cineribus, & cum ea dolens locus ter, aut quater tangatur. Cum verò tumor apparet, lauetur membrum, vt Paulus docet, cum aqua maris, aut ſalita, aut cum decocto bletæ, aut lenticulę, aut erui, aut radicis draguntheę: Aut fiat emplaſtrum ex lenticula, ficu, & rapa; hæc omnia vino decoquantur, & oleo leuigantur; aut allia oleo fricta, cum pauca cera, ſuperponantur. Rapa multum à Dioſcoride laudatur; elixetur rapa, & radices ciclaminis, & piſtentur cum ſulphure ignem non experto, & parum olei antiqui, & ceræ. Ex Paulo (& dicitur Marcellinum) Rapæ ſatiuæ radice excauata, conijcitur in capacitate ipſius ceræ ſextans, olei lentiſcini.q.s. decoquatur in lebete æneo, cum marina aqua, aut decocto lupinorum, & cum tali decocto locus abluatur: deinde ceratum in rapa liquefactum frigidum imponatur. Et cum adſunt ſciſſuræ, locus tepida aqua irroretur, donec aliqualiter molleſcant, deinde aut lana, aut tepido panno exſiccetur, & tale ſuperponatur medicamentum, thuris, aluminis ſciſſi, minij, terebenthinæ an. q. u. & cum ſuillo adipe diluta inducantur. Et ſi qua apparet inflammatio, ℞. olei antiqui vnc. viiij. adipis taurini, tellis an. lib. j. argenti ſpumæ vnc. vj. colophoniæ vnc. iiij. mellis vnc. vj. miſce, & fiat medicamentum: Aut ℞. calcis viuæ ℥.x. ceruſſæ ℥. xx. ceræ tantundem, pinguedinis porcinæ recentis vnc. vij. colophonię vnc. viiij. ſucci ſem. lini vnc. xv. olei dulcis vnc. xxxx. fiat medicamentum ſecundum artem. Et cum vlcera apparent, mundificentur cum apoſtolorum medicamento, aut ceraſeos, aut iſidis, deinde regatur cum vnguento de ſolatro, ℞. ceruſſæ vnc. vj. lythargirij vnc. viiij. hæc abluantur in aqua plantaginis, aut ſolatri, & adde olei roſati lib. ij. ſucci ſolatri, plantaginis an. vnc. vj. bulliant vſq; ad perfectam cocturam, & adde ceræ albæ vnc. iiij. miſce, & fiat vnguentum. Aut fiat vnguentum ex ſepo arietino, oleo roſato omphacino, ſarcocolla, maſtiche, & thure.

Lib.5.cap. de vlceribus ex frigore in pedibus. 202.

Dicit Celſus; Fiunt ex frigore hyberno vlcera, maxime in pueris, & præcipue pedibus, digitiſq; eorum, nonnunquam etiam manibus, & rubor cum inflammatione mediocri eſt, interdum puſtulæ oriuntur, deinde exulceratio, dolor autem modicus, prurigo maior eſt; nonnunquam humor exit, ſed non multus, qui referre vel pus, vel ſaniem videtur. Eius cura eſt, vt in primis foueatur cum aqua calida, in qua ſit decocta rapa, aut ſi ea non eſt, verbena. Si nondum adapertum vlcus eſt, quàm maxime calidum quis pati poteſt, admouendum eſt: ſi iam eſt exulceratio, imponi debet alumen æqua portione cum thure contritum, adiecto vino: aut malicorium aqua decoctum, & contritum.

De perforatione ventris in Aſciti, atquè de alijs Tum. hydropicorum. Cap. XIV.

Vide Aetium ſerm.10.cap.30

2. Prognoſt. com.2.

Auic.1.f.1.cap. de humoribus.

De tumorib.ca. 20.14.f.3.tr.4. cap.4.

Lib.2.cap.54.

Lib.6.cap.50.

IN omni hydrope ventris tumor apparere ſolet; in aliquibus verò œdemata in pedibus, & manibus contingunt, vt Gal. docet his verbis; Apoſtematio pedum eſt res, quæ communicat omnibus ſpeciebus hydropis. ratio, cauſaue eſt in promptu; nam patitur hepar in tali morbo, & eius diminuitur operatio, quæ eſt, ſanguinem calidæ, & humidæ complexionis generare: ob eius verò malam qualitatem producitur frigidæ, & humidæ complexionis, & talis pituitoſus eſt, cum pituita ſit ſanguis diminutè decoctus. Solent apparere tumores extremitatum in anaſarcha, in ea ſcilicet, in qua multa viget pituita: in timpania verò ſolus flatus coaceruatur: de quibus tumoribus paucus ſermo hic habendus eſt: ſed principalis oratio ſit de aſcite, in qua ventris tumor magnus apparet, in quo aqua multa, & tenuis contineri ſolet, vt placuit Gal. & Auicennæ. Nam ſolet interdum hæc humiditas à manuum operatione euacuari, ideò de tali opere aliquid dicendum eſt. Dicebant Albucaſis, & Paulus; Ex hydrope illa, quæ curatur cum ferro, non eſt

niſi

niſi ſpecies aſcitis ſola. Nec approximandum eſt cum ferro ſpeciei timpanitis, neq; ſpeciei hypoſarchæ penitus; nam illud mortale eſt. Quando igitur fueris medicatus ſpeciem aſcitis cum medicinis,& nón contulit: tunc conſidera, ſi infirmo iam conſecuta eſt debilitas, aut eſt cum eo infirmitas alia prę ter hydropem, ſicut tuſsis, aut ventris ſolutio, aut difficultas anhelitus, & ſimilia illis, tuncq; caue ab operatione manus; quoniam eſt timor magnus. Et Auic. dicebat; De inciſione verò mirach, ſcias, quòd parum proficit, niſi in corpore valde forti, dum potens eſt tolerare exercitium temperatum, & ſitim, & minorationem cibi, &c. Sed quia (vt Celſus dicit) aquam his, qui hydropici ſunt, emitti oportet; igitur ante hanc operationem, ſectionis conditionibus conſentientibus, ideſt, ſi infirmus fuerit exuberantis virtutis, dicit Albucaſis, neq; eſt cum eo ægritudo præter hydropem, & non eſt puer, neq; ſenex, & boni animi, hęc conſideranda ſunt. Primò modum generationis tumorum, & eius cauſſam, ideſt, nunquid ex iecoris mala diſpoſitione, aut lienis intemperie, aut inteſtinorum diuerſa qualitate hoc contigerit. Secundò locum, in quo ſectio perficienda eſt, inſpicere oportet. Tertiò inſtrumenti qualitatem. Quartò inciſionis quantitatem. Quintò euacuationis aquæ proportionem. Sextò cannulæ ſubſtantiam, & formam. Septimò modum euacuationis. Octauò, & vltimò rectificatio nem membrorum. Cauſam tumoris conſiderare opus eſt, necnon locum, in quo aquæ maior pars contenta eſt; nam iubent antiqui, vt ſectio celebretur in oppoſita parte loci patientis; Ideò, dicebant Albucaſis, Paulus, & Auic. Conſidera, ſi eſt generatio hydropis ex parte inteſtinorũ; tunc enim oportet, vt elungeris cum ſectione ab vmbelico, quantitate trium digitorum, ad inferiora, in directo eius, ſupra pectinem: ſi verò propter ægritudinem hepatis, tunc ſit ſectio tua ſiniſtra, ab vmbilico tribus digitis. Et ſi generatio eius eſt propter ſplenem, tunc ſit ſectio in latere dextero. Et non oportet (dicunt Medici) vt ſit ſectio in latere, ſuper quod vult iacere infirmus, ne currant ſuperfluitates ad illum locum debilem, ſic iubet Paulus. Celſus tamen dicebat, quòd aliqui ſub vmbilico, ferè quattuor interpoſitis digitis à ſiniſtra parte, quidam, ipſo vmbilico perforato, hoc facere conſueuerunt. Cum verò ad ſectionem perueneris, ſint inſtrumenta apud te, ad hoc idonea. Et Albucaſis deſcribens hoc inſtrumentum ait; Sit duarum partium acutarum, ideſt, ſit incidens ab vtroque latere, longum, acutæ extremitatis, ſicut ſpatumili, aut phlebotomum, aut lanceta, & eſt inſtrumentum, quo venę ſecantur. Cuius forma in officina delineabitur.

14.3.tra.4.cap.13. Lib.7.cap.xv. Lib.6.cap.50.

De quantitate verò inciſionis, dicebat Albucaſis, ſit quantitas, quæ excoriatur, quantitas vnguis, aut circiter illud. Et Celſus dicebat; Id inſtrumentum tale eſſe debet, vt ferè tertiam digiti partem latitudo mucronis impleat; ſitq; pręparata cannula, ſeu fiſtula, aut aurea, aut argentea, ſiue plumbea, aut ænea, groſſitudinis minus auricularis digiti, ſitq;, vt eam deſcribit Celſus, quando dicit; Tum plumbea, aut ænea fiſtula conijcienda eſt, vel recuruatis in exteriorem partem labris, vel in media circum ſurgente quadam mota, ne tota intus delabi poſsit. Huius ea pars, quæ intra, paulò longior eſſe debet, quàm quæ extra; vt vltra vlteriorem membranam præcedat; per hanc effundendus humor eſt. Forma cannulę Celſi & ipſa in officina deſcribetur. Lib.7.cap.15.

Albucaſis verò alteram fiſtulam deſcribit, & credo, quòd hæc ſit eius forma. Nam ipſe dicit; Intromitte in foramen inſtrumentum, cuius forma eſt ſimilis cannulæ, & ſit ex argento, aut ære, lene, terſum; cui in inferiori parte ſui eſt foramen paruũ, & in lateribus eius ſunt tria foramina, duo ab vna parte, & vnum à parte altera, & facta eſt extremitas alia inciſa ſecundum inciſionem calami. Cum.n. inſtrumentum peruenit ad aquam, tunc ipſa deſcendit ſtatim per inſtrumentum. Simile eſt inſtrumento, quo cliſteria imponi ſolent, cuius figura in officina reperietur.

Cumq; hæc pręparata fuerint, rectus homo ſtatuitur: ſin minus, in ſedili collocatur. Addit Paulus; Si ne hoc quidem fieri poteſt, attingi non debet, cum adeò ſit inualidus. Stante recto homine, miniſtris retrò aſsiſtentibus, iubebimus, vt tumorem ad pubem manibus premant, depellantq;: deinde perfora cutem totam; & ſi dicat Celſus; Quidam cute primum aduſta, deinde interiore abdomine inciſo, quia quod per ignem diuiſum eſt, minus celeriter coit, inde ferramentum demittitur, magna cura habita, ne qua vena incidatur. At cute, quę ſuperiacet, acie inſtrumenti excoriata, carnoſiorem partem muſculi ſecare oportet, cauendo eorum extremitates, vnde multi tendones originem trahunt. membranam peritoneo, ſeu ſiphac diuidere opus eſt, quouſq; ſcalpellum inania penetrauerit. Hęc eſt cura Veterum. Addit verò Auic. Sit foramen mirach inferius foramine ſiphac, quatenus cum egreditur canna, cooperiatur illud, & retineatur aqua propter diuerſitatem duorum foraminum. Et Albucaſis dicebat; Perfora cutem totam, deinde intromitte in illam ſectionem, & eleua manum tuam cum ſpatumili inter cutem, & ſiphac, quaſi tu excories ipſum; deinde perfora ſiphac, donec venias ad locum vacuum, & eſt locus aquæ. Dum autem ibi perueneris, inſtrumentum extrahe; & per foramen illius membranæ fiſtulam demitte, donec mediam extraxeris aquam in ea hora, & non plus, dicit Albucaſis; quoniam ſi euacues ex ea plus, quàm oportet, fortaſſe moritur æger propter reſolutionem ſpiritus animalis, aut accidit ei ſincopis, quæ appropinquat morti. Et Paulus dicebat; Fiſtula imponenda eſt, per quam humor effundendus eſt pro cuiuſq; virium ratione, quam ex pulſus tactu deprehendemus; deinde exempta fiſtula, humor ſiſti debet. ſiſtetur autem ſtatim viciſſim inciſa linea: At nos ſecuritatis gratia (dicit Paulus) linamentum tortile per ſolam abdominis diuiſionem dimittimus

timus. Celſus verò cannulam non extrahit, ſed ait; Vbi maior pars aquæ euacuata eſt, claudenda demiſſo linteolo fiſtula eſt, & in vulnere, ſi id vſtum non eſt, relinquenda. Quidam tamen (ipſe dicit) non vſta cute, protinus fiſtulam recipiunt, & ſuper vulnus ſpongiam expreſſam deligant; deinde poſtero die rurſus fiſtulam demittunt, quod recens vulnus paulum diductum patitur, vt ſi quid humoris ſupereſt, emittatur: idque bis ita feciſſe contenti ſunt. Aegro recumbente, recreatoq;, per inſequentem diem rurſus momentum humoris, quantum virtus exigit, fiſtula euacuabimus; atq; ita deinceps faciendum eſt, quouſque minimum humoris ſuperſit; ita tamen (dicunt Celſus, Albucaſis, Paulus, & Auic.) vt vbique ſubitam, vniuerſamque euacuationem vitemus: multi ſiquidem imperitè manum admoliti, vnà cum humore vitali, etiam ſpiritu euacuato, ſubitò hominem iugularunt. Sed, dicit Paulus; Qui ſecurius rem agunt, modico humore educto, vt virtus magno leuaretur pondere, reliquum medicamentis aquam ducentibus, & cibis deſiccantibus, & ſiti, & Sole, conſumpſerunt. Fiat inde aut hepatis, aut peccantis membri rectificatio, vel cum reubarbaro, aut reupontico: de eo exhibendo omni mane ʒ. i. cum vino maluatico, aut cum ſyr. de cicorea Nicolai, aut ſimili alio medicamento. Apparent œdemata in patientibus hypoſarcam, quod ſymptoma eſt, & accidens, alij ſuper ueniens morbo. Igitur quia præceſſit victus ratio, alia medicamenta, quæ diſcutiunt, & ſine moleſtia deſiccant, adhibeto: vnde tumentia membra oxirodino, aut oximelite, aut cum oleo, ſtacte, ſale, & aceto perfricato: vel ſpongiam nouam, aut aliam claro lixiuio ablutam ſuperligabis, & ligamentum ab inferiori parte ad ſuperiorem ducito, & conſtringito. At ſi maiorem quæris reſolutionem, & exſiccationem cum aliquali inciſione, in poſca cum alumine, & ſale ſpongiam madueris. At cum aqua euacuata fuerit, & virtus fortis facta eſt, de facili hi euaneſcunt tumores; quia iecinoris correcta complexio illis non opitulatur; Nam qui de nouo ſanguis generatur, optimus eſt, & non pituitoſus.

De Tophis in Podagra, & Chiragra contingentibus. Cap. XV.

PODAGRA, chiragraq; morbus ſatis notus eſt, cuius cauſa licèt ſubobſcura eſſe videatur, cum à diuerſis humoribus originem ducat, hanc tamen ad duo potiſſimum principia redegiſſe viſus eſt Gal. [6. Aph. com. 28.] quorum alterum eſt inordinatum victus regimen in 6. rebus non naturalibus, in coituq; pręcipuè; alterum verò ad articulorũ imbecillitatẽ pertinet, vnde hæc paſſio hæreditaria ſępiſſime reperitur. huius cura vniuerſalis, licèt difficilis admodum ſit, non tamen impoſſibilis eſt, præcipueq; in principio, ſi debito modo, debitoq; tempore, quæ humores craſſos attenuẽt, euacuent, articuloſq; corroborent, medicamenta exhibeantur, cuiuſmodi ſunt, quę in cap. de œdemate propoſuimus, numquam tamen ab Aermodactilis deſiſtendum eſt: Particularis autem cura nec ipſa facilis eſt, eaq; præcipue, quę circa Tophos verſatur, de qua nunc pertractare intendimus. Suppoſito igitur [7. de Med. per gen. 8.] cum Gal. fieri Tophos, nodoſue, quando vel ab intemperie partis nimis calida, vel à medicamentis applicitis, quæ reſoluendi admodum, non autem emoliendi, ac attenuandi virtute polleant, tenuiores partes reſoluuntur, craſſioribus magis incraſſatis, hi autem vel omnino indurati & lapidoſi ſunt, vel in via, vt lapidoſi fiant, qui non omnino ſunt indurati, à nobis cum Auic. cum his, quæ emolire, tantiſperq; digerere poſſunt, erunt curandi, vnde ad hoc propoſitum maxime facere videbuntur embrocationes ex capitibus Caſtratorum, cum altea, malua, violis, & huiuſmodi, additis etiam oleis, & pinguedinibus, [6. ſimp. Med. Lib. 3. Cap. 78.] vt ol. ex ſem. lini, pinguedine anſeris, gallinæ, vrſi, & huiuſmodi. Cerata, vt ea, quæ gummata emolientia recipiunt, laudat ſummopere Gal. ammoniacum & emplaſtrum ſacrum, ad hæc multa deſcribit Paulus. Plurimum etiam poſſunt ſuffumigia ex aceto pirithidi lapidi conſperſo, luta etiam Thermarum ſancti Petri in agro Patauino, & S. Helenę. Valent vltimò Medicamenta, quę in ſtupha parantur, Si autem adeò indurati ſint, vt hiſce medicamentis cedere nequeant, tunc ad cauteria deueniendum eſt, [In lib. de Aff. internis. 6. Aph. vltimo. 2. f. 3. tract. 4. cap. 7.] hoc Hipp. conſulente, Gal. & Principe; huiuſmodi enim medicamentum fluentem materiam compeſcit, fluxam euacuat, partemq; corroborat. Tempus autem vtendi hoc medicamenti genere, eſt, quando alia non valẽt auxilia, & quando articuli propter materiæ multitudinem excidunt. Modus autem ab Albucaſi demonſtratur; iubet enim, vt ſuper dolentem locum tres lineæ tranſuerſales atramento ducantur, & ſuper vnaquaq; linea quinq; cauteria infigantur: Hipp. autem & decem, & quindecim affigit; in hac tamen operatione & materiæ modum, & quantitatem, & ęgrotantis virtutem inſpicere oportet, [2. f. 3. tract. 2. cap. 7] Poſſunt diuerſis modis actualia cauteria parari, quos deſcripſit Auic. loco citato. potentialia poſſunt etiam fieri; laudantur tamen magis actualia, quę, quantum fieri poteſt, debent aperta detineri, vt panno aſpero, flore æris, vel eleboro pigro, vt tota materia expurgetur; deinde medicamentis conſolidantibus conſolidentur. & hęc de Tophis in podagra ſatis ſint dicta.

FINIS.

CHIRVRGIAE
IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI,
Tractatus Secundus.
De vulneribus.
LIBER PRIMVS.

De Cranij Anatome. Cap. Primum.

ARTIFICIS rationalis munus eſt, ac vniuſcuiuſque intereſt, qui de nobili re ſubiecta ſermocinaturus ſit, ac de illa præſertim, quę non leuis negotij exiſtat, quemadmodum illam eſſe arbitramur, quę in noſtris Chirurgicis enarrationibus perpendenda venit, antequam ſermones particulares aggrediatur, rem prius, de qua locuturus, & in qua operaturus eſt, ponderare; quemadmodum ſiquis aliquod morbi genus tractare intendit, primò affectæ partis naturam, & compoſitionem explicare tenetur. Quapropter operæ pretium nos facturos duximus, ſi, ne in his defeciſſe videamur, ſubiectum prius perlibrauerimus, vt faciliori quodam modo curatiuam partem auſpicari inde valeamus ea methodo, & praxi à nobis aſſidua iam lectione, ac diuturno experimento comparata, quam nunc Deo optimo maximo annuente Chirurgiæ ſtudioſis impartiri decreuimus; ſiquidem id agendum eſſe, ratio exigit, atque idem in facultatibus vniuerſis priſcos omnes, qui methodicè quidquam tradiderunt, perpetuò egiſſe conſtat: Dicamus itaque. Caput, quod nunc eam partem tantùm, quæ pilis ſeu capillis, aut crinibus tegitur, vna cum fronte intelligimus, Græcè Cephas, Arabicè Ras, & Latinè ſupremũ ventrem vocatum, noſtrorum ſermonum ac operationum ſubiectum eſſe, membrum quippe organicum, ex ſimilaribus partibus conſtructum, quarum aliquæ exterius tantum continentes ſunt, aliæ continentes, ac ſimul contentæ, & quamplurimæ contentæ ſolum. Dimiſſis igitur capillis (ſunt quidem capitis decus, atque ab iniurijs exterioribus tutela quædam, ex fuliginoſis excremẽtis ſurſum elatis) quod primum obuiam venit, cutis eſt, ob excoriationis aptitudinem Derma Græcè appellata, cui capilli radicitus inhærent, duræ, denſæ, craſſæ, ſicciorisq; naturæ, quæ caput totum ambit: huic vndiq; membrana illa, quæ panniculus carnoſus, muſculus membraneus, totius corporis inuolucrum, & membrana carnea nuncupatur, ſubeſt; quæ quidem in capite pinguedine deſtituta haud exiguo labore â cuti euelli poteſt, nec non & alijs partibus, vt temporibus, fronte, occipitio, muſculi adſunt ſubſtantia, & forma differentes, adeo vt quidam eos in fronte panniculi carnoſi partem potius exiſtiment, quàm exquiſitos muſculos, hoc eſt noſtri corporis partem inſtrumentalem, qua arbitrario motu, & iuxta voluntatem propriam mouemur, propterea quibuſdam ipſos ſubſtantias muſculoſas appellare libuit: attamen in fronte duo ſatis confuſi adeſſe videntur, qui obliquè deſcendentes à capillorum ortu verſus internos oculorum angulos ſuperciliorum locum occupant, & illius ſedis eleuationi, oculorumq; ad-

κροταφῖτις. apertioni vſui ſunt: At temporum muſculi, crotaphites Græci vocant, ſenſibus expoſiti, magni, nó-
tabiles, ac multi ſenſus exiſtunt, adeo vt, ſi detecti tangantur, conuulſiones facillimè excitent. Parti
bus his vndiq; panniculus ille ſubeſt, communiter voce Græca Perioſtios, in capite verò Pericranion,
περιόστιον. Arabicè almocatin, & Latinè membrana adnata, & circuncranealis denominatus, ſubſtantiæ nerueæ,
περικράνιον. acutiq; ſenſus à craſſa meninge ſubcingente per Cranij ſuturas originem trahens, quo fit, vt vulneratus
medico quandoque negotium, ægroto verò mortis periculum afferat; ſubſequitur inde capitis os, Cra
κρανίον. nion Græcè, Techa Arabicè, cerebri Galea Latinè, ideſt munimentum aut cuſtodia, & calua, aut Cal
uaria, hoc eſt eminens os, communiter Græca voce cranion, ideſt concauum, & continens vocitatum;
nam vniuerſa Cranij cauitas ad cerebrum excipiendũ deſtinata eſt, laminibus duabus firmis, duriſq;
contextum, & quam plurimis oſſibus fabricatum, quæ varijs ſuturis inſimul committuntur, vt per
eas dura meninx oſſi capitis alligetur; harum laminum ſuperior inferiore maiorem duritiem conſe-
quuta eſt. interponitur autem ſparſim ſubſtantia quędam rara, poroſa, medullæ inſtar, quæ omnia
membra dicta his vocibus deſignantur, nempe parti exteriori, Cranij nomen inditum eſt, mediæ
verò oſſis ſpongioſi, medullaris, & meditullij, minimarum caruncularum, ac venarum exuberantis,
διπλοΐδος. partibus alijs nutrimentum afferentium; inferiori pariter ambienti, ac internas tunicas ſeruanti, diploi
μῆνιγξ. dis Græcè, vitreæ Latinè, & vulgo ſecundæ tabulæ nomen aſſignatum eſt, ſub qua craſſa tunica, Græcè
meninx, Latinè tunica ſubcingens, cerebri velamen, aut inuolucrum, & vulgo dura mater, colloca-
tur, membrum quidem ſeminale, duabus tunicis conſtans, exterius aſpera, interius verò lenis, ſub-
ſtantiæ nerueæ, à cerebro ſeiuncta, ſed eius propugnaculum eſt. Hæc, dum cerebrum attollitur, &
ſubmittitur, cum perpetuò moueatur, continuè pulſat. Subſequitur immediatè altera mollis tunica,
χοροειδής. tenuiſſimaque Græcè chorois, & choriformis, ab Auicennæ interprete ſecundina, communiter ſeruati-
ua, & vulgo Pia mater dicitur; namque immediata quadam contiguitate cerebrum ab ipſa tangitur,
vt non modò amplectatur, verum etiam in eius profundum ſeſe vnà cum dura meninge inſinuet; na-
tura enim inter cranium & cerebrum (quia ſubſtantijs multum diſcrepant) vtraſque meningas poſuiſ-
ἐγκέφαλος. ſe videtur, ſub hac cerebrum ſtatim exponitur Græcè ratione ſitus, quia in capite locatur, Encepha-
los dictum, vniuerſam caluariam replens, mollis ſubſtantiæ, coloris albi, ſuperficiei cuiuſdam inæ-
qualitatis; iuxta medium rectam diuiſionem in longitudine conſecutum, poſterius ad latitudinem,
vbi cerebellũ, Græcè parencephalos dictum, repoſitum eſt, anterius verò vbi tota cerebri moles reperi-
tur frigidior, laxiorq; cæteris partibus, ex ſe penitus ſenſus & motus expers, & ſi per accidens ab ar-
teriarum copia moueatur, & tanquam aggregatum inſtrumentum, affectiones proprias, & alienas ſen-
tiat, animæ ratiocinatricis domicilium, neruorumq; mollium omnium propago eſt, ac omnes imagi-
nationes, & intellectus complectitur: Oſſa capitis pro natura ſe habentis octo numero eſſe demon-
ſtrat anatome: ſed quæ noſcenda, ac perpendenda nunc veniunt, ſex tantùm fore ſtatuimus, ſuturæ ve
ῥαφαί. rò ea diuidentes à Latinis veræ & legitimæ, à Græcis Raphes, ab Arabibus adoren, & vulgo commiſ-
ſuræ dictæ, tres ſunt; duæ obliquæ, anterius & poſterius caluariam ſegregantes; tertia rectè ab amba-
λιθοειδής. bus prædictis ad longitudinem ipſam ſeparat, omiſſis tamen duabus petroſis à lateribus ſitis, Græcè,
λεπιδοειδής. quia petræ ſpeciem referunt, lithoides, & lapidoides, & Latinè ratione ſitus temporales, & à piſcium
ſquammarum ſimilitudine ſquammoſæ, & ſquammæformes vocantur. verùm quoniam obliquæ in-
terius penetrare videntur, mendoſæ vulgo dicuntur; ſunt & adhuc aliæ in ſuperficie ſitæ, ſenſum pro-
pemodum latentes, nulliusq; momenti, quæ Rimæ & harmoniæ rectius, quàm ſuturæ, ab anatomicis
vocitantur. Hæc omnia capitis oſſa differunt inter ſe nomine, ſubſtantia, figura, magnitudine, & ſitu.
namque frontis os, quod eam inferius partem denotat, quæ ſuperiorem oculorum ſedium regionem
μέτωπον. conſtituit, ſuperius verò cui terminus coronalis ſutura eſt, vbi pars anterior cerebri reconditur Græ-
cè metopon, Arabicè hezem hamezec, Latinè frons, ſinciput, os coronale, pars inuerecunda, prora,
& os ſenſus communis appellatur, in pluribus continuum, vniuſque ſubſtantiæ penes ſupercilia cauæ,
duriuſculæ ve, in aliquibus verò in duas partes rectas ſectum ob ſagittæ ſimilis ſuturæ vinculum ad na
ἰσθμοειδής. ſi terminum vſque, vbi os illud reperitur, à Græcis iſthmoides dictum, & hac parte cognoſcentis animę
potentia, phantaſia, communiſq; ſenſus reponitur, os iſtud debile, ac ſubtile eſt, magis tenue vertice,
& occipitio, eiuſq; vulnera quandoque ſalubria atteſtatur experimentum, cum ſedis occaſione facilè
per quamplurima vaſa, ac diuerſos meatus expurgari valeat, formaq; ſua orbiculari telorum generibus
omnibus obſiſtat, quamuis ſecus crediderit Hippocrates; At ſumma pars vertex, & cacumen, oſſa pa-
rietalia, & temporũ à Latinis, à Græcis Bregma, & Corypha, ab Arabibus Alema, & Zeudech nuncupa-
βρέγμα. tur, ſuturæ in ſagittæ morem rectitudine, finditur, ſedes diſcurſus, ſeu componentis, ac diuidentis ani-
κορυφή. mæ facultatis, vt aiunt, integumentum; figura eſt tetragona duarum laminum, ſoliditatis non exqui-
ſitæ, interdum admodum debiles, tenues, & cauæ, vt in nuper natis videre expedit, qui in reſpira-
tione, ac lactis ſuctione eam partem potiſſimum mouent, quæ vulgo molamen vocitatur. ibique cùm
nuſquam ſuturæ laxius hæreant, & capitis pars tenuiſſima ſit, cauteria vel candeſcente ferro, vel auro,
vel adurente quopiã medicamine pro alicuius effectus ratione, ſed parũ tutò interdũ, exiguaq; adeo vtî
litate nonnulli adhibẽt. circunſcribuntur autẽ anterius à frõtis oſſe ſutura coronali media, poſterius ve-
rò à collotolæ oſſe ſeu occipitio, ſutura lambdali mediãte, à lateribus quoque ſquammoſis illis ſuturis
qua

qua parte ſolidiora exiſtunt, vti poſterius ob oſſium craſſiorum, ſolidorumq́; conterminum. Huius ſedis vulnera non leuis ſunt negotij, præſertim ſi inter frontem, & verticem occurrant;nam hic pauciſſima, tenuiſſimaque carne tegitur, atque ibi ſuturæ laxæ ſunt, & plurimum cerebri ſubeſt: Poſterior capitis locus,Græcè, inion,& opiſtrocranion,Arabicè hezen hahoreph, Latinè os occipitis, occi- ἰνίον. pitij, lambdæ, puppis, pixis, & os memoriæ appellatur, cui cerebellum ſupponitur, fons, & origo ſpinalis medullæ, ac neruorum omnium ſolidorum initium, corpori vniuerſo ſenſum, motumq́; deferentium; vbi etiam recordandi, ac rerum compoſitionem, & diuiſionem ſeruandi facultas viget: vnicum quidem eſt hoc os, quod ſignatur ſutura lambdoide,infimum, craſſius, cæteriſq; maius, ſolidiſſimum, & inæquale,vt partem valde nobilem tueatur, ac vt poſterius, deficiente oculorum vſu, tutius in noxarum generibus ſe habeat; quapropter quę huic eueniunt vulnera ,minus lęthalia eſſe creduntur: laterales partes penes oculorum angulos externos,Græcè crotaphites, & lapidoides, Latinè oſſa temporum,& tempora, Arabicè hezendachin, quę ſquammoſas commiſſuras ambiunt,ſubtilia, inæqualia, κροταφῖτες. ſed ſolida oſſa ſunt; cæterum ſolutiones continui huic parti occurrentes, læthales iudicantur, vbi do- λεπιδοειδῆς. lores, & conuulſiones ob muſculi illius ſedis nimium ſenſum, ac arteriarum, venarum, & neruorum copiam, ſæpe patientem infeſtant, contigua oſſibus petroſis exiſtunt: Nec oſſa lateralia, eminentia, Græci zygomata, Latinè paria, & iugalia ob id appellata, quòd boum iugis comparantur, contemni ζυγώματα. debent;namque eorum initij fracturæ penes angulum externum oculi, temporalis oſſis inferiori parti cohærentes, cum inſignes fuerint, ob eorum alligationem, & conſenſum cum inferiore maxilla, & quia temporum muſculis idoneo propugnaculo ſunt, periculo, ac ambiguitate haudquaquam vacant: Verumtamen,vt quæ hactenus dicta ſunt,lucidiora reddantur, typis exculptas capitis figuras inſpiciamus,aptiſsimas(noſtra quidem ſententia)prędictorum ſermonum explanationi.Osſium igitur ſex numero quantitatem, formam, & ſitum, characteribus grandiuſculis ſignatorum, prima oſtendit figura, quorum omnium nomina in margine impreſſa leguntur: In ſecunda, ſuturas tres ſerratas, notabiliores, veraſq́; deſcripſimus, quæ in cranio naturalem figuram ſeruante, coeuntes hanc effigiem Ɔ---C propemodum formant, aut fortaſſe(vt aliqui credunt)ſimillimam literæ Græcæ X, ſed potius talem Ɔ---Ɔ verius tamen latinam noſtram maiuſculam H. pariter etiam duas laterum notas, mendoſas, aut ſquammoſas, delineauimus; ſingulatim verò quæ in ſede anteriori apparet,obliquè procedês verſus angulos oculorum externos, vbi coronæ locantur, Græcè à rotunditate ſtephanica, Arabicè hachlilij, Latinè coronalis dicitur,quanquam ab arcus effigie vulgo arcuata, arcualis, & ſutura proræ nuncupatur; At recta,lata, Græcè obeliæa, Arabicè zeudech, Latinè media & recta, ac ob talem for- στεφανιαῖα. mam latiore vocabulo ſagittalis dicta, partem Caluariæ dextram à ſiniſtra ſeiungit: Quæ poſterius lo- ὀβελιαῖα. catur, à litera Græcæ Λ, imagine lambdoidis,& hipſyloidis nomine pronuntiatur, Arabicè lamdij, & Latinè lambda, lambdalis, & voce corrupta lauda, & puppis: Reliquæ verò commiſſuræ, quarũ vna ab infima lambdæ ſede ſurſum aſcendens,quaſi inſtar ſemicirculi ſupra aures ad coronalis ſuturæ terminum perrepit, à Græcis crotaphię, à Latinis lapideæ, & vulgo petroſæ dictæ ſunt, ac ob ſoliditatem forſan ſquammarum ſubintrantium,quibus inuicem compingũtur. Hippocrates ſuturarum nomen ab eis auferre videtur, & à ſquammarum ſimilitudine ſquãmoſas conglutinationes appellat: Tertia ſagittalem ſuturam per frontis medium ad ſupercilia, & naſi ſummum vſque, deſcendere in quibuſdam caluarijs tùm virorum,tùm mulierum commõſtrat, quæ pariter in pueris ad ſeptimum vſque annum manifeſtè dignoſcitur. Huiuſmodi enim ſuturæ in naturali capite annotantur, verùm in aliquibus grandiores, ac laxiores, in alijs exiliores, & magis compactę videntur. Capita autem naturalia vocamus ſphærica, cum ad iniurias repellendas figura talis idonea ſit, paulò vtrinque depreſſa, poſterius aliquantulum prominentia, in vertice plana, vt in prima figura patet, quemadmodum in ſecunda ſuturę ipſę delineatæ inſpici poſſunt: Hęc euariant in capitibus per accidens alteratis,vt Genuenſium, Græcorum, & Turcarum, modò à naturalibus plurimum non deflectant; In capitibus verò ab hac forma euariantibus, quę non naturalia cenſentur, quatuor varias formas, ſiue ſuturarum imagines, & ſi raro eas ſpectare contingat, annotauimus,quarũ Hippocrates tantùm meminiſſe videtur, dum inquit, hominum capita nihil inter ſe ſimile habent, neque ſuturæ capitis in omnibus eodẽ modo conſiſtunt: verùm quiſquis ex priore capitis parte prominentiam habet, vt in quarta figura,ex ſagittali & coronali formatur,obiectiuè intuẽti litera talis ⊥,deficiẽte tuberoſitate poſteriori,deducta nimirũ à coronali ſagittali ipſa vſque ad ceruices; contra verò cũ anterior prominentia perit, poſteriori eleuata, vt in quinta figura, eędem ſuturæ in formam literæ T ſe habent, adeò vt iam coronali deleta, ſagittalis à lambdoide orta rectâ feratur vſque ad naſi ſummum: quòd ſi prominentia vtraque iam deperdita ſit, vertex eleuatur, his coronali,& lambdoide obliterata, iuxta medium efformatur ✝ Ex ſagittali cranium ſecundum longitudinem ſignante, & ex altera tranſuerſa interſecante,vt ſexta figura notatur, & Therſitis caput oſtendebat. Quartam non naturalis capitis figurã addit Hippocrates, in qua anterior, & poſterior ſedes extuberat media abolita, hæc oblongiora exiſtunt, vt ſeptima figura obſeruat, in quibus cum cerebri operationes quędam deprauentur, vita haud quaquam ſeruari poteſt: Sunt qui capita in latera ad vtranque aurem inſigniora, quàm in anteriori,poſterioriq́ue ſede,prominere autumẽt, vt Indorum ex Peru,quod octaua figura percipitur,quorum ſuturæ, valde differentes,inordinatas effi-


gies ſeruant: quæ quoniam animo concipi poſſunt, & re vera non inueniuntur, fuerunt ab Hippocrate ſilentio prætermiſſę: Capita etiam valde magna reſpectu vniuerſi corporis viſa ſunt, vt Nicomachi caput fuiſſe fertur, innumeraque formarum genera à naturalibus ſub diuerſo cœlo ſunt perſpecta, quę tanquam mõſtroſa omittenda videntur. Nos verò nuſquàm huiuſmodi ſuturarum varias ſpecies, (quanquam capita monſtroſa diuerſa, & cimiterijs,& anatomicis adminiſtrationibus pernotauerimus) inuenire potuimus, ſed ferè ſemper naturales, aut naturalibus non admodum abſimiles perſpeximus: Nona quidem figura membranæ craſſæ ſubcingentis, vulgo dura mater dictę, à qua neruea tunica exterius caluariam cingens, emanat, formam, & ſitum inſpicere poterimus. Decima verò eſt, in qua ſuperficiei forma, ac cerebri magnitudo, & ſitus apparet, animæ ratiocinatricis domicilium, neruorũ, & ſenſus omnis, motusq́; voluntarij principium; ſed quia tunica ſeruans, Siphac, ſecundina, & pia mater vulgo dicta, adeo tenuis, vt ſit vel araneorum tunicis debilior, adamuſim delineari non poteſt, propterea eius effigiem prætermiſimus. nitantur igitur anatomes ſtudioſi ipſam re ipſa cognoſcere; Nec ab re factum hoc putamus, dum capitum formarum, ſuturarumq; in his noſtris enarrationibus de vulneribus capitis, & caluariæ curatione differentias ſcrutari volumus; nam eò tendimus, vt Chirurgi caluariam ferreis inſtrumentis tractantes, tutò, ac quàm minimo cum ſtrepitu, & dolore, operẽtur, has varias figuras diligenter animaduertentes, & capitum conditiones diuerſas conſiderantes, quarum meminit Hippocrates libro de caluariæ curatione, & libro quinto, & ſeptimo de Morbis popularibus, Ariſtoteles libro primo de hiſtoria animalium, capite decimo ſexto, Celſus libro octauo cap. primo, Galenus libro de oſſibus capite primo, libro nono de vſu partium, capite decimo ſeptimo, & commentario primo libri ſexti epidemiarum, commẽto trigeſimo ſeptimo, & Auicenna prima primi, Doctrina quinta, capite ſecundo, & prima tertij, tractatu tertio, capite vndecimo, & hęc à nobis diuturno vſu, & longa experientia ſunt obſeruata.

CRANIORVM IMAGINES, QVORVM HISTORIA SVPERIVS ENARRATVR.


I.

A. Os frontis vnicũ, metropon Græcè. Latinè coronale, & vulgò prora vocatur.
B. Oſſa duo Bregmatis Græcè, ſincipitis Latinè, & vulgò parietalia.
C. Oſſa duo ab inſigni duritie Græcè lithoidea, Latinè lapidoſa, & vulgò petroſa.
D. Oſſa duo imbecillia, & tenuia, Græcè crotaphites, Latinè temporum, & vulgò le tempie.
E. Os occipitis vnicum, dẽſiſſimum, & firmiſſimum, vulgò la coppa
F. Oſſa duo zigoides Græcè, & Latinè iugalia, ſiue paria.

PRIMA.



SECVNDA.




II.

A. Sutura ſtephagnita Græcè, coronalis Latinè, & vulgò arcuata.
B. Sutura obeliea Gręcè, recta Latinè, & vulgò ſagittalis.
C. Sutura lambdoidis Græcè, Latinè lambdæ, & vulgò laudæ.
D. Sutura crotaphiæ Græcè, mendoſa Latinè, & vulgò lapidoſa dicta, rectius tamen ſquammoſa conglutinatio eſſet appellanda.


III.

Caluaria, in qua ſagittalis ſutura in aliquibus per mediam frontẽ vſque ad naſi ſummũ deſcendere videtur, & frontem ipſam ſecans inter ſupercilia ſinitur.

TERTIA.



QVARTA.




IIII.

Caluaria anterius eminens, poſterius depreſſa, in qua ex coronali, & ſagittali ſutura efformatur I literæ aduerſæ ſimilis, lambdoide abolita.


V.

Caluaria, in qua anterior eminentia perit, ſeruata poſteriori, & coronalis ſutura aboletur, ſeruata lãbda, quæ cum ſagittali T literæ imaginem refert.

QVINTA.



SEXTA.




VI.

Caluaria anteriori, poſteriorique eminentiæ conciſa, vertice paulò ſubleuata, in qua binæ quę videntur, ſuturę ad rectos angulos ſe inuicem interſectæ literam X repræſentant.

SEP-

VII. SEPTIMA.

Caluaria anterius, ac poſterius extuberans, vertice deſidente, fictaq; credita, cum viuere deficientibus multis cerebri operationibus nequeat.



OCTAVA. VIII.



Caluaria iuxta tempora eminentias gerens monſtroſa & exili vita, quæ animo concipi poteſt, ſed re vera non inueniri.

IX. NONA.

Delineauimus etiam ſitum, & formam craſſæ meningis, vulgo dura mater dictæ, duplici tunica contextæ, cui arteriæ, ac venæ quamplurimæ interponuntur, motum ipſi perpetuò præſtantes; ab ea etiã pericranion ortum ducit.



DECIMA. X.



Poſtremò quanta ſit cerebri moles alba, tenuis, & inæqualis, vndique caluariã replens, hac figura ſignatur: deficit autem ob ſui tenuitatẽ mollis tunica, pia mater vulgo dicta, q̃ ob tenuiſsimam eius ſubſtantiam delineari non poteſt, ideò realiter inſpiciẽda venit.

VNDECIMA. XI.

Clype⁹, ſiue Galea, aut pars Cranij ſuperior ex anatome orbiculatim ſerra diſſecta, atq; diuulſa.




DVODECIMA. XII.

Oſſa caluariæ proprijs ſuturis diſiunctá.



TERTIADECIMA. XIII.

Oſſa caluariȩ à modiolo ſublata, in quibus & laminarum, & meditullij ſubſtãtia inſpici poteſt.



De eſſentia Vulnerum capitis, ac fracturarum caluariæ, earumq; differentijs. Cap. II.

CAPVT nobiliſsimum quidem, ac ſupremum humani corporis membrum, cum ſe nullo propugnaculi genere tueatur, ab vna quauis euidenti cauſa, & quæ extrinſecus venit, Græcè procatarctica dicta, facillimè affligi poteſt, nempe vulneribus, contuſionibus, & fracturis, quemadmodũ [a] etiam ab internis, ortis nimirũ in eo inflammationibus, aut cùm ab humorum acuitate, eius oſſa tumore, aut teredine moleſtantur, vel dum [b] ex magna vaporoſæ humiditatis copia, vel craſsi flatus abundantia ſub caluaria, aut in eius cauitatibus contenta, ex vehementi motu virtutis expultricis, oſſa ipſa ſciſſa, aut ſuturæ diſiunctȩ appareant, ægritudo ſanè pernitioſa, quam ſubſequuntur poſtea affectus, aut nunquam, aut difficillimè ſanabiles, de quibus inſtituti noſtri non eſt, in præſentia ſermonem habere: verùm vt amicis noſtris gratificemur, ac multorum ſaluti, omnibus profectò caducis rebus præponendæ, conſulamus, nec non etiam vtilitatem quandam, commodumq; ex his inſtitutionibus, qualeſcunque ſint, Chirurgiæ incumbentes conſequantur, has lucubrationes noſtras in lucem edimus. Cùm itaque de humani capitis vulneribus, ac caluariæ fracturis ſermocinaturi ſimus, cumq; etiam prædictorum affectuum naturam, quam iſti eſſentiam vocant, curationeſue deſcribere intendamus, prius quidem, quot vulnerum, & fracturarum genera multifariam, varijsq; cauſis caput ipſum inuadant, haud ignorare neceſſe eſt. Poſtmodum, quonam pacto inuicem differant, ac quibus vocibus ab antiquis deſignata ſint; deinde quibus indicijs, rationibuſque mortem, aut vitam præſagire conueniat. Poſtremò horum affectuum curationem tum vniuerſalem, tum etiam particularem oſtendemus, atque terminis notis antiquorum operationes, medicamenta, & inſtrumẽta, necnon à recentioribus ſedulò, ac ſtudioſè inuenta in ordinẽ redigemus, Auicẽnæ [c] principis curatiuas indicationes, Hippocratis [d], Celſi [e], ac Galeni [f] teſtimonijs comprobantes: Quod autem ad vulnerum, ac fracturarum capitis diuerſitatem attinet, dicimus [g] omne vulnus aut exteriorem duntaxat partem extra caluariam, cutim ſcilicet, offendere, quo ſimplex inciſio, aut ſola contuſio, aut punctura, vel abraſio, aut ſubſtantiæ diminutio quædam efficitur: aut pãniculum carnoſum, vel muſculorum ſubſtantiam (& ſi nullibi, prȩterquam in temporibus, ſui eſſentia latè pateat, adeo vt ægrè percipiatur) afficere: vel etiam penitius delatum caluariæ inuolucrum pericranion dictum opprimere, vel adhuc caluariam leuiter corripere, interdum etiam ad medullaris ſubſtantiæ ſedem vſque figi, vel inferiorem caluariæ partem, diploidem ſcilicet, lædere, ſæpe etiã caluariam ſubingrediens, tunicam craſſam vnà cum membrana tenuiſsima, cerebrumq; excruciare. Ex quo mortem languentes oppetere neceſſarium eſt. At ſi corpus aliquod ſolidum, graue, & obtuſum

a ¶ Gale. 2. de morb. cauſis. in fine. & 4. meth. cap. 1. Auic. 2. 1. ſum. 2. cap. 16.

b ¶ Hipp. lib. de offi. m. in fine. & primo epide. in filio plateȩ. Aet. lib. 6. c. 25. Pau. lib. 3. ca. 7. Auic. 1. 3. tra. 2. cap. 3. & tra. 3. ca. 1. & 4. & 3. 4. tra. 2. c. 20. Albu. lib. 2. cap. 1.

c ¶ 5. 4. tra. 3. c. 1

d ¶ Lib. de calua. curat.

e ¶ Lib. 8. cap. 4.

f ¶ 6. meth. cap. vlt.

g ¶ Hipp. lib. de calua. cura. Gal. 6. meth. cap. 6. Auic. 1. 3. tra. 2. ca. 3. & tra. 3. ca. 14.

capiti obeſſe contingat,frangitur interdum os,& paſsio talis Græcè catagma,& ſpaſma,Latinè contuſio dicitur,ſed potius, quia affectus oſsis eſt, [a] fractura vocari debet: Porrò fracturarum variæ formę, ac differentiæ occurrere ſolent; nam flectuntur ſępe,ac comprimuntur oſſa caluarię abſque vlla apparente fractura,aut rima,vt in pueris contingere ſolet; quandoque, etſi raro,ſecundùm partem flectuntur, & altera parte franguntur,interdum etiam fruſtatim atteruntur,vti quotidiè explorat chirurga manus. Cæterùm [b] cum ea vulnera,quę cutem tantũ oſtendunt, ſimplicisſima ſint,nec medico,nec medicamentorum ope egeant, ſilentio hic prætereunda videntur;& ea pariter, quæ ad pericranium vſque conſcendunt(quia ob eorum facilem curationem ſimplicia identidem creduntur)breui oratione tranſigenda ſunt, ſiquidem [c] Scopus noſter, & finis eſt de capitis vulneribus compoſitis, ac caluarię fracturis ſermonem habere; Et cùm ex medicorum [d] omnium ſententia,morbi vniuſcuiuſque curationis initium ab eius morbi eſſentia ſumendum ſit,neminem latere debet,bifariam vulnerum,ac fracturarum eſſentiam Chirurgum ſpeculari,vel quò ad eorum ſimplicitatem & compoſitionem, & hæ penes vulneris diſpoſitiones attenduntur, vel quò ad partem ipſum vulnus ſuſcipientem: Porrò [e] ſimplex vulnus illud eſt, quod nec morbus alter,vt inflammatio,aut fractura,nec ſymptoma diuerſum,vt intemperies,aut dolor,nec propria cauſa, vt telorum genus aliquod, nempe lapis,ſagitta,aut quid ſimile comitatur: contra verò illud compoſitum eſt, quod horũ aliquid aſſociatur. Denuò [f] vulnus illud ſimplex eſt,quod ſimplicem,ſeu ſimilarem particulam ſolùm afficit, ac dum curatur vno ſimplici tãtùm medio, cura abſoluitur; Compoſitum verò,quod organicum membrum ex ſimplicioribus cõcretum occupat, adeò vt ſimul varię corporis partes actionibus diuerſis inſeruientes lædantur, intentiones multiplices in eorum curatione requirentes. Etenim [g] vulnus ſic definitum eſt,vt ſit morbus in vnitate, ſimpliciũ, & compoſitorum membrorum communis,ab extrinſeca cauſa continuum ſoluente productus, quanquam elegantius fortaſsis peritus Chirurgus vulnerum eſſentiam iuxta eius ſimplicitatem,& compoſitionem perpendat, methodum, ſeu curandi rationem ab huiuſcemodi conſideratione aſſumens, quemadmodum in ſequentibus,dum circa fractam caluariam verſabimur, cognoſcere poterimus. Caluariæ itaque fracturę à formarum differentia nomina ſibi diuerſa ſortiuntur, vti ordine quodam formarum copiam,& varias fracturarum ſpecies ſeniores medici deſcripſere. Nos verò multas tanquam ſuperuacaneas dimittemus, illas duntaxat enumerantes,quæ frequentius occurrunt,ac Chirurgo maius negotium faceſſunt,in hoc Hippocratem imitati,qui à nominum caterua in fracta caluaria abſtinuit, quem ſecutus eſt pariter Gal.& ad ternarium numerum,nempe ad ſciſſuram, contuſionem, & fracturam ea omnia redegit,quaſi partes ad genera, aut quaſi cõpoſita ad ſimplicia,attamẽ quinque tanquam magis acceptas, & notabiliores his vocibus appellatas aſſumemus: FISSVRAM, ſiue SEDEM, RIMAM, ELEVATIONEM, COLLISIONEM, ET OPPOSITIONEM, ſi quidem caluarię os pro teli ictus, atq; oſsis varietate variè frangi ſolet, ſuntq́ vniuſcuiuſque modi ſpecies plures; & vt à prima, vt pote ſimpliciori, anguſtiori, leuioriquè exordiamur, cum ab acuta exactè teli acie fractura in oſſe imprimatur,ac ſenſus viſus ferè effugiat,& tantùm veſtigium eorum,quibus inflicta plaga eſt,apparet,à Gręcis Rhogme, ab Arabibus Ragamia,& à Latinis fiſſura,inciſio,& ſedes dicitur. potiſsimum verò ſedes vocatur, vbi oſſe in ſuo ſtatu manente,qua parte telum inſederit, videre licet, quamuis ſemper ſenſui anguſta appareat;namque ſedes ex Galeni [h] ſententia recta, & anguſta ſuperficiei oſsis interciſio eſt,& Paulo [i] Aegineta authore, Rhogme leuis caluariæ inciſio eſt,in qua nequaquam os vitiatum foras emouetur,ſed remanet in ſua natura: Huic à capillorum imagine capillationem, ſeu capillarem fracturam Albucaſis interpres,& ipſum ſequuta Chirurgorum recentium turba nomen impoſuit. Hæc, dum intima petit,aut diploidem lędit,Trichiſmos Græcè vocatur,quam Paulus arctiſsimam Rhogmẽ eſſe affirmat,qua ob ſui anguſtiam, & altitudinem ſępe ſenſus decipitur,quò fit,vt obſtruſa grauiſsimorũ ſymptomatum,mortisq; cauſa exiſtat. Hęc fracturarum caluarię vna ſpecies eſt,ſecundum magis, & minus varietatem ſuſcipiens;nam & tenuiores, & tenuiſsimę, & longiores, & breuiores, & rectiores,& curuiores,& magis,& minus profundæ oſsis fiunt ruptiones & fiſſuræ, quæ nec ſtatim poſt percuſsionem,neq; in his diebus, quibus laborũ auxiliũ adeſſe poteſt, apparent: Secundã fracturæ ſpeciem, Rimam dictã, quæ fermè ſemper contuſioni adiuncta eſt,quadrifariam rimari poſſumus, vel enim à corpore graui, obtuſo, non incidente,os frangitur,quo fit vt Rima tantùm appareat,aut in plures partes os atteratur, & ſuã non ſeruat naturã,cũ detruditur intro,vel extruditur extra, & ob id ſępe meningę internè afficiãtur, Gręcè [k] Ecpieſma, quaſi compreſsio ſeu eſtractio, Arabicè Antica, Latinè Rima, fiſsio, & fractio vocitatur,hoc in adultis euenire ſolet,& vbi caluaria induruerit. At ſi Rima in oſſe duro,diuiſio,ſeu fractio quædã tenuis ſit,circunquaq; cõtuſione aliqua circundata,ſicut interdũ exterior lamina tantũ,qñq; interior, ſæpe vtraq; Rimã,pręſertim in ſincipite,cõtrahat,& in hoc affectu ſecũda lamina à prima hiat, & iuxta mediũ meningas cõprimens nocumenta grauia inferat, potiſsimũ dum exteriorẽ laminã incolumẽ arbitrati,internã perennẽ magis credimus,& paulò poſt languẽtes dies ſuos claudunt,Græci [l] hãc fracturã Engiſoma, & Engiſomata,quaſi inhærentia,ſeu corporum appropinquatio, Arabes Manuſis, & Moneſis,& Latini diſtractionem, & ſeparationem nominant, potiſsimum vbi os perpeſſum ita infra ſanum ſubſidet,vt membranam cerebri contingat;ob id Paulus dicebat, engiſoma caluę, ictus eſt, in quo os vitiatum ad interiorem cerebri membranam deſcenderit; negantibus autem hanc fracturæ ſpeciem,

a ¶ Gale. in lib. Hippo. de fract. com. 1. li. de cõſti. ar. m. cap. 6. lib. artis par. m. cap. 91. lib. 2. de mor. cau. ca. vlt. & 4. meth. c. 1. Pau. li. 6. ca. 89. Aui. 2. 1. ca. 4. et 5. 4. tra. 2. c. 1.

b ¶ Gal. 3. met. cap. 2.

c ¶ Gal. 2. met. cap. 6. & lib. de ſectis. cap. 1.

d ¶ Hipp. lib. 1. de morbis, Celſus in ſuo prohęmio. Gale. 4. meth. c. 1. Aui. 4. 1. cap. 1.

e ¶ Gal. lib. ar. par. m. ca. 90. 3. meth. c. 4. Aui. 2. 1. cap. 2.

f ¶ Gale. lib. ar. par. m. ca. 92. 4. met. cap. 1.

g ¶ Gale. lib. ar. par. m. ca. 88. 1. de mor. diff. ca. 3. 1. de mor. & ſympt. cap. 2. 3. meth. ca. 4. Aui. 2. 1. cap. 2.

ῥωγμὴ.

h ¶ 6. meth. c. 6. & lib. de medicis diffinit.

i ¶ Lib. 6. ca. 90

τριχισμὸς.

k ¶ Gale. lib. de diff. medi. Pau. lib. 6. cap. 90.

ἐκπίεσμα.

l ¶ Gale lib. de diff. m. & li. 2. de mor. cau. in fine Pau. lib. 6. c. 90.

ciem, reſpondemus [a] capitis oſſa internè molliora eſſe, externè verò in vtraque ſuperficie duriora; & hinc efficitur [b], vt quandoque findantur, interdum vt deſidant, ſi quidem externa ſuperficies in eodem ictu in ſe ipſam cedere poteſt, interna verò non, ſed Rimam cotrahit. Alia lætalis fractura illa eſt, cùm ex ictu vehementi à telo graui, & obtuſo oſſa caluariæ proprijs ſuturis diſiunguntur, aut fruſtatim diuiſa, inuicem compinguntur, vt inſigniori fractura, diplois ipſa à prima lamina afficitur, vnde poſtea, & cauitates, & ſinus inæquales in ea apparent, & membranæ internæ raró noxam euadere poſſunt. nam teſte Hippocrate ſutura, quæ nudato oſſe in plaga conſpicitur, quacunque parte capitis vulnerata, telum ſuturę inſederit, ad reſiſtendũ & ictui, & telo infirmiſsima eſt, pręcipuè coronalis, quæ inter frontem, & verticem ſituatur, vbi caput infirmiſsimum eſſe demonſtrat anatome: [c] Græcè talis fractura Camaroſis, & Camaromata, vbi oſſa in teſtudinis formã, & quaſi camerata videntur, Arabicè cutamotos, Latinè cameratio, & abſconſio dicitur. de hac (quia raró occurrit) nullum verbum protulit Hippocrates, quæ tamẽ interdum ſenſibus dignoſcitur, interdum etiam omnino latitat. Tertia fracturę ſpecies nimirum ad eundem modum in triplici differentia ſe habet; nam telum ſecans, vel cranij ſuperficiem ſignat, fruſtulum oſsis diuidens, quod vndique eleuatur, & recedit à proprio loco, Græcè Apoſceparniſmos, Arabicè Alberia, Latinè rimularis fractura nuncupatur, quę anguſtiſsima Rima eſt totum os ſecans; vel à telo oſsis ſuperficies exciditur, ſed non vndique ſeparatur, & alicui parti adhęret, Græcè [d] Encope, & Diacope, Arabicè Angin, Albucaſi excepto, cui libuit Klaham ipſam nominare, Latinè exciſio, & eleuatio vocatur; vel etiam profundius telum imprimitur, & os ſic eleuatur, vt membrana, cerebri inuolucrũ pateat, Græcè eadem voce Apoſceparniſmos, Arabicè apoſtatiſmos, Latinè comminutio, & more Albucaſis Aſcialis fractura nuncupatur, ab effectus fortaſſe ſimilitudine inſtrumenti ſecuris Aſcię, vocitati in lignorum ſuperficie. Quarta fracturæ ſpecies, quę ferè ſemper ſenſibus occultatur, pariter ſub tribus modis videri ſolet, & ſi in eadẽ cauſa contũdente conueniant, quorum primus immeritò fracturæ nomen adeptus eſt, cum in eo nullam continui ſolutionem dignoſci fas ſit, ſed os duntaxat inflexũ, ſed non ruptum, in ſua ſubſtantia molli contracta appareat; quippe neceſſarium eſt, quòd id, quod cõtunditur, ſi molle fuerit, vt loco cedat corpori contundenti, & comprimatur in ſua ſubſtantia abſque fractura. ſi verò durum, vt recedat à proprio loco, & ibi Rima adſit aut manifeſta, aut occulta. Hoc, teſte Hippocrate, puerorum capita, oſſaq; mollia, ac natura humida oſtendunt. quod à Galeno [e] ſub his verbis declaratur. Colliſio magna ex parte accidit in carne, quanquam nonnunquam & in oſſe euenire videtur, idq; maximè in pueris, ſiquidẽ oportet, vt in ſe ſe cogatur omnino id, quod colliditur, atque ita ſit molle, vt abſolutam duritiem non aſſequatur. ſimilem quandã imaginem huiuſcemodi colliſionis vaſa ænea, aut plumbea referunt, dum à ſolidiori corpore violentia quadam impinguntur. nam abſque fractura, contuſa pars decidit, ibiq; cauitas quædam percipitur, quia os in interiora deflectitur. cum hæc igitur humanæ caluariæ accidit Græcè [f] Tlaſma, & Tlaſis; Arabicè Alchafad, Latinè colliſio, impulſio, & inflexio vocari ſolet. Itaque hanc intelligens Hippocrates ait, oſſa contuſa ſæpe in ſui ipſius natura remanent, verùm fracturæ ſpeciem nullam oculis intuenti agnoſcere datur, quali nam ſpecie, & quanta magnitudine exiſtat. Secunda differentia eſt, dum vnà cum colliſione fiſſuræ, aut Rimæ conſpicuè dignoſcantur, vel latentes in ipſa ſola diploide introcedunt, Gręcè Entlaſis, Arabicè Heſlema, Latinè infractio dicta eſt, quę ad mentem Hippocratis cum maiori, & minori oſsis parte introcedere poteſt, & magis, ac deorſum profundius, & minus, ac magis in ſuperficie: verùm in ſingulis modis plures ſpecies fiunt; nam ſquammæ iuxta longitudinem, breuitatem, craſsitiem, & tenuitatem, varietatem ſuſcipiunt, prout etiam teli figura, ac magnitudo fuerit; porrò telum non modò id, quod alterũ percutit, aut vulnerat, ſed quod ſuper hominem cadit, vel ſuper quod ipſe incidit, intelligi debet. ideò ſi graue erit, caluariã deprimit orbiculari compreſsione, adeò vt vndiq; à parte ſana compreſſa ſegregatur, quandoque verò ſecundũ partem ſano adhæret, quippe etiam comprimi contingit, & à ſano parum in parte diſiungitur, quæ omnes fracturæ perpetuò cum contuſione à validis cauſis imprimuntur. Tertia iſtarum colliſionum differentia fit, dum ſuperior lamina ſine oculata fractura comprimitur, inferiore fracturam manifeſtam patiente, in qua oſſa à ſui ipſius natura recedere dixit Hippocrates, & ipſum nondum nomen proprium huic indicaſſe aſſerit Galenus, ſed tantùm compoſitam fracturam eſſe, fuiſſe atteſtatum. nam ex Hippocrate ipſo caluariæ fracturæ, quæ ſex ſunt, ſub duplici modo formantur, quarum tres ſimplices ſunt, veluti ſectio, dum os à telo leui non acuminato ſecatur, & ibi ſedes remanet, aut tantùm colliditur abſq; Rima. Tertia eſt ſimplex Rima, quæ interdum latitat, interdum apertè dignoſcitur: Compoſitæ verò illę ſunt, quæ pręter oſsis fracturã, aliud morbi genus continere videntur, nempe id fit, ubi vnũ os in parte à propria ſede, aut eleuatur, aut deprimitur, aut ex toto dimouetur, aut dum in plures partes atteritur: calamitoſa verò, ac lętalis fractura illa eſt, quam Græci Apochema, & Latini oppoſitionem, hoc eſt oppoſitæ partis læſionem, appellant, cum caluaria violenter percutitur, & alia parte, dum non nimis diſtante à percuſsione, aut oppoſita (quod raró contingit) rumpitur, & ibi rima tantùm adeſt, & non ſedes, aut contuſio, quamquã ſecus crediderit Paulus, [g] qui Sorano alludens, cuius de fracta caluaria commentarij extant, inquit. Sunt qui his differentijs Apochema, quaſi dicas ab echo reſpõſionem addiderunt: ea eſt à contraria ictus parte facta caluariæ fractura: at falluntur hi, inquit Paulus, quoniam non fit in hominis calua, quemadmodum in vitreis vaſculis, vt illi credunt; & addit, illa ſiquidem

a ¶Hipp. lib. de calua. curat. Cel. lib. 8. ca. 4.
b ¶Cel. li. 8. c. 4.
c Gal. 6. meth. cap. vlt. & 8. de vſu part.
d ¶2. de cau. morborum ca. vlt.
e ¶2. de cau. morborum cap. vlt.
f ¶Gal. 2. de cauſis morb. ca. 11. & lib. de diff. medi.
g ¶lib. 6. c. 90.

dem vacua ſunt, ideò id patiuntur, calua autē hominis vndiq; plena,& alioquin ſolida eſt. hæc eſt Pauli ratio aduerſus Soranum,cui nonnulli recentiorum [a] ſuffragantur,addentes,ſuturarum vtilitatem fruſtrari, ſi à contraria ictus parte fractura concedatur. namque [b] capitis oſſa in ſuturis contigua, non autē continua ſunt,vt vaſa vitrea ſubſtantia fragili, eò enim in ſuturis conſtruendis natura tetendit,vt ſi parte aliqua oſsis noxa occurrerit,reliqua indemnis ſeruaretur,eſſetq; læſionis terminus ſutura ipſa;quocirca non dari tranſitum,nec alibi os frangi poſſe,minuſque parte oppoſita,autumant: negāt adhuc cucurbitæ exſiccatę exemplū, quæ leuiter quadam parte icta oppoſita frangitur ſenſibilis effectus collatione: cum ſint cucurbitæ corpora continua,& non plena,ſicut calua,atq; ex forti percuſsione extrinſeca percipitur impetus,& agitatio in aere,& ſubſtantia ſpiritu abundante in eius cauitate contenta,quæ exhalare nequit, & ex tali motu ſe reflectente ipſius aeris in cucurbita, contingit fractura alibi, quàm vbi icta eſt, aut in parte oppoſita: Nos autē veritati incumbentes, teſtimonijs ſcriptorum freti, experimentoq; ſenſibili confirmati, Pauli,ac eum ſequentium pace, contrarium oſtendere nitemur: atque primò Hippocratis authoritas [c] nos in hac ſentētia confirmat,dum inquit. Frangitur caluaria ſub vulnere alia parte,quàm vbi plaga eſt, & hic quintus fracturæ modus eſt;quod infortuniū vbi accidit,nihil eſt quod iuuare poſsit, quoniam vbi hoc malum ſit,nulla via deprehendere licet, homo ne id patiatur, & qua parte caluariæ. Idem Soranus [d] poſt Hippocratem ſentire apertiſsimè videtur, dum cucurbitam ſiccam, bacecam,vaſa vitrea,& tabulam aridam in exemplum adduxit,quæ omnia dum ſtrenuè aliqua parte percutiuntur,alibi,vel in oppoſita franguntur. Huic inhæret ſentētiæ Latinus Hippocrates Cornelius Celſus,[e] cum dicit. Solet etiam euenire, vt altera parte fuerit ictus,& os altera fiſſum ſit; itaque ſi grauiter aliquis percuſſus eſt, ſi mala indicia ſubſecuta ſunt,neq; ea parte,qua cutis ſecta eſt, rima reperitur,non incommodum eſt partem alteram conſiderare, nunquis locus mollior ſit, & tumeat, eumq; aperire,ſiquidem ibi os fiſſum reperietur,nec tamen magno negotio cutis ſanatur, etiā ſi fruſtra diſſecta eſt: equidem hæc teſtimonia grauiſsima ſunt,& luce ipſa clariora, quibus ad fatendum oppoſitionis fracturam, aut ſaltem alia parte,quàm vbi ictus accidit,præſertim ſi vehemens fuerit, inducimur: Hoc Galenus ſibi eueniſſe [f] bis, verbis ſimilibus atteſtatur. Nouimus aliquando ſincipitis os fractum, quod autē huic oſsi protinus ſuccedit,temporis os vocatur, in quo ipſas ſquammatim compactas commiſſuras eſſe accidit, in eo luculenta fractura longiſsimè pertinebat,quam ipſe equidem minimè contingens,ſed tantum ſincipitis os exicidens,hominem ſanaui; quod ſi ſincipitis os quoque dimiſiſſem,putruiſſet potius, quæ illi ſuberat cerebri membrana, quàm callum fractura duxiſſet. præterea nec Auicenna [g] ab hoc diſſentit, aſſerens ſæpè euenire,vt caluaria findatur cute ipſa illæſa,ibiq; inflammatio oriatur, quam ſecare neceſſarium ſit, vt oſsis fractura curari poſsit, & ne humores intercipiātur quoad tutus fueris de additione apoſtematis,aut illud ruptum inueneris,& appareat fractura vna.quādoque enim inde accidit error magnus,dum putatur,quòd non ſit fractura,niſi illa.Ex quibus verbis patet,Auicennę intentionem fuiſſe,oſſa etiam alibi,quàm vbi icta ſunt, frangi poſſe ,cum ex ſingulis ictibus plures fracturas dari contingat, non longè autem à plaga modò in hanc, modò in illam partem os frangitur: Recentiorum [h] verò plurimi, qui ſedulò Chirurgię incubuerunt,hoc pluries ſe vidiſſe,teſtantur,præſertim de Rima, non autem de ſede,aut contuſione verba habentes; quod & ſi rarò contingit, tamen impoſsibile ſaltem nō eſt. At rationibus Pauli, & eorum, qui eum ſequuntur, ſic reſpondemus, fatentes quidem caluariā continuam non eſſe, hoc eſt vnius integræ ſubſtantiæ,quamquam Herodotus, Ariſtoteles [i] & Celſus [k] ſine ſuturis capita viſa fuiſſe, affirment, præſertim in regionibus æſtuoſis: Nos verò Galenum [l] ſectantes,eiuſque rationibus moti,diu ſecus arbitrati ſumus, attamen caluariam ſine ſuturis apud Franciſcū Stabilem Neapolitanum,Philoſophum,& medicum excellentiſsimum perſpeximus, in ſimili enim hoc euenire facillimum eſt: in quibuſdam verò cranijs ſuturæ ſubſtantia contigua eſt,contiguitate adeò cōpacta,vt omnino continua appareat, ac difficillimè ſeparabilis,vt in quorundam ſenum capitibus videre eſt, in quibus oſſa caluariæ, pręterquam in temporibus,ita in ſuperficie inſeruntur, & propemodum vniuntur,vt vnum tantùm eſſe credantur,quemadmodum in cimiterijs, rectiuſque in anatomicis adminiſtrationibus, cum oſſa admodum exſiccata non ſint, inſpici poteſt. noſtrates etiam atteſtantur anatomici [m] multoties caluarias ſuturis ſenſum effugientibus, arctiſsimiſq;, vt vix agnoſci, ac diuelli poſsint, munitas,ſe inſpexiſſe. Non ne & Hippocrates, [n] dum caluariam terebrare vellet, ob ſuturarum anguſtiam ſe fuiſſe deceptum,fatetur? Præterea haud ab re eſt,vt caluarię membro quidem ſicco,ex vehemēti motu reflexiuo, illud euenire contingat, quod vitreis vaſculis, arido ligno, cucurbitæ ſiccę, & campanæ,quę alibi,quàm vbi icta ſunt, franguntur, nec mirum,ſi ex ingenti ictu oſſa internè dehiſcant.videmus enim vetuſta mœnia bellicis tormentis concuſſa quandoque interius, aut propinquius findi, præterquam quòd aer incluſus reſeretur,aut halitus ſpiritu plenus latitet. Quod verò ad ſuturarū vſus pertinet,non ob id ſic eas formatas à natura credimus,vt facilius caluaria, & ictus,& noxas euaderet.nanq; ſi vnico oſſe conſtaret,tutius ſe haberet,quàm ſi ex pluribus,inter quæ meninga ipſa dura ſuſpenditur, diſcrimenquè ſuturarum vulnerum haud quiſquam ſubiret.quę vulnera profectò,vt experientia docet, valde lætalia ſunt, rationabiliusquè credimus ſuturas durę membranæ eleuationi inſeruire, ne cerebrū illius craſsitie comprimatur, ac vt pericranion ab ipſa ortum,& per ipſam tranſiens caluariam vndique ambire poſsit,magiſuè vt vapores in corpore adaucti,cū natura ſublimia petāt, inde exhalare, ac diſſa

a ¶ Magnus Guido de Cauliago. Celebris Vidus Vidius Florentinus. Excellens Gabriel Falopius, Mutinenſis.

b ¶ Gal. 9. de vſu part. cap. 17.

c ¶ Li. de calua. curat.

d ¶ Lib. 8. de affect. capitis c. 4.

e ¶ Lib. 8. ca. 4.

f ¶ 6. meth. ca. vlt.

g ¶ 5. 4. tract. 3. cap.

h ¶ Nicolaus Florentinus, Gentilis de Fulgineo, Iacobus Carpenſis, Ioãnes de Vico

i ¶ Lib. de natura ani. cap. 7. & lib. 3. cap. 7.

K ¶ Lib. 8. ca. 1.

l ¶ 9. de vſu part. cap. 17.

m ¶ Mirabilis Andreas Veſalius, Diligens Realdus Columbus. Studioſus Gabriel Falopius.

n ¶ Lib. 5. & 7. epidemiarum.

ri

ri valeant: negamus demum caluariam vndique plenam perpetuò eſſe, quod verè in pluribus ſauciatis ſępe perſpeximus, idq; fieri poſſe atteſtatur Auicenna [a],& magis tempore nouilunij: Porrò fieri poteſt, vt Paulum,& eum ſecutos ſimiles fracturæ latuerint, nec(vti Soranus, Antillus, ac Mæges, Chirurgi proceres,quibus & noſtri temporis, qui peritiores habentur,ſubſcribi fas eſt, & qui quotidiè caluarias fractas pertractant,caſuſquè nouos,ac inopinatos agnoſcunt) eas cognouerint,nec [b] pro rationibus ſen ſum dimittere licet,qui in proprio obiecto decipi non ſolet,& in morbis externis rationes omnes antecellit: Sed,vt,vndè aberrauit oratio noſtra,reuertamur; Dicimus,præter hæc quinque fracturarum genera,eam reperiri,quę eo quia à telo acuto cauſatur,perforatio dicitur. Ex qua caluaria affecta,Medico negotium, languenti verò mors ipſa paratur. Quandoque etiam caluariam findi contingit,cute contuſa tantùm,quæ poſtmodum inflammata, dum ſibi curatio adhibetur,dimiſſa cranij fractura latente, nimirum os ipſum corrumpitur;ac dum pus conficitur,aut cum iam factum eſt,grauiſsima ſymptomata(vt pote rigores,febres,conuulſiones;& deſipere)ſubſequuntur,nec plurimi refert,ſi alicui huiuſmodi fractura impoſsibilis videatur ob inſitam oſsis duritiem magis fracturæ cute ipſa reſiſtentem, vt pote mollitenuiquè. nam abſurdum quidem eſſet,arbitrari cutem,& ſi ſenſum lateat,non frangi,diſrumpique,cũ fieri non poſsit inflammatio,medicorum [c] ſententia,ſine continui ſolutione. immo & intemperiem,& prauam compoſitionem adeſſe,neceſſe eſt.dicimus itaque affectum in cute reperiri, eumquè occultum: Interdum quoque occurrit,vt caluaria ingenti fractura laboret, noxa exili in cute exiſtente. Demùm [d] ex forti ictu euenit,vt cum quis in ruinis,aut præceps cadit,cute, & oſſe integro permanente,internè aut in cerebro,aut tunicis,illud veſtientibus venula,aut arteriola, aut nerui,quibus cerebrũ ſcatet,diſrũpantur, aut membranæ ipſæ ſub craneo cerebrum ambientes ab ipſo decedant,ſanguiſquè effundatur: qui [e] cum liberè exire nequeat,extra propria vaſa contentus,concreſcit,& paulatim putreſit,inde oriuntur inflammationes,rigores,conuulſiones,paralyſis,& mors. Ad eundem [f] modum corpora valida impetu concuſſa,vel ictu læſa,in ſpina afficiuntur,abrutoq; ibi neruo aliquo aut in ipſo cerebro,eadẽ ſymptomata naſcuntur,quę tandem mortis cauſa fore creduntur. Nos verò aliquos vidiſſe pollicemur,in capitis poſteriori ſede percuſſos,& ſæua apparuerunt accidentia, demum in quarta, aut ſeptima ſuperueniente magna ſanguinis per nares effuſione,ſuperſtites fuere,indiciũ quippe eſt oppoſitæ læſionis,ſecus verò in affectibus anterioribus,occurrere ſolet: Hæ itaque caluariæ fracturarum ſpecies ſunt, dignę quidem aſsidua conſideratione, quibuſdam leuibus affectibus omiſsis,veluti eſt oſsis caries, ſiue teredo,texodon Græcè dicta,cum nigredine afficitur,aut eroditur,aut dum & cetera oſſa [g] tumore aliquo vexantur, de quibus omnibus alibi ſermonem habituri ſumus:Porrò fracturarum caluariæ ſpecies Chirurgo cognitu neceſſarię hæ ſunt, quas Galenus ad trinum numerum reduxit,reliquę autem ad eas propemodum reducuntur,nempe ad ſciſſuram,contuſionem,& fracturam. Sunt poſtremò fracturarum caluarię differentiæ permultæ, à recentioribus perpenſæ,vtpote à telo incidente,aut à corpore contundente formam ſuſcipientes,vnde breues, longæ,rectæ, obliquæ, anguſtæ, latæ, orbiculares, trigonæ, extimæ,& altæ fieri ſolent.quarum omnium meminit Hippocrates,affirmans in earũ qualibet contuſionem adeſſe, aliter caluariam frangi non poſſe, propterea ſcriptum reliquit, caluariæ fracturas ratione & praxi indigere:ex his igitur,teſte eodem Hippocrate,quattuor fracturarum ſpecies aſſequimur, duas nempe manifeſtas,Sedem ſcilicet & depreſſionem,& totidem occultas,videlicet Rimam,& contuſionẽ; nec abſurdum putamus, nominum varietatem in medium adduxiſſe,& ſi parum ad curatiuas indicationes proficere videntur:eò enim tendimus,vt iuxta fracturarũ diuerſitatem,proprijs vocibus aſſignatam, opportuna inſtrumenta inuenire,ac in vſum ſeruare valeamus,quemadmodum, Deo maximo annuente,dum ſingulatim operandi modum docebimus,palam fiet.

a ¶4.1.cap.29.

b ¶ Ariſt. 1. de gener.& corru. textu 58.

c ¶ Gale.lib. de morb.& ſympt. ca. 12. Aui. 2. 1. ca.5.& 4. 4. tr. 2.ca.2.

d ¶ Gal.2. aphoriſ. com. 59. & 2. de cõpo.m.ſecũdum Gener. Cel.l.8.ca.4. Auic. 3.tra.2.c.4.

e ¶ Hipp.l.1.de morbis in prin. &6.aphoriſ.20.

f ¶ Gal.7 apho. com.59.Aet.li. 6.ca.45.

g Hipp. 1. de apho 74.Cel.li. 8.ca.2.&3.Gal. 7.aphor.com.2 55.& 74.

De cauſis fracturarum caluariæ. Cap. III.

QVONIAM [h] vulnerum capitis,ac fracturarum caluariæ cauſæ euidentes ſunt,aliunde nimirum venientes, procatarcticæ Græcè dictæ,ſenſibusque expoſitæ, nempe quæcunque per ſe continui ſolutionem efficere poſſunt,breui oratione abſoluendæ veniunt:attamen hoc vnum ſcire ſat erit, eas quidem eſſe,à quibus corpora noſtra nõ neceſſariò alterantur,queque poſt effectus impreſſionem,vnà non remanẽt, & [i] ob id in curatiuis indicationibus per ſe nullius conſiderationis eſſe ſolent,verũ nonnihil fracturarum eſſentiæ, & quantitatis cognitioni prodeſſe iudicantur:quocirca Hippocrates [k] & Celſus [l] ipſas tractarunt,afferentes,quòd ex ipſo corpore oriuntur,aut extrinſecus irruunt,& Galenus [m] de his ſermonem habens,ait,quòd vulnera,fracturæ ve omnes inciſione,contuſione, fractione, eroſione,& tenſione proueniunt.incidunt quippè arma,ac telorum genera acutæ aciei, vt enſis,gladius,aut quoduis aliud ſimile,contuſionem [n] facit,vbi graue aliquid obtuſum,& durum decidit violenter in corpus ſenſibile,& molle, quod quaſi carnem abrumpendo atterendi vim habet;vt ſubſtantia lapidea,aut lignea,aut oſſea,aut ferrea,aut ſimilis:ex Hippocrate verò,Telum illud eſt,quo alter alterum vulnerat,aut aliter offendit. & ait.In telo conſideratur pondus,& figura. pondus, prout graue, aut leue eſt,figura quatenus latum,aut anguſtum videtur,à lato,aut alterius figuræ,fit colliſio,aut fractura,

h ¶Hipp. lib.1. de mor.in prin. Cel.in ſuo proœmio Gal. lib. ar.par.m. ca. 85. 2. de cau. mor. cap.vlt.& lib. 1. de tuenda valetu. Aui.2.1.diſt. 2.ſu.2.cap.16.

i ¶ Gal.4.meth. cap.3.

k ¶ Lib.decalua. curat.

l ¶ Lib. 8. c. 4.

m ¶ 2. de cau. mor.in fine lib. ar.par.m.ca.80 & 5.meth ca.2.

n ¶ Gal.cõmentario 3. Hippo. de Officina Medici.

ra, ab anguſto inciſio,aut punctura. Frangunt pariter vel caſus ab alto, vel cum labentia corpora obtuſa,duraque ſedem identidem duram,ac inſenſibilem offendunt,eoque magis timendum eſt (ait Hippocrates)quantò caſus elatior exiſtit, ſoliumque durius eſt,& inæqualius.Erodunt oſſa caluariæ, ac putredines in eis inducunt humores acres,aut ſucci veneno præditi, aut gallica lue affecti, aut medicamenta indebitè,aut malo modo adhibita,ſæpe etiam & aer nos ambiens. Tenduntur verò,vel atteruntur oſſa, aut in ſuturis dehiſcunt,à corpore ſiue inſtrumento aliquo extendente,aut lacerante, vt in torturis, aut à craſſo flatu,vel malarum humiditatum copia,dum ſub tunicas,vel in oſsium poroſitatibus recludũtur, & vehementer extendunt,& eorum contiguitates harmonicas,aut propriam ſedem ſecludũt, quod etiã a tormentis bellicis euenire contingit.His quoque perforatio additur,acuto ac ſubtili telo infixa,nẽpè ſagitta,aut pugione,aut canũ,vel viperæ dente.ex quibus omnibus,aut ſimilibus animatis,& inanimatis corporibus hominis caluaria variè lædi ſolet.Telũ ſiquidem,ex Hippocrate,aliud collidit,& findit, aliud tãtum incidit,& in eo duo potiſsimum conſiderantur.nempe põdus(nã aliud graue,aliud leue) & figura; nam aliud latum,aliud anguſtum.Verùm quoniam ad aliquem affectum noſcendum,qui omnino tum rationem,tum ſenſum lateat,interdum de externa cauſa inquirere cogimur,hęc de eis pauca dixiſſe libuit: Signa demũ propria cuiuſque caluarię lęſionis perſequamur,quę ſingulatim ſequens caput demõſtrabit.

De ſignis Fracturarum Caluariæ, ac externorum,& internorum affectuum dignotione. Cap. IIII.

SIQVIS rationibus,ac experimentis ductus, an fracta caluaria ſit, aſſequi voluerit, opus eſt primò,vt ſubſtantiã,& naturales eius qualitates pręnoſcat,& diligẽtercon ſideret,nempe mollitiẽ,duritiem,raritatẽ,denſitatẽ,robur,& imbecillitatem:quamuis vniuerſi capitis oſſa,teſte Hippocrate,exceptis oſsibus petroſis, tenuia & imbecilla ſint, ſed non eodem modo.quapropter, cum nos capitis vulnerum,aut fracturarum eſſentiam per notas ſcrutamur,trifariam in eorum notitiam ducimur,vel ſenſibus,nempe viſu,tactu,& auditu,vel proprijs quibuſdam ſymptomatibus fracturas ipſas comitantibus,quæ pathognomonica Gręcè dicuntur,vel indicijs aliquibus,accidentibuſve pręſũptiuis,& coniecturalibus ex pluribus quidẽ actionibus læſis deſumptis.Fractura quãdoq; caluariæ,qualis & quãta ſit,viſu percipitur;ſiquidẽ cũ partes corporis in ſuperficie conſtitutæ aliquo affectu cruciantur,facilè ſenſibus deprehenduntur.quæ verò in imo corporis latent,ab actione læſa,nempe diminuta, aut corrupta,aut ablata,vel à ſitu naturali, vel conſortij lege,vel ab exeuntibus mutatis cognoſcuntur. quocirca [a] vulnera,quæ,vt pote ad pericranion vſque deducta ſimplicia iudicantur, viſu tantum confeſtim percipiuntur, quemadmodum quæ magnitudine inſigni, ſuimet ſenſibilem cognitionem præſeferunt.Interdum [b] verò exiguæ quædam fracturæ,nempe capillares,aut rimulares,vel arctiſsimę rhogmæ introcedẽtes,meditullium,aut vitream vſque petere ſolent, & cutis vulnus adeò anguſtum eſt, vt tactu ſedulo, & ſpecilli vſu,aut digiti auxilio eius formam,& quantitatem concipi ſit neceſſe, quo in huiuſmodi læſionibus,in grauioribus pręſertim,nil certius, aut commodius reperitur.in paruis verò,& anguſtioribus radioli vſus magis probatur,qui nec nimis tenuis, aut nimis acutus exigitur,ne,cum in quoſdam ſinus naturales inciderit,oſsis fracti fruſtra opinionem faciat,nec nimis plenus, ne anguſtas, & paruulas rimas non ingrediendo, Medicum decipiat.Hac ratione ſpecillum mediocre eſſe debet,quod, vbi ad os venit,& nihil niſi lene, aut lubricũ occurrit,integrũ id videri poteſt,ac ſi quid aſperi eſt,vtique qua parte ſuturæ nõ ſint,fractum os eſſe teſtatur.Imprudentis enim chirurgi(ait Hippocrates) [c] officium exiſtimatur,cum ex ſpecilli,aut digiti immiſsione caluariæ oſſa fracta percipere nequit.Ad eundem modum [d] & auditus, vt in aliarum partium,ſic in caluariæ fracturarum cognitionem nos manuducit.ſi quidem in magnis fracturis crepitus,ac ſonitus quidam,dum manu chirurga tractantur, auditur; cognoſcuntur pariter quamplurimæ harum ratione ſui, die quarta,aut ſeptima, aut vndecima,aut decimaquarta,abſcedente nimirũ oſſe à carne,aut ſeſe mouente,aut liuorem, ſeu nigredinem contrahente.ſiquidem naturalis eius color in ſano homine eſt albus,leui quadam rubedine admixtus ob tenuiores partes ſanguinis in eo vaporantes, cumque male afficitur,liuet,aut nigreſcit.Capilli pariter diſſecti,teſte Hippocrate,ac in vulnere reperti, os interdum ruptum,aut nudatum eſſe teſtantur.ſic pariter aut oſsiculus, aut teli fruſtulum, aut quid ſimile:Propriorum verò accidentium fracturarum capitis quædam ſunt in vulneribus carnis,cõtuſionibusque leuioribus fractorum oſſium indicia,quædam meningarum affectuum notæ, quædam eandem tunicam craſſam ab oſſe diuulſam oſtendunt, quædam aut ſanguinem,aut pus,aut ichorem,aut humiditatem diuerſam, putredini obnoxiam,ipſi ſubſiſtere declarant, quædam cerebri intemperiem ſimplicem, aut materialem, & illam vel fieri, uel factam iam eſſe indicant, quin etiam aliæ cerebrum ſectum, aut concuſſum demonſtrant. Quod,ut dilucidius intelligatur, ſciendum eſt, Caluariæ naturam,oſſeam eſſe, ſenſuſque expertem,ideo dolore omnino vacare: ſi igitur fracturam duntaxat in ſe ipſam reciperet, & meningæ nequaquàm compaterentur, nihil eſſet, cur timere deberemus,cum ab his ſęua accidentia aliena eſſe ſoleãt;uerùm ex oſsis partium attritione tantum, dum mouerentur,palam fieret. nam ſtrepit

a ¶ Gal. lib. ar. par. m. cap. 75. li. 1. de noc. loc. affe. ca. 1. & li. 2. ad Glau. cap. 1.
b ¶ Gal. 3. meth. cap. 4.
c ¶ Hipp. lib. de calua. curat. Cel. lib. 8. ca. 4.
d ¶ Lib. 1. de morbis.
e ¶ Hipp. lib. de offi. med. & lib. de Coacis prænot.

os ruptum,ait Hippocrates,at ipſo ſecto,aut perforato,ſimulatque parte aliqua contenta noxam ſuſcipiente,utpote membranæ aut cerebrum ob compreſsionem,aut puncturam,aut laniationem,varia & ea quidē timenda ſymptomata oriuntur, ex quibus fracturarū naturā ratione quadā chirurgus aſſequitur: Quocirca[a] percuſſo capite,inquiratur,ſi fracturarum cauſæ pręceſſerint productrices,nempe ſi quis graui telo vehementer ſauciatus fuerit,ſi ex ſublimi loco ceciderit,ſi in lapidem, aut rem duram impegerit, aut à re tali ictum acceperit,ueluti à lapide extra manum,aut à telo in manu,& an accepto uulnere confeſtim uertigines,vomitusque acceſſerint,ſterterit,aut obmutuerit homo;an ceciderit,ſanguinemque naribus,ore,aut auribus proiecerit, ſeu tanquàm attonitus iacuerit;nam dum caluaria vehementer frangitur, & in cerebro ſpiritus commouentur,huiuſcemodi accidentia inuadere ſolent: veruntamen[b],vt certiores fiamus,an membrana interna detrimentum patiatur,attendendum eſt,nunquid ſtupor, delirium, paralyſis,aut conuulſio accerſita ſit,hæc enim ualde conferunt,tanquam accidentia in his affectibus neceſſaria.ſignum[c] præterea inſeparabile,quo membranam uiolatam deprehendimus,eſt,dum æger capiti manum ſæpè admouet,ac ſi punctiones quaſdam percipiat;Abſcedentis verò tunicæ ab oſſe indicium eſt dolor capitis acutus, febris aſsidua, inquietudo,color,oſſis alteratus,ac ſaniei cruditas, & tenuitas. Etenim ab Auicēna dictum eſt. Si penetrantē ſciſſuram uſque ad aliud latus credideris, os radere oportet,quouſque tutus ſis,num ſubcingens tunica rectè ſe habeat,ſitumque ſuum naturalem ex oſſe ſeruet; nam tūc & noxa minor, & inflammationis euentus tardior,& ſecurior,ac ſaniei concoctio uelocior fiet, quod ſi ab oſſe receſſerit,timor inde maior,& dolor,ac febris intenſior exoritur,uelox adhuc in oſſe coloris permutatio fiet,ichoriſque effluxus tenuior,conuulſio,ſyncope,ac deſipientiæ apparent,præſertim diligentia, ac Chirurgia à medico neglecta:at ſi in huiuſcemodi affectu ſanguis,ſanies,aut ichor in mēbrana inſedit,inde paulo poſt putreſcit,vapores denique[d] eleuati cordi cōmunicantur,& febris accenditur, ac affectæ ſedis calore imbecillo reddito,ſanies ibi genita,tenuior,cruda,& fætida expurgatur, à qua & oſſis colorē alterari contingit, vaporibus nempe à ſanie ipſa elatis,poroſq;caluariæ obſtruētibus,eiuſq; ſubſtantia in cinericeum, aut liuidum colorem permutatur;oſſa etenim, inquit Ariſtoteles[e],cū proprijs tunicis expoliantur,ſiderantur,& nigra fiunt,ac in affecta parte ob ſui alimenti defectum ſicciora redduntur,ſectis nimirum uenulis,quibus aluntur, necnō & aliquarum à meditullio,& dura membrana illis nutrimentum deferentium lacerationem,dum ictu vehementi rumpuntur,aut proprijs ſuturis dehiſcunt,& tunc[f] febris ardens aſsidua, ac in temporibus, ſincipite, & occipite, acuti dolores, & aurium ſonitus percipiuntur, patientes ſurdaſtri fiunt, anxietate, & inquietudine vexantur, quintaue, aut ſexta die pereunt. Oſſa caluariæ ſicca fiunt, & areſcunt interdum à medicaminum qualitate, aut ambientis aeris actione, aut febris calore ardenti, & tunc hoc ſymptoma rarò alia conſequuntur. Præterea quędam alia ſigna ſunt,cerebrum,aut eius meningas intemperie ſimplici affectas indicantia,[g] eius tamen operationes non impedientia,quæ ab aliqua leui oſſis compreſſione,aut ambientis aeris intemperie,aut malo viuendi modo,& prauo victus regimine, vel imprudentis Medici actione enaſcitur, in qua quàmplurima,ſed admodum imbecilla ſymptomata demonſtrantur,quæ pariter ab omni contraria qualitate tolluntur,aut facillimè,ablata cauſa,diſcutiuntur. Materialis verò intemperies,ſi calida fuerit, aut inflammationis initium apparuerit,ex ipſo caloris ſenſu,dolore pūgitiuo, febricula quadam,corporis angore, vigilijs,nulla capitis grauitate,motu ad iram,oculorum rubore,ac phantaſticę facultatis deprauatione cognoſcitur,tūc .n. vulneris labra exſiccātur,aut exiguo humore,& eo tenui,redundāt,ęgri frigidis aſperginibus, ac topicis ſimilibus oblectantur,ex quibus pariter iuuamentum percipiunt:Frigidæ verò intemperiei notę hę ſunt; capitis grauitas, quod tactu calidum non deprehenditur,dolor mitis,ac ſatis quietus adeſt,nec oculi,nec facies rubeſcit,nec arida,aut collapſa,ſed plena & pallida apparet,ęgri rebus frigidis nec iuuantur,nec gaudent,ſed ad ſomnum procliues ſunt, timent, & quieſcunt: Humidā porro intemperiem ichoris qualitas,& copia oſtendit. vulnerati ſomno tenentur, pigri fiunt, non dolent; ſed facillimè obliuiſcuntur. Sicca demum ex ſanierum defectu, leui dolore, vigilijs multis, ira, ſiti, & delirio, percipitur. Cæterùm, cum non à qualitate ſola naturę modum egreſſa, cerebrum aggreſſum ſit,ſed cum accedente quopiam tumore plerunque calido, intenduntur quidem hæc omnia accidentia, ſiquidem[h] dolor uehementiſsimus vrget,rigores quàm plurimi inordinati apparent,febris ardens & aſſidua oritur,pulſus cerebro affecto undoſus,mēbrana lęſa ſerrinus gignitur,oculi inflammantur,tanquam ſi lippitudine laborarent, coniunctiua[i] etenim tunica à dura meninga ortum ducit, extuberant languentes;& ſi ſomno capiuntur,ignea phantaſmata ſibi occurrere uidentur,pauore expergiſcuntur,ac ſæpe exclamant:cunque iam inflammatio ad cōſiſtentiam decreuerit, ob vitiatam animę ſedē delirant,capitique manum crebrò admouent,quaſi afferre,aut accipere aliquid velint,ſæpe manibus pilos, aut feſtucas uidētur velle carpere; oculi caui fiunt,& inflammati, ac[k] ſponte illachrimāt ob impotentiam virtutis contētiuæ cerebri:nulla porſus in vulnere ſanies generatur,ſed ſiccum fit,& liuidum, ac carnibus ſale conditis ſimile,& tunc denique mors ipſa ſubſequitur,prius tamen faſcijs deſtructis,quibus caput inuoluebatur,ac vulnere detecto;quod raro quidem inflammationibus ab internis cauſis productis euenire contingit,quæ proprijs Medicorum indicationibus,ac diligenti cura, interdum ſanitati reſtituuntur. Adhuc ſi circa ſenſus duntaxat affectus imprimuntur,veluti tenebroſę,aut accenſæ uiſiones, aut ſonorum non exiſtentium auditus,percipiuntur,& anteriorem cerebri partem læſam portēdunt:Si uerò circa potentiam

motiuam

a ¶ Hippo. lib. de calua. cura. Cel. lib. 8. ca. 4.

b ¶ Aui. cap. de fract. cra.

c ¶ Hipp. 1. prognoſt. 29. Cel. li. 8. ca 4. Pau. lib. 6. c. 88. 90. Aui. ca. de fract. cra.

d ¶ Gale. 2. de mor. cau. cap. 2. & 1. de diffi. fe. cap. 7.

e ¶ 3. de nat. ani. in fine.

f ¶ Hipp. lib. de calua. cura.

g ¶ Gal. 5. apho. com. 57.

h ¶ Hipp. 1. prognoſt. 26. Gal. 3. de not. loc. aff. c. 9. Aui. 1. 3. trac. 1. ca. 29. & tract. 3. cap. 4.

i ¶ Gal. 2. Moy. mir. ca. 2. & 9. de vſu part.

k ¶ Hipp. li. 1. de mor. popu. ſect. 2. 6. epide. par. 1. aphpo. 21. & 4. apho. 52.

motiuàm aut neruorum reſolutio,aut tremor,aut ſtupor,aut diſtenſio ſubſequitur,quę ſymptomata capitis poſteriorem partem malè ſe habere declarant,hęc pariter quandoque omnia ſimul apparent,interdum unum,aut duo, aut plura, ſępe etiam nec ullum manifeſtatur,& moritur æger,uariantque uelocitate euentus citius,ſiquidem ſi mollia corpora, ac nobilia,præſertim ſi aliqua plenitudine redundent, inuadunt: ſecus uerò ſi robuſtiora,minus timida,& minus plena:varia ac diuerſa ab Antiquis [a] ea ſymptomata deſcripta ſunt,quę Caluariæ fracturarum,ac internarum læſionum naturam,& quantitatem oſtèndunt, nempe CASVS, VOMITVS, VERTIGO, OBCAECATIO, SANGVINIS ORE, AVRIBVS, AVT NARIBVS EMANATIO, OBMVTESCENTIA, STVPOR, RIGOR, FEBRIS, PARALYSIS, APOPLEXIA, EPILEPSIA, CONVVLSIO, DELIRIVM, SOMNVS SVPERFLVVS, MEMBRANAE DENIGRATIO, ET VVLNERIS SICCITAS EXIMIA, quorum enarrationes,& cauſas hucuſque diſtulimus,quæ quidem perpetuò,uel quòd ſit aliqua inflammatio , uel iam facta ſit, apparere ſolent.

CASVS euenit,ſi internæ partes afficiuntur;nam [b] motus omnes arbitrarij muſculorum, ac tendonum munere fiunt,& ea ratione mouētur,qua neruorum ſunt participes,nempe à cerebro,& nucha emanantium,virtute in eos à cerebro delata:quo fit,ut dum coactè uiolentia quadam à cauſa exteriori quis cadat,iam deprauato ſtandi motu,vtpotè voluntario,non ab re cenſendū,motricis facultatis inſtrumenta affici per conſenſum a cerebro ipſo affecto,ipſius facultatis fonte,uires recipientia.

VOMITVS bilioſus,ſi fracta caluaria permanens fuerit,læthale ſymptoma iudicatur,cū dicat Hippocrates.[c] [Quibus cerebrum diſſectum fuerit,his neceſſe eſt febrem,& bilis vomitum accedere, qui [d], vbi voluntarius non eſt,vel protinus vt percuſſus quis eſt,vel dum inflammatio manet,magnum malum portendit, in his duntaxat , quorum partes neruoſæ ſectę ſunt.] Vomitus [e] ſiquidem ventriculi expultricis facultatis prauus motus eſt,quo ea,quæ in eius capacitate,ſeu latiore ſpatio continentur,ac ipſum contriſtant,& in ſe fluitant, quàm citiſſime per ſtomachum reijcit,ad quem neruorum par haud mediocre è ſexta cerebri cōiugatione defertur,ac diſſeminatur,contexitque maximè os eius , quocirca [f] compati ventriculum in cerebri affectibus mirum nō eſt ob iſtorum neruorum aſſiſtentiam, per quos etiam [g] ſenſus huic particulæ , quàm vlli reliquarum corporis acutior eſt,ob id [h] cranij fractur as,cum ad membranas vſque perueniunt,bilioſi vomitus comitantur.

VERTIGO, dinos Græcè dicta , quæ, [i] quòd caput circunferatur,ſeu vertatur,imaginatio quædam eſt,ſeu tenebricoſa vertigo,ſcotodinos Græcè,ſcotomia communiter vocata, dum quæ conſpiciuntur , circumagi videantur,ac ſimul repentè viſus pereat,ob inordinatum,turbulentum,ac inæqualem ſpiritus flatuoſi motum oritur,ex quo animalis etiam ſpiritus in opticis neruis , ac cerebro conſiſtens euertitur , vt propterea, ſicuti decet,non valeat ordinatè ad propria loca diſtribui; in vulneribus autem,aut caluariæ fracturis ex vehementi ictu ſpiritum ipſum concuti,ac perturbari contingit,præſertim ſi membranæ, aut cerebrum noxam ſuſcipiant;quod,dùm occurrit,interdùm mortis indicium eſt,vt in formoſa Nerei filia eueniſſe atteſtatur Hippocrates , [k] quæ à muliercula eius amica ſemel lata manu in ſincipite percuſſa, ac vertigine capta,nona die mortua eſt.

OBCAECATIO in fracta caluaria internam affectionem oſtēdit, cum [l] nerui ipſi viſorij optici,optici Græcè dicti,quia viſui inſeruiunt,à cerebri prima neruorū coniugatione orti obſtructionem , vel lacerationem,aut contractionem patiuntur, ij [m] quidem magni,craſſi,& molles ſunt , ipſivè ſoli poros ſenſibiles habent,oculis videndi facultatem transferentes,quæ à cerebro tanquam imperante criſtalloydi delegatur,inde ad ragoydis foramen,pupilla appellata,ſpecierum imagines ſuſcipit,vt intra ad communē ſenſum ferantur,qui rerum [n] differentias ponit,cuius ſedes cerebrum eſt:quapropter neceſſariò affici cerebrū,dùm caput percutitur,veriſimile eſt,ſi hic ſenſus deperdatur, & nulla in eius organo noxa videatur , & hinc [o] efficitur , quòd oculi propter uiſoriæ facultatis imbecillitatem,cerebro leuiter affecto,lumen aduerſentur, aut videndi potentiam amittant.

SANGVINIS fluxus ex naribus,ore,& auribus,percuſſo capite,admodum læthale indicium eſt;etenim [p] omnes hæ partes cerebro ſubſeruiunt. nam perpetuò , ac in internis affectibus per eas purgatur ; quòd ſi ex forti ictu ſanguis erumpat,ad has partes tranſmitti ſolet,& affectæ membranæ,aut læſi cerebri argumentum eſt,propterea dicebat Celſus.[Si cerebro,aut tunica vulnerata,ſanguis ore,& auribus effluxerit,vomitu bilioſo accedente,febre,& delirio,moriuntur.]

OBMVTIRE in percuſſione capitis,malum indicium portendit ; nanque dictum eſt, [q] quibus cerebrum ex aliqua cauſa concuſſum fuerit,eos ſtatim voce priuari, neceſſe eſt . contrahitur [r] enim vis animalis in ſe ipſam in talibus diſpoſitionibus à motu vehementi moleſtata, propter hoc quieſcit. Cui igitur [ſ] offenſio,aut caſus aduenit,aut aliud,& abſcinditur ſermo eius,& inclinatur caput,& areſcit anhelitus,& ſudat frons,moritur ſtatim. qui verò in caput ſuum concidunt, ſæpè voce priuantur : quod ſi vſque ad tertium diem non permutatur,ſeptimum expectare oportet,nec ægrum aliquo modo mouere ; etenim euenit nonnunquam,vt naturæ robur cerebri affectus uincat,& inde ægri valetudinem conſequantur: vtcunquè autem Hippocratis [t] ſententia enucleanda ſit, quæ dicit. [Quibus cerebrum ſphacelatum eſt, in tribus diebus pereunt;ſi verò hos euaſerint,ſani fiunt;ſic interpretari nobis viſum eſt.]

STVPOR [u], id eſt imperfecta quædam neruorum reſolutio, ſeu repentina inſenſibilitas , atque immobilitas

a ¶ Hipp. lib. de calua. cura. Cel. lib. 5. cap. 6. & lib. 8. ca. 4. Pau. lib. 6. c. 88. Aui. 3. 4. tra. 3. ca. 1.

b ¶ Gal. lib. 1. de motu muſc. & 2. apho. com. 15

c ¶ Li. 1. de morbis lib. de Coacis prænot. li. de locis ī homine & 6. apho. 50.

d ¶ Cel. li. 5. vbi de rat. vict. vulneratorū, & vbi de ſignis percuſſi cereb.

e ¶ Gale. 2. de ſimpt. cau.

f ¶ Gale. 4. de mor. & ſympt. cap. 7. 3. de not. loc. affi. cap. 3. & 6 aphor. cō. 50.

g ¶ Gal. 4. & 9. de vſu par. & 5. de not. loc. affi.

h ¶ Gale. 3. de loc. aff. cap. 5.

i ¶ Gale. 3. de loc. aff. cap. 8. 4. regim. ac. cō. 38 & 4. aphor. cō. 17.

k ¶ 5. & 7. de mor. popu.

l ¶ Gal. 3. de iuua. membro.

m ¶ Gale. 4. de ſimpt. cauſ. c. 2. 2. de vſu. part. c. 7. & 3. de Plac. Hipp. & Plat.

n ¶ Ariſt. 3. de Anima com. 2.

o ¶ Gal. 1. progno. com. 13.

p ¶ Gal. 9. de vſu part.

q ¶ Hipp. lib. 1. de morbis, & 7. aphor. 59.

r ¶ Gal. 7. aphoriſ. com. 59.

ſ ¶ Aui. 4. 4. tra. 2. cap. 4.

t ¶ Lib. 2. & 3. de morbis li. de Coacis prænot. & 7. aphor. 71.

u ¶ Gale. 4. de loc. aff. cap. 2. & 5. aphor. cō. 5.

mobilitas corporis totius, aut ſolius partis, non niſi affecto cerebro accidere contingit; atteſtaturque ipſum iam paſſum eſſe, aut eius tunicas noxam ſubire. Hac ratione malum ſignum eſt, ſiquidẽ (inquit Hippocrates,) [a] in capitis ictu obſtupeſcentia malum, cùm manifeſtum ſit [b] hæc omnia cerebro patiẽte, enaſci, cumque in eo animæ principatus conſiſtat. dignoſcitur [c] enim, quando patiẽtes neque aliquid dicũt, neque agunt, ſed apertis oculis quieti manent, ſimiles his, qui ex timore ſunt attoniti. Pereunt [d] quandoque hi ante ſeptimam in æſtate, in hyeme verò ante decimam quartam. Quibuſdam ſtupor etiam aduenit (ait Hippocrates) muſculis temporũ affectis, & eius cauſa [e] frigidus, craſſus, ac omnino viſcoſus humor eſt: verum caluaria fracta, compreſſio, aut punctura, aut laceratio id efficere ſolet.

RIGOR, [f] hoc eſt inæqualis vniuerſi corporis cõcuſſio, quaſſatiove, in qua expultricis facultatis motus validus notatur, cùm lãguentes vix ſe continere valeant; & (vt ait Hippocrates) dolore plena quędam muſculorum refrigeratio percipitur, ſi fracta caluaria euenerit, potiſſimum inordinatè, aut circa iudiciarios dies noxam cerebro collatam indicat: nanque facultas ipſa noſtrum corpus regens contra ea aduerſatur, & certat, quæ moleſta ſunt, donec radicitus euellantur; at quia in intimo corpore coaceruata vehementes facit incurſiones, magna caloris vi ipſam inuadit; propterea [g] nihil mirũ, ſi acri quopiam humore membranam rodente, ſeu cerebri ſubſtantia inflammationem patiente, rigores appareant. contrahitur enim calor ad intima, & partes, quæ foris ſunt, eo priuantur; indè oritur rigor, & frigiditatis ſenſus, quem raró alia ſubſequitur febris: & hinc fit, quòd rigore correpti plumbeam, aut cinericiam faciẽ præſeferant: prætereà lęthale accidens, ac ſemper nõ creditur, niſi mala alia ſymptomata ſimul inuadãt, ac virtutis imbecillitas adſit vnà cum vulneris ſiccitate, & in die critica: contra verò rigor ille magni exiſtimatur momenti, qui tardè, aut diebus ſignificationis occurrit. Cæterùm [h] rigores, qui prauis ſuccis p cutim currentibus, dum violento motu à natura expulſi oriuntur, in vaſis, aut extra putredinem aſſecutis, calor ſubſequitur febrilis, aut continuus, aut interpolatus, præterea timoris anſam minimè præbent, vtpote [i] cauſam diuerſam extra caput habentes; ſimiles vt plurimum in corporibus humidioribus cacochymia, aut plethora redundantibus, fiunt: Hac ratione rigores exactè dignoſcẽdi ſunt, nè Chirurgi interdum decipiantur, temèreque ac fruſtra non ſine ægrotantis iactura terebrationes aggrediantur, indiſtinctè rigores omnes, tanquàm formidabiles, arbitrati.

- a ¶ 7. aphor. 14. Celſ. lib. 2. ca. 7.
- b ¶ Gal. 4. de symp. cauſ. c. 5. & 5. apho. cõ. 5.
- c ¶ Gal. 7. apho. com. 14.
- d ¶ Hipp. lib. de Cal. curat.
- e ¶ Gal. 2. de loc aff. c. 1. 4. eiuſdẽ cap. 2. & 4. de ſympt. cau. ca. 5 & 5. eiuſdẽ ca. 2.
- f ¶ Celſ. lib. 3. c. 3. Gal. 4. de ſimpt. cauſ. & lib. de rigo. & ſpaſ.
- g ¶ Gale. 2. prognoſt. com. 58. Auic. 1. 3. cap. de Krabito & 1. 4. trac. 2. cap. 10.
- h ¶ Gal. 4. apho. com. 58. 63. 7. aphor. com. 57. & lib. de rigo. & ſpaſmo. Auic. 1. 4. trac. 2. cap. 6.
- i ¶ Celſ. lib. 3. c. 3. Gal. 2. de diff. febr. c. 6. Aui. 1. 4. tract. 2. cap. 6.

FEBRIS aſsidua, vel per ſe, vel alijs adiuncta ſymptomatibus capiti vulnerato ſuperueniens vt plurimum internorum affectuum ſignificatiua eſt: quemadmodum enim [k] cætera nobilia membra vulnus, aut noxam quampiam paſſa, orta in eis inflammatione, accerſunt; ſic & cerebrum nobiliſſimum quidem membrum ſi præciſum, aut tunicarum aliqua, accenditur, affectusque is cordi communis efficitur maximi conſortij lege. quare mirum non eſt, ſi ex materia ſub craneo putreſcente, vel inflammatione aliqua inchoante febris continua gignatur, & malum portendat indicium; ſiquidem, dicebat Hippocrates [l]. [Quibuſcunque præciditur cerebrum, neceſſe eſt febrem, & bilis vomitum ſuperuenire, quæ [m] pernicioſa iudicatur, ſi decretorijs diebus oriatur, vel [n] vltra tempus inflammationis perduret, aut leui vulneri ſuperuenerit, vel delirium mouet, vel ſi neruorum rigor, aut diſtenſio, quæ ex vulnere orta eſt, eam non finit] nõ aliunde verò huiuſcemodi febris cauſam aſſignamus, quàm ex cerebri, aut meningarum inflammatione, vel fieri, vel factam eſſe. ſiquidem [o] ex humoribus putreſcentibus vel intra, vel extra venas febris à rigore ſuperueniente ſoluitur: Scriptum eſt ab Auicenna. [p] [Si in capitis dolore ex ictu febris accenditur, & mentis perturbatio adeſt, iam in capite inflammationem fieri, manifeſtum eſt, quæ ſi ad ſtatũ deuenerit, nunquam ſanatur.]

- k ¶ Gale. 3. d not. loc. aff. c. 5. & 6. aphor. commen. 50.
- l ¶ Li. 1. de morbis li. de Coacis prænot. & 6. aphor. 50.
- m ¶ Raſis. 10. ad Al. cap. 15.
- n ¶ Cel. lib. 5. c. de ratione victus vulneratorum.
- o ¶ Hipp. lib. de judicat. lib. de Coacis prænot. & 4. apho. 58. 63.

PARALYSIS Græcè, Latinè neruorum reſolutio, aut mollificatio, cum motus priuatione non quidem totius corporis, ſed vel lateris vnius duntaxat, vel priuatæ particulæ, præſertim ſedis vulneratæ, ſi ex caluariæ [q] fractura accidit, cerebri, aut membranarum affectuum indicium eſt. nam vel ob continui ſolutionem, vel viarum ſpirituum occluſionem, vel facultatis animalis delationem impedimentum oritur; quò fit, vt per eam tale aliquid eueniſſe cenſeamus, compreſſionem potiſſimum, aut ipſius cerebri inflãmationem, ob quam viæ arctantur, & animalis facultas impeditur: dignoſcitur autem, cùm iam ſublata cauſa, impotentia motus tollitur, & pars affecta in priſtinum reuertitur. propterea quibuſdam viſum eſt paralyſim à cauſa externa, facile ſanabilem eſſe: ſecus verò quam craſſa, ac viſcida materia gignit, propemodum ſanatu impoſsibilem: atque Raſis opinio eſt, quòd qui ex ictu, aut cauſa paralyſim confeſtim incidit, nunquam ſanetur, ſed quæ paulatim fit, curationem recipiat; quemadmodum Romæ Galeno contigit, dum Pauſaniam Sophiſtam curaret, cui, dum ex vehiculo cecidiſſet, duo ſiniſtræ manus digiti reſoluti erant, attamen ſanitati reſtitutus fuit.

- p ¶ 1. 1. tract. 2, cap. 26.
- q ¶ Gale. 3. de loc. aff. cap. 10. & 5. de ſimpt. cau. cap. 2.

APOPLEXIA [r] totius corporis ſenſus, & motus, præterquàm anhelitus, priuatio eſt, ac proprium patientis cerebri accidens. fit etenim [ſ] uirtute animali, ad partes infra caput conſtitutas defluere non potente, aut propter diſpoſitionem aliquam inflammationi ſimilem, quæ in ipſo cerebro conſtituta ſit, aut eius ventriculis compreſsis, aut humore pituitoſo oppletis, verùm cauſæ magnitudo, paſsionis magnitudinem conſequitur; quod ſi fracto craneo euenit, cerebrum aut pũctione, aut vehementi compreſsione affici adeò, vt ventriculi eius lædantur, manifeſtum eſt. fitque [t] tunc, vt corpus, & mens ſtupeat, omni denique motu, & ſenſu priuetur, at tanquàm mortui patientes viuunt, & oculis clauſis, ac ſi dormitarẽt, decumbunt, ſtertuntque, ac puncti non ſentiunt. Certiores verò de huiuſmodi accidente reddimur, dum cõ

- r ¶ Gale. 3. de loc. eff. cap. 10. & 2. aphor. cõ. 42.
- ſ ¶ Gal. 3. de ſimpt. cauſ. cap. 3. 3 de loc. aff. ca. 7. Auic. 1. 3. tract. 5. cap. 14.
- t ¶ Gal. 3. de ſimpt. cauſ. cap. 3.

primentia oſſa leuamus,ac æger inſpirare cæperit,& à noxa ſubleuatur. Cæterùm[a] ſi ünà & inſpirationis motus tollatur,ea quippè fortis apoplexia nuncupatur, quæ ſanari omninò nequit; ſi verò inſpiratio nis vſus non deeſt, ſanari interdum poteſt; quandoque etiam ſine febre apoplexia[b] viſa fuit, ſed fracta caluaria,neceſſariò febris eam comitatur.

a ¶ Gal. 2. aphoriſ. com. 42.
b ¶ Gal. 2. apho. com. 19.

Epilepsia Græcè,Latinè morbus comitialis,caducus,herculeus,& ſacer appellatus, quanquàm raró,interdum tamen & ipſe in caluariæ,aut cerebri affectibus apparere ſolet. conuulſio[c] vniuerſalis eſt, non quidem perpetua,ſed quæ ex temporum interuallis cum mentis, ac ſenſuum læſione accidit, differens propterea ab ea, in qua nullum fit principalibus functionibus nocumentum; & quia ſubitò ac repētè fit,& confeſtim ſoluitur, hāc cerebri ventres ob craſſos,lentosq; humores afficere,ſignum eſt. nam au ctore Galeno,repentinam meatuum obſtructionem à tali ſucco fieri conſtat; illud tamen intelligendum eſt in affectu ab interna cauſa proueniente: ſiquidem ventriculi ijdem obſtrui à cauſa externa, & forti compreſſione facilè poſſunt,cùm læſio ob vulnus,aut fracturam cerebro communicetur, indè ob intem periem iam contractam humoris craſsi exuberantia oriri contingat, qui cerebri cauitates obſtruēs facul tates omnes impedit adeò, vt ægri concidant,conuellantur,ſtertant,ſpumam per os emittant, ſenſusq; omnes,ac mens lædantur. Eſt igitur[d] Epilepſia, ſi craneo fracto occurrat,affecti cerebri indicium, quan quàm (vt verum fateamur) à nobis bis tantùm inter curandum hoc viſum eſt, in pluribus verò cicatrice iam obducta.

c ¶ Gal. 3. de loc. aff. cap. 5.
d ¶ Gale. 3. de loc. aff. c. 7. Pau. lib. 3. cap. 7.

Convvlsio Latinè,ſpaſmos Græcè dicta,ſi caluaria fracta alicui parti occurrat, nempè faciei, orivè,ſpaſmos is cynicos Græcè, caninus Latinè appellatur,& eſt,cùm os ipſum contrahitur, ſeu cùm oculi immobiles,aut ſtramboſi redduntur,ſeu pars aliqua cæterarum vulneratę parti oppoſita reuellitur, lethale ſymptoma creditur,ob id,quia ait Hippocrates.[e] Conuulſio ex vulnere lethalis eſt:paſsio enim[f] virtutis motiuæ inuoluntaria exiſtit,dum muſculi præter voluntatem conuelluntur ad ſimilem diſpoſitionem,ipſis,ac partibus neruoſis aduenientibus,quam etiam in motibus ſecundùm arbitrium factis aſ ſumpſerunt. nam in eum ſitum neruos, muſculosque conuulſio ducit,in quem ſi pro naturæ lege ſe haberent,ac animæ virtute ducerentur,tractis videlicet,ſeu conuulſis muſculis verſus originem ſuam,& ad ſua capita;porrò per hunc affectum actio nequaquàm ablata eſt,vt in paralyſi,ſed ſolùm immutata,ac vi tiata,deinde patiendi ſocietate,hoc eſt cerebro lege commercij patiente,vt noxam talem effugiat, contrahitur; pariterque partes naturæ ſuæ participes ad ſe conducit, & indè ſequitur motus quidam depra uatus voluntariæ facultati motrici accidens:proindè eſt neruoſa ægritudo, qua mouentur lacerti motu non voluntario ad ſuum principium,& fiunt extenſioni inobedientes. Cum igitur[g] functionis à voluntatis imperio prodeuntis, noxa conuulſio fit, & in vulneratis ex cerebri inflammatione excitari contingat,nullo,præterquam in capite,affectu ſeſe oſtendente,neceſſariò fateri cogimur cerebrum inflammatione correptum,præſertim cū aliquod oſsis fruſtulum membranam comprimat, aut pungat: Videtur[h] autem ſępenumero conuulſionem, vulneris oppoſitam ſedem inuadere. Si enim in ſiniſtra capitis par te vulnus quis habeat, in dextera capitis parte eum conuulſio corripit;& cōtra,dummodò vulnus latus vnum duntaxat occupauerit,ait Hippocrates. at ſi capitis mediū vulnus habeat,vtranque partē conuulſio detinere ſolet,vt in Antonomo eueniſſe apud Hippocratem quinto Epidemiarum legitur,cui ex ca cuminis vulnere ambæ manus conuulſæ ſunt. Ceterùm,cùm in ſequentibus de neruis ſectis de huiuſmodi ſymptomate ſermo prolixior ſit futurus,hæc nunc dicta ſufficiant.

e ¶ Lib. de Coacis prænot. & 5. aphor. 2.
f ¶ Gale. lib. de rigor. & ſpaſ. ca. vlt lib. de ſympt. cau. cap. 2. & 6. apho. com. 39
g Gal. 3. de loc. aff. cap. 6. & 5. apho com. 5.
h ¶ Hipp. lib. de Coac. prӕnot. li. de Calu. curat. & 5. de mor. popu. Aui. 1. 3. tracta. 3. cap. 14.

Delirivm[i] cerebri ſanè affecti indicium eſt,cùm ęgri[k] non rectè ratiocinantur, facillimè digno ſcitur. namque delirium[l] deprauatus eſt principis facultatis motus,à prauis ſuccis,aut à cerebri intemperie calida ortum habens,propterea dictum eſt.[m] In quouis morbo mente conſtare, atque benè ſe habere ad ea, quæ offeruntur,bonum; contrà verò ſe habere,malum: quòd autem[n] conſtare mente,ſignum bonum ſit,patet;quę enim ad cerebrum attinent,atque membranas,ſpinę medullam,ſeptum tranſuerſū, & omninò ad neruoſas partes,quæ præſertim ſunt iuxtà cerebrum,ſana ad omnia eſſe,ex mentis conſtā tia ſignificatur: ſecus verò, cum quis alienat, & mente conſtare non videtur. tunc cerebrum, aut meningas affectas eſſe,argumento eſt; etenim in Aphoriſmis[o] ſic ſcriptum reperitur. In capitis ictu deſipientiam quandoque occurrere,& malum eſſe. cumq;[p] autem delirare aliquem,aut mente quomodolibet affici conſpicimus,capitiq;remedia adhibenda eſſe cenſemus,principem facultatem vitiatam arbitramur,cuius ſedes cerebrum eſt: inquit etiam Hippocrates,[q] In oſſis præciſione ſtupor,aut deſipientia ſi in vacuum apprehenderit, in oſſe præſertim præciſo,quod in capite eſt, non ſimpliciter tamen, neque vtcunque hoc contingit,ſed vſque ad interiorem ſuperficiem,quam locus continet vacuus,in quo cerebrum conſeruatur, deſipientia fit;ſiquidem paſsio iam membranis,& cerebro proxima exiſtit:cumq; igitur à principio accepto vulnere deſipientię fiunt,in ancipiti ſe habent:quod ſi tranſacta quarta,aut ſeptima,aut decimaquarta apparuerint,in cerebro iam factam,aut fieri inflammationem,ſcire oportet: Quo circa ab Auicenna[r] dictum fuit. Si percuſſo capite,febris appareat,aut mentis conturbatio:tunc iam incipit apoſtemari,eoq;[ſ] peius efficitur accidens,ſi perſeuerare videtur,quod & rigores,paralyſis, vigilię, inquietudinesq; comitantur,& mors certiſſima ſequitur;quod his euenire non ſolet,qui ex nimia ventriculi inanitione interdum alienatione vexantur.

i ¶ Gal. 2. prædict. com. 9. lib. ar. par. m. ca. 61. 2. de not. loc. affe. cap. 3. 5. de ſimpt. cau. ca. 3. & 4. aphor. cō. 50.
k ¶ Cel. lib. 2. c. 7. Gal. 7. aphor. com. 14.
l ¶ Gal. 3. de ſim pt. diff. cap. 3. & 2. de ſimpt. cau.
m ¶ Li. 1. Epidemiarū. & 2. aphoriſ. com. 33.
n ¶ Gal. 2. apho. com. 33.
o ¶ Hipp. 7. aph. 14. Gale. de loc. aff. cap. 3. & 5. de cau ſipt. c. vlt.
p ¶ Gal. 3. de ſimpt. cau. 5. de ſim pt. diff. & 3. de loc. aff.
q ¶ 7. Apho. 24.
r ¶ 1. 3. trac. 2. c. 26.
ſ ¶ Hipp. 5. Epidemiarū. Gal. 5 de loc. aff. cap. 3.

Somni atque vigiliarum exceſſus,ſi poſt capitis ictus occurrāt, inflāmationem,aut frigidum cere bri

bri apoſtema demonſtrat;malum eſt(ait Hippocrates)[a] ſi ſomnus,aut vigilia modum exceſſerit.fit nanque ſomnus talis refrigerato ipſo ſenſitiuo, hoc eſt cerebro.at ſi frigiditati humiditas coniungatur,lethargus morbus oritur;ſi ſiccitas,catalepſis,& catoche Græcè, deprehenſio,ac detentio, & congelatio Latinè dicitur;& eſt ſubita detentio tum animæ, tum corporis,qua quis corripitur repentè.in illo permanet habitu, quo correptus eſt, nempè penitus permanet immobilis,& tanquã occupatus, & otioſus. Vigiliæ verò fiunt ex caloris intemperie caput petentis,vel ſola qualitate naturæ modum egreſſa, vel cum accedente quopiam humore,ſubtili nempè,& bilioſo, à quibus in meningis ipſis inflammatio,eryſipelas dicta, gignitur, phrenitis Græcè appellata,quam ſæua, & acuta ſymptomata ſubſequuntur;quò fit,vt ſomni,aut vigilię exceſſus cerebri paſsionem prænuncient.

a ¶ 2.apho.3.& 7.aphor.60.

Siccitas vulnerum, vbi nulla, aut exigua ſaniei quantitas producitur, aliquibus tranſactis diebus, & mala præceſſerint accidentia,appareat, admodum exitiale ſignum eſt. inquit enim Hippocrates [b].Si in vulneribus prauis, & fortibus exiſtentibus tumor non apparet, id eſt ſanierum conueniens copia,ingens malum; inſuper [c] ait. Si poſt febrem vlcus colorem amittit, & pauca ex ipſo effluxerit ſanies,ęger moriturus eſt:adhuc [d] ſi periturus eſt æger,ante mortem vlcus liuidum, & ſiccum erit; erit nempè omnino ſiccum,quotiens facultas corpus nutriens,imbecillis reddatur:vel circa aliquod è viſceribus intimè reuulſa,vlcus ab ea iam deſtitutum,ſiccũ,& mali coloris efficitur; propterea à Galeno dictũ eſt. [e] Nihil mali vlceri pus generanti aduenire poteſt, præſertim ſi bonum fuerit. illud nempè eſt [f] candidum, ęquale,leue, & quàm minimè fœtidum, & tale optimum,ac ſalubre indicium exiſtit, ac naturam aſsiſtentem validam atteſtatur, eamquè medicamenta pus mouentia, ſi tempore opportuno adhibeantur, optimè regere. Vbicunque igitur ex capitis vulnere, auctore Hippocrate, [g] intereundũ ſit, hyeme plerunque ante decimumquartum diem, æſtate poſt ſeptimum febris accenditur, quæ vulnus ſui coloris non reddit,quod indè ſaniem modicam effundit; quoduè ex ipſo inflãmatum eſt, emoritur, glutinoſum efficitur, & carnem ſale conditam repræſentat, ruffum, ſubliuidum,inde puſtulæ multæ in lingua naſcuntur,& laborans mẽte non conſtare præſumitur;& caro,quæ circa vulnus eſt,deficiente virtute regente, ab oſſe relaxatur,& mollis fit. Porro prętereundum non eſt,ex alijs etiã cauſis ſiccari nõnunquam vulnus poſſe,nempè ex ambiente nos aere, ex ſiccioribus,quàm deceat,medicamentis, ex manifeſta quadam leui inflammatione,ex tenui, atque prolixa diæta,ſeu à quauis ſimili, ex quorum immutatione accidens facilè tollitur. quòd ſi perdurauerit, ac rigores, febres, deliria, aut tale ſubſequatur ſymptoma, patientes in Dei manu,ac ſolis prognoſticis;tanquàm morituri,ſunt relinquendi.

b ¶ 2.De mor. popu.& 5. aphor.66 67.
c ¶ Lib.de Coacis prænot,& lice Cal. curat.
d ¶ 1.pronoſt. 25.
e ¶ 1. pronoſt. com. 25.
f ¶ 5. aphoriſ com 22.
g ¶ Hiip.1.prognoſt.vlt. Celſ. lib.5.cap. de ſanie.Gal.1.de diffi. feb.ca.8.Aui. 3.4.tract. 1 ca. 23.& 4 4.tract. 3. cap.1.

Si membrana cerebri per ſumma nigruerit, & ſolo rhodomelle tollitur, ſat erit. ſi verò nigrities ſua ſponte prouenerit,atque potiſsimum in imo cum alijs grauioribus indicijs, ab omni ſpe recedere oportet,vt quæ natiuum calorem emortuum innuit,& magnam corruptionem in ea inductam declarat. eſt enim prædictorum ſymptomatum omnium extremum,quorum quædam ab initio, quædã ſucceſsiuè,aut extra tempus enaſcuntur: nec ideò ſemper pertimeſcenda, quemadmodum ſi perſeuerãtia, ac medicamentis contumacia reddantur,nec perpetuò mors aduenit,tametſi ipſa eam minantur,aut atteſtantur; nam multos præter ſpem omnem ſeruari contingit; qua ratione vulnerati nequaquàm deſtituendi ſunt,quamquàm notæ lethales, paucæ,vel quàm plurimæ,aut leues,aut vrgẽtes nunc potius, nunc ſerius apparuerint: quę profectò ob corporum patientium diuerſitatem euenire ſolent,nempè iuniorum,ſenum,audacium,& puſillanimorum,atque ſi cacochyma,aut pura fuerint,iuxtà ſexum,anni tẽpus, viuendi modum,& chirurgiam. Sed iam ad alia tranſeundum eſt,ne ſermones adeò protracti tędio quempiam afficiant,quos tamen neceſſarios cognitu eſſe arbitrati ſumus; quoniam accidentia(teſte Ariſtotele)[h] magnam partem conferunt ad cognoſcendum, quod quid eſt,ea quidem(modò propria ſint) quæ ad capitis vulnerum,& fracturarum cognitionẽ certitudine quadam nos conducunt.

h ¶ 1.de Anima com.11.Gal.1. ad Glau. cap.1. 3.de criſi ca.4. & 1.de loc.affe. cap.1.Auic.1.1. cap.20.& 1.cãticorum.123.

Tertius nunc relinquitur modus, quo prædictarum paſsionum vim, naturam,& magnitudinem aſſequimur.is per quaſdam coniecturas potius, quàm per certitudinem ex proprijs ſignis,deprehenditur:de quo, vt in nullo deeſſe videamur,& abſolutam vtilitatem ſeduli Chirurgi nanciſcantur, ſermo habendus eſt. Octo quidem numero ſunt,ad fracturarum naturę cognitionem adipiſcendam idonea, quæ cõiecturali via aſſequi poſſunt. Primum eſt cauſa aliqua remota,nempè corporis,ſeu teli percutientis ſubſtantia,forma,& grauitas: nam hæc ad morbos dignoſcendos conferunt: quanquàm ab eis tanquam a cauſa externa curationis modus non aſſumitur; hinc factum eſt, quòd Hippocrates,& Celſus protinus conſiderandum putauerint,lapide ne, an ligno,an ferro, an alio telo percuſſus ſit, & hoc ipſo leni, an aſpero,mediocri,an vaſtiore, vehementer, an leuiter;quia quò maior fuerit teli,aut lapidis ictus, ſeu cu iuſuis ſimilis ſubſtantiæ,ac molis,eò magis fracturę forma,& magnitudo efficitur: ſi telum curuum, vel rectũ,breue,vel longũ,acutę aciei,vel hebetis fuerit,tale & vulnus neceſſariò cõſequitur,iuxta eius formam, & magnitudinem. Secundum,percutientis ætas, & robur: nam iuniorum,militum,ac ruſticorũ ictus grauiores, ac fortiores,quàm ſenum, molliumquè corporum creduntur. Tertium,vulnerandi modus, ſiquidem tela, quæ ex obliquo os ſauciant,minus illud rumpunt,quàm quæ è directo. Quartum,loci diſtantia; qui enim ab alto,aut in maximis ruinis cadunt,aut à telo longius adueniente læduntur,faciliùs fracturam in oſsibus patiuntur, quàm qui propinquiùs vulnerantur. Quintum, capitis ſedes affecta. differunt nanque inter ſe capitis oſſa craſsitie,duritie,& tabularum ordine: quæ igitur craſ-

ſiora, duriora, ſolidioraquè ſunt, naturaliter magis percuſsionibus reſiſtunt. Sextum, patientis ætas, ſexus, exercitium, ac victus ratio, propterea quia conſiſtentium, ac laborantium corpora minori detrimento noxam ſuſcipiunt, quàm infantium, mulierum, timidorum, ac eorum, qui ſub vmbra, & molli victu abſque laboribus degunt. Septimum à percutientis animo aſſumitur, quia minori cum periculo repentina, ac ſubitò illata percuſsio erit, quàm pręmeditato, ac iam conſtanti, irato, & conſtituto animo. Octauum à quibuſdam Chirurgorum recentiorum experimentis deſumitur, quę plerunq; fallacia reperiuntur. aliqui.n. vt fracturam agnoſcant, os cranij detectum leuiter ſpecillo percutiunt, ſonumque attendunt; qui, ſi raucus appareat, fracturam omnino adeſſe credunt. aliqui dentibus vulnerati filũ cera obuolutum, vel ſiligineam paleam, aut hædinam chartam interponunt, inde caput oppoſitum leuiter trahentes, ſi talem motum æger horreat, aut noxam ex ipſo percipiat, fractum os eſſe dijudicant. alij dentibus auellanam frangere iubent; cumq; id fieri nequit, aut ex cõſtrictione dolor capitis moueatur, caluariam pariter fractam teſtantur. Experimentum Hippocratis eſt in prænotionibus Coacis, vbi habet. Exhibeto ad manducandum in vtranque maxillam aſphodelli caulem, aut ferulam, ita vt animaduertere iubeas, an os aliquod ipſi ſtrepere videatur; nam fracta ſtrepere videntur. muſculi ſiquidem temporum ad dentium conſtrictionem agentes, adiuuant ad oſsis ſtridorem: nonnulli lumen oculis languentium apponunt. quod ſi effugiant, oſsium fractorum, & internarum partium affectum aliquem indicant: quod magis ex Hippocratis ſententia probabile eſt,[a] dum inquit [Lethale ſignum iudicatur, ſi languentes lucem effugiant, aut nolentes lachrymantur, aut diſtorqueantur; nam lumẽ aduerſari, propter viſus facultatis imbecillitatem accidere ſolet, quæ interdum laborat ob cerebri vehementem concuſsionem.] Antiquorum præterea mos erat, vt certè caluariæ fracturam agnoſcerent, præſertim in anguſtiſsima Rhogme, ſeu capillari fractura, eam medicamento aliquo nigro imbuere, demum ſciſſuram ciclíſchis deradere, quoad omnis nigredo deleretur, ac abſoluta fracturę altitudo tolleretur: porrò quia hic modus Hippocratis eſt, adhuc vbique obſeruatur. quidam etiam vulnerati occluſis ore, & naribus, ſpirituq; retento, ac impulſo, vt caluaria vndique dura meninge repleatur ex arteriarum ſpiritibus, & ſanguine, ſedulò animaduertunt, an qua parte vulnus eſt, ampullæ, aut humiditates aliquæ emanent; quod experimentum aſpernabile quidem non cenſetur. quorundam etiam vſus erat, oſſibus medicamentum ex oui albumine, ac maſtice imponere, & ſic per diem ſinere: quo ſublato, vbi ſiccatum os reperiebant, fracturam ibi adeſſe arbitrabantur. Sunt & quamplurima alia, fallacia quidem medicamenta, ſilentio inuoluenda, cùm ſatis ſuperque, quæ ad naturæ, ac fracturarum vim, nec non internorum affectuum cognitionem pertinent, in medium adduxiſſe videamur, à qua curationis methodus, aut breuis, aut longus, ac de morte, & vita prædicendi modus optimè ſumi poteſt, potiſsimùm patientis vires, ac ætatem, & affecti membri dignitatem ſeu officium, ſubſtantiam, temperiem, ſitum & quantitatẽ obſeruando, alterius morbi complicationem, nec non ſymptomatum valetudinem conſiderando.

a ¶ 1. prognoſt. 13. Cel. lib. 3. c. 18.

De caluariæ fractæ, ac internarum læſionum præſagijs. Cap. V.

PRAEDICTIONES non aliundè, quàm ex recto iudicio, in medium ducũtur; quod [b] etſi difficile ſit, tutò tamen Medicus rationibus motus veritatem præſagire ſolitus eſt, perpetuò [c] motus naturæ omnes, bonum, vel malum ſignificantes, pernotans, vt potè diem quartum, ſeptimum, vndecimum, decimumquartum, decimumſeptimum, vigeſimum, & vigeſimumquartum, interdumve & quadrageſimum, attamẽ id ſemper ſub quibuſdã conditionibus, quod ſentit, efflagitantibus, affinibus aſsidentibus, & amicis vulneratorum enunciet; nam melius eſt [d] in caluariæ fracturis ſilentio pertranſire, quàm prædicendo hallucinari, quod ſępè has lęſiones tractantibus euenire ſolet. Cæterum [e] cùm medicus prudentem ſe præſtare laboret rectè prædicendo, nihil perindè ipſi conducibilius exiſtimatur, & homines illi credere magis audent, & ipſe magis tempeſtiuè ſymptomatibus obuiã ire valet, nautarum inſtar, qui eminus procellas, mariſq; exeſtuationes proſpiciunt. quòd ſi iuxta prognoſticum euentus accidat, nõ eſt, cur dicatur, medicum vel fefelliſſe, vel ignoraſſe, quanquàm res ad votã non ſucceſſerit, quemadmodum de Empiricis prædictiones paruifacientibus dici poteſt, quos affectus naturam, ſiuè eſſentiam latere videtur. Porrò [f] primarium iudicium à virtutis robore ſumitur; nam innatus calor naturæ inſtrumentum omnia facit; medicus verò miniſter eſt. quocirca, vbi deficit virtus, operandi modus non datur, ac inde mala prædictio oritur, magisvè ſi lethalia ſymptomata cõfeſtim, & ſimul inuadant, vel (vt ſuperius diximus) per ſe ſola appareant, & eſt ſecundus prædicendi modus. Tertium ſedis affectæ præſtantia, compoſitio, & vſus prędicendi modum indicat; nanque dictum eſt [g] Veſica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut ſepto, aut ventriculo, aut iecore, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, lęthale eſt. Cerebrũ igitur, vtpotè nobiliſsimum, aut membranæ ipſum inuoluentes, cum læduntur, mortis periculum imminet, ſiquidem [h] ſenſus, & motus initium eſt, ac [i] virtutis animalis fundamentum, & [k] omnium ſuarum operationum cauſa, atque ob innatam eius humiditatem, & ad varia excrementa ſuſcipienda aptitudinem non, niſi perrarò, aut magni Dei nutu à vulneribus ſaluatur: verum [l] ſi oblæſis tantùm tunicis, eius ſubſtantia integra ſeruetur, minoris timoris eſt, quemadmodum longè minoris, etiã ſi in eis

b ¶ Hippo. 6. de mor. popu. & 1. aphor. 1.
c ¶ Gal. 1. dierũ crit. cap. 10.
d ¶ Gal 1. duerũ crit. cap. 12.
e ¶ Hipp. 1. præſag. in prin. Gal. lib. de conſt. ar. m. cap. 16. & 1. prognoſt. cõ. 1.
f ¶ Hipp. li. Epidemiarum. Cel. lib. 2. cap. 9. Gal. de art. par. m. ca 87. Auicen. 1. 4. tract 2. cap. 8.
g ¶ Hipp. l. 1. de Coac. prę noṭ. & 6. apho. 18. Cel. lib. 5. ca. de vul. mor. Auic. 4. 4. cap. 2.
h ¶ Gale. lib. de motibus liquidis.
i ¶ Gale. lib. 5. de loc. aff. cap. 1.
k ¶ Gal. 9. de vſu par. cap. 4.
l ¶ Aui. 1 3. tracta. 2. cap. 26. & tract. 3. cap. 14.

eis affectus nullus appareat: inſuper Hippocratem ita loquentem audiamus, ſi modò verba illa ſunt Hippocratis, vt arbitramur; nam in quàmplurimis antiquiſſimis codicibus ita ſonant [Nullum capitis vulnus facilè contemni debet, ſæpe enim cutis ſola contuſa ferro, aut alia aliqua re, ſi non diligenter, & cautione quadam curetur, veluti ſi ſanguis concretus non expurgetur, aut aliud quiddam negligatur, vlcus incrudeſcens non parum moleſtiæ exhibet, & aliquando etiam febrem inducit, & medico quidem negotium, ægroto verò periculum non minus affert.] ergò hæc multò magis contingere poſſent, cerebro, aut membranis diſruptis: Quare ſi non ſingula hec diligēter medicus curauerit, ſæpè mortis cauſa exiſtit, ſi quidem [a] ad cutim capitis nerui multi ſenſibiles à ceruice propagantur, cerebro patiente [b] patitur neceſſariò ſimul & diaphragma, ac reliquę partes cordi, ac reſpirationi inſeruientes; quò fit, vt ipſius cordis temperamentum deſtruatur, & mors indè occurrat. Quartò à capitis parte læſa quandoque indicium ſumitur. iam ab Hippocrate dictū eſt, prima medici conſideratio eſt locus affectus, affectio, & affectionis conditiones: naturaliter oſſa caluariæ imbecilla ſunt ratione continentium; carnem enim habent ea veſtientem tenuiſsimam: ratione contentorū, ſiquidem immediatè ſub ea meningæ, & cerebrum conſeruantur: ratione annexorum; nam nerui omnes, venæ, & arteriæ multæ, & nucha illi annectuntur: ſingulatim verò ſincipitis oſſa percuſſa admodum periculoſa ſunt, cum tenuiora, ac debiliora cæteris partibus exiſtant, ac minima carne contecta, plurimumque cerebri ſub hac parte cōtineatur: ac magis, & minus efficitur malum, iuxta teli genus, pondus, magnitudinem, ac paruitatē, necnō iuxta percutientis robur, & voluntatem. Quæ [c] verò temporibus accidunt, magni timoris iudicantur, ob temporis ipſius muſculi naturā, in quo venæ, arteriæ, & nerui multi diſſeminant, eſt acuti ſenſus, & ibi ſuturæ etiam debiliſſimæ reperiuntur, ac maxilla inferior illi parti alligatur, cui etiam auditus meatus inſeritur. quapropter ſincipitis, ac temporum chirurgia ab Hippocrate, & Galeno reprobatur, cùm hæ ſedes doloribus, inflammationibus, ac conuulſionibus facillimè ſubiiciantur. Suturarum pariter omnium vulnera, ac contuſiones verendæ ſunt: cranij enim imbecillitates augent, cum per eas dura meninx tranſiens pericranio alligetur, & ſuſpendatur, ſicuti non admodum periculoſa, quę poſteriori capitis parti inſigun tur, cùm os ibi craſſum, ac durum, cerebellumq; ſubſit, paulò ſolidioris ſubſtantię; quò fit, vt qui hac parte plagam ſubeunt, facilius mortem euadant, quàm qui in anteriori, aut lateralibus partibus vulnerantur. Ex [d] animalium quoque naturalium, & vitalium operationum qualitatibus iudicium ſumitur. nam quieſcere, ac mente conſtare, ſomnum capere, facilè ſpirare, ſiti non confici, cibum non faſtidire, non dolere, ſi febricula fuit, ea vacare, itemq; habere pus album, lene, æquale, non fœtidi odoris, quantitatis conuenientis, optimi præſagij cauſæ ſunt, etſi vulnus magnum fuerit: ſecus verò ſi huiuſcemodi res vehemēter vrgeant, ac extra debitū tempus apparuerint. Rurſus ſi excrementa naturalia iuxta modum fuerint, & qualitate, ac quantitate conuenienti ſe habeant, ſalutis ſpem afferunt; contra verò timorem adducunt, quod ex Hippocrate [e] habetur, cùm dicit [Quibuſcunque ex vulneribus extenuatis nigra bilis, ſiue ſanguis niger deſuper exierit, poſtridiè moriuntur] & à nobis verè obſeruatum eſt, eos, quibus diarrhęa, aut diſenteria ſpontè ſuperuenerit, ferè omnes periclitaſſe, ac quamplures etiam, qui pollutione vexantur. Vrinæ [f] quoque perturbatæ, quales iumentorum, & quæ ſubiugales vocantur, cùm maximam humorum corruptionem oſtendant, necnon albæ [g] & perſpicuæ, vtpotè indicantes flauæ bilis copiā ad caput ſolūmodò rapi, mala ſigna ſunt: pręterea pulſus extenſus, & durus neruoſarum partium inflammationem, durus verò & inęqualis conuulſionem, languidus autem, ſi & accidentia praua identidem conſequantur, mortem propinquam minatur. Pereunt plerique, quibus dolor, aut inflammatio oculis oboritur; nam à Galeno dictum eſt [h] [Quibus diſpoſitio intra caluariam eſt, his ad oculorum radices dolores per ueniunt, eò quòd oculorum nerui à cerebro, & tunicæ à membranis originem ducunt.] Hæc omnia magis timenda ſunt, ſi patientis caput calidum naturaliter præter modum fuerit, aut deſtillationibus, vel Eriſipelatoſis affectibus obnoxium. Optimum ſalutis indicium eſt ægri facies, ſi ſimilis beneualentis ſit, atq; ſui potiſsimum. ſi verò quàm maximè contraria fuerit, exitioſiſsimum eſt. naſus enim compreſſus, oculi concaui, aſtricta tempora, aures frigidæ, contractæque, corporis totius color viridis, aut niger, mala, ac læthalia ſunt ſigna: ex oppoſito verò [i] ſpem certam faciunt membrana mollis, mobilis, ac ſui coloris, caro increſcens rubicunda, ac ceruicis, & maxillæ quietus, ac facilis motus. Epilogando itaque dicere expedit, præſagiendi modum ſumi debere in vniuerſum à virium robore, à morbi magnitudine, & à malorum ſymptomatum natura, & quantitate: veruntamen quàm plurima ſæua accidentia in varijs caluariæ fracturarum formis viſa ſunt, nec vulnerati periere: quod prouenire potuiſſet aut magni Dei voluntate, aut periti medici ſolerti curatione, aut quia virtus omnia agens, valida quidem, ea correxit, ac profligauit, aut quia aliunde, quàm à caluaria fracta, cauſam traxerunt; ad quæ omnia, maximè etiam patientis quies, atque conſtantia, contuliſſe viſa eſt.

a ¶ Gal. 10. de vſu par. c. 9. Aui. 2. 3. Doct. 2. c. 2
b ¶ Gal. 5. de not. loc. aff.
c ¶ Hipp. lib. de Calu. currat. Gale 6. meth. ca. 6. 9. de vſu part. c. 5. & 2. meymir ca. de ſoda a percuſſione.
d ¶ Hipp. 1. prognoſt. 10. Cel. lib. 7. ca. 3. Gal. 1. de Criſi c. 14. Pau. lib. 2. ca. 3.
e ¶ 4. aphor. 23.
f ¶ Gal. 4. apho. com. 6.
g ¶ Hipp. 4. aphoriſ. 72.
h ¶ 2. de Comp. med ſecundum locos. vbi de Cephalea.
i ¶ Cel. lib. 8. c. 4.

De regimine Fracturarum Caluariæ in ſex rebus non naturalibus. Cap. VI.

QVAMPRIMVM medicus ad ægrum acceſſerit,illicò capillos circa vulnus abradere faciat,poſtmodum tria mente reuoluat,vt operis finem,& quod deceat, aſſequi poſsit,vulneris nempè ac fracturæ eſſentiam,capitis affectam partem, ac pręterita, et quæ deinde apparent, accidentia:poſtmodum vbi quidquam pręter naturam in vulnere contineatur(vt lapidis fruſtulum,aut ligni, aut ferri, aut oſsis ex fractura, aut capillorum copia,aut quid ſimile)illud proprijs digitis,aut Volſella,aut alio in ſtrumento tutò,atque eleganter extrahere nitatur.Demum ſi caluariæ depreſsio, aut ſeperatio talis percipiatur,vt facilè attolli,aut remoueri poſsit,illud fiat,&ſi aliud quid tunc tempo ris vulnus exigat;veluti ſi cutis ſectio non ſatis pateat,ampliori diuiſione aperienda eſt,vt ſuo loco vberius admonituri ſumus:ſi ſanguis fluat,oui albumine,aut aliquo puluere ipſum cohibente, ac faſciarum nexu ſupprimatur:æger intra tectum loco obſcuro,& ſub molli culcitra ſe ſe contineat,promiſſaque illi ſalute,ad quietem,patientiam,obedientiã,ac animi hilaritatem adhortetur;aſsidentibus verò affinibus, & amicis veritas à iudicio recepta patefiat.indè prudens medicus ad non naturalium rerum regimen intentionem dirigat.Cùm enim humanum corpus in ambientem aerem per cutis poros continua reſolutione diſsipetur,neceſſe eſt ſubiectam materiam minui,& alterari, niſi aliquid tanquàm fomentum perpetuò influat,vt id,quod deperditum eſt,reſarciatur;& hinc efficitur,vt partibus cuti ſubiacentibus inanitis ob earum inſitam vim attractiuam,vicinæ partes pariter inaniantur,mox illæ rurſus ex ſibi vicinis alliciant,vt id,quod inane erat,repleatur,ita ex proxima quaque parte facto ſemper celeri tractu,perin de quaſi in choro,ſiue ordine quopiam,tandem venæ ad ventriculum productæ inanes euadunt,quæ & conſueuerunt,& poſſunt cibum ex ventriculo ad ſe conuellere,veluti ſtirpium radices in terram demiſſe.Iccircò aer,& ciborum,& potus genera,& ſomnus atque vigilia,& motus, & quies,& animi accidentia,vtpote nonnihil ad concoctionis perfectionem attinentia,conſideranda ſunt. Dicuntur porrò non naturales;quoniam non neceſſariò corporis humani conſtitutionem ingrediuntur, quanquàm ipſum alterare poſsint. cautè igitur in his procedatur;nam ex incongruo harum rerum regimine accidentia mala interdum,& mors ſubſecuta eſt,dicant quicquid velint Empirici,qui contrarium ſentire videntur, atque indifferenter,vt ęgris obſequantur,ordinem peruertunt,in initio,& in cruentis vulneribus carnes, oua,caſeum,ac vinum concedentes,atque huiuſmodi craſsiorem victum inſtituunt,hac imprudentia du cti,virtutem perpetuò optimo alimento,veluti omnium operatricem, corroborandam eſſe, omnes humorum fluxiones ad defatigata loca paruipendentes,ac inflammationis facilem ortum ex victu tali pro uenire neſcientes:alij verò victum adeò tenuem inſtituunt,vt vix ptiſanam exhibere permittant;quò fit, vt corpora voraciora, ac laboribus dedita noxam incurrant, & ob id accidentia varia, atque timenda oriantur.

DE AERE.

AB aere itaque exorſi,vtpotè ambiente,& in quo vitam ducimus,& à quò neceſſariò alteramur, dicimus eum in capitis vulneribus,& caluariæ fracturis temperie calidum,& ſiccum requiri:qui ſi natura talis non fuerit, arte mutetur.frigidus enim aer,veluti & cætera corpora frigida actu, dum circa fracturas verſamur,abigendus,ſiquidem frigidum[a] inimicum oſſibus,dentibus, neruis, cerebro,ſpinali medullæ eſt,calidum verò vtile;hinc Auicenna in qualibet cranij fractura etiam ęſtiuo tempore frigidum cauere iubet,& Hippocrates ait,cerebrum,& quę ab eo prouenıunt, frigidis afficiuntur, quemadmodum calidis gaudent,& ſi natura frigidum ſit:propterea quibuſdam viſum eſt,frigidum actu tantùm cerebro inimicum, non autem potentia,cùm interdum frigido,vbi ſanguis fluit,aut ad præſeruã dum,aut ad tollendam inflammationẽ vtimur,& magis potentia,quàm actu: cuius meminit Hippocrates,[b] dicẽs, frigidũ actu ſcilicet,hæc mala affert,cõuulſiones,diſtẽſiones,liuores,ac rigores febriles, vlceribus[c] quidẽ mordax,cutẽ obdurat,ac dolores intolerabiles facit,nec dubitandum,quin cerebrũ frigi dis afficiatur.Galeni[d] quidem ſententia eſt,quòd cerebrum maximè à frigore lædatur,ac communi opi nione tenetur,cerebri inflammationum potiſsimam cauſam frigus eſſe:quapropter ægri in domicilijs,ac cubiculis paruis vndiq,occluſis,& calidioribus detineantur,vt aer frigidus,craſſus,turbidus, aut nebuloſus,aut valdè ſubtilis,ſeu quouis alio modo alteratus vitetur; quippe in corporibus[e] noſtris facillimè agere ſolet:locus ergo lumini oppoſitus neceſſariò requiritur,qui multum languentibus prodeſt.nam di cebat Hippocrates libro de Medico.Primum quidem locum domus habere oportet,qui ſanè talis ſit,vt neque ventus ad ipſum accedens moleſtus ſit,neque ſol,neque ſplendor infeſtet;lux enim ſplendida me dentibus quidem non eſt moleſta, non ſimiliter autem ægrotantibus: itaque talem ſplendorem penitus fugere oportet;nec propterea calidiſsimus probatur,cùm febrem accerſire poſſit, ac aliunde materias capiti attrahere;quapropter temperatus exigitur,quem probauit Hippocrates[f] in oſſium fracturis nu dis pręcipuè,& his maximè,quæ in capite ſunt; quò fit,vt Chirurgi valdè decipiantur,& aberrent, dum prodeſſe

a ¶ Hipp. lib. de humid. vſu lib. 1. de fract. & 5. aphor. 18. Celſ. lib. 1. cap. 9.

b 3. Reg. act. 14. li. de humid. vſu & 5. aphor. 17.

c ¶ Hipp. lib. de vlceribus lib. de humid. vſu & 5. aphor. 20.

d ¶ 8. de vtilitate par.

e ¶ Gal. 1. de tuen. valetud. 2 de Criſi. cap 3. & 3 meth. cap. 8.

f ¶ Lib. de humid. vſu li. 1. de fract. & 5 apho. 22.

prodeſſe credunt plurima linteamina, faſcias,ſtupas,pellem,& calorem adaugentia , aut medicamenta admodum calida, aut terreas tegulas accenſas , aut ſimile aliquid apponentes capiti, oneribus non aſſueto,& quod natura à calido læditur; quod innuit Hippocrates [a] cùm dicit[faſciæ mundæ, leues, molles,tenues, nè vitiatus locus oneretur,neve malorum vaporum tranſpiratio prohibeatur,& calor augeatur] & ob id ſi malorum ſymptomatum timor aderat,nec faſcijs caput aduoluebat. Ad eundem modũ & humidus aer vitandus, rheumatum ſiquidem,ac putredinũ cauſa eſſe ſolet.Siccus nimis pariter obeſt, dolores affert,& locum inflammatum facilè reddit.Autumno igitur,ac Hyeme ignis ex Iunipero , Cypreſſo,aut Fago accendatur,ne cerebrum afficiatur,vti ex carbonibus,à quibus ſtupores, ſternutamenta, & capitis grauitates oriri cõtingit;hinc Celſus [b] inquit,vitanda quæcunque mandenda ſunt,item fumus, & quicquid exiſtat ſternutamentum . Ergo,vt temperatus aer reddatur,aut aliquantiſper calidior, huiuſmodi ignis accendatur,atque ab ægro,quàm poſſit,longinquius.Obſcuritas adhuc confert,nè ab obiectis exterioribus plurimi ſpiritus moueantur,atque reſoluantur.tenebræ enim [c] ad animi quietem probãtur.nam(vt dictum eſt) [d] lux ſplendida medentibus quidem moleſta non eſt, ægrotantibus verò non ſimiliter;itaque [e] talem ſplendorem penitus fugere oportet,per quem oculos ægrotare contingit:quo circa obſcurum conclaue habitare,& lecto valdè molli quieſcere,diuq;quietem ſuſtinere,& quàm minimè proiicere,ac ſe ſe iactare,fracta caluaria,maximè iuuat.Sub Cane verò,ac tempore magni æſtus, & calidiori conſtitutione aer [f] ad temperiem per contrariam diſpoſitionem reducatur,flores ſcilicet,& germina, quæ frigidę ſint facultatis, per aream,& thalamum proiiciendo, modò vulnus non incrudeſcat, & æger noxam percipiat.Hæc itaque de aere particulari dicta ſint:quod autem ad regiones attinet , meridionalis calidior exiſtit,ſicut borealis frigidior;ima loca,& valloſa,calidiora, montana verò frigidiora experimento iudicantur.iuxta etiam anni tempus, Ver ſaluberrimum eſt; Aeſtas medio modo ſe habet, Autumnus,& Hyems, periculoſus.Chirurgorum quorundã ſententia eſt,quòd aer natura craſſior ſubtiliori ſalubrior exiſtat;& hinc forſan euenit,quòd Venetijs,Ferrarię,& ſimilibus ciuitatibus,& locis,inſignia capitis vulnera mirum in modum ſanitati reddantur:ſecus verò Florentiæ, Peruſiæ, & locis montanis,in quibus admodum ſubtilis aer ſpirare ſolet.Siquis tamen anceps eſſet in capitis plaga de aeris natura,ac dubitaret, nunquid magis calidus,aut frigidus aer competat,cùm Hippocrates [g] in vulnerum capitis curatione calidum magis probauerit,& alibi [h] dicat,in Hyeme diutiore tempore viuere hominem, quàm in æſtate, : ob id igitur tempus frigidum magis probatur;Inſuper [i] eius ſic verba ſonant , pleriſq; vlceribus tempus calidius commodius eſt hyeme,exceptis his,quæ in capite ſunt,& ventre, magis verò æquinoctium;His [k] reſpondetur ambiens & cœlum,in quo viuimus,è præſidiorum numero vnum habetur, ſi contrariam morbo temperiem habet, gaudetque [l] medicus,ſi cum ijs,quæ morbus facienda ſuadet,eſt concors;talis enim iuuat,veluti contrarius aduerſatur . Frigidus itaque aer, inquantum eſt frigidus, præſeruat, & humiditates à putredine arcet,quæ in capite,ac thorace,vtpotè partibus cauis, abundare ſolent,atque illis detrimentum afferunt,ac in eis facillimè corrumpuntur , ſi expurgari nequeant, aut à natura , aut aliquo inſtrumento , aut deligationum induſtria , quamuis in articulis,aut alibi interdum competere videantur ; præterea ex partium externarum ob frigus ſtipatione,calor ad intima fertur,nec diſſipatur, vt in æſtate,validiorq; efficitur intus,& benè concoquit,vbi manus adhiberi nõ poteſt.Hippocrates [m] hac ratione adductus dixit[Eſt autem vbi in diſtentione ſine vlceratione,iuuene benè carnoſo,æſtate media,frigidæ aquę multa perfuſio calorem reuocat:calor enim hæc ſoluit.]Confert igitur frigidum,veluti præſeruatiua cauſa,per accidens tamen,& non per ſe,neq; ad curationem neceſſariò,neque in omnibus capitis vulneribus,ſed in aliquibus, varijs ſymptomatibus adiunctis, nec omne frigus,ſed temperatum,vt in Aequinoctio,quod frigidũ eſt reſpectu magni æſtus,in quo ex victus ratione,& fructuum horariorum vſu, putredines,& bilis copia augetur , ac humores liquefacti facillimè ad defatigata loca defluunt; Quapropter frigidum nunquàm,ſed calidum temperatum, probandum eſſe exiſtimamus.

a ¶ Lib. de Officina med. lib.2. de fract. & lib. de Cal. curat.
b Lib. 8. cap. 4.
c Celſ. li. 3. c. 4.
d Hipp. lib. de Medico.
e Hipp. 4. re. ac. 49.
f ¶ Gal. lib. 2. par. med. ca. 85.
g Lib. de humi. vſu. & 5. aphor. 18. & 22.
h ¶ Li. de Calu. curat. Cel. lib. 5. ca 26.
i ¶ Lib. de vlceribus in prin.
k ¶ Gal. 3. meth. cap. 8. & 1. ad Glauc. vbi de febre. cont.
l ¶ Gal. 9. meth. c. 14.
m ¶ Li. de humidi. vſu & 5. aphoriſ. 21. Aui. 2. 3. doct. 2. cap. 7.

DE CIBO, ET POTV, AC MODO NVTRITIONIS.

MAgnvm profectò in omni morbo auxilium eſt,cibus,tempore,modo, & qualitatibus opportunis,exhibitus.& Celſo autore,initia morborum famem,& ſitim deſiderant,hac ratione modicus [n] cibus,& aqua omnibus vlceribus quàm maximè cõducit, magis verò recentioribus,quàm vetuſtioribus, maximè autem omnium fracturis in capite,ac fœmore,& ſi cui alij parti fractura contigerit.quod Celſus [o] elegantiſsimè approbauit,dicens[Quod ad abſtinẽtiam,& primos,vlterioresq;cibos, potionesq; pertinet,eadem, quæ in vulneribus præcepi,ſeruanda ſunt , eò magis , quò periculoſius hæc pars afficitur]præceperat [p] ſiquidem,cùm antea dixiſſet abſtinere,quantum vires patiuntur,ante inflammationem à cibo debet,bibere,donec ſitim finiat,aquam calidam,adeò tamen nihil perpetuum eſt , ſed ſemper pro viribus corporis æſtimandum.nanque imbecillitas,ætas,conſuetudo tenuem,ac exiguum cibum non ſuſtinet:quò fit,vt protinus(medicorum communi [q] ſententia) vberior cibus interdum exhibeatur,atque ante vllam curationem,ſi opus eſt,vino ægri reficiatur, quod alioquin inimiciſſimum vulneri eſt: porrò [r] quotidianum experimentum atteſtatur,pleroſq;ex tenui victu,& longa inedia ſyncopam, ac capitis dolores incurriſſe, atque eos præſertim,quorũ ventriculi concoquens facultas valida fuerit.quæ

n ¶ Hipq. lib. de vlceribus. & lib. de fract. in fine. Cel. lib 2. ca. 16.
o ¶ Lib. 8. cap. 4.
p ¶ Lib. 5. ca. de rat. victus vlneratorum.
q ¶ Hippo. 2. re. ac. 36. & 1. aphoriſ 17. Cel. loco vt ſupra. Gal 6. de tuē. valetud. & 8. meth. cap. 9 Auic. 1. 4. tract. 2. cap. 8
r ¶ Gale. 2. ad Glauc. &. 3. de cõp. med. ſecundum loc vbi de his qui ex ſtomachi vitio laborant capite.

cum in exiguum cibum concoctu facilem agat,ipſum confeſtim abſumit,ac propemodum adurit. inde vaporibus ad caput eleuatis,dolor excitatur,famemq;dum tolerat ventriculus,malis repletur humoribus,& in ipſo dolores, ac languores ſentiuntur,quos denique cerebri affectus varij ſequuntur. Quocirca princeps Auicenna [a] abſolutam abſtinentiam biliofis corporibus,ac laboribus deditis, voracibusq; deteſtabatur, natura [b] ſiquidem repentinas mutationes non patitur: Galenus [c] itidem dicebat,longæ inediæ his, qui calorem habent ad igneam naturam propenſiorem, præter alia mala, febrem afferunt. Sæpe [d] etiam in ijs magis neceſſaria feſtinatio cibi eſt, qui inediam minus tolerare poſſunt. Quod affirmatur octauo Methodi capite primo, vbi de mente Hippocratis ſexto Epidemiarum ait Galenus. Qui bis die (præſertim picrocholi,id eſt homines bilioſi) comedere ſolent,ſi non prandent, ægrotant. Inſuper [e] in morbis longis tenuis victus periculoſus: maior enim in hoc accidit error, quàm in paulò pleniori victu. Cæterùm [f] cùm per gradus victus ratio diſtinguatur, nempe tenuiſsima, vbi vix melicratum vſque ad tempus iudicationis exhibetur. Tenuis altera, quando ptiſana vtimur, & eius terminus eſt virium reſolutio plena & craſſa. Tertia eſt, quemadmodum quotidiano vſu ſeruatur, ſub quadam tamen conditione,omnes iuxta temporum diuerſitatem,ægri conſuetudinem, ac temperamentum approbandas cenſemus. Tenuiſsima [g] quidem, & more Hippocratis vilis dięta in principijs ad ſeptimam vſque diem, præſertim in plethoricis corporibus, & quæ malis ſcatent humoribus, probatur: Tenuis autem,vſquequò inflammationis,aut alicuius ſymptomatis ſuſpicio præterierit, cuius terminus [h] decimuſquartus dies exiſtimatur. Craſſa verò,pacatis omnibus accidentibus,ac ſigillato vulnere,aut paulatim pro ratione ad quemlibet victum reuertatur: Verùm cùm nullus ſit,qui tenuiſsimo victu vſque ad ſeptimũ perdurare poſsit,nutritio ex ptiſana,addito pauco ſaccharo, ſi æger ipſa delectetur, aut ex pane loto,ſaccharo identidem admixto, vel titubante virtute, ex panis micis in pullorum gallinaceorum, aut hædi,aut vituli iure decoctis,hac tempeſtate obſeruatur: nos verò cibum minoramus, & augemus, prout morbus,& virtus requirent: atque,vt etiam vapores à ventriculo ſublati reprimantur, aſſumpto cibo ventriculus ipſe roboretur,parum ſacchari roſati,aut violati, ſeu diacitonitis ex ſaccharo, aut citonium ipſum,aut pyrum ſub cineribus coctum ſaccharo inſperſum exhibemus. At ſi ſitis vrgeat,malorũ granatorum vſus probatur, reprimit enim bilis feruorem. quòd ſi ſeptimam vacare accidentibus nouerimus,pane iure ex prædictis infuſo vſque ad decimumquartum æger alendus eſt; ac, ſi vires requirant,caro ipſa concedatur. poſtmodum recedentibus prorſus omnibus accidentibus, oua ſorbilia recentia, poſtea carnes vberius concedendæ ſunt: moxq; curatione ad optimum finem tendente, quæ ex optima ſanie,accidentium remotione, & carne ſubnaſcente dignoſcitur, victus ratio [i] paulatim adaugenda eſt,prohibitis tamen ijs,quæ difficulter concoquuntur,nempe lacticinijs, oleribus, leguminibus, fructibus,carnibusq; ſale conditis,ijsq; craſsis perpetuò dimiſsis,necnon & piſcibus, exceptis fluuiatilibus,& qui inter ſaxa degunt,ac in vniuerſum omnibus cibarijs, quæ caput offendere quoquomodo valeant. Si verò breui tempore curatio ob vulneris naturam,abſolui nequeat,præter hædorum,ac vitulorum,perdicum quoque,turdorum,merularum,ac paruarum auicularum nemoralium carnes propinare conuenit. Potus verò,paucum vinum,clarum,rubeum,& odoratum,quod Gręci oligophoron vocant, exiſtat,idq; magis,dum ſubſtantia illa cartilaginea,compacta,ac denſa, quam Gręci in alijs fracturis porum ſarcoidem, Arabes alrosboth,& Latini callum vocant,in his fracturis gignitur, quo tempore etiã viſcoſum alimentum commendatur. Capitis igitur ingentia vulnera qui ſuſceperunt, hoc alendi modo ſunt regendi,& eò magis,ſi læthalia accidentia non apparuerint,quibus urgentibus,ratio uictus tenuis ſine carnibus & vino obſeruetur: quanquam interdum ad diem vigeſimamquartam eam ſic protrahere decet,& nos ſępe etiã ad quadrageſimam, & vltra ſine vllo incommodo tali victu ægrum deduximus. At ſi ob maximum cerebri affectum ægri cibum reſpuant, vel tenuiſsimus victus requiratur, Arabum auctoritate [k] primis quidem diebus hordeacea aqua vino granatorum affuſo,tantum exhiberi debet. poſtmodum cerebris gallinarum nutriri,vtpotè cerebro concuſſo mirè competentibus,ipſum nempè corroborant,vt quidam atteſtantur,& ſanguinis fluxum ipſius cohibent. At quoniam ne verbum quidem Galenus de his cerebris protulit, quamuis [l] ferè ſimilem victus rationem probauerit, ipſis nunc non vtimur,humidioris ſubſtantiæ,vomitumq; euocantia eadem eſſe exiſtimantes,quod forſan innuit Auicenna,cùm dixit. [Licèt ſit in eis ſententia alia, attamen ipſemet [m] ventriculo vulnerato,vitulorum, agnorumq; omaſa tribuere videtur.] & Auerrois [n] ſententia, ſubſtantiæ ſimilitudine cibaria, iuuare plurimum partem affectam teſtatur; pro aliquorum etiam interpretatione Galeni [o] verba ſic accipi debent, dicimus ſanè, communis omnium internarum partium indicatio eſt,vt ea eligantur, quę animalis naturę maximè ſunt familiaria,ſiue ea cibaria ſint, ſiue medicamẽta,ſiquidem [p] cibus debet eſſe ſimilis nutrito: Nos autẽ (vt verum fateamur) nunquàm ob cerebrorum gallinarũ exhibitionem cerebrum vulneratum ſanitati reſtitutum videre potuimus, licèt interdũ id pernotauerimus ob tenuem victum,ratione inſtitutum,ac conuenientium topicorum vſu eueniſſe. Summatim verò de potu dicendum adhuc eſt, [q] quòd aquam,quouſque accidentia quieſcant,exhibere opportunum ſit,& [r] vinum tanquàm vulneribus inimiciſſimum in aliquibus ad integram vſque ſanitatem relinquendum: Faceſſant igitur,qui in Caluariæ fracturis,ac neruorum vulneribus vinum concedere audent;nã omne [ſ] vini genus,& ſi quàm maximè aquoſum ſit,halitu,& tenuitate partiũ,caput facillimè petit,& alterat,neruiſque nocere compertũ eſt,cum à

naturali

a ¶ 1.4.cap.de cibat.febr.& 4.1. cap. de purgat.
b Hipp.6. Epid. par.3.Gal.li.art. par.med.ca.86. 2.reg.acu.com. 36.&1.ad Glau.
c ¶ 2.aphor. cõ 22.7.apho.cõ.9
d ¶ Cel.in proh.
e ¶ Hipp. 1.apho.4.& 5.
f ¶ Gal. 1.reg. ac.cõ.21.2.reg. ac.com.21.&1. aphor. com.4.
g ¶ Hipp.lib.3. de fract.
h ¶ Hipp. lib.3. de fract.Gale.3. meth.ca.8.& 3. Catageni in ſermone vniuerſali de cura vlcerum.

i ¶ Auic.4.4. de med.gener. car.

k ¶ Raſis Oribaſij auctoritate 6 ad Almanſ. cap. vlt. Aui.1.3.tracta.2.cap. 26.& 4.4.trac.1.c.vlt.
l ¶ 1. de com. med. ſecundum loc. vbi de cura Sodæ à perc.
m ¶ 13.3.trac.4. cap.74.
n ¶ 5.Colligit c. 19.
o ¶ 4.meth.ca.5
p ¶ Gal.1.de Elementis.
q ¶ Hipp.lib.1. de morbis li. de Vlceribus lib.de Calu.curat. & 3 reg.ac.43.Gal 2 Meymir vbi de Soda à percuſſ. &3.meth.cap.3 Aui.3.1.cap. de regimine aquæ, & vini.
r ¶ Celſ. lib. 5. c.de rat. victus vulneratorum.
ſ ¶ Gal.2.apho. com.18.Auic.4. 1.cap.1. & 2.3. c.de paralyſi.

naturali calore in alimentum maturè vertatur, inde vaporum, ac ſpirituum auctio fiat, quò fit, vt cerebrũ patiatur, & facultates animę, quarum ipſum ſedes eſt, deprauentur. Aqua itaque ſimplex cocta illis ſit potus, vel cùm qua coriandri ebullierint, licèt à quibuſdam damnentur, vtpote imbecillo ventriculo aduerſantes, quorum etiam nimius vſus, Dioſcoride [a] teſte, nocere ſolet, ac in [b] venenoſorum ſeminum genere enumerantur, ipſis tamen præparatis interdum vtimur, prohibentibus nimirum [c] vaporum aſcenſum ad caput, at [d] huiuſcemodi præparatu omni noxa deſtituuntur, interdum parũ quid admiſcentes iuleb, vel ſyrupi roſati, ventriculum reſpicientes. nam eum corroborant, adhuc interim ad ſitim extinguendã, temperatura bilioſa exiſtente, aut æſtiua conſtitutione, vinum granatorum infundimus: ſunt qui hordeaceam aquam commendent, quæ, haudquaquam vitio vacare aliqui [e] contendunt, cùm in ventriculo facilè aceſcat, & corrumpatur, ac flatus expers non ſit, verùm ad tenuium humorum acrimoniam tollendam, caluaria fracta, in potu commendatur. Quod autem apud nos magis probatur, eſt aqua ſimplex, nõ nihil ebullitionis perpeſſa, ac, vt frigus, aut halitus, ſi quis in ipſa eſt, abſumatur, ſacchari, aut cinnamomi, aut fœniculi ſeminis pauxillo addito. Si verò [f] primis diebus malum aliquod accidens ad vini conceſſionem compellat, veluti ſi virtus imbecilla fuerit, aut ſanguinis nimia copia effluxerit, aut vehementiſſimi, ac diuturni dolores præceſſerint, aut ventriculus, frigidus ſit, aut corpus cachecticum, & mala habitudine affectum, aut ſi mulier vtero laborauerit, illud aquoſum, flauum, & prorſus inodoratum exiſtat, quod Hippocrates [g] probauit, atque in eius potione aquæ exiguum ſuperbibendum, ſiquidem hoc modo vini potentia caput, mentemq; minus tentabit, vel ad quorundam mentem, cui panis portio infuſa fuerit, vt tenuiores, halituq; plenæ partes, abſumantur: tunc enim nec capiti, neque neruorũ ſubſtantiæ obeſt. Vinum ſanè probatur, cùm caro recens gignitur; nanque [h] virtuti robur, & ſanguini temperies additur, præſertim ſi modicè aſſumatur.

DE PLENITVDINE, ET EVACVATIONE.

ET ſi vulnera, fracturæve per ſe materiales morbi, aut ex plenitudine non ſint, attamen corporibus athleticis, plethoricis, aut cacochymis vtplurimum occurrentes, opportunas euacuationes expoſcunt, ſi magnitudinis nomen aſſequantur: Nam [i] in huiuſmodi corporibus, & quæ leuia ſunt vulnera ob humorum copiam, accidentia quandoque valida comitantur, ac veriſimile eſt maiora in magnis fieri, in quibus corporis vniuerſi depurgationem approbat Hippocrates, [k] quãuis nullum plenitudinis indicium appareat: Magna quippe capitis vulnera dici poſſunt, vel propter affectæ partis præſtantiam, vel dùm ſæua vrgent accidẽtia, vel propterea quia in amplum extenduntur, addamus euacuationem fore neceſſariam in omnibus vulneribus, in quibus aut ſectio, aut dilatatio, aut oſſis abraſio, opportuna fuerit, & morbus vehemens imminet; & cauſæ adſunt indicantes periculũ fluxionũ. Quapropter in his vniuerſalis euacuatio primò emolienda eſt, nempe ſi nihil obſtiterit venam ſecando, vt virium imbecillitas, ætas infantiæ, aut ſenectutis, malus corporis habitus, temporis conſtitutio, & ſimilia, vt diuertendo, humorum aſcenſum prohibeamus, ne [l] inde dolores, ac inflammationes ſuboriantur, quæ à ſucco bilioſo, ſeu tenuiori ſanguine, caput natura petente, vt plurimùm procreantur. nec obſtat, ſi caput in corporis ſublimiori parte ſituetur, aut in aliqua operatione atroci dolore fuerit vexatum, aut ab eo copioſus effluxerit ſanguis. nam ex Hippocrate pro confeſſo habetur, omnem caluarię fracturam ab ictu vehementi produci, vnde ne interna aliqua fortis cõcuſſio facta ſit, vereri oportet, ad quàm inflammatio ſequi ſolet. ob id in curandis partibus vulneratis, propoſitum eſt, vt omnino ab inflammatione defendantur; hoc autem fiet, ſi nullus humor ad eas concurret, quæ omnia à prępcautrice potius, quàm à curatrice facultate indicantur. ſanguis enim aliorum humorum pater eſt, cuius copiam primis diebus, plethora exiſtente, ab oppoſito latere à nigra, aut capitali vena extrahere iuſtum eſt, in iunioribus, aut conſiſtentibus abundè, niſi è vulnere copioſè effluxerit; omni [m] nanque recenti vulneri, niſi in ventre ſit, expedit ex ipſo ſtatim ſanguinem plus, minusve effluere, quippe phlegmone minus tentabitur tum vulnus ipſum, tum quæ circumpoſita loca ſunt: quòd ſi è vulnere parcè emanauerit, doloribus inuadentibus, inflammationibusq; apparentibus, liberaliùs educendus eſt; mittendus ex brachio vtique eſt, ſi corpus iuuenile, robuſtum, & exercitatum fuerit; multoq; magis, ſi id vulnus ebrietas pręceſſerit, ſanguis in corpore abundet, & multum tempus abſque euacuatione præterierit; ſin minùs, cephalica eiuſdem lateris aperiatur, nec propterea illicò accepto vulnere ſanguis mittendus eſt: tunc enim humores vniuerſi, bilis pręſertim, ſpiritusq; in motu, & alteratione exiſtunt, at poſt quandam corporis, ac animi quietem. ſitq; ſanguis iuxta virtutis, ætatis, & exercitij menſuram, necnon anni tempus, accidentiumq; naturam extractus. Præſtat etiam id fieri poſt abſolutam cibi concoctionem, enæmateq; præmiſſo, vt excrementorum cõmunis euacuatio ex inteſtinis expleatur. Quòd ſi brachij vena ſecari nequit, tutò per cucurbitulas dorſo applicitas, aut per Ani venas, quas hæmorrhoidas vocant, ſanguinem mittere licet. nam & hæ ſanguinem à capite euertunt, idq; pariter faciendum in vtero gerentibus, inſtante cauſa à quarto [n] menſe vſque ad ſeptimum: nec non conuenit bis, ac ter ad mentem Raſis robuſtis, & exercitatis corporibus, vrgente neceſſitate, phlebotomiã reiterare, idq; magis, vt corpora ſicca ſeruentur. ad quod facit ſummopere ſanguinis miſſio. Præterea ſi adhuc alicuius plenitudinis ſuſpicio aderit, medicamento purgante corpus inanire oportet, & ſi nullum quidem verbum de hac intentione fecerit Celſus. nam [o] purgatio ventris deorſum plu

ribus

a ¶ Lib. 3. c. 497
b ¶ Dioſco li. 6. cap. 6.
c ¶ Auic. 2. Cano cap. 144.
d ¶ Auicen 6. 4. ſup. 2. tract. 1. cap. 8.
e ¶ Auic. 2. Cano. cap. 538.
f ¶ Cel. lib. 5. ca. de rat. vict. vulnerat.
g ¶ 3. reg. acut. 41.
h ¶ Gale. 2. de mor. & ſimpt. c. 3. Auicẽ. lib. de uir. cor. cap. 5.
i ¶ Gal. 4. meth. c. 6. 6. meth. c. 3. & 2. de compo. med ſecundum loc. cap. de dolore cap. ex plaga.
K ¶ Li. de Calu. curat. Lib. de Vulceribus. Lib. de fracturis & li. de affect o nibus Gal. 4. de rat. uic. ac. com. 16. & 4. meth.
l ¶ Gal. com. 4. lib. de articulis 3. meth. cap 3. Raſis 7. ad Alm. cap. 3.
m ¶ Hipp. lib. de Vlceribus. Celſ. lib. 5. ca. de cura inflam mat. vul. & cap. de Sanie. Gal 4. meth. ca. 6. Auic. 4. 4. 6. 7.
n ¶ Hip. 4. aphoriſ. 1. & 5. aphor 29.
o ¶ Hipp. lib. de Vlceribus. Gal, 4. meth. cap. 6 Paul. lib. 6. c. 9.

a ¶Hipp.1.aphoriſ.15.4.apho 3. li.de medic.purgant.& 6.Epidemia am.Gal.4 meth.c.1 Auic. 3.3.c.de cura lodæ à percuſsiõe 4.4 cap.de cura caſus& 5.4 cap. de oſſ.fract.cra. 4.4.cap de cura vlc.c.5.4.ca.18.

ribus vlceribus confert,& vulneribus,quæ ſunt in capite,& in ventre,& articulis.quapropter [a] humor ille euacuandus eſt,qui ſuperabundare videtur,ac facilius ad caput aſcendere poteſt,qualis eſt bilis,ac tenuior ſanguis.nec obſtat ſi caluaria fracta non doleat,aut nõ ſit affectus materialis,ab humore aut fluxo, aut fluente productus, & quod medicamenta purgantia calefaciant,corpora,& humores commoueant, ac inſaniam faciant.nam quæ in ſimili affectu probantur pharmaca,tantum lenientia eſſe debent, & non robuſta,ſeu eradicantia.ſiquidem huiuſcemodi indicatio à præcautrice potius,quàm à curatrice,facultate ſumitur.igitur in hac præcautione lenientia medicamenta ſint,& non fortia & robuſta.Erit igitur accommodatum pharmacum mirobalanorum omne genus,Caſſia,Manna,Rheubarbarum,Tamarindi,aut Syrupus violatus,aut roſatus ſolutiuus,in robuſtis, & qui plethora abundant:Electuarium roſatum Meſues,aut de ſucco roſarum,& id genus alia,admixta Caſſia,& Mirobalanorum decocto, vt ventriculus, ac inteſtina leui euacuatione exonerentur,& caput vaporibus obnoxium minimè reddatur.Sunt qui hoc opus libentiùs enæmatibus,quàm pharmaco,aggrediuntur,quòd magis euacuando,vapores etiam retrahant.quidam ſtatim deligato vulnere clyſtere imponunt,ac poſtridie venam ſecant,nihil aliud agentes,quamuis explicitè nullum verbum quidem de ſanguinis miſſione proferat Hippocrates.[b] Non ab re autem nos arbitramur quotidie ſummo mane ſyrupum roſatum,ex intybo,ex lupulis,aut ex betonica, aqua Endiuiæ,oxalidis,cichorij,betonicæ roratum opportunè exhibere,ut calor,ſi quis eſt,aut febrilis, aut ex animi affectibus, remittatur, perſpecta perpetuò temperatura tum totius,tum partis affectæ. Sic igitur procedatur,donec accidentia miteſcant.Enęmatum etiam quotidianus vſus habeatur,ſi ſponte,& à natura aluus non expurgatur,aut ſaltem glandium beneficium ex melle,aut ſapone,aut blitis radice cognoſcatur,ne in magnis vulneribus corpus nimis dimoueatur.De cæteris autem euacuationum generibus , quæ vomitu,lotionis copia,ſudore,ſputo,narium ac aurium expurgatione,ſemineq; fiunt,hic obiter dicamus. Vomitus,præſertim ſub cane,aut hyeme,niſi à natura proueniat , & in facilè vomentibus, improbatur:nam caluariæ fracturæ obeſſe compertum eſt;trahitur ſiquidem vi quadam ventriculus,præter naturæ modum,ad ſuperiora,humores & Chylus in eo agitantur, & ſublati vapores cerebrum infeſtant [c] Vomitus eſt ex eis,in quibus non fit iuuamentum in curis ægritudinum capitis,niſi fiat lege conſortij à ventriculo. Lotium emittere quotidiè expedit.quod ſi ſupprimatur,cauſas ſuppreſsionis inquirere oportet,vt remotæ,lotium ad naturalem ſtatum reducatur. Sudor nempè copioſus,ſi critico modo,id eſt,via iudicationis ob humiditatum copiam à natura moueatur,nequaquàm occludendus.verùm ſi ob cubiculi calidioris aeris ſtatum id euenerit,aer ad temperiem deducatur:nam huiuſcemodi ſudoris abũdantia virtutem reſoluit,& corpus languidum reddit.Sputum,quanquàm capitis expurgationi conferat,cerebro tamen vehemẽter affecto,eò quòd ab oſſe fracto comprimitur,aut pungitur, nequaquam prouocetur. E naribus,oculis,auribusq; excrementorum effuſio iuuat,ob id,quòd cerebrum commodè interdum ſic expurgatur.naturæ enim motibus minimè obſiſtendum eſt, potiſſimum ſi per conuenientia loca,oppoſiteque motus fiant. Seminis demum profuſio,tanquàm pernicioſa,vitari debet,cùm ſemẽ ſit vltimi nutrimenti vtilis ſuperfluitas,nec,ſicut ſudor,aut vrina,inutile,ſed humanæ ſpeciei conſeruatrix, ac Hippocratis [d] ſententia à cerebro,& capite maiori ex parte decidit, cui venæ poſt aures peruiæ ſunt:Iccircò neruis,oculis,ventriculo,ac cerebro venus inimicatur, humores turgidos reddit, vires proſternit,& corpus refrigerat, quare omni ratione tãquàm corporis deſtructiua relinquatur.Et omnia hęc à præcautrice potius,quàm à curatrice facultate,indicantur.

b ¶Li. de Calu. curat.

c ¶ Auic.1.3.ca. 8 p.

d ¶Lib.de genitura.

DE SOMNO, ET VIGILIA.

SOMNVS,ſi naturę [e] conuenientem modum exceſſerit,caluaria fracta,malum ſignum eſt, & cauſa;indicat enim,cerebrum frigida temperie laborare:vigiliæ etiam multæ inflammationem eiuſdem portendunt:vt cauſa verò,diuturnus ſomnus malus eſt.nam ex nimia caloris innati concentratione in longo ſomno,cibum in ventriculo aduri poſſibile eſt,vel quandam alterationem pati, adeò, vt inde vapores caput petentes ſodam,hoc eſt capitis vniuerſi dolorẽ,mouere valeant;contra [f] verò in vigilijs ſuperfluis concoctiones interturbari, halitus identidem aſcendere , & corpus reſolui compertum eſt.Vterque igitur cauendus & corrigendus:diurnus etiam ſomnus, & ſtatim aſſumpto cibo , improbatur, niſi nox vigil,aut inquieta præceſſerit.Cæterùm vtilis ſomnus eſt,ſi nocte debitis horis conciliatur; tunc [g] enim animalis facultas quieſcit,& naturalis validius agere videtur;vnde cibus non ſolùm in ventriculo, verùm etiam per vniuerſi corporis ambitum optimè præparatur;inſuper capiti vulnerato adeò conferre videtur,vt pus optimum perpetuò gignatur.Secus verò in vigilijs apparet, in quibus nulla datur occaſio,quin cerebrum moueatur,& in ſomno quieſcit,in quo [h] etiam,ſi moderatus eſt,dolores omnes mirè ſedantur.nam ſomnus,dum retrahit ſpiritum,ſopita facultate ſentiendi,dolores mitigat: & caloris innati ope vulnera omnia rectè diſponunt,& accidentia profligãtur.Cubabit ergò ęgrotus,qua parte minus dolebit,donec pus ſit genitum.tunc enim,vt facilius pus effluat,affecta parte cubet , niſi dolor id prohibeat.

e ¶Hipp.2.aphoriſ.3.7.apho.68 Gal.2.apho cõ. 3.

f ¶Hipp. 2.reg. acut.i fine. Gal. in commento.

g ¶ Gale. 4.de mor.cap.vlt.

h ¶ Auic.4.1.c. 30.

DE

DE MOTV, ET QVIETE.

VNIVERSI corporis quales ſint motus,tùm mentales,tùm arbitrarij,licèt minimi fuerint, ingenti exiſtente caluariæ fractura,abigendi ſunt, veluti in rigore contingit. ſiquidem, dum quieſcit homo,ſolam interdùm inæqualitatem ſentit;dum mouetur,horrorem;dùm verò exercitatur,rigorem:quamobrem ſic affectis medici experientia docti conſulunt,vt ab omni motu ſe ſe abſtineant, ne [a] humores ad loca vulnerata,vtpote imbecilla,transferantur.Quies [b] ergo,tanquam ad curationem neceſſaria,præſertim ſi magna ſint vulnera,conferre videtur;optimum enim iſtis,inquit Celſus,medicamẽtum quies eſt; moueri enim, & ambulare alienum.& Galenus dicebat.Quicquid in corpore diſſectum eſt,id exquiſitam,integramq́;expoſtulat requiem: quæ non ſolum corpori vniuerſo,ſed oculis etiam imperanda eſt,qui ex nimio motu,& copioſo lumine multum agitantur,& ſpiritus reſoluuntur. Quieſcat [c] igitur,vt dictũ eſt,æger in lecto valde molli,ac humili,& cõclaui obſcuro;Vulnus verò ęſtate bis,hyeme verò ſemel pro cura moueatur;ęger parcius loquatur; ſermo [d] nãque prolixus,& capitis inclinatio,riſus,& clamor his affectibus mirificè obſunt arcenda ſunt, quæ ſternutamenta cient,fumus nẽpe,odores mali,fœtidi,aut acuti,& vomitus,qui vulnerato capiti aduerſatur. Vulnus in ima ſemper, & decliui parte quieſcat,præter illud,ſi magnum fuerit,quod in lateribus infigitur,,ne quandoque cerebrum procidere poſſet.reliqua verò talem ſitum expoſcunt,vt excrementa,purulentaq́; materia facilius expurgetur.At exercitij loco vt vapores auerſionis gratia remeentur,leues frictiones,& his partibus,quæ longius à vulnere abſunt,ante cibum,& euacuato ventre commendãtur:pariter interdum cucurbitularum ſpatulis,atque dorſo abſque ſcarificatione applicatio,vtilis admodum creditur.

a ¶ Gal.4.apho.com.33.
b ¶ Hipp.lib. de Vlceribus. Gal. 6.aphor.com.6 & 6.meth.ca.3.
c ¶ Celſ.li.8. ca. 4.Gale.6.meth. cap.3.Auic.4.4. tract.3. cap.2.
d ¶ Auicen.4.4. tract.2 cap. 10.

DE ANIMI AFFECTIBVS.

NEGOTIA,[e] cogitationes,ſolicitudines,iræ,furores,clamores,timores,triſtitiæ, & omnes vehementes animi motus,& huiuſmodi reliqua,quæ corpus alterare, & à naturali ſtatu peruertere poſſunt,cranio fracto aduerſantur,& obnoxia iudicantur:quapropter omninò à ſimilibus abſtinere oportet.ſiquidem [f] dictum eſt,lætari mente in omni morbo bonum,pleriques[g] etiam præ gaudio dũtaxat magno ab acutis,& chronicis paſſionibus euaſere: porrò [h] ex congruis remedijs, quæ in quolibet morbo conferre poſſunt,illud eſt,quod vires validas reddit animales,& vitales,ſicut lætitia,& gaudium, attamen nec cantus,nec inſtrumentorum harmonia,& ſonitus,nec ludus probatur,nec mulierum illecebræ laudantur:nam ſanguinem mouent,riſum excitant,& in longum ſermones protrahunt, quę omnia, caluaria fracta,inimiciſsima ſunt.Qui itaque [i] partes capitis affectas patitur,motus omnes, tùm mentales,tùm corporales dimittat,quieſcat,& hilaris ſit,ac quicquid, ipſo audiente,profertur, lætum omnino eſſe debet,& perpetuò ad eius indubitatam ſalutem,iuuat [k] nempe ægrum ſermonibus,aut veris, aut fictis oblectare.Strepitus omnes amoueantur,& quæ horrorem inducere ſolent,vt pumicum ſimul, aut ferri cum ferro frictiones,& huiuſmodi viſui,& audicui valde moleſta.Cæterum ante omnia æger medico confidat.nam [l] plures ſanat, in quo plures confidunt,& ob id languentibus gratum,humanum, affabilem ſe præſtare ſtudeat Medicus,maturam,indubitatamq́ue ſalutem promittendo. Hæc omnia diligẽter obſeruanda ſunt,etſi magis ad partem, & methodum præſeruatiuam, quàm ad curatiuam, videntur pertinere.

e ¶ Gale.lib.art. par.med.ca.85.
f ¶ Hipp. lib.2. de mor.
g ¶ Gale.lib. de ludo paruæ ſphæræ.
h ¶ Auic.4.c.1.
i ¶ Auic. 1.3. c. 29
k ¶ Hipp.6.Epidem.par.7.
l ¶ Gale.1.prognoſt.comm.2 Auic.6.nat.par. 4.cap.4.

De leui,ac ſimplici capitis vulnere, & eius curatione. Cap. VII.

VVLNVS [m] quodcunque cęſim,aut punctim leuiter caput attingens,ad pericranion vſque deductum abſque ſubſtantiæ detrimento,omniq́ue ſymptomate prorſus deſtitutum,ſane ſimplex vocitari debet,nec curationẽ aliã expoſcit, ſi corpori prauis ſuccis ſcatenti non euenerit,quàm abraſis capillis partium diſſidentium vnionem, ac poſtmodum partes ſic vnitas ſeruare laqueo,aut ſutura,aut decẽti ligatura, ſi decet,vinculo ſcilicet duobus initijs circundato:coeunt nempè ex ſe mollia membra, ac viſcoſa humido proprio,ac elementari,,dum in vnum adducuntur, agente natura per ſe abſque medio,dura verò per accidens medio eterogeneo,poro nempe ſarcoide,ſiue alrosbot; in ſimilibus enim vulneribus partiũ carnoſarum,vt oræ ipſæ ſecum coaleſcant,atque agglutinentur certè ſola natura,& calor natiuus cauſa eſt,qui aut ipſamet natura eſt,aut eius proximum inſtrumentũ.Equidem dictum eſt, coaleſcere facit ea, quæ inuicem diſtant, ac priſtinam reſtituit vnitatem ipſa natura. Cæterum tria requirunrur ad hoc,primum partes vnire, vt iam dictum eſt. Secundum,indicatione ſumpta à cauſis, prohibere, nè quid labijs vulneris intercidat; quoniã ſæpè vſu venit, vt puluis,pili, aut oleum,ſiue quæuis alia humiditas interueniens,earum,quę copulandæ ſunt,partium vnitatẽ impediant. Tertium præuidere,nè aliquod accidens vulneri ſuperueniat.Et hæc abſoluta ſimplicium,leuiumq́ue capitis vulnerũ curatio eſt,ſi temperatis,atque valentibus corporibus occurrant. Quòd ſi fortè hac prima intentione, operationis finis fruſtratur:tunc indicatione ſumpta à vulnere,ſiccis medicamentis vtimur,

m ¶ Gale.li.art, par.med. ca.90. 3. meth. cap. 3. 4. meth. cap.1. Aet.lib.4.ca.20 Paul.lib.4.c.36 Raſis li. diuiſ. c. 138.7.ad Alm. cap.3.Auic.4.1. c.28.4.4.cap.3.

aridis nempè cephalicis,veluti ex Iride,Aloe,Olibano, Ariſtolochia,& Orobi farina.omnis nanque medicina,quæ temperatè exſiccat,ac leuiter ſine dolore abſtergit,his omnibus vulneribns conueniens eſt. dictum ſiquidem eſt,vulnera duobus modis ſanari,vel per agglutinationem partium,vel per carnis concretionem. Verum cùm corpora ea optima temperatura media deſtituantur,ac eucraton corpus inueniri non permittatur, interdum in ſimilibus diuerſas nanciſci operationes neceſſum eſt, cùm ex ſutura ipſa,aut laqueo inconueniens aliquod multoties oriri videatur,veluti ſaniei collectio,dolores,ac inflammationes,nec vndique,ac æquè medicamenta partes omnes attingere poſſunt:talia verò vulnera capitis chirurgorum noſtratium vſus eſt non conſuere,tum ob cutis duritiem, tum vt facilius abſtergi poſſint. attamen [a] cùm ampla fuerint,& labia latiori ſpatio diſſident,abſque timore ſui poſſunt, licèt plerique hoc opus affatim in capite improbent:expurgato igitur vulnere,illud conſuere oportet, præterquàm in temporibus,præſertim ſi vaſa,quæ ibi locantur,ſunt affecta;tunc enim laqueis id conſtringere licet, aut relicto muſculo, corium ſuere,ne aliquod ſequatur incommodum: porrò [b] ſcire licet,quæcunque cute conteguntur,ſi nuda fiunt,proprio velamento delectari,cæteriſque omnibus lædi. at nuda caro, ſi ſine cute relinquatur,ægrè ad cicatricem perducitur,& quæ vlcus purgant ob detergendi facultatem mordent:vbi verò pars, à qua detracta cutis eſt,eadem contegatur,nullo modo afficitur. ex his patet etiam os quodlibet innata cute contengedum eſſe: Huiuſmodi enim vulnera interdum ſimplicium genus pertranſeunt,& ab ambiente,ac medicamentis actu frigidis ea non conſuta alterari contingit. nam ſtipantur humiditates in labijs,& oritur cruditas;quò fit, vt maiori præparatione,ſeu concoctione poſteà indigeamus,quouſque pus optimum appareat,alioquin facultate operatrice impedita,ſanguis,qui ad partē affectam ab ea potentia,quæ noſtrum regit corpus,demandatur, aſſimilari non poteſt,nec partes diſiunctas agglutinare. Atſi ad hæc neceſſitate vrgente non impellamur,haud ab re factum eſt(veluti in his vulneribus nonnulli faciunt,licèt non contuſis)vti,ſaltem primis diebus,puluillis,ſiue linamentis, aut lichinijs ex lino carpentato,aut leniſsima ſtupa paratis,recenti roſaceo omphacitide prius madidis,ac tepidis,& circa vulnus in orbem eodem oleo inungere, inde molli linteo duplicato madefacto operire, ac ſuperaddita molli ſtupa caput leuiter faſcijs inuoluere. Sunt & [c] alij,qui, vt ſuppurationem citius molliantur,ethiſeos medicamentum,quod digeſtiuū vocant,admouent.fit nempe ex roſaceo, & oui luteo: verùm detecto pericraneo,reſinam lentiſcinam addunt,tali vtentes medicamento vſquequò pus optimū appareat,inde [d] cephalica remedia adminiſtrant ad integram vſque cutis æqualitatem. emplaſtrum demum ex betonica,aut palmulatum,aut triapharmacum pro cicatrice inducenda ſuperimponunt, & hæc eſt probabilis, & laudata cura. Si autem neceſſitas ad ſuturam impellat,& vulnus tali medio coierit,tūc & oleum,& ſuppurantia omnia abigenda ſunt,ſed ſiccioribus inſiſtendum,tùm vt ſutura vnita ſeruetur, tùm etiā vt putredines arceantur,& cutis natura,quæ in capite dimiſſa vola manus,aut pedis planta omni alia,& durior,& ſiccior eſt,conſeruetur.Sumito igitur Aloes,Sarcocollæ,Thuris corticum, Boliarmeni ana.ex quibus paretur puluis ſubtiliſſimus pro molli corpore ; in duriori ac exercitato,Albucaſis calcem viuam,aut ridis radicem addere ſolitus erat. Cum verò pericraneum ſciſſum fuerit,cùm ſit membrana neruea,ac per ſuturas duræ meningi annexum,diligentem curationem exigit,indicatione ab affecta parte ſumpta;nam neglecta eius vulnera dolores,febres,inflammationes,ac conuulſiones accerſunt: quapropter præter rerum non naturalium obſeruationem,& conuenientes euacuationes, vulnus iuxta opportunitatem regatur,vtpote dolore quodam inuadente,roſaceum oleum,quod completum vocant, aut ex terebenthina,aut ex vitellis ouorum adhibendo,donec dolor leuetur,pars affecta ſic foueatur vſquequò laudabile pus gigni poſſit. Si autem vulnus dolore vacet, ab aridis cephalicis diſcedendum non eſt. hæc enim leuium capitis vulnerum communis curatio eſt,in quibus, ſi aliqua ſubſtantiæ deperditio appareat,aut labra multùm diſſideant,aliquo ſarcotico medicamento vti poſſumus, nempe illo à reſinæ ingreſſu,reſino,aut à citri colore,citrino nuncupato,baſilicone minori,aut periclymeno,quod ex matreſylua appellatur. nam hæc præſtantia medicamenta ſunt, quamquàm ne verbum quidem vllum Theophraſtus,aut Dioſcorides ad capitis vulnera valere fecerint,quemadmodum de betonica dixere: quare medicamentum ex betonica ſummopere probatur; illud pariter, quod ex gummi ellenia, quam ellemi dicunt, paratur, & illud Galeni, quod nigrum appellatur,aut ex Lino Meſues, quod Auicenna approbauit; quorum omnium deſcriptiones in calce huius primi libri videri poterunt. Vnum vlterius ſcire etiam oportet, quod in his ſimplicibus vulneribus conſolidandis deligandi modus ſummè neceſſarius eſt. igitur danda eſt opera, vt vitato omni incommodo, deligaturam ex faſcia lintea,quæ huic operi aptiſſima eſt,nec arctare,nec remittere debeamus,ſed eius terminus ſit bona laborantis tolerantia, ac partium vnitarum conſeruatio. cæterum extrema faſciæ acu aſſuenda ſunt, nam nodus multum lædit, & dolores inferre ſolet.

[a] ¶ Gal. 2. Meymir vbi ad c. dolore mex ictu a polo.
Aet. lib. 14. c. 26
Albuc. li. 2. c. 84

[b] ¶ Gal. commētario. 3. libri de facturis Hipp.

[c] ¶ Aet. lib. 14. cap. 26.
Alb. lib. 2. c. 84.

[d] ¶ Hipp. lib. de vul. cap. Gale. 6. meth. c. 6.
Aet. lib. 14. c. 35.
Auic. 4. 4. tract. 3. cap. vlt.

De

De capitis contuſione abſque cutis ſolutione, aut cranij manifeſta fractura. Cap. VIII.

VBI caput à graui quodam corpore obtuſo,& æquali, quod extrinſecus ſuperincide rit, contunditur, venæq; exiguæ indidem diuortium experiuntur, ſanguis, vt ſolet, cum tunicas venarum tranſcolat,profunditur,cute inquã,& externa facie integra, & tumor tactu mollis,cedens,liuidus,magna ex parte indolens oritur,& fit paſſio, quam Græci ecchymoma,& Latini ſimplicem contuſionem vocant, ſtatimque geminæ curationis indicationes naſcuntur. Eo igitur animo primò tendimus, nè ad affectam partem alienę humiditates procumbãt,demum,vt extra venas progreſsũ ſanguinem, qui in læſa ſede continetur,diſſipemus,atque confeſtim,antequàm nigruerit.Vix [a] enim fieri poteſt in contuſis,quominus humores aggregentur; qui crebrò putredine corripiuntur; icircò non immeritò eas medici quamprimùm curare accelerant,priuſquàm alterentur, eò ſanè curationis conſiliũ dirigentes,vt eas abſumant,non ignari ægrè diſcuti poſſe,ſi iam in cumulos coierint,& altè conſtiterint. Per [b] initia enim in his affectibus nõnihil ex aſtringẽtibus ijs, quæ digerunt,admiſcere oportet,eo quòd venarum tunicæ contuſæ denſationem requirunt,indè ad ſola medicamenta digerentia deuenire tempeſtiuum eſt. Quapropter caput à capillis deraſum roſaceo immaturo,quod methopion,& omphacinũ vocant,inungatur,aut [c] oxyrodino,aut [d] roſaceo myrtino admixto, deindè oui candidum,quod albumẽ appellant,aliquandiu agitatum, & leni ſtupa exceptum admoueatur, quod ad ſecundam tantùm diem ſat erit,poſtmodum decoctum excipiendum ex vino nigro,auſtero,tepido,in quo roſæ,myrti,betonica, camomilla ebullierint,vel oxyrodinum oui albumine admixtum,denique ſic per diem quieſcat;& ſi dolor aliquis appareat,bis in die medicamenta permutare conducit,& roſaceo maturo tepido caput totũ irrorare,ac lanam eo imbutam ſuperponere:veruntamen,ſi reſolutioni magis vacare deceat, puluis hic aſpergatur ex roſis, myrtis, betonica, & calamento, ac deſuper lata ſplenia decocto prædicto madefacta, ac expreſſa apponantur, ſiquidem leues contuſiones ſic quietè curari ſolent. Præſtat etiam nonnihil faſciarum obuolutionis modus; arctatio enim modica fluxiones arcet, & innatum calorem ſeruat, nè à copia humiditatum vincatur; quò fit,vt etiam validior reddatur ad diſcutiendum omne,quod præter naturam coniunctum fuerit:verùm [e] huiuſmodi deligationis vſus,antequam pars in tumorem attollatur,competere videtur;pars enim tumida æqualem exigit ligaturam, ſitque eius initium, vbi ſedes contuſa eſt,& vergat quò fluxio accedere minatur;faſciam autem, qualis eſſe debeat, poſtea dicemus. Si verò vehemens fuerit ictus, ac ex intenſo dolore fluxio ingens confeſtim oborta ſit, tunc parte capitis contuſa,percuſſionis modo, teli genere,diſtantia,ac percuſſoris robore ſedulò perſpecto, reliquis accidentibus,ſi quæ præceſſerint,aut adſint, neglectis,ſcrutandũ eſt, nunquid caluariæ aliquid contigerit;ſæpe enim,vt dictum eſt,frangitur caluaria,cuti illæſa,cuius curationis modum ſuo dicemus loco. Quòd ſi cranium noxam effugerit,contuſionis duntaxat,ac tumoris habita ratione,ad cutis ſectionem illicò deuenire non licet,ſed illicò venam ſecare expedit, ſi nihil impediat corpus pharmaco bilem educente mouere, tenuem victum inſtituere,ac omni ſtudio fluxionem auertere:porrò ſi quietem expoſcimus, enæmatum ſaltem quotidianus vſus ſit,cùm plurimùm ad auerſionem conferant,ſed de hoc ſatis;ſuperiùs enim abundè dictum eſt.Localia verò medicamenta,indicatione à dolore ſũpta,ea ſint,quæ affectæ partis innatum calorem foueant,& doloris cauſam abſumant,iccircò lana dulci oleo calẽte madida probatur,aut rhodinum,& ſapa,aut roſaceum,& oui luteum per vices adhibitum.&,ſi hæc parum prodeſſe videntur,locum decocto Altheæ,ſeminum lini, fœnugræci. & betonicæ fouere non dedecet, canonicè [f] tamen magis operantur(inquit Auicenna) qui ad ſedandos hos dolores oleis tepidis ſolùm vtuntur. quarapropter noſtrates Chirurgi roſaceo,myrtino,camomellino,& liliorũ alborum hilari corde,ac tutò vtuntur;aliqui verò gallinaceam,aut anſerinam axungiam addunt;alij vnguentum Dialthææ, aut alabaſtrinum. nam hæc omnia dolores mulcent, & contentos humores diſſipant.Leuato aliquanti ſper dolore,diſcuſſionem valentiùs aggredi poſſumus,nè quod in tumore relinquitur, ſuppurationem experiatur;quare ſatius fuerit reſolutionem, præterquàm in criſi,vel in materia valde putri diligenter molliri:quocirca Auicenna [g] calamentum,farinam hordeaceam,ac hyſſopum humidam ſummopere extollit: à nobis verò tale probatur medicamentum. Accipito cimarum Abſynthij m.iij.roſarum rubearũ, florum Camomillæ,Betonicæ,Sertulæ campanæ ſingulorum m.j. bulliant omnia in vino nigro, poſtea contundito,& addito farinæ hordei,fabarumque an.vnc.iij.Cimini vnc.s.roſacei,quantum ſat ſit pro cataplaſmate.vel ſumito Reſinæ laricinæ vnc.iij.Hyſſopi humidæ vnc.ij.Abſynthij, Betonicæ,ſingulorum vnc.j.Cimini vnc.s.olei maſticini,camomillini ſingulorum vnc.ij.farinæ hordei,ac ſeminum lini ſingulorum vnc.j.s. miſceto, & fiat emplaſtrum,cuius adminiſtratio,vt materia diſcutiatur,poſt diem quartam probatur;quidam verò ad hoc opus tãtùm emplaſtro ex betonica,aut de gummi elemi,aut illo mirabili humano Iacobi Carpenſis perpetuò vtuntur. At ſi quis fluxerit humor pituitoſus ſolus, aut eterogeneus,eiuſq; notæ ſint tumor mollis,indolens,decoloratus,& frigidus,corpore priùs euacuato, aut Aga

a ¶ Gal.4.meth. cap.7. Aet.li.14 ca.69. Paul.lib.4.c.30. Auic.4.4.tract. 2.cap.2.

b ¶ Gal.13.meth.c.3.Auic.1.3 tract 1.cap.3 & tract.3.cap.3.

c ¶ Gal.2.de cõp.med.ſecundũ loc. vbi ad cap. dolores ex [illegible] Raſis 6.ad A m. cap.vlt.

d ¶ Gale.2. de comp.med ſecũdum loc.vbi de Soda à percuſſ.

e ¶ Auicen.4.4. tract.2.cap 3.

f ¶ Auic.1.3.tract.2.cap.2.

g ¶ 4.4 tract.2. cap.3.

rico,aut catapotijs cochijs,ſumatur Camomilla, melilotus, ſtœchas,abſynthium,androſemum, betonica,calaminta,calamus aromaticus,ſapa,mel,oleum liliorum,& camomellinum,& formetur cataplaſma. Hæc & ſimilia auxilia in communem vſum veniunt,ſemper [a] veluti ſuppoſitum accipientes, quòd diſpoſitio,ſiue affectus nobis præſidia ſubindicant,menſuram verò vniuſcuiuſque,& particularem in materijs ſuggerit pars affecta,ægrotantis temperamentum,robur præterea,denique ætas circunferentis,tempe-ries,anni tempus,& conſuetudo viuendi;Bilioſo ſucco iam defluxo,corpus purgare oportet medicamẽto,vt iubet Hippocrates, cologogo:deinde locus inflammatus violaceo,ac roſaceo oleo , aut vnguento roſato Meſues inungatur:porrò in his percuſſionibus occurrere ſolet,dum tenuiores ſucci partes inſenſibiliter euanuerint,vt craſſiorum reliquiæ,quæ quoquomodo adhuc ſuperſint,in duritiem aliquam conuertantur,quam poſtmodum tollit tutò emplaſtrum ex ſuccis Andromachi ; ſiue diachilon Meſues , aut apoſtolicum Chirurgum Damocratis,aut ex pyrite Galeni,aut ex caſeo Aetij,aut aliud ſimile emolliẽs, ac materiam per halitum digerẽs.Cęterùm cùm ob corporis plenitudinem,aut meatuum anguſtiam,aut humoris copiam vel craſſitiem,ac caloris innati ſuffocationem nihil diſcuſſum fuerit,& apoſtema ad ſtatum deuenerit,ſuperante calore præternaturali,ſuppurationem expectare oportet:tunc igitur præſtò eſſe debemus, ne innatus calor diſſipetur , vt valentius in concoquendo ſe habeat,hoc præſidio tanquàm præſtantiſſimo vtentes,fomento nempe ex oleo dulci tepido,aut decocto maluarum althęæ , & caricarum pinguium in iure ſalem non experto, vel horum ſubſtantiam ſic paratam accipito,ipſamque contuſam,ac per cribrum tranſmiſſam,farinæ triticeæ vnc.iiij.adipis Gallinæ vnc.ij.olei communis,quod ſufficit,vitellos ouorum num.ij.& cataplaſma conficito.pariter ad pus mouendum adminiſtrabis, & idoneũ ab omnibus [b] probatur emplaſtrum macedonicum,ſiue triapharmacum,quo continuò ad phlegmones concoquendas vtimur . conſtat quippe ex olei dulcis parte vna, aquæ communis duabus partibus,& triticea farina,quod ſatis ſit.huic addunt nonnulli vitellos ouorum,ac thuris cortices;cumque in abſceſſu, quem Arabes dubelet, & Græci apoſtema vocant,materiam in ſaniem conuerſam contineri ex notis ad tactũ, ex dolore,& febre,nouerimus,ac inundare ſub digitis perceperimus, ipſam extrahere neceſſe eſt, ne alterato pericraneo,&,quæ ſibi colligantur,interiore membrana cerebrum ambiente , aliquod accidat incommodum;quod quidem abſoluitur ſectione facta,annuente Hippocrate,in parte tenuiori,ac decliuiori ad prolapſum opportuna,inſtrumẽto nimirum idoneo,quod à ſemilunari,ſiue curua forma Græcè [c] ſcolopomacherion,Arabicè [d] Gamedin,Latinè [e] ſpatumen curuum,vulgò Gamaul,vel Gamaut dicitur,vel altero inſtrumẽto huic non abſimili,quo in fiſtularũ ſectione vtimur,à Græcis [f] ob fiſtulas,quas ſyringas appellant,ſyringotomum,ab Arabibus [g] Embula,& Caiada,& à Latinis [h] Manubriolũ,vocitato, quorum imagines in officina cernuntur .

Porrò accommodata ſunt huiuſmodi inſtrumenta,ſi tumor depreſſus,& nõ extuberans appareat, cutiſque dura,& aſpera fuerit;quòd ſi eleuatus,eminens,& in mucronem tendat,culter rectus,acutus,& vtrinque ſecans magis probatur,qui duplici modo [i] formatur,vel enim myrti folij imaginem refert , aut oliuarum folijs aſſimilatur, propterea & myrtinus,& oliuaris culter vocitatur . Et quia ad venæ ſectionem,quam phlebotomiam vocant,valere omnes confitentur,phlebotomum ferè ſemper nuncupatur ; quidam ſcalpros Chirurgos,& alij ob ſagittæ formam ſagittellas & vulgares lancettas vocant.Fiunt hęc inſtrumenta hoc modo,ſed variant in latitudine,& acumine,quorum vtilitas,vt ſanguis craſſus,aut ſubtilis à vena euacuetur ſecundùm opportunitatem,celebrari debet . In officina formam videas .

Dissecto abſceſſu , atque euacuata,vt decet,materia,ſi ſanguis emanauerit, vitello ac oui albore contuſo,& leni ſtupa excepto ſupprimatur,inde ſaniei generationem accelerare oportet,adhibitis medicamentis,quæ,quia pus mouent,digeſtiua nuncupantur . ſiquidem à Galeno [k] dictum eſt,ex præſidijs in ipſo vlcere,quæ linteolis excipiuntur, primum ea ſunt,quæ pus mouent;deinque expurgant, poſtea,ſi quæ ſint cauitates,quæ impleant, vltimò quæ cicatricem inducant,adhibenda veniunt; prima à Græcis ſeptipa,ſecunda catarctica,& rhiptica,tertia ſarcotica,& quarta epulotica.At quia in calce huius libri primi,qualia ſint hæc medicamenta,coprosè explicabimus,ac quibus indicationibus hi abſceſſus regantur, de ipſis hactenus dictum ſit ſatis .

a ¶ Gale. 2. de comp.med.ſecũdum loc. vbi de cap.dol.ex ictu.

b ¶ Gal.5.de ſim p.med.diſt 2.c. 5.13.meth.c.2. 2.ad Glau.ca.5. & 5. de comp. m.in gen. Auic. 3.4.cap.3.

c ¶ Gal 14.meth.cap. 14.& 8. de aggreſſ anat. Aet.lib.15.c.86. Paul.lib.6. cap. 23.74.

d ¶ Auicen. 3.4. tract.2.cap.5. Alb lib.2 ca.80

e ¶ Cel. lib.5. c.

f ¶ Gal 6 .meth. c.4.& 8.de adm. anat. cap.4. Paul.lib.6.c.52.

g ¶ Auic 4.4 c.7 Alb.lib.2 ca.80 87.

h ¶ Cel.lib. 7.c. 19.

i ¶ Hipp. lib.de medico Celſ.li. 7.cap.2.Gal.14. meth.cap.17.& 6.meth. cap. 4. Aet lib.14.c.32 Paul.li.6.ca.34. Auic.4 1.ca.20

k ¶ 13.meth. c.2

De contuſis capitis vulneribus abſq; caluariæ nocumento. Cap. IX.

SI impetu aliquo in capite fiat ictus, telo obtuſo, graui, inæquali , & non incidente, cutim, panniculum membraneum,& ſi qua eſt, muſculoſa ſubſtantia abrumpi contingit,ſæpè etiam pericranion,cranio integro permanente; interdum verò ſeruato ipſo pericranio, externarum partium fit continui ſolutio contuſa,quæ,& ſi non ſtatim, paulò poſt vlcus profundum , & latum producit,& curationem huiuſcemodi expoſcit. Quamprimùm igitur ęgrotantem adierimus , ſedulò inſpiciendum eſt,ſi quid in vulnere præter naturam contineatur , vt lapillus, feſtuca,capilli , vel aliud quid ſimile,illudquè auferendum,atque iam nullam adeſſe Caluariæ fracturam certiores redditi, abraſis capillis per vulneris ambitum , ſi ſanguis immodicus fluat,pulueribus ad hoc præparatis,aut filis cõbuſtis,aut oui candido ſupprimatur,decentiquè ligatura caput aduoluatur : quòd ſi circumpoſita loca

dolore

dolore,aut inflammatione afficiantur, propria eius effectus ſanatio inuenienda eſt, illud pro certo habentes,fieri non poſſe, vt vulnus ſanetur, niſi ſedes, in qua conſtiterit,iuxtà temperiẽ ſe habeat. Tunc igitur præmiſſa euacuatione tùm per venæ ſectionem, tùm per medicamenta purgantia, vt fluxiones auertantur, tenuique victus ratione inſtituta, quę omnia ab omnibus medicis[a] commendantur, licèt corpus nec ſanguine, nec vllo ſuccorum vitio redundet,deteſtabilem illam reijciendo methodum, vt refet Raſis, qua craſſum victus regimen, carnes inquam, caſeus,oua,vinumquè permittuntur, vulnus per initia regatur in ambitu, vt leuetur dolor,roſacei,aut myrtini illinitione,intus ea admouendo, quæ pus mouent,communiter digeſtiua appellata, donec ſymptomatum præterierit ſuſpicio. neceſſe eſt enim (inquit Hippocrates)contuſas carnes pùtreſcere,& in pus verti:incumbendum igitur eſt, vt huiuſcemodi contuſiones quàm celerrimè ſuppurent,minus nanque phlegmone tentabitur vulnus, ac ex ſedatione doloris robur affectæ parti additur, fluxioneſque prohibentur. ab his denique medicamẽtis vulneris labia præparantur iam ab ambiente,ac medicamentorum frigiditate diſsipata, alterataque, in quibus ichoris copia continetur,adeò vt tumida fiant. hæc nempe cruditas illa eſt, cuius meminit Hippocrates[b],cum dixit [Vulnus incrudeſcens non paruam moleſtiam exhibet,aliquando etiam febrem inducit, & medico quidem negotia, ægroto verò periculum non minus affert.] quocirca medicamentis in calido, & humido temperiem plurimum non excedentibus vtendum, vt vigorem capiente innato calore,concoctio partis inualeat;alioquin vulnus huiuſmodi curationem non facilem admittit. nanque[c] concocta medicari oportet; & hinc eſt, quòd princeps Auicenna dixerit, omne vlcus exſiccatione indigere, præter attritum aut contuſum,illud enim humectari,& mollificari expoſtulat. Amplius dictum eſt, [d] contuſum vulnus ad cicatricem nequit deduci,niſi optima preceſſerit concoctio, abſterſiove. Hæc itaque ſeriatim ſeruanda ſunt, vt contuſum vulnus prius coctionem experiatur, deinde non doloroſam abſterſionem, poſteà nouæ carnis productionem vſque ad cicatricem æqualem. In his igitur per initia roſaceo ſolo,veluti efficaciſsimo,ac preſtantiſsimo remedio,vti debemus, in mollioribus præſertim, delicatiſq;, ac acuti ſenſus corporibus,cùm in eo requiſitæ omnes conditiones reperiantur, vt alibi fuſius enarraturi ſumus,& eo vtendum eſt,vel ſimplici, maturo,vel oui luteo admixto, quouſque pus optimum apparuerit,atque magis pericranio illæſo. In durioribus verò corporibus, ac humidis vulneribus, reſina laricina addito oui luteo,ac roſaceo probatur; ſiuè quouis alio pus mouente medicamento, vt picato Galeni[e] ex pice, roſaceo, & cera,quod etiam triapharmacum vocant. aut tetrapharmaco[f] ex pice colophonia, cera,adipe taurina,aut vitulina: Nos autem probamus illud, quo felici euentu vſi ſumus, & vtimur. conſtat nempè ex oleo roſato completo,reſina terebinthina, ſingulorũ vnc. iij. ceræ vnc. j. croci ſcrup. 5.quòd ſi aliqua inflammationis ſuſpicio adſit,abluatur reſina aqua betonicæ, addaturq; farinæ hordei vnc.j.&,vt ſarcoticum,id eſt carnis productiuum, euadat,drac. i j.pulueris corticum thuris, & drac.j. aloes admiſcere oportet, ex quo filamentis ex panno lineo molli, ac ſubtilli illitis, vulnus imbuatur; in ambitu verò ex roſaceo optimo inunctio fiat,amplumquè linteum eodem oleo madidum regionem omnem induat: quidam etiam indicatione à dolore ſumpta anodinum aliquod adminiſtrant, & ſi peruertatur intentio, accipientes triticei panis medullam, hordei farinam, roſaceum,& oui lutea, ex quibus cataplaſma paratur, quod exterius apponitur, alij maluarum folia ſumunt, violarumque, ac ſertulæ campanæ flores ſingulorum m.j. radicum althææ vnc. ij. omnia in iure ſalẽ non experto bulliunt, poſtea contundunt,& per cribrum tranſmittunt,inde addunt farinæ hordei vnc.iiij. roſacei, ac violacei ſingulorum vnc. i j. ouorum lutea nume.i j.croci ſcrup.j. & cataplaſma componunt, & ſuper alia medicamenta applicant. Si verò affecta pars, vt in contuſis ſæpè euenit, pituitę copia redundet, & tumor aliquis œdematoſus oritur, vt in corporibus cacochimis, ac cruditate repletis oriri contingit,curetur,vt in præcedenti capite dictum eſt: vnum autem prætereundum minimè cenſemus,quòd ex humidorum medicamentorum vſu diuturno noxa in affectis temporum muſculis,ac magni cruciatus naſcuntur; quapropter humida cauenda ſunt, & iuxta requiſitam intentionem in lacertorum,& tendonum vulneribus corrigantur. Concoctione iam ſe oſtendente, vulnus leuiter abſtergatur, quod præſtat ſyrupus roſatus ſimplex,rhodomel, farina hordei, ſuccus apij, aut terebinthina leta,& ſimilia,aut per ſe,aut aliquo ex prædictis digeſtiuis admixta.& ſi fortior requiratur abſterſio, id facit iſidis addita portiuncula, adeo vt nulla eroſio percipiatur. ſic enim procedere oportet, donec vulnus floridi coloris,& viuidi appareat,& dum leuiter tangitur, doleat. Mox purgato,vt decet, vulnere,ad ea, quæ nouam gignunt carnem,tranſire oportet,& hæc in curandis iſtis vulneribus contuſis ſecunda erat intentio,humida prorſus omnia medicamenta dimittendo. Ea igitur ſumenda ſunt, quæ primum,aut ſecundum ſiccitatis gradum non excedunt,& arida cephalica vocãtur,ex quibus tenuiſsimus puluis paratur, quo caua vlcera replentur: aut ſi decet, aliquo eſt vtendum vnguento, nempè ex matreſylua,aut reſino,aut baſilicone minori,aut de gummi elemi, aut eo,quod à nobis in magnis ſectionibus probatur. Sumito artemiſiam, ſcabioſam, valerianam, betonicam, hipparim, verbenam, pimpinellam ſingulorum m. j. contundantur,& ſuccus extrahatur,cuius vnc. vj. accipito, olei roſati,maſticini,myrtini ſingulorum vnc.ij.bulliant ſimul, donec ſuccus euaneſcat.indè reliquo tranſfuſo addito, myrrhæ,aloes,thuris,maſtices, ſanguinis draconis ſingulorum drac. i j. cere citrinæ, quantum ſufficit,pro vnguento extenſibili, quo vtimur, turundas indies imminuendo, ſic enim carnem modo, quo ſupra diximus,

a ¶ Hipp. lib. de fract. Celſ. lib.2. c. 10. & 26. Gal.4. meth.ca.5.& 2. de comp.m. ſecũdũ gen. vbi de Soda a percuſſione. Raſis.6.ad Alm. cap.vlt.& 7.ad Al. cap.1. Auic.4.1.ca.20 28.& 4.4.tract. 2. cap. 3. Alb.l.b.3.cap.3.

b ¶ Li.de Calu. curat.in prin.

c ¶ Hipp.lib.de humorib. & 1. aphor.22.

d ¶ Hipp. li. de Cal. curat.& li. de Vlceribus. Gal.4. meth.c. 7. Aet.li. 14. ca. 26. Auic.4. 4. tract.3. cap.2.

e ¶ Lib. Hipp. de fract.com.3.

f ¶ Li.de elenẽtis,& 13.meth. cap.2.

ximus, naturæ auxilio generare opus eſt. Cicatrix poſtremò emplaſtro palmeo, aut græco, aut ex betonica, aut ſimili obducatur.

At ſi in affectibus capitis contuſis caluariæ os fuerit detectum, an læſionem aliquam patiatur, diligenter inquirere oportet. occurrit enim interdū, vt contundatur ipſa caluaria ad cutis contuſionē, nulla aut rima, aut ſedes aut fractura exiſtente; ſiquidē paulò poſt maculis, & punctis ſubrubeis repletur, aut eius color inter album, & rubrum permutatur. exanguis, & arida inde fit, & multa incommoda ſequuntur. nam temporis interuallo ſanguis in ea corrumpitur; & tunc colorem, aut liuidum, & pallidum, aut cinericeum acquirit; poſtremò, quia non nutritur, emoritur, & fit atri coloris, nec amplius membrana exterior, pericranion dicta, ſecum vniri poteſt, nec minus caro ſuper eam gignitur: Hac quippe ratione Galenus iubebat, vt Caluariæ ſuperficies abraderetur, aut profunda, aut debili, vt decet, abraſione, donec ſanguis ille ycoroſus efflueret, & humida eius appareat ſubſtantia, potiſsimum verò in adultis, ſenibus, & ſiccis corporibus. Secus verò in pueris, cum eorum oſſa mollia, tenuia, ac ſanguinea exiſtant, igitur abraſione raro egent; & ſi egent, terminus abraſionis erit, eo vſque rubeus color denotetur, aut ſanguis effluat, perinde atque eſſent lachrimæ rubeæ; poſtmodum, ſi opus fuerit, vulneris labra vniantur, aut ſutura, ſi vulnus magnum fuerit, aut alio ingenio, & agglutinantia adhibeantur præſidia: ſi verò cruditas aliqua apparuerit, indicationem ſumere oportet à natura vulneris contuſi.

DIGRESSIO.

CAETERVM ſi quis fortè in huiuſmodi vulneribus medicamenta pus mouentia improbaret, vt potè humiditates, ac putredines adaugentia, quę quidem rationali methodo videntur repugnare, necnō vti venena homini inimica potius, quàm congrua medicamenta, damnaret, atque magis, quia [a] dolores, febresuè promouent, omnino abigenda eſſe, vel tanquàm ſuperflua reprobanda; quandoquidē coctio naturę, & non medicamentorū ſit opus; inſuper reſina, cùm obſit coctioni, improbum medicamentum cenſetur, obeſt nempè vulneribus ob nitroſam, & acrem quandam eius ſiccitatem, quæ coctioni omninò aduerſatur; nam humida eſſe debent, quę pus mouent. Huic profectò ſic reſpondemus, nullo modo medicamenta putrefacientia probantes (plurimùm enim intereſt inter pus mouentia, & putrefacientia:) ſed illa duntaxat, quæ partis affectæ innatum calorem, ac propemodum à ſoluta continuitate contuſa extinctum fouere, & augere poſſint, ac vt in ſanguine, & humido partis iam alteratæ, coctionis actio fiat, quod huiuſcemodi medicamenta præſtant, vt latiùs inferiùs demonſtrabitur: Porrò dictum eſt, [b] in animantium corporibus triplicem fieri alterationem, vnam nempè exquiſitè ſecundùm naturam, & fit à calore naturali in iuuatiuo, & materia admodū familiari, in qua verè dominatur natura, & calor ingenitus ſuperans, vt in ventriculi concoctione, aut iecoris ſanguificatione apparet; altera huic aduerſatur, & planè præter naturam exiſtit, cuius actor calor putrefactiuus eſt, agens in materia inutili, aut diuerſa, vt in omnibus putreſcentibus, dum talis olida, ac cœno ſimilis apparet, ſiquidem [c] putredo mutatio eſt totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam à calido extraneo in humido ſuo. Tertia inter has medium locum tenet, & veluti mixta ex naturali, & præter naturam agente, ſcilicet calore naturali, & non naturali, vt in abſceſſibus, & bonæ ſaniei generatione digno ſcitur: Ad veram igitur coctionem duo requiruntur, calor naturalis temperatus, & materia benigna & familiaris; ad putrefactionem verò calor alienus alteratus, & omninò præter naturam, & materia inutilis calida & humida, putredini obnoxia; putredo enim [d] eſt via corruptionis, ad mediam alterationem innatus calor vincens, addito non naturali, & aduentitio in materia, nec ex toto benigna, nec ex omni parte mala ſub prohibita tranſpiratione occluſa, aut in poroſitatibus carnis impacta, vt ſanguis eſt, qui extra vaſa propria, aliam acquirit naturam, & ſemimalam qualitatem adipiſcitur, præſertim ſi in loco minus tranſpirabili detineatur: quare, vt hęc vltima fiat alteratio, ſiuè concoctio, aut (vt iſti dicunt) in vulneribus contuſis digeſtio, ea omnia remouenda ſunt, quæ innatum calorem ſuffocatum conſeruant; ſuffocatur enim à valida contuſione à nimia frigiditate, aut aeris ambientis, aut topicorum medicaminum, à forti conſtipatione, & à copioſa materia, ideò ab Hippocrate [e] ea probantur, quę temperata caliditate natiuū calorem adaugēt, cutem emolliunt, ac extenuant, & dolores ſedant: Hippocratis autem propoſitio in abſceſſibus intelligenda vt plurimum eſt, non autem in vulneribus, vt paſſiones in diuortio ſunt; quinimmo, [f] vbi vulnera coctionem oſtendunt, ægri à ſymptomatibus cuſtodiuntur, & velocitatem criſis, & ſecuritatem ſanationis promittunt. quapropter in vulneribus contuſis, vt ſimus adminiculo naturæ, quæ niſi impediatur, pus optimum mollitur, vtimur medicamētis, quibus affectæ ſedis obſtructiones aperiendi, necnon dolores ſedandi vis inſita ſit; ſecus autem in abſceſſibus; ſiquidem ea medicamenta emplaſtica eſſe debent. & hinc dicebat Auicenna [g]. In contuſis vulneribus dolores ſedantur medicamentis pus mouentibus, membri temperiem conſeruantibus, ac humores in labijs vulnerum congeſtos attenuantibus; & hac ratione in his vulneribus, vt optima producatur concoctio, naturæ auxilium pręſtare, iuſtum eſt: porrò medicamenta huiuſcemodi temperatæ caliditatis, paucæ humiditatis, abſq; vlla obſtructione, ſed alicuius abſterſionis eſſe debent: talis nempè caliditas illius ſit cōditionis, quam deſcripſit Hippocrates [h] in vlcerum ſuppuratione valere, cùm dicit Calidū ſuppuratorium in omni vlcere, excepto putrido, aut phagedenico magnum ad ſecuritatē indiciū, cutem mollit, extenuat, dolores ſedat, rigores, conuulſiones,

a ¶ Hipp. 2. aphoriſ. 47.

b ¶ Gale. 5. de ſimp. med. fac. c. 4.

c ¶ Gal. 11. meth.

d ¶ Auicen. 1. 4. tract. 2. cap 45.

e ¶ 5. aphor. 22.

f Hippo. lib. de Vlceribus.

g ¶ 4. 4. tract. 2. cap. 3.

h ¶ Lib. de humidorū vſu & 5. apho. 22. Gal. 5. de ſim. m. fac. cap 8.

ſiones,& diſtenſiones mitigat,& ex his,quę ad caput attinent,eius ſoluit grauitatem;plurimum etiã confert oſſium fracturis,ſed nudis præcipuè,eorumque maximè,qui in capite vlcera habent: quæ autem caliditas temperamentum excedit,incommoda plurima affert:quapropter opinantes ſaniem ex medicamẽtorum calidorum,ac diuerſarum rerum applicatione,in vulneribus produci,decipiuntur.nam ex tali medendi modo materiæ quàm plurimæ,præſertim ſubtiles,ac bilioſæ ad caput transferuntur, vndè & apparentes,& internæ inflammationes ſæpe gignuntur. quod annotauit Hippocrates,[a] dum de hoc verebatur. nam nec tantùm faſcias applicare auſus erat, aſſerens hunc errorem inter manifeſtos enumerari poſſe.Opinantibus verò terebinthinam improbũ medicamentũ eſſe,reſpondemus,& ſi ea in paſſiuis qualitatibus ſicca exiſtat,à qua digeſtio talis, quæ in his vulneribus decet, prouenire non ſolet, ſed[b] à calidis,& humidis,opportunum tamen,ac conueniens præſidium eſſe,ac in continuo vſu haberi,necnon proprium homini medicamentum, partium præſertim neruoſarum,veluti pericraneum eſt, communiter affirmatur.Præſeruat quidẽ reſina ipſa membra omnia contuſa à putredine,& corruptione,à medicis ſem per in omni attritione,& magnis contuſionibus verenda;ea corroborat, obſtructiones aperit, dolores ſedat,& vlcera pura reddit;& ſi in ea, qua reſina eſt,nitroſitas aliqua adſit,ea tollitur,ait Galenus,[c] ablutione in æſtate facta,vt decet,cum aqua betonicæ,aut conſolidæ,aut vino albo tenui;&,vt pariter ea de bilis acuitas contemperetur,humiditas quędam admiſcenda eſt,quæ ab oui luteo,& roſacei modico expectatur;atque de ipſa agens Galenus[d] dixit.Terebinthina reſina ſimul cùm detergẽdi, diſcutiendique, facultatem habet etiam concoquendi,ac pus mouendi;quapropter optimum,ac opportunum medicamentum cenſeri oportet,longoque experimẽto comprobatum;ſcire etiam oportet,quòd digeſtiuorum continuus vſus, etiam in contuſis non admodum laudatur: ſat enim eſt ipſis vti,donec pus optimum apparuerit,dictum ſiquidem ab Hippocrate eſt.[e] Primis diebus contuſa vlcera irritare non conuenit; ſed operam dare,vt vlcus quàm minimè inflammatione tentetur,& quàm maximè ſuppuret.atque vbi ſeptẽ dies,vel paulò plures tranſierint, ſi febris non ſit, atque vlcus inflammatione vacet, ad exſiccantia tranſeundum eſt. Occurrit interdum in magnis iſtis contuſionibus, vt in his,qui ab alto cõcidunt,quòd nec cutis,nec os frangitur,attamen varia ſubſequuntur accidentia,vt obmuteſcentia,ſtupor, paralyſis,conuulſio, & ſimilia, quæ præſidijs, ac indicationibus, vt in eorum curatione dicturi ſumus,corriguntur,ac profliguntur.

a ¶ Li. de off. medici lib. de Cal. curat lib. de fracturis.
b ¶ Gal 4. meth. c. 5. & 13 meth. cap. 2.
c ¶ 1. de comp. m. ſecundum genera.
d ¶ 5. Ktageni vbi de m. hære. & 5. de ſimp. m. fac. cap. 8.
e ¶ Lib. 3. de fracturis.

De caluariæ anguſta fractura non detecta, nec læſa membrana. Cap. X.

LAEDITVR multoties caluaria,ad intima fractura non deſcendente, vulnerata tantùm prima tabella, aut etiam meditullio,nonnunquàm & diploide ipſa,ſeu vitrea, quam iſti ſecundam tabellam vocant;qui quidem affectus omnes maximè timendi ſunt,quanquàm ad meningas non deuenerint,perpetuò tamen medicus anceps de eorum quiditate,& progreſſu permanet.quippe breui temporis tractu,ignota penetratione pernicioſa adducunt ſymptomata:aperiuntur interdum arteriarum,aut venularum nonnullæ ex his,quæ per Caluariam ob eius nutritionem diſſeminantur, quod ex anatome,ac in cranei terebratione,apertiſſimè dignoſcitur, dum eam ſanguinis copiam effundunt,vt operator,nè clarè quod operatur, appareat, impediri ſolet:exit ſanguis à venis, & extrà propria vaſa continetur,à natura non regulatur,& qualitatibus malis afficitur,vnde peſſima ſubnaſcuntur accidentia.nam ex ruptis capitis oſſibus,ait Hippocrates,difficillima cognitu ſunt ea,quæ circa ſuturas rũpuntur. rumpuntur autem maximè à grauibus,& contundentibus telis, & ab his, quæ ex ſubcontrario afferuntur. Solent etiam hæ fracturæ ad intima penetrare,quæ tamen noteſcunt,quanuis anguſtæ, vel humiditate diuerſa ad meningas effluente, vel ſanguine percolato,qui poſtmodum non expurgatus putreſcit. vndè varia ſequuntur incommoda,& mors, quapropter Caluariæ vniuerſæ fracturæ,& diligentem operatorem,& regimen victus conueniens requirunt. Medicus ergo prudens, cum primum caluariam detectam adinuenerit,accuratiſsimè eius ſtatum perquirat.& primò quærendum eſt(ait Hippocrates)an caro ab oſſe denudetur.& ſi qua in eo adeſt fractura, ac ſenſu viſus percipiatur, nec non quanta, & qualis fuerit,inueſtigare oportet.indè quibus medijs,ſiue indicationibus curari valeat; ſi verò oculus id agere nequit,ſpecillo vtaris, & ſi eo agente certus non fueris, ab ijs,quæ præceſſerunt, & præſentibus ſymptomatibus veritatẽ adipiſcaris.Dimiſſis igitur primò capillis,& vulnere ab eis amplè denudato,diligentia adhibita,quæratur,ſi in eo capillorum portiunculæ inſerantur,inde qua capitis parte, & num in debiliori vulnus ſit receptum,& capilli circa ipſum inſpiciantur,an à telo diſſecti ſint, & intus in vulnere reſideant; quòd ſi adſint,periculum imminet,os carne denudatum eſſe;itaque dicere oportet, os aliquam læſionem à telo habuiſſe,atque longè prius conſideraſſe, ac dixiſſe oportet, antequam hominem attingat,operatorem.Qui ſi caluariæ aliquam portionem ex toto ſeparatam,vt in aſciali fractura contingit,ac ipſi corio adnatã inuenerit,ſiue magna,ſiue parua ipſa particula fuerit, eã auferat;nã pars oſſis emortua cũ ea,quę viua adhuc eſt,vniri denuo nequit:verùm vt vulneri vicinos pilos abradat, Nouacula

vtitur,Raſorius,ſiue culter exciſorius vocitatur,aut illo inſtrumento,quod etiam ad hoc creditur opportuniſſimum, forceps vulgo forficula dicitur,quorum imagines ſuo loco in officina cōperies.

POSTQVAM caput à capillis circa vulnus vndequaque denudatum fuerit,danda eſt opera,vt, an os ſit nudatum, perſpici poſſit, aut fractum,apertè percipiatur. quòd ſi aliqua in eo fractura reperiatur, quod dignoſcitur,ſi oculis non pateat,vbi digitus immiſſus eſt,qui in caluariæ fracturis certiſsimum præſtat indicium,ſiuè vbi id non licet,ſpecillo nudatum, aut fractum eſſe ſignificatur;ſpecillo enim conſiderandum eſt, quantum ſit malum in oſſe,& quam operam exigat.ſpecilli tamen admotio,an tale quid mali os paſſum ſit,non indicat,& an habeat quid in ſeipſo,aut non paſſum ſit,ſed ſedem teli indicat ſpecillum,& an intrò ceſſerit os ex natura ſua,& an vehementer fractum ſit,quæ etiam oculis conſpicua vidēti cognoſcere dantur.Diuerſarum formarū huiuſmodi inſtrumenta parantur,ſed quæ huic operi adaptātur magis,nec nimis plena,nec nimis tenuia eſſe debent,rationibus ſuperius adductis.Chirurgi dedecus magnum eſt(ait Hippocrates [a])ſi ſpecillo capiti admoto,os fractum adeſſe non nouerit. quo factum eſt, vt qui iſtis vtūtur inſtrumētis,illa diuerſimodè vocitarint,antiqui .n. ſpecillum,& radiolum,alij aſtillā tētoriam,aliqui ſtylum,nonnulli expertorem,& exploratorem vocant,& non immeritò; nam ſæpè iſtarū fracturarum cognitio,& experientia eorum auxilio acquiritur. verè enim occultarum, & quæ ſenſibus non ſubijciuntur,paſſionum,explorator & iudex eſt,veluti internarum teredinum, ſyringarum, vlcerum cauernoſorum,& diuerſorum anfractuum;cuius materia aut argentea,aut ænea, aut plumbea communiter eſſe ſolet,& ſub formis effingitur,de quibus in officina.

a¶Lib. 10. 1.de morbis.

Hipp.li. de Cal. curat.libro.1.de morbis & lib.de medico. & li.de fiſtulis.Cel.li.8. cap.4.Gal li. de art. Hipp. cō.2. & 6. de anat.ad m.cap.10. Paul.lib.6.c.25. & 77.Auic.4.1 c.27.& 3.4.c. 29.Alb.lib.2.c. 46.

COGNITA fractura,videndum eſt, ne quid ex ipſa membranula, quæ ſub cuti caluariam iungit, ſuper os relinquatur.ſiquidem hæc ſcalpro,terebris ve lacerata vehementes febres cum inflammatione excitat.eā itaque commodius,& ex toto diduci debet,illa tantùm ſeparatione,quæ opportunè operatori id præſtet commodi,vt finem aſſequatur; ſiquidem multa incommoda ex amplis ſectionibus pericranij,& cutis ſequi ſolent. nam membrana neruea eſt à dura meninge orta; quare dolores, inflammationes, & conuulſiones facillimè commouet, & caro,ac locus affectus imbecillus redditur, quod in his curationibus maximè verendum eſt; hac ratione experti Chirurgi operando inſtrumento aciem obtuſam ex altera parte habente,ex altera verò bene ſecante, aut ſpata, ſeu ea latiori parte volſellæ vtuntur, quam in continuo vſu ad varia commoda circunferunt;porrò ad multa facit,nam tutò perioſteos, ſiue pericranion,quam tunicam Arabes almocatim vocant, in caluaria fracta ab ipſa diuellit, ſępe etiā fracta oſſa,aut depreſſa eleuat, aptè medicamenta extendit; & cum oppoſita,ac duplicata parte, oſſicula, aut (vt Arabes dicunt) ſattagias,piloſuè, ac minima huiuſmodi corpora à vulneribus, & cauernis eripit.communiter verò lichinia, plagelas, ac turundas à plagis extrahit, vocitatur ab antiquis volſella, vulſilla,& vulſella, ab Arabibus geſti, communiter pinceta,pincigarola, & apud nos molettina, & ſub triplici forma paratur, cuius imagines in officina inſpici poſſunt.

Hipp.lib.de medico.Cel.lib.7. c.12.& 30.Gal. Hippo. de med. vul.com.1.Pau. lib.6.c.90. Alb. lib.2.cap.6.

Hipp.lib.de Cal. curat.Gal.6.meth.cap.6.Cel li. 8.cap.4.Paul.li. 6.cap.90.

FACTA cutis dilatatione, accuratè inquiratur,ſi qua oſsis depreſſio, aut fractura appareat,aut eius portiuncula vbique ſeparetur,ſic vt digitis quietè ſubleuari,aut euelli poſsit,aut ſaltem volſella,aut altero ſimili opportuno inſtrumento; ſi verò ſano ſic adhęſerit,vt tutò extrahi nequeat, eo dimoueatur inſtrumento, quod Græci oſtagram,Latini vectem,& vulgares ab eius operatione leuam, ſiue eleuatorium vocant; diuerſimodè formatur, & ſimile habent noſtri Chirurgi,ad varia commoda perpetuò paratum, eoque depreſſa oſſa, aut quæ ferè tota exciſa ſunt, & iam labant, attollunt, ac vnà cerebri membranam cuſtodiunt; eo Galenus vtebatur in fractura camaroſis, & engiſſoma;eſt enim lamina ferrea anguſta,longitudinis digiti,ex ferro Indo,aut ex calibe optimo fabricata;lenis, ſed anguſtior in ea parte, qua os tangit; aſpera,& conuexa ab altera,non recta, ſed duabus extremitatibus recuruata. ſimilia inſtrumenta ob eorum varietatem varia ſortiuntur nomina; nam interdum latiora ex vna parte, anguſtiora ex altera fiunt, & hæc terna habeantur, aut etiam plura, vt ad opus aptiſſima ſint. quibus demiſsis, oſſa eodem penè momento, quo intenduntur, impellenda,ac eleuanda ſunt, non aliter, quàm ſi vectis ad lapidem,vel lignum attollendum admoueretur. ſint ergo organa hęc, quantum fieri poteſt, fortiſsima,ne flectantur; ſiquidem opus hoc magni momenti eſſe ſolet,& longo eget experimēto: tutum tamen erit, ſi idonea inſtrumenta adſint,& impulſus conueniens adhibeatur.

CVMPRIMVM medicus ſibi opportunum præparauerit locum, ac extractis oſsium ſquillis,filis nitidis vulnus totum impleat ſic, vt & vulneris labia,& pericraneum aliquantiſper diſtent, & fractura euidenter pateat, & os nudatum appareat, quod interdum iniuriam patitur, quanquàm inuiolatum videatur:altera die, quanta,& qualis fuerit ipſa fractura,diligenter inquirat; quæ ſi aſcialis,aut rimularis, aut (vt dicit Auicenna) non fuerit niſi cortex, aliquo ex prædictis inſtrumentis corticem abſumere poterit, inde vulnus curare, ac ſi os incolume reperiatur; remanente verò in ea aliqua ſciſſura, nequaquam ad intima penetrante,eam radere conetur, donec eius veſtigium,aut ſignum non remanſerit,& vt iubet Hippocrates,primò ſuper os aliquod nigri coloris medicamentum, quod liquidum ſit, inducendum eſt, & vulnus aridis lichinis repleatur,ac deſuper cataplaſma,quod dolores leniet, adhibere oportet: poſtridie verò ſoluto, ac purgato vulnere, os deradere expedit, quod ſi ſanum non fuerit, ſed fiſſum,aut contuſum, reliquum, quod raſum erit,albū inuenietur; fiſſura verò, quæ nigrum medicamentum eliquatum in ſe ipſam ſuſceperit,in reliquo oſſe albo nigra conſpicitur: verùm ſi vna vice tantùm

negotium

negotium expediretur,ſat eſſet. ſin autem iterum quoque rima, quam nigram intueris, altè radenda eſt, ita vt ex toto deliteſcat, & os ſub rima totum album appareat: porrò vel ſi deliteſcat, vel ita altè deſcendat, vt ſcalpro detrahi nequeat,tunc quidem terebro opus perfici debet,nè ſanies ſuper cerebri membranas colligatur,quæ non, niſi extracto oſſe,eijci poteſt, hac ratione os, vel ſerra, vel ſcalpris, vel terebris,vel modiolis detrahatur: ſi verò telum altius non deſcenderit, rima tantùm radenda eſt, donec ex toto euaneſcat: vnde Auicenna dicebat.Magis rectum eſt,itèrum vt frices illud, vſque quò non remaneat de ſciſſura aliquid; & ſi amas,vt feſtines cum effuſione humiditatis nigrę, donec vehemens fiat apparitio ſciſſuræ,per eam fac, & frica, donec non remaneat veſtigium.Hæc omnium medicorum eſt vera praxis, qui loco huius nigræ humiditatis ſcriptorio atramento vtuntur. At quia apud eos inſtrumentorum variæ formæ ad has fricationes acommodatæ reperiuntur,de eis aliquid conſiderare expedit. Apud antiquiores nonnulla aderant inſtrumenta, quę concaui, ſeu ſemilunaris ſcalpri formam præſeferebant. his nempe ſimilia,quibus lignarij fabri paruũ aliquod lignum excàuant à Græcis cycliſca,& chyliſca, à Latinis ſcalpra exciſoria caua dicuntur. quòd autem eorum imago talis exitat,id aſſerere eorum vſus nos cogit; nam dicebat Galenus. Operatio,quæ per terebrum fungitur,parũ tuta eſt,propterea quòd,dum audacius eam tractamus, duram membranam, quæ oſsi ſubſternitur,nõ rarò violamus.quod verò per cycliſcos opus adminiſtratur,nè id quidem omninò vitio caret, cum quatiat modicè caput, quod potius quietem poſtulat. Ad eundem modum & Paulus,cùm id explicaret, inquit.Si verò os imbecillum aut natura,aut fracturæ vitio fuerit,id ſcalpris exciſorijs cauis,quos Græci cycliſcos vocant, à latiori incipientes, mox anguſtioribus,deinde ſpecilli modo anguſtis, malleolo ſenſim adactis, ad capitis concuſſionem vtemur. Hinc Auicenna,dum huius inſtrumenti vtilitatem oſtẽderet,ait. Et adminiſtra facilitatẽ in percuſſione parua, & magna, vt non lædatur caput,& inquietet ipſum. Hoc illud inſtrumentum ſine dubio eſt, quòd à Celſo ſcalper lunatus dicitur, qui literæ C imaginem præſefert; ac ima parte,qua acies continetur in canaliculi ſpeciem vtrinque à lateribus ſinuatũ, ſic enim & cauum eſt,& ad ſemicirculi figurã accedit,dumuè operatur,eius decliuis pars ſuper fracturã, & cornua ſuper os ſanum apparent.Eſt pariter ſine dubio ſcalper exciſorius cauus Pauli, qui acies incuruatas inter ſe,conſeruat. Ergo vera delineatio horum inſtrumentorum ea eſt, quæ in officina deſcribitur, veruntamen aliqua recta,& aliqua curua formantur.

Non deſunt alia ſcalpra, quibus Hippocrates os radi iuſſit; cuiuſmodi autem fuerint,non ſatis cõſtat: illud tamen pro certo eſt, quòd veteres his non ſolùm ad os radendum vtebantur, ſed etiam ad excidendum.oſſe enim in ambitu per terebrum perforato huiuſmodi ſcalpris nonnulli ab vno foramine ad alterum malleolo adactis id ſolùm,quod reſtabat inter foramina,præcidebant:id ſcalper, Celſo auctore,cum planus admouetur,radit; cum in latus conuertitur,excidit.cauendum tamen eſt excidendo, nè angulo ſcalpri membrana cerebri violetur: verum quia admodum tuta eius operatio non iudicatur, qualis phacoti creditur, reprobatur, radit enim inquietè, & ſi carnem attingit,eã lacerat, & dolores mouet;ſi medius recuruatur,vbi vis facilè ſiſtitur: ſi rectus eſt,vix continetur, quominus delabatur. Formam in officina videbis.

Scalpra hæc omnia citra malleoli operam nullius momenti ſunt,mouentur neceſſariò malleolo adacto,prę ſertim in rimis, quæ ad diploidem vſque pertingunt.excauant totum os, forti adhibita percuſſione, non tutò, ſed incommodè. hac ratione eius vſus non probatur, ſiquidem tutiora, ac magis prona inſtrumenta his diebus apud nos extant: attamen eius operatio à Galeno, adiecto phacoto in alicuius oſſis ſeparatione, aut diuiſione, laudatur,vt infra dicemus.Malleolus hic eſt,& eius materia aut lignea, aut plumbea eſſe debet.

Opinantur nonnulli, quòd Cycliſcus,cuius imago in officina delineata eſt,illud ſit inſtrumẽtũ, quo recentiores in Caluariæ rimis perpetuò vtuntur, quod ab re eſt, illud nempè à multis reprobatur, hoc autem ſecurè, commodè, ac feſtinè operatur, nec malleolo eget, nec caput commouet; rectum eſt,ac ferè vnius palmi longitudinem implet,in imo recuruatur ſic,vt paruum ſinum in orbẽ oſtẽdat:oræ autem,quę vtrinque à lateribus ſunt,aciem acutam habent: in ipſo autem vſu ferramentum in latus vertitur,& ima ſui parte os attingit, dum ve vna tantùm manu digitis partim ſubiectis, partim ſuperpoſitis ducitur, id radit: hoc ad omnes fracturæ modos noſtrates vtuntur, vbicunque diuidendum, aut radendũ os eſt, vt quicquid intus cerebri membranas læſerit, exitum prębeat. Nonnulli hoc ſolo ferramenti genere contenti ſunt, ne ſcalpro, adacto malleolo,cerebrum concutiant,aut terebræ mucrone membranã lędant; eſt enim(ait Hippocrates)& ad perforationem,& ad raſionem facile,ac expeditum; ob id in operãdo, cùm ad imam oſſis partem deueniunt, ſcalprum imprimendo leniter procedunt,tuncq; maximè anguſto vtuntur,quàmplures nimirum,& latiores, & anguſtiores habentes penes ſe; ſiquis ergo manu ſtrenua ſit,& exercitatus fuerit, celerrimè hoc ſolo ſcalpro omne opus perficiet; ab Hippocrate raſorius ſcalper, à Paulo ſcalper arcuatus,à Celſo ſcalper aduncus communi voce,quia raſpando,ſiuè fricando oſſium ſedes,& rimas delere ſolet,raſpator,& fricator, & ab aliquibus curator nuncupatur:verè hæc inſtrumenta ſicuti latitudine,ita numero,& magnitudine, diuerſa eſſe debent.Cycliſca profectò non ſunt,vt aliqui imaginantur, quod ex operatione, & ex forma dignoſcitur, quæ in officina deſcribitur.

Tria apud antiquos ſcalprorum genera reperiuntur, vnum cauum, alterum lenticulatum, tertium latum, vnum quodque quidem radendo idoneum: quæ omnia ignoramus, qua ratione à medicis noſtræ ætatis reprobentur, cùm dicant (decepti tamen) ſecuriora, ac magis commoda inueniſſe. Hæc quadrifariam præſeferunt formam, totidemque nomina ſibi vendicant, acuta nempè ab acutie, plana à planitie, ſphęrica à rotunditate, amygdalina ab amygdalæ effigie, & in excauandis, ac explanandis oſſiũ ſciſſuris, rationem obtinent, quæ per cauos ſcalpros adminiſtratur, vitio omnino carent, & ſcalpra raſoria dicuntur: videamus (quæſo) formarũ diuerſitatẽ, ac legamus nomina, quibus deſignãtur, in officina.

Praedictorvm ſcalprorum aliqui proprio manico, ſiuè manubrio ita inſeruntur, quòd inde euelli nequeunt; alij, & ſi quàm plures videãtur, vno tantùm egent manico, in cuius imo torculatum foramen inſeritur, vbi ſcalprorum caudæ ex oppoſito pariter torculatæ ſub eadem forma, & quantitate adaptari, facillimè extrahi, & commodè permutari poſsint: Manicus verò interdum plenus, interdum inanis formatur, vt intus ſcalpros omnes conſeruare valeat, in fundo tamen effœminatum torculũ habet, vt ſcalprorum caudas recipiat, quorum effigies extat in officina.

PRAXIS.

Poterant plura alia de ſcalpris adduci, ſed his contenti eſſe voluimus, quibus etiam rimas, ac ſedes omnes delere poſſumus, & ad hanc rem maximè pertinent: dum ergo opus agitatur, ſi de rimarum veſtigio ancipites fuiſſemus, nigro medicamento obl inito vulnere, os radatur, donec omnis tollatur nigredo, & ſanguis emanare incæperit, eapropter inſtrumentorum copia adeſſe neceſſe eſt, diuerſa quidem in forma pro læſionum varietate, ac vnius formæ diuerſa in numero, & magnitudine. Sint igitur alia parua, alia mediocria, & alia magna; vulnera enim vſque ad diploidẽ duntaxat ducta anguſtiores ſcalpros requirunt, & non terebra, vt contuſiones, & magnæ fracturæ. Inſtrumentorum materia Calybs depuratus exiſtat, acutæ aciei, vt optimè radat. Oſsium abraſiones fiant iam ſecta vena. Vena ſecetur præmiſſo enemate, aut poſt conuenientem corporis euacuationem, ac ſummo mane, à latiori ſcalpro initiando, ac per gradus ad ſtrictiorẽ, indè ad anguſtiorẽ procedendo, donec penitus rima abolita ſit. Scalpra perpetuò parata habeantur, ne ex indigentia aliundè quærantur, & tempus amittatur. Abſoluto opere, cephalicis medicamentis (nam ſic iubet Galenus) vſque in finem vtaris, & ſufficit. Quæ verò rimæ, aut ſedes altius inſident, & ad meningas perueniunt, ſecus radendę ſunt, ab anguſtioribus ad latiora progrediendo, vſque quò membrana admodum detegatur, vt per oſsis aditum humiditates, ſi quę fuerint, vel oſsicula, aut quid extraneum educi poſsit, ac medicamenta opportunè applicare valeamus. Porrò, antequàm opus aggrediamur, vulnerati aures aut lana, aut xilo, aut carptis filamentis lineis obturentur, nè ab oſsis fricatione moleſtè afficiatur, & ſtrepitu horreat; dumq; opus agitur, duo experti miniſtri caput vulneratum immobile conſeruent, nè hincindè labatur, ſcalper interdum roſaceo immergatur, nè à motu nimio incaleſcat, & os accendatur. Poſt operationem, quæ calorem, ratione motus, cui trahendi poteſtas ineſt, excitat, ac dolores commouet, nè inflammatio ſuperueniat, vereri oportet, ob id interdum anodinis vti non ab re eſt; quapropter primis diebus vulnus illiniri roſaceo crudo expedit; aut ſi neruoſæ partes detectæ fuerint, terebinthina lota, addito oui luteo, ac roſaceo modico; partes etiam circa vulnus roſaceo maturo calido foueantur, deinde linteum vino nigro calido, roſis, ac betonica bullito imbutum, ac expreſſum, quòd totam partem roſaceo perunctam contegat, adhibeatur, ac ſupradditis alijs linteis calidis, faſcia vulnus vinciri debet; talis enim medendi ratio concoquit, expurgat, temperatè exſiccat, & carnem inducit; roſaceum confortat, inflammationes arcet, dolores mulcet, & materiam, quæ iam fluxa eſt, diſcutit; vinum affectam ſedem corroborat, aſtringit temperatè, & fluxiones remeat. At, ſi alicuius inflammationis initium apparuerit, emiſſo ſanguine, roſaceo ſolo vtendum eſt, deſuper verò cataplaſmate ex hordei farina toſta, & poſca: aut illud, quod paratur ex plantagine, roſis, farina hordacea aqua decoctis, addito roſaceo, ac aceti modico; verum quia de inflammatione loco proprio agemus, hæc pro nunc ſint ſatis: dum verò inflammationis nulla aderit ſuſpicio, nec vllum indicium apparuerit, Hippocratis ſententiam, quam ſcriptam in libro de Caluariæ curatione reliquit, ſequamur, cùm dicit, exſiccantia medicamẽta capitis vulneribus conuenire, &, ne humida adhibeantur, prohibet, quippe nec vinum, & ſi exſiccandi, ac conſtringendi vim habeat: ex quibus docemur pinguia omnia, ac oleoſa fugiẽda eſſe, ſed perpetuò aridis cephalicis in vulnere vtendum; oſsis nempe complexio valdè ſicca eſt, quæ ſic conſeruari requirit, attamen hoc ſemper ſeruato (ait Hippocrates) vt ſi non iuues, ſaltem non noceas, ſymptomatum natura ſingulatim conſiderata, & quicquid agis, prudẽter agas, tutò quidẽ, citò, ac ſine dolore; hęc obiter dicta ſint, & ad rem noſtrã redeuntes, dicimus ſerrularum quarundam apud priſcos ad rimas oblongas tollendas vſum fuiſſe, quæ præſertim tranſuerſim feruntur, & ſano oſsi conterminant; de quibus Auicenna dicebat. Quãdoque abſoluitur opus ſubtili ſerra, quam eam eſſe arbitramur, cuius imaginem in officina delineauimus; quamquàm per ſubtilẽ ſerram, cum Hippocrate, ſerratum modiolum intelligere aliqui videantur, dum dicit. At ſi inter initia ad ægrum non acceſſeris, ſed homo alteri prius traditus, minus tẽpeſtiuè tibi committatur, acutiori ſerra os protinus excidere, vſque ad membranas, conuenit. ſubinde autem tollendum ferramentum eſt, & demiſso ſpecillo, eius circuitus cõſiderari debet; circũitus verò nõ

niſi à tereti inſtrumento prouenire ſolet, vt illud eſt, quod Greci chinycidam, aut cenitium, & Latini modiolum vocant, de quo infrà multa ſumus dicturi. Igitur diuerſa eſt ſubtilis ſerra Auicennæ à tereti ſerra Hippocratis; & quia Auicenna terebrorum diſtinctè hiſtoriam commemorauit, ideò per ſubtilem ſerram hic inſtrumenta ſimilia intellexiſſe credendum eſt, quę in aliquibus fracturis vtiliſsima, ac apud Chirurgos peritos obſeruatiſsima ſunt; faciunt adhuc in leuioribus, ac profundioribus ſedibus, ac rimis ad oſſa lenienda, ſi inæqualitates contineant, aſperitates delendas, & fruſtula conterenda; ſi quidem, vt oſſe detecto caro coaleſcat, circumhæreatque omni parti, illud nitidum eſſe debet. id inde maximè eueniet, ſi neque ſordes, neque oleoſa ſubſtãtia aderit, atque quælibet vitiati, ac detecti oſsis pars planè pura, ac ſicca fuerit. Serrularum imagines variæ ſunt; nam aliquæ breues, aliquæ longiores, aliquę planæ, aliquę aſperę, & limatæ, aliquæ rectę, aliquæ conuexę, & curuæ: ſubtiles tamen omnes eſſe debent, dentibus benè acuminatis, & proprio manubrio firmiter inſertæ; valent in amplo oſſe, quod tun dendum venit, interdum acuto ſcalpro prius ſulci parandi ſunt, nè huc, aut illuc ſerra delabatur; ſæpe pe detentim, ſecura manu, ſola ſerra opus perfici poteſt. Sed danda opera erit, cum in primis in omnibus, tum verò maximè in his, quæ circa cranij partes fiunt, operationibus, vt breui tempore, & citra dolorē, tum denique, vt tutiſsimè cures. Tutiſsimè autem curabis, vbi quod aggredieris, omnino abſolues, vel ſin minus, cubantem ſaltem non lædas. citò verò, iucundè, & commodè rem expedies, cum tui habita ratione, tum illius, qui curatur, inſtrumentorum, ac luminis. Serrularum formæ ſunt in officina, quas plures habere tenemur.

De internis membranis detectis ob Caluariæ manifeſtam fracturam. Cap. XI.

VBI vulnus cum manifeſta fractura ſenſibus tum viſus, tum tactus ſe offert, aut id ex ſymptomatibus nouerimus, aut meningam duram detectam, aut telo vulneratam, aut fracto oſſe compreſſam, aut laceratam, aut punctam, aut ſucco diuerſo grauatam perceperimus, ſi ex ſe tale exiſtat, vt fracta oſſa haud ægrè euelli poſſint, & ſic prauis ſymptomatibus occurrere, non eſt cur manuum opus expoſcat, veluti anguſtiora, in quibus oſſa fracta varijs inſtrumentis amouere neceſſe eſt, ratione, experimentoque ducti periculo imminente, ne quidquam ſubtus lateat, quod naturale nō ſit, & cerebro officere poſſit: Cæterùm quia nonnulli ab Hippocratis [a] methodo recedentes reperiuntur, empiria ducti, ac friuolis quibuſdam, leuibuſque ſuis rationibus, ac experimentis, ſanctum hunc, & tutum operandi modum reijcientes; idcirco nos eorum ſententias, ac falſas rationes in mediū adductas, reprobare intendimus, vt ipſis detruſis, tanquàm ab omni veritate, & ratione deuijs; rectè, ſeruata methodo cæterorum medicorum, operari valeamus.

[a] ¶ Hipp. lib. de loc. in homin., & lib. de Cal. curat. Cel. lib. 8. ca. 4. Scrib. libro de comp. med. G. l. 6. meth. c. vlt. & 4. de loc aff. c. 2. Aet. lib. 14. c. 35 Paul. lib. 6. c. 90 Hali. 9. pract. c. 84. Zoar. 1. Theiſir tract. 2. c. 1. Auic. 5. 4. trac. 2 ca. 1. Auer. 6. collig. ca. 26. Albu. lib. 3. cap. 3.

PRIMA SECTA EMPIRICA.

ET prima eorum ratio hæc eſt. Dicunt aliqui, quòd facilius, ac tutius caluaria fracta emplaſtris, ceratis, & reliquis medicamentis exterius appoſitis ſanari poteſt, quàm manuum opera, ac oſſiū fractorum remotione: ac inde ſic argumentantur. Curatio ea facilior, breuior, ac tutior eſt, quæ medicamentis exterius applicitis abſoluitur, quàm ea, quæ ferreis inſtrumentis, ac oſſium extractione; ergo laudabilior, & magis amplectenda.

Secunda ratio. In omni curatione ea præſtantior habetur, in qua intentio conſeruatiua, curatiua, & non deſtructiua, ſeruatur: talis verò ea eſt, quæ medicamentis exteriùs applicitis vtitur: ſecus autem quę manuum opera, ſoluit, nempe Chirurgia, continuum in cute, carne, & oſsibus; quò fit, vt ſæpe multa mala oriantur; atque oſſis extractio aliud non eſt, quàm fracturę additio, et ea, quę tantùm medicinis vtitur, cō ſeruat, curat, & non deſtruit; ergo laudabilior via eſt, & tutior.

Tertia ratio. Dantur medicamenta ita attrahentia, vt infixas ſpinas, ſagittarū cuſpides, ſchlopetorum glandes, & alia è corpore extrahere valeant; ergo & oſſa fracta, ſaniē, & cæteras humiditates ſub craneo contentas, quorum ſyluam apud antiquos medicos [b] videre eſt facile.

Quarta ratio. Inſtrumentorum operatio, cycliſchis nimirum, phacotis, terebris, modiolis, & ſimilibus (præterquàm quòd ægris terrorem incutit) inflammationes accerſit, teſte Paulo, & Auicenna; medicamenta verò exterius ſolùm appoſita, huius noxæ anſam fugiunt; igitur laudabiliora, ac magis idonea videntur.

Quinta ratio. Cerebri inflammationes, aut meningarum (nempe phreneſis, & lethargia) ſolis medicinis, caluaria intacta, ſanari ſolent, ergo magis exiſtente fractura, poſſe ſanari credendū eſt, diſcuſſa cauſa: ergo ſaniem educi, & oſſa fracta amoueri abſque inſtrumentis, poſſibile eſt.

Sexta ratio. Experientia comprobatum eſt, pleroſque ſanatos eſſe ſola medicamentorum applicatione, & non chirurgia; cui experimento magis credendū eſt, quàm rationibus, non eſt equidē neganda eius vtilitas, cùm ſenſibus acquieſcere ſit neceſſū, nec [c] ſenſum pro rationibus dimittere licet, præſertim, cùm ſit

[b] ¶ Scrib. lib. de comp. med. deſcr. 201. ad mentem Traſeæ Gliconis, Megetis, Triphonis & aliorum. Gal. 11. meth. cap. 13. & 1. virt. nat. c. 14. & 2. 4. & 6. Katageni. Auic. 4. 4. tract. 2 ca. 11. & 5. Canon. ad mētem Antiquorū Cel. lib. 5 ca. 19. Aet. lib. 15. c. 13 Paul. lib. 7.

[c] ¶ Ariſ. 1. de gener. com. 58.

a ¶ Ariſtot. 2. de Anima & 9. metaph.
b ¶ Lib. 8. c. 4.
c ¶ 1. 3. trac. 3. cap. 14.
d ¶ Gal. 2. Meymir. cap. 7. Aet. li. 6. ca. 47. Paul. li. 3. c. 6. Hali. 5. pract. cap. 10. Raſis. 6. ad Al. cap. 18. & lib. diuiſ. cap. 3. Auic. 1. 3. trac. 2. c. 26

ſit conceſſum medicamenta dari attrahendi valida, potentia prædicta; potentiæ [a] enim per operationes cognoſcuntur.

Septima ratio. Sumpto medio ab auctoritatibus, ſic argumentantur, ex Celſo, [b] vbi ait. In omni verò fiſſo, fractove oſſe protinus antiquiores medici ad ferramenta veniebāt, quibus id exciderent: ſed multò melius eſt prius emplaſtra experiri, quæ caluariæ cauſa componuntur. Ex Auicenna [c] pariter, dum dicit. In cura vulnerum capitis principium quidem conſiſtit in emplaſtris, & erit eius rectificatio velociter: quàm plurimas etiam alias antiquorum [d] auctoritates adducunt, probantes in cura ſodæ, ac meningarum inflammatione medicamēta magis valere, quàm manuum operatio; ergò magis probantur, & magis valere creduntur. His omnibus rationibus breuiter reſpondentes, dicimus.

Ad primam: Antecedens negatur ob id, quia huiuſcemodi medicamenta non dantur, quæ tantùm exterius applicita, eas omnes indicationes, quæ neceſſariò requiruntur, explere poſſint, veluti fracta oſſa tutò extrahere, membranas à putredine mundare, vniuerſum vulnus exſiccare, affectam ſedem corroborare, eamq; proprio ſymmetro conſeruare, nouam carnem producere, & tādem inducere cicatricē, quod experimento compertum eſt, & apud antiquos ſcriptores pro abſurdo habetur: quòd ſi darentur, eorū ſcriptis mandata fuiſſent.

Ad ſecundam: Negatur pars ſecunda minoris, rationibus iam dictis, & ad tertiam reſpondemus, operationes ab experto medico, & rationali celebratæ, ſunt veræ, ac tutæ indicationes curatiuæ, & ad requiſitum finem opportunæ, ad vnionem videlicet partium ſeparatarum inducēdam; ſiquidem Chirurgus rationali methodo ductus vulnera, ac fracturas ſanare, non autem deſtruere, ſolitus eſt; ac diſſectas partes humani corporis coire facit, & vnionem inducit, quod aliter tutò fieri nequit.

Ad tertiam: Dicimus medicamentorum attractiones temporis longitudine perfici, quę caluarię fracturis cōpetere nullo modo videntur, atque minus vrgentibus ſymptomatibus, ac latè patente cauſa: adhuc intentio in caluariæ fracturis non tantùm dirigi ad puris, aut oſſium extractionem debet, ſed ad membranæ abſterſionem, & ad quàmplurimas alias requiſitas operationes, medicamentorum varietatem requirentes; & ſi ab antiquis ad oſſa, & ſpinas extrahendas medicamentorum varia genera deſcripta repeſriantur, ea quidem valere credimus, dùm oſſa, aut teredine affecta, aut ſeiuncta, aut à colore innato deſtituta fuerint; tunc ſpontè ſolent hoc modo egredi, & eò celerius noua ſubnaſcente carne, quod in caluariæ fracturis expectare non decet. Amplius dicendum, medicamentorum attrahentium quædam à proprietate ſubſtantiæ, ſeu à qualitate, aut operatione, vt dicunt, occulta, quędam ob ſuarum partium tenuitatem, & caliditatem id agere; vnde ſi primo modo ſaniem attrahere poſſunt, non oſſa, ratione diſſimilitudinis ſubſtātię; ſi à forti calore, nullo modo cōueniunt in his affectibus, & minus, ſi dolor aliquis, aut inflammationis initium apparuerit.

Ad quartam, reſpondendum eſt, melius ac laudabilius fore ægrotantis ſaluti conſulere, quàm eius timorem proſpicere; præterquàm ſi ab excellenti, & perito chirurgo tractetur, non timet; qui, dū talis exiſtit, tutò, eleganter, citò, lætè, & ſine dolore opus abſoluit, eoque magis ſi opportunis, & accommodatis inſtrumentis, ac expertis miniſtris haud indigeat; tunc enim nec timorem, nec aliud accidens inducere ſolet, quod ex neceſſitate poſt operationem non apparet, ſed inepta potius imperitorum medicorum agitatione, vel ob ambientis qualitatem, & vehementem frigiditatem, ſeu malam victus rationem.

Ad quintam: negatur ſimilitudo, ob id, quia inflāmationes internæ non omnes medicamentorum duntaxat externorū applicatione, ſanitati reſtituuntur, ſed interdum corporis vniuerſi euacuatione, initiante morbo, ac materia pauca benigna, ac diſcuſſioni opportuna, exiſtēte in corpore robuſto, optimi habitus, latorum pororum, quod malorum humorum copia non ſcateat: ſecus verò ſemper videtur, vbi plurima fuerit materia facta inflammatione, in cacochimia, aut ſucco maligno; ſiquidem intereunt omnes, præterquàm ſi in incremento aliqua ſignificatio apparuerit, criſis dicta, veluti plurimus ſeceſſus, aut lotij copia, vel ſudoris abundantia, aut è naribus ſanguinis multitudo, aut eriſipelas exterius, aut alia quæuis euacuatio à natura, & non à medicamentis facta; & ſi aliqui euaſerunt, regulam facere minimè videntur.

Ad ſextam: Reſpondemus, verum eſſe, quoſdam ſola medicaminum applicatione conualuiſſe, quod artis perpetuò eſſe non creditur. nam aliquibus hoc euenire poſſet ob intrinſecas, ac proprias diſpoſitiones, vt in corpore eucrato, robuſtæ virtutis, in aere ſaluberrimo cum latiori fractura, in qua aditus adeò patet, vt omne præter naturam contentum, facilè educi poſſit: porrò hę conditiones omnes non vbique, nec in omnibus reperiuntur, nec curatio per medicamenta in vniuerſum probatur, nec tutior ea habetur, quæ optimo victus regimine, opportunis euacuationibus, & diligenti chirurgia perficitur.

Ad ſeptimam: Dicimus Celſum ibi medicamenta non probare ad vulnera, & fracturas, quatenus talia, quæ varias indicationes expoſcunt; ſed in eorum principio humorum, ac vaporum aſcenſum prohibere intendit. probat lanam aceto imbutam, quę quotidiè permutari debet vſque ad diem quintam. probat item medicamenta alia ſimilia ex aceto, & reliquis ad prohibendas inflammationes, & ait; Si verò ſub prima curatione febris intenditur, breueſque ſomni, & ijdem per ſomnia tumultuoſi ſint, vlcus madet, neque alitur, & in ceruicibus glandulæ oriuntur, magni dolores ſunt, cibique ſuper hæc faſtidium adaugetur: tum demum ad manuum operationem, ſcalprumque veniendum eſt, dimittendaque emplaſtra, &

ſtra,& medicamenta omnia reprimentia: pariterque dicimus Auicennā ibi de paſſionibus cerebri,ac mēbranarum ſermonem habere,cùm accidentium quorundam horum affectuum meminerit,præſertim ſi ad cerebri ventres vulnus deuenerit; quo circa ad inflammationes arcendas,ac tumorem,alſuturatim dictū prohibendum,emplaſtris vtitur,vt omninò talis meningarum,aut cerebri excreſcentia impediatur; nam paulò poſt medicamenta propria localia enumerat. Auctoritatibus etiam in cura ſodæ à percuſſione dicimus medicorum intentiones ad quietem,& dolorum remotionem ſolummodò dirigi,vtpotè accidentium grauiorum inducias minimè ferentium,& non ad caluariæ fractæ curationem,nec oſſium extractionem,vulnerum abſterſionem,& carnis productionem;alibi enim de vulneribus capitis ad plenum pertractarunt. Ea verò reliqua argumenta,quæ hæc ſecta in medium ſolet adducere(vtpotè nullius momenti, ac friuola)omittamus,ne fruſtra citrà vtilitatem laboremus:hoc tamen vnum addi poteſt,quòd ſi qui Galenum præceſſere,ac tantùm in hac curatione medicamentis,& non chirurgia vſi fuerint,illud euenire potuiſſet ob id,quoniam anatomem nō exercuere,neque opportuna,concinnaque terebra,aut modiola parata habebant,quemadmodum noſtrates quotidiano vſu obſeruant.

SECVNDA SECTA EMPIRICA.

ALTERVM Empiricorum genus adhuc viget,Hebræorum nimirū,ac Germanorum, quibus potionibus quibuſdam caluariæ fracturas indifferenter tutò ſanari poſſe, viſum eſt; has pigmenta vocant,quorum vſus in fiſtularum,caſſaliumque vulnerum curatione habetur:exterius verò caulium folia ſolum apponentes,citrà rerum non naturalium, vt vocant,conſiderationem,nulla quidem ratione ducti,ſed priuato ſolo experimento,neſcientes profectò illud caſu euenire, naturæ validiſſimo robore operante, non pigmentorum facultate;quæ ſi talis eſſet,vulnus omne,fracturaque, licèt membrorū nobilium noxa conſiſteret,indubiè curaretur:quod hercle falſum eſt. Abſint igitur à nobis,tanquàm erronei,& mēdaces, tametſi ſimplicia vulnera reliquarum partium,aut puras fiſtulas his potionibus exſiccantibus interdum ſanauerint:non ſunt probandæ capite fracto,vbi veræ,variæ,ac diuerſæ operationes ordinatæ requiruntur,per excellentem,ac peritum virum adminiſtrandæ. Sunt etiā,qui caluariæ fracturas, & vulnus quodcunque tùm ſimplex,tùm compoſitum,fontis aqua duntaxat,orationibus,ac benedictionibus,incantationibus,& ſimilibus ſanare arbitrantur,linteola quàmplurima eadem aqua ſic parata,imbuta,apponentes,nilve aliud agentes. Cæterùm quia nondum operationem notabilem ex his nouerimus,neque experimentum ſecurum viderimus,præterquàm in leui, & carnoſo vulnere; eapropter nunc ea ſilentio pertranſibimus; in calce enim huius primi libri deſcribemus, quicquid particulatim ſcriptum inuenerimus, aut de hac empiria audiuerimus. Solent tamen iſti in quibuſdam vulneribus manuum operationes ꝓbare,vt in fractura,engiſſomatos,& camaroſis,vbi oſſa in plures partes diuiſa apparuerīt.

TERTIA SECTA RATIONALIS.

QVI verò [a] ratione ducuntur,Hippocraticam methodum ſeruantes, duas potiſſimum cauſas, ob quas ferreis inſtrumentis in caluariæ fracturis vti neceſſe ſit,vt oſſa fracta,aut dubio affecta eximi poſſint, aſſignare videntur;quarum prima deligatio eſt, indicatione ſumpta à natura partis læſæ, quam in alijs fracturis,ceu maxime phlegmonas arcentem,ratio inuenit,capiti adaptare non poſſumus,nec quod affluit,reprimere,nec quod in ægris partibus continetur,exprimere,ſine quibus præſidijs, nec reliquorum oſſium vllum ſeruari ſanum poteſt: ſecunda ex communi omnium ſententia ſumitur,vt ſi oſſis aliqua pars pungat,comprimat,aut humiditatum ſub craneo contentarum expurgationem prohibeat,illa quidem tollatur,manuum nempe,ac inſtrumentorum operatione:ſiquidem hæc, nec ligatura duorum capitum,vt in alijs fracturis Hippocrates facere ſolitus erat,nec alio ingenio expelli poſſit.quā operationem innuit Hippocrates,[b] dùm dicit. Si fiſſuram,rimam,aut fracturam ſcalpro adimas, minus horrenda hæc eſt,& minus negotij exhibuerit fiſſura deleta;ſi verò in profundo ſit,& dum raditur,deleri nolit,calamitas hæc ad perforationem deuenit,qua integræ hæ fracturæ curantur; & alibi. Siquidem os fractum fuerit,ac contritum,periculo vacat,& curare oportet hunc humectantibus medicamentis. Si verò rumpatur,& fiſſura fiat,periculum eſt,huic ſerram adhibere oportet,ne in oſſis ſciſſurā ſanies influens membranam cerebri corrumpat.nam vt per anguſtum intrans,non autem exiens,affligit,& furere hominem facit;huic itaque ſerram adhibere oportet,vt ſanies exitum habeat,& facta ampla ſerratura, medicamenta commodè ingredi poſſint:igitur ambigendum non eſt,an Hippocrates manuum opere,ac ferramentis exercuerit,quod apertè percipi poteſt [c] in caſu Antonomi,famulæ in Omilo Equiſonis, Palamedis,& aliorum;vel etiam Celſi [d] teſtimonio,dum inquit ; In omni verò fiſſo,fractove oſſe protinus antiquiores medici(Hippocratem,& Soranum innuens)ad ferramenta veniebant,quibus id exciderent.nam os fractum, niſi ſuccurſum eſt,grauibus inflammationibus afficitur,difficiliusque poſtea tractatur. Probat hanc operationem Galenus,[e] dicens.Etenim ſi craneum eſt fractum,id curamus præcipuè,vt quàm citiſsimè oſſa fracta excidamus,ne videlicet ipſum cerebrum aeris occurſu refrigeretur;id quod certè eſſet malorum vltimum illi,cui caput fractum eſt.Sed quid magis, nonne & Galenus [f] ipſe,ſe operatum ferramentis eſſe demonſtrat,cùm dicat;Nouimus enim aliquando ſincipitis os fractum ; quod autem os huic protinus ſuccedit,temporis os vocatur, in quo ipſas ſquammatim commiſſuras compactas eſſe accidit.

a ¶ Gal. 6. meth. c. 6. Auic. ca. de fract. cran.

b ¶ Lib. de Cal. curat. libr. 2. de morbis. & li. de loc. in homi.

c ¶ 5. & 7. Epidemiarum.

d ¶ Lib. 8. c. 4.

e ¶ 8. de vſu par.

f ¶ 6. meth. c. vlt.

a ¶ 10. de ſimp. med. cap. de ſanguine. columb.
b ¶ 10. de. ſ. m. vt ſupra.

cidit, in eo luculenta fractura longiſſimè pertinebat: quam ipſe equidem minimè contingens, ſed tantùm ſincipitis os excidens, hominem ſanaui, ſic vt nũc quoque multos iam annos viuat. atteſtatur [a] etiam Pergamenos ſuos capita perforaſſe, dum inquit; Columbæ ſanguinem Pergameni noſtri, atque etiam per totam fere Aſiam, qui capitis oſſa confracta perforant, in craſſum cerebri inuolucrum effundere ſolent: & paulò poſt. Ego [b] verò ſexcentos noui eorum, quibus Romæ perforata fuere capitis oſſa, nec quicquam ab vſu roſacei citrà columbæ ſanguinem offenſos. Auicenna etiam itidem locutus eſt. Scias, quòd oſſa capitis diuerſificantur ab oſſibus alijs, cùm franguntur, quoniam nõ reſtaurat natura ſuper ea alrosbot forte, ſicut attrahit ipſum, & naſci facit ſuper reliqua oſſa, immo rem debilem: quapropter, vt non effundatur pus ad interiora, oportet, vt extrahatur, ſi fuerit plaga capitis completa, & non fiat occupatio in reſtauratione eius. Omnium igitur Græcorum, & Arabum ſententiam fuiſſe videtur, qualem deſcripſimus; patetque terebris, ac modiolis cranea perforaſſe, vt corpus tutum redderent, ac à prauis ſymptomatibus liberarent. ſed cum noſtri in his opinionibus determinandis inſiſtere non ſit inſtituti, auctoritates quàmplurimas dimittamus, quibus operandi neceſſitas demonſtrari poſſet. Abſint igitur, qui operationes improbant, credentes tutò cataplaſmatibus, emplaſtris, potionibus, aquis, & ſuis incantationibus fracturas Caluariæ omnes, poſtpoſito victus regimine, ac operationibus dimiſſis, curare poſſe; veruntamen ſi hiſce eorum medicamentis interdum vti neceſſum fuerit, illud eueniet nempe, vel ob vulneratorum animi pauorem, tale operis genus reſpuentium, vel ob cauſam à medico perpenſam, veluti eſt ætas infantiæ, aut decrepitatis, vt ſunt vtero gerentes, aut ſi fuerit rationalium Chirurgorum penuria, aut inſtrumentorum defectus. quæ omnia in aliquibus temporibus reperta fuiſſe, aliqui [c] teſtantur; vel dum talis [d] fuerit fractura, vt nulla indigeat operatione, nullo ſymptomate apparente.

c Zoar. 1. Theiſir. Albu. in ſuo proh. Auerr. 1. coll. cap. 1. & 7. coll. c. 32.
d ¶ Hipp. lib. de Cal. curat.

DE OPERANDI RATIONE FERREIS INSTRVMENTIS.

e ¶ Lib. de Cal. curat.
¶ Lib. 8. c. 2. in fine.

ERgò vbi ad manifeſtas fracturas peruenerimus, aut os depreſsũ perceperimus, & ſanguinẽ, aut alterũ ſuccũ per oſsis ſciſſuram ſuper mẽbranas deſtillaſſe vereamur, cerebrumq; ac mẽbranas compreſſas, aut punctas eſſe dignoſcamus, aut quid extraneum abſconſum detineatur, manuum opus mollire neceſſe eſt, ſæua accidentia non expectando, omni adhibita diligentia, vt ſedes affecta, & affectus natura, ac magnitudo ad vnguem percipiatur. Si igitur minor plaga eſt, quàm fractura ipſa, ſecetur donec vniuerſum os fractum, aut quòd fractum ſit, dubitatur, conſpici poſsit. ſic enim iubet Hippocrates, [e] qui tribus de cauſis ſectionem fieri debere innuit, nempe cùm os nudatum eſt, vt apertè noſcatur, quid mali ſenſerit, & cuiuſmodi ſit, quantumque carnis colliſum; ſecus verò, cũ ſub telo inuiolatũ ſeruetur, nihilq; læſum ſit, quidq; opus in curatione egeat, tã quod ad carnis, quàm quod ad oſsis vitium pertinet; ſecundò cũ enudato oſſe vulnera intus caua ſint, vt latiùs pateat intus, quàm extra, neq; poſsit ea medicamenta recipere, quibus nutriendum ſit, incidi debet ſcalpello, tranſuerſa linea ducta, qua parte medicamenta non admittit; tertiò cùm vulnus orbiculare eſt (capaciſsima enim omnium figurarum ſphęrica iudicatur) plaga, quæ in orbem eſt, cùm angulum non habeat, vnde caro naſcatur, diuturniori tempore repletur: quare eam ſectione accõmodare opus eſt, ſic vt duæ lineæ ſcalpello ducantur in longitudinem hominis; altera nimirum à ſuperiori parte orbis, ab inferiori altera, quò vulnus longum reddatur. Itaque, inquit Celſus [f]. quantum fieri poteſt, eodem momento & cutis incidenda eſt, & os detegendum; ante inflammationem enim tutius omnia tractantur, ſic etiam Paulus, & Auicenna ſenſerunt. Plagam igitur, ſi ex vulnere talem eſſe nouerimus, qualem neceſſe eſt habeamus, ſat erit: ſi autem manibus facienda eſt, ea ferè commodiſsima eſſe ſolet, quæ duabus tranſuerſis lineis per medium ſe mutuò ſecantibus literæ X figurã accipit, licèt priuatim huius nõ meminerit Hippocrates, primæ quidem in genere ſectionum manufactarum: oportet autem, vbi ſecatur, carnem ab oſſe diducere, & membranam, quæ oſſi iuncta eſt, ſeparare; deinde vulnus vniuerſum linamentis implere, oui albumine imbutis, præſertim in ſanguinis fluore, vel etiam & candido, luteoque ſimul, vt dolori obſiſtamus; ſic enim in poſterum diem minimo labore vulnus apertum habebimus. ſuprà verò puluillos, ex molli ſtupa paratos, vino, & roſaceo infuſos apponemus, aut Hippocratis cataplaſma, ſiue polentam tenuiſſimã, quæ ex aceto, aqua, & farina hordei toſti ſubacta, atque incocta ſit, vt glutinoſa reddatur: demùm caput faſcijs cõcinnè, & (vt tantùm contineantur, quæ fuerunt appoſita) auolui debet. nam faſciæ, quæ ad continenda medicamenta ſuperdantur, in capite opportunæ ſunt; Et hic quidem operandi modus à nobis probatur, dimittendo ſpõgiam aceto imbutam Celſi, aut poſcam Pauli, cum vſu non ſeruentur, ſed vtimur vtplurimum aridis linamentis, qui modus communiter laudatur. Altius itaque collòcato capite, ita ſecanda eſt plaga, vt omnino prædictæ figurę imaginem referat, ſic, vt vna ſit linea ipſius plagæ; altera, quam ſcalpellus chirurgus duxerit, ex quo tetragona figura oriatur: antea verò caput radendũ eſſe, clarius eſt, quàm dignum, quòd ſcribatur; ab oſſeque diducta carne, & pericraneo, angulo eleuentur, linamentiſque aridis plaga impleatur. Vt autem opus hoc abſoluatur, opportunum inſtrumentum requiritur, quod à Paulo culter exciſorius, ab Auicennæ interprete nouacula, vulgo raſorius; quodque à Chirurgo perpetuò deferri debet; ad eam imaginem efformatur; aut tale ſit, cuius formam in officina expreſſam intueri licet, aciem obtuſam ex altera parte habet, ex altera verò acutiſsimè ſecat.

VT autem forma inciſionis externę cutis, quam iſti ſcorticaturam vocant, ſuperiùs enarratæ faciliùs

ſenſu viſus percipiatur, eam ſub effigie, de qua ſuo loco in officina, delineare decreuimus, in qua anguli quatuor eleuantur.

AT cum ſæpenumero contingat, vt vel ratione oſſis ſubſtantiæ imbecillioris, vel ratione modi percuſſionis, vnum plagæ latus duntaxat fracturam experiatur, tunc vnam partem tantùm ſecare ſufficit, latus nimirum illud, ſub quo fractura impreſſa eſt; nam non ſemper ad eam ſectionem, quam crucialem vocant, cogimur deuenire, præterquã in fractura ingenti, aut magna depreſſione ſub ambitu plagę totius. Ergò interdum datur ſectio recta à latere vulneris ad vulnus ipſum, adeò vt anguli recti conſtituantur ex linea recta, ducta ſupra lineam rectam, præſertim ſi vulnus rectum, aut oblongũ extiterit, fit & figura trigona, quæ ad operantis intentum conducit; Diducatur ab oſſe caro, & membrana, ac eodem modo regatur vulnus, vt dictum eſt. hanc ſectionis formam multi orthogonalem vocãt, à qua anguli duo recti prius formantur, deinde ſuper os detectũ, cùm labra eleuãtur, triangulus quidam apparet, ac, vt talis ſit prius vulneris ſectionis imago efformetur ≺ ⊣. poſtea in hac capitis forma, duorum angulorum eleuatio, triangulum efformantium, conſpici poſt; quod figura in officina deſcripta apertè demonſtrat.

QVÒD ſi vulnus ob ſui magnitudinem, rectæque fracturæ formam, diduci poteſt, labiaque non nihil ſeparari, nulla ſectione opus eſt: ſed mox tantùm aut digito, aut vnguibus, aut inſtrumento aciem obtuſam ex altera parte habente membrana ab oſſe diducatur; labia adinuicẽ æqualiter diſtent, ſic vt fractura latè pateat, & opus commodè conficiatur, quemadmodum figura in officina ſuo loco deſcripta, videre eſt.

CVM autem ſecare intendimus, latas, & magnas ſectiones vitare oportet ob id, quia particula, vbi ad cicatricem eſt perducta, non ſolum turpiſſima reddetur, ſed etiam protinus imbecillior fiet: ergo cũ nudati oſſis cauſa plaga in capite ſecatur, vt pateat, necnè à telo os ipſum læſum fuerit, eatenus incidi debet, quatenus opus eſſe videatur, omni ſtudio, ne [a] meningæ os tegenti inflammatio ſuboriatur, ac indè conſortij lege duræ membranæ, & cerebro communis fiat. Suturam igitur nunquàm ſecare oportet (nã in ſutura os eſt diuiſum, & facilius cædit) neque ab ea pericraneum diuellere; ſiquidem [b] ſuturæ maximè neruoſæ ſunt; nec memoria excidat, quòd tempora, & regio ſuperior iuxtà venam, quæ per tempora fertur, ob eius ſenſibilitatem attingi non debet; eum enim, qui inciſus fuerit, neruorum diſtenſio prehendit; nerui enim, qui à tertio pari oriuntur, per has membranas diſſeminantur, & in eas deſinere videntur, muſculorum quippe omnium hi à prauis accidentibus facillimè corripiuntur, cum neruorum principio valdè proximi ſint, adeò, vt oſſis tantùm ſubſtantia tenuis inter ipſos, & cerebrum media ſit, inferiori maxillæ motum præſtant, quæ capiti iuxtà tempus committitur, & nè [c] ab externa cauſa facilè læderentur, ſagax natura iugalia oſſa, Zigomata à Græcis dicta, ſolida & duriora abſque medulla ſuperpoſuit. Cæterùm quanquam Celſus [d] hæc omnia nouerit, in eis etiam ſectionem admittere viſus eſt. ait enim; Neque id vitium vllum metum, niſi inter muſculos, qui tempora continent, affert, ſed ibi quoque nihil tutius ſit, vrgente nimirum neceſſitate, & ſi accidentium magnitudo impellat, agendaque tunc tẽporis inciſio eſt, iuxta villorum progreſſum in temporibus: ſecus verò in fronte, & ſupercilijs, vbi ſectio corporis rectitudinem tranſuerſim rugas requirit, nè ob cicatricem facies plurimum deturpetur. Itidem ſupra caluariæ ſuturas ſectiones verentur; nam pericraneum illæſum ibi perpetuò ſeruari debet, cùm per ſuturas duræ meningæ, a qua ortum habet, proximè coniungatur, plurimæque venæ per eas tranſitum habeant; nec vllo modo facta ſectione, calli in ſuturis gigni debent, nè vaporum continuus exitus impediatur, ac interioris membranæ motus deprauentur. attamen conceſſum in ipſis eſt, præſertim in coronali, cauteria vulgo dicta, fieri poſſe, vel candenti ferro, vel vrente quopiam medicamento, pro affectus ratione. Quapropter nos, & accidentibus, & rationibus coacti ſæpe & in temporibus, & in ſuturis fælici quidem euentu ſectiones moliti ſumus; cuius actionis teſtes ſunt quàmplures diſcipuli noſtri, qui nunc excellentes viri euaſerunt, & curationibus noſtris ſæpius interfuere. Hortamur igitur Chirurgos neceſſitate motos intrepidè ad opus deuenire; nam ſatius eſt aliquid nonnulla cum fiducia, vel cum periculo facere, quàm omni ſpe adempta, certò perire. Patet itaque, ac demonſtratum eſt, fractæ caluariæ curationem manuum opera, ac ferreis inſtrumentis fieri debere, ſed antequam ipſam aggrediamur, conſiderationes quàmplurimæ neceſſariò requiruntur, quarum prima TEMPVS eſt operationi opportunum: ſecũda LOCVS, ſiuè ſitus illi accõmodatus: tertia QVANTITAS oſſis extrahendi: quarta INSTRVMENTORVM forma, & numerus ad operis abſolutionem: quinta OPERANDI modus: ſexta MEDICAMINVM adminiſtrandorum poſt operationem ſubſtantia, ac facultas ad rationalem vulneris curationẽ conueniens, ac inſimul ordo totius in ea ſeruandus, tum ad præcauenda accidentia, tum etiam ad ea amouenda, quæ ſuperuenerint. Sed vt ordine quodam procedamus, à tempore, veluti ab ea indicatione, quæ ſatis vrget, initium capiamus.

a ¶ Hipp. lib. de Coac. prenot. & lib. de Calu. curat.

b ¶ Gal. com. 4. lib. Hipp. de Articulis.

c ¶ Gal. 2. de vſu part. circa principium.

d ¶ Lib. 8. c. 4.

DE TEMPORE CONVENIENTI.

LICET varietate quarundam antiquarum opinionum de temporis hiſtoria ad has actiones dubitari poſſet, cùm de eo multi diuerſimodè credidere: nos tamen dubitationes dimittentes, ex longa praxi dicimus, operationũ huiuſmodi determinatũ tempus non concedi, ſed ſumi debere ab indigentia ipſius operationis; quandoquidem curatiua vulnerum indicatio à morbi eſſentia, patientis ro-

bore,& ſymptomatum natura, & non à tempore ſumi debet; non eſt enim, quòd tempus præfixum ad opus plurimum faciat,cum ſymptomata,aut ea,quæ affligunt, aut quæ afflictionis indicium præſtant,tēporis præbeant occaſionem;porrò ab Hippocrate dictum eſt,modò citius,modò tardius accidentia fracta caluaria ſuperuenire: quapropter omnes vnanimes fatentur eā operationem tutiorem,vtiliorē,& magis laudabilē fore,quæ celerrimè adimpletur;& ideò axioma hoc perpetuò durat,quantò citiùs,tātò meliùs.Cùm igitur ad operationē accedere cogimur,auctore Hippocrate,ea nēpè ante quartam adminiſtretur,idq; magis æſtiuis temporibus,in quibus humores putredini parantur,& inſultus naturæ contra morbum mouentur .cumq́ue tempeſtiuè ad curationem accerſiti ſumus,& ante inflammationis initium, corpore euacuato,ſi expedit, os perforare oportet.nam plerunq́ue æſtate poſt ſeptimum diem febris corripit,hyeme verò ante decimumquartum. Igitur,inquit Celſus,non ſunt audiendi,qui oſſe nudato diem tertium expectant,vt tunc excidant. ex quo euenit,vt humor ad membranam deſcendat, exitum verò nō habeat,ac eam irritet,& graues inflammationes moueat. Matura itaque operis abſolutio requiritur, cùm internam læſionem nouerimus,neque tertium tranſigamus diem,nempe hoc pacto determinata tēporis deſignatio fieri poſſet.Cùm verò accidentia vehementer intenduntur,dum humiditates ad putredinē tendunt,& naturæ inſultus contra morbū apparet,nec de Lunæ aſpectu(hoc eſt nouilunio,aut plenilunio) aut de criticis diebus,qui magis ad prognoſticū,quàm ad curationem,faciunt,cura habenda eſt; ſed quāprimum negotiū moliendum,vt ſanguis nondum congelatus facilius exeat,ac nè errans cerebrū perturbet,vel premēdo grauet,vel æſtuando inflāmet,minusq́ue extendendo dolorē moueat.hinc Auicenna dicebat; Quando frangitur craneū,& infrigidatur velamen,& apoſtematur,tunc opus eſt,vt feſtines ad inciſionem; at ſi neceſſaria fuerit expectatio,ea ſit vſque ad duos dies,aut tres:ſed vt plurimum oportet,vt curetur in ſecundo,præſertim ſi panniculus coarctatus,aut punctus fuerit:quoniam punctura facit ad apoſtema,& ſpaſmum; quare oportet, vt extrahatur illud os ſtatim,& remouebuntur accidentia. Ergo ab apparentibus ſymptomatibus,aut ab eorum timore operandi indicationes diligens Medicus ſumere poteſt,& magis in corporibus cachochimis,aut malis ſuccis repletis: verum vbi à principio facta non fuerint ea,quæ ſubterfugere non licet,reliquis diebus efficiamus: ſatius nanq; eſt, quoquomodo tardius occurrere remedijs,quàm ijs omiſsis,ſine ſpe mori ægrum ſinere. ob id & tertio,& ſexto, & decimoquarto,& reliquis diebus indifferenter operari poſſumus:quòd ſi per fracturam humiditates, & quicquid ſubtus continetur,facilè expurgentur,cerebrum à noxa tuetur; vel ſi materia exigua, & benigna fuerit, & ab innato calore regulari,& diſcuti poſſit, tunc demorando interdum nihil damni affert, eòq́ue magis ſi in regione temperata,conſtitutione nō æſtuante,reperiamur,ægrotantisq́ue habitus validus ſit,nec copia malorum humorum ſcateat,ſi opportunæ euacuationes præceſſerint,victus ratio congrua,nec accidens vllum appareat,quibus conditionibus temporis aſsignationes obſeruandæ ſunt. Ab anni conſtitutione ſolebat Hippocrates operationem innuere,cùm dicit; Ab initio autem cùm vulneratum ſuſceperis,hyeme quidem ante quartam decimam diem,omninò os auferre tentato;æſtate verò ante ſeptimam,priusquàm ſymptomata mala oboriantur. verùm, quoniam hyeme quandoque die vndecima accidentia ſuperuenire ſolent,decima abſque vlla operatione non eſt prætereunda,quæ æſtate accelerari debet; tunc enim humiditates facilius alterātur,& corrumpuntur vehemētius in humidiori temperatura. Abijciamus igitur Empiricorum ſententias,operationes reprobantes,nec eos audiamus, qui ſymptomatum acceſſum morantur,priusquàm operentur;quò fit vt errores,& damna ęgri experiantur, corpora ſiquidem humida in loco calidiori non ventilato conſtituta facilè putreſcunt,ſerius verò in frigidiori:& hinc efficitur,quòd accidentia diuerſimodè, & varijs diebus apparent,& (vt retulit Paulus, & Auicenna)etiam tranſacto anno patientem inuaſerunt: non datur igitur ad hoc tempus præfixum, ſed omnia rationalis Medici iudicio dirigantur Celſi præceptū obſeruātis, prudentis hominē eſſe primum, qui ſeruari non poteſt,non attingere,nec ſubire ſpeciem eius vt occiſi,quem ſors ipſius peremit;deinde, vbi grauis metus,ſinè certa tamen deſperatione,indicare neceſſarijs periclitantis in difficili rem eſſe,ne ſi victa ars malo fuerit,vel ignoraſſe,vel fefelliſſe videatur.

DIGRESSIO.

a ¶ Paul libr.6, cap. 90. Auic, c, de fract.cra.

b ¶ Ariſto. 2. de Anima. cap. 24.

AT cum [a] caluariam quandoque frangi contingat, cure exterius integra remanente, non eſt,cur ambigendum ſit,nunquid huiuſcemodi fracturæ genus concedi poſsit,quamquam argumenta quamplurima adducantur, videlicet quòd minus percuſsionibus cutis, & caro reſiſtat, quàm os,& ideò ſuapte natura promptior ſit ad vulnera ſuſcipienda oſſe ipſo; agens [b] enim facilius agit in patiente bene diſpoſito: Cutis ob ſui ſubſtantiam mollem, laxamq́ue minori negotio ſoluitur, quàm os, cum melius diſpoſita ſit: Inſuper cum oſsis tegumētum, ac tutela cutis à natura genita ſit, oſſe faciliùs frangi, diſrumpiq́ue poteſt, vt potè ſolidiori,ac duriori: præterea quemadmodum in fluxionibus à capite ad pectus pulmonē promptius affici contingat, molliorem nimirum, ſubſtantiaq́ue laxiorem corde ipſo ſolidiori,ac denſiori;ita & in capite veriſimilius eſt, cutem, quàm craneum, lædi poſſe: ſed vnicuique patere poteſt, quomodo oſsis ſubſtantia, licèt durior,attamen tanquam tenuis, frangatur, cū magis reſiſtat,& corpori graui opponatur, impetu quodam exterius adueniente,quàm cutis compactæ quidem ſubſtantiæ,& cedenti adeò,vt non frangatur ad ſenſum,quamquam continui ſolutionem patiatur,

tur, idque magis euenire ſolet in oſsibus ſiccioribus,vel natura, vel ætate, vt in colliſionibus,& contuſionibus quotidiana commonſtrat experientia; ſecus verò in pueris,[a] qui ob oſſium humidorum, molliumque ſubſtantiam minus franguntur, cum facilius cedant, ac flectantur; propterea in caſu ab alto præcipitantes,vt plurimum noxam euadunt. patet etiam tale quid in phyſicis de fulmine, à quo ex velociſsimo deſcenſu ab aere enſis in vagina abſumitur,illæſa vagina.compertum eſt etiam in re medica febrem fixam,quam Hecticam vocant,prima acceſsione ſolida membra inuaſiſſe,& non ſpiritus, aut humores, cùm tamen facilius ſit, humores, & ſpiritus affici, quàm ſolida ipſa membra. Quòd autem cutis non rumpatur,falſum eſt; ſoluitur enim ſemper in contuſionibus, quanquàm innoteſcat affectus,vt in apoſtematibus contingit. Siquidem[b] in eis, & ſi occultè, neceſſariò datur continui ſolutio. porrò ex tribus morborum generibus vnum fit nempè apoſtema. ſed his omiſſis,dicimus huiuſmodi fracturæ genus celerem quidem,ac ſolertem manuum,inſtrumentorumque operam requirere: nanque,dum occupatio in apoſtematis curatione fit, & ad fracturam non peruenitur, fortaſſe accidit, vt os deſubtus putreſiat,& accidunt, antequam fiat ſanies, aut poſt ipſam, ægritudines malę ex febribus, tremore, deſtructione rationis, & ſimilibus. Ergo cum in mora periculum ſequatur, quod decet quamprimum perpetuò ante diem tertiã adimpleatur, præſertim ſi cerebrum,aut eius meningæ pungantur, aut comprimantur,aut alio modo lædantur; nec obeſt,ſi Galenus temporis conſiderationem prętermiſerit, cum ſat illi fuerit ad Hippocratis mentem pluries dixiſſe;Quicquid agis,citò,tutò,latè, ac ſine dolore agas: & hæc duo ſemper ſeruato, vt niſi iuueris, ſaltem non noceas. inſuper ſi ſextus methodi liber Galeni,in quo omnia explere promiſerat, & quem imperfectum habemus,apud nos extaret, aut ſeptimus à Raſi citatus,qui non reperitur, fortaſsis tempus ad hoc opus determinatum, cognoſci poſſet.

a ¶Hipp.lib. de nat.mu. Gal. li. de Calu. curat. Auic.4 4.trac. 2.cap. 4.

b ¶Gal.libr. de inæquali temp. Auic.2.1.cap.5.

DE LOCO, SIVE SITV OPERIBVS OPPORTVNO.

CVM[c] actiones vniuerſæ ab agente dirigantur in finem, cuius gratia aliquid fit, & ſedes cranij perforanda plurimum ad finis conſecutionem conducat; iccirco opportuna, & accommodata eligi debet, vt faciliùs finis ipſe aſſequi poſsit, pręſertim dum aditum,& orificium paramus ad variarum humiditatum ſub caluaria contentarum expurgationem; tunc enim vel terebris,vel modiolis, vel cycliſcis,vel ſimili alio inſtrumento emiſſarium in caluaria facimus,nempe ita commodo loco,vt facillimè ſuccus omnis extra venas exeat,ſicque ad hunc finẽ in ima,ac decliuiori vulneris parte locus imprimatur;porrò ſitus infimus, & decliuis, ac huic expurgationi pronus interdũ reſpectu rectitudinis corporis conſideratur, quandoque ad fracturę formam, vtrunq; verò ad rem noſtram minimè conducit, niſi per eam materiæ tutò educi poſſent:ſed ea vtilis eſt,quę ex decubitus patientis modo deſumitur.inquit Princeps; Oportet,vt ſit inciſio ex loco conuenientiore,& conuenientior quidem eſt aggregãs ad oppoſitionem,per quam exiſtimes,quòd virus currat ex eo melius, & ad facilitatem inciſionis: ad eundem modum ſi membranæ comprimantur, lacerentur, aut pungantur ab oſſe, aut ab alia re adeò, vt mala ſubſequantur ſymptomata, partem auferimus, quam arbitramur nocere, & operatio duntaxat reſpectu ſymptomarum abſoluitur: quò fit, vt non magis hanc, quàm illam partem auferamus, ſed tantùm eam, quam commodiorem, ac vtiliorem iudicamus,non contenti interdum vno tantùm foramine, vt infra oſtendemus,ſed quàm plurima,cum res ita expoſtulat, fieri debent; at in fractura ingenti, vel depreſsione,vel cum oſſa in fruſtula diuerſa diuiſa ſint, neceſſe eſt quandoque terebello exiguo, modioloue ſanum os fracto contiguum perforare, quo, eo impoſito inſtrumento, quod Græcè oſtagran,Latinè vectem,& vulgò eleuatorium nuncupatur,os depreſſum attolli poſsit.nam citrà periculum imbecillia oſſa,teſte Hippocrate,non perforantur. quare nonnihil ſani oſsis interdum accipere licet: vbi verò inferiorem oſsis tabellam,fracturam,oſſe ſuperiori maiorem, pati percipimus,recto ſcalpro, ac malleolo vti licet, vel forpicibus,vulgò mordenti, appellatis,vt paulatim partes ſuperiores per orificium vndique auferantur,quouſque talis reddatur aditus, quòd diploidis, ſiuè ſecundæ laminæ commodè fractura extrahi poſsit, ſeu quicquid intus contineatur. A natura itidem partium operationis modum deſumimus,cum[d] in ipſa caluaria varietatem in craſsitie,duritie, & ſoliditate ſpectare oportet; occipitis enim oſſa ſolida, craſſa, & firma ſunt: contra verò ſincipitis oſſa tenuia, & debiliora, verticis autem inter hæc media ſunt; lateralia,& circa tempora frangibilia, ob id eorum fracturæ valde periculoſæ ſunt, cum in lateribus non vno in loco etiam neruorum, horumque non leuis momẽti quidam exortus exiſtat,quibus admoniti ab eximendis oſſibus,quæ in lateribus capitis ſunt, abſtinere debemus, Galeno[e] aſſerente; Nouimus aliquando ſincipitis os fractum; quod autem os huic oſsi protinus ſuccedit, temporis os vocatur,in eo luculenta fractura longiſsimè pertinebat,quam ipſe equidem minimè contingens, ſed tantùm ſincipitis os excidens hominem ſanaui. quòd autem capitis partium diuerſitatem conſideraſſet Galenus, ait; In alia ſimiliter ſe habente fractura cogitabam os ſupremum dimittere,ac quod à lateribus erat, quò ſanies deflueret, eximere; mox cùm,& craſsitudinẽ eius, & duritiem æſtimaſſem, vtilius fore iudicaui, ſupremum os potius eximere, quàm ob defluxus ſolicitudinem,cerebrum valenter concutere; cogitaui præterea accidere poſſe, vt ſi à latere magnum fieret in oſſibus foramen, promineret fortaſſis hac parte cerebrum: quapropter innuente Hippocrate, aduertendum eſt, in durioribus oſsibus opus terebris,ac modiolis abſolui debere; nam ſic caput minimè cõ-

c ¶Ariſt.2.phy. com.79.

d ¶Hipp.lib. de Calu.cura. Gal. lib.de oſsib.c.1. & 9.de vſu par.

e ¶6.meth.ca. vlt.

a ¶ Gal. 9. de vſu part. cap. 17.

cutitur. in tenuioribus autem, & imbecillioribus cycliſcis, aut ſimili alio inſtrumento, ſiquidem terebrę in his periculo non vacant. oportet autē, ſi vulnus in ſutura fuerit, & telum oſſi inſederit, diligenter animaduertere, vt inueſtigemus, qua noxa os teneatur. nam ſecare ipſas ſuturas non expedit, ſed ab illis recedere, atque vbi ſectio neceſſaria ſit, proximũ os ſecare conuenit. dum ergo operamur, fugiendę ſuturę ſunt, nam [a] per eas pericranion durę meningæ alligatur, & ipſarũ vulnera lethalia iudicātur; quò fit, vt perforationes haudquaquã in ipſis conueniant, verũ in vrgente cauſa circa ipſas; quinimmo vtrunq; latus multotiēs perforare cogimur, ſuturas cauentes, cũ materiã vndiq; ſub caluaria adeſſe, arbitramur: At ſi accidentium magnitudo inualeſcat, in ingēti depreſsione, aūt magna fractura etiam ſuper ſuturas manum admouebimus, præſertim cum indicia adfuerint propria, duram meningam à craneo abſcedi, vel percuſsionis robore, vel à copia humoris ſuper eam contenti: adhuc ſuturarum varietatem conſiderare oportet; in capitibus enim quibuſdam ſagittalis ad ſupercilia vſque protenditur, in aliquibus lambdois arctior efficitur, interdum omnes adeò conueniunt, vt vix diſcerni poſsint, & mentē, ac oculum fallant. nam & Hippocrates à ſuturarum anguſtia ſe deceptum eſſe memoriæ prodidit, interdum adeò hiant, vt vapores, & ſucci tenues infra craneum facilè per halitum diſsipentur, in quibuſdam pars anterior eminet, in alijs deprimitur, vt potè auctoritate Hippocratis, hominum capita nihil inter ſe ſimile habent, neque ſuturæ capitis in omnibus eodem loco conſiſtunt. porrò capita nautarum, militum, ruſticorum, ſub dio vitam degentium, ac alimentis craſsioribus nutrita, dum conſiſtunt, duriora, ac ſolidiora euadūnt: ſecus verò infantium, mulierum, ſub vmbra, otio, & quiete degentium, ac victu molli, & concoctu facili veſcentium tenuiora, & molliora exiſtunt: magna cautione circa occiput opus eſt, ne ceruicis penitior pars afficiatur, ac cerebellum, ſpinæque origo motus à voluntatis imperio prodeuntis noxam ſubeat: quinimmo aliqui opinantur occipitij perforationes nunquàm ſanari. Cum ergo laterales partes perforamus, ſumma cura habenda eſt, nè cerebrum promineat; orificium itaque exiguum ſit, deligatura opportuna, & decubitus ſecundùm exigentiam.

DE OSSIS EXTRAHENDI QVANTITATE.

b ¶ Hipp. lib. de cal. curat.

c ¶ 6. meth. ca. vlt.

POSTQVAM [b] ſedes iam conſtituta, ac ſignata fuerit, oſsis quantitas extrahenda ſe offert, quæ ea quantitate auferenda eſt, quantam os fractum, & ſeiunctũ expoſtulat; quòd ſi cuti inhæreat, ab ipſa diuellatur, cum in caluaria, vt in alijs oſsibus, callus nunquàm expectetur: his Galenus [c] aſtipulatur dicens; Quantum verò excidere conueniat eius, quod affectum eſt, deinceps exponam; quod vehementer eſt confractum, id totum eſt auferendum; at ſi fragmenta quædam longius excurrant, vt interdum accidere cernitur, hæc ad finem perſequi non expedit; illud perſuaſum habētibus, minimè futurum, vt ex eo noxa vlla ſequatur, modò reliqua omnia ritè ſint parata. Nos verò non ſemel, aut bis, ſed planè perſæpe ſic facientes, voti compotes fuimus. Hanc Galeni ſententiam ad vnguē imitatus eſt Paulus, [d] & Auicenna. [e] conſultò itaque oſſa fracta educemus, vt noxam, potiſsimum à membrana, & cerebro, auferamus; ſecũdò quoniã caluaria poro ſolido, & craſſo non eget, cum tenuis, ac leuis ſit, & à ſolido poro membrana ſubcingens premeretur; quapropter oſſa educere oportet, vt inde ſubſtantia illa cartilaginea, quæ oſsis munere fungitur, gigni poſsit, ſiquidem callus, aut porus ſarcois, aut alrosbot non generatur, [f] niſi in oſſe, in quo medulla reperitur; nam medulla oſsis alimentum eſt; &, vt inquit Celſus, callus oſsis cicatrix eſt. Tertiò [g] cùm caluariæ oſſa nec motui inſigni, nec oneri alicui ſubijciantur, ſed vt tegatur duntaxat, & tutetur cerebrum, veluti galea, extructa ſint, fortiſsima, ac ſolidiſsima concretione minimè egent. in ſciſſuris autem penitioribus, ac reliquis fiſſuris eò deducenda res eſt, nempè cycliſcis, & ſcalpris, vt tantum oſsis auferatur, quòd humiditates, ſi quæ fuerint retētæ, per facilem aditum educi poſsint, & membranam commodè abſtergere valeamus, nec tunc ingēs foramen requiritur, veluti in cauis depreſsionibus, dum ipſa membrana premitur, vel cùm ſecunda lamina ſuperioris maiorem experitur fracturam: quòd ſi os compreſſum citrà diſiunctionem appareat, ad uitanda ſymptomata foramen exiguum in imo depreſsionis paramus, quo immiſſo, eleuatorio os attolli poteſt: ſit ergo iuxta oſsis extrahendi quantitatem orificium magnum, & paruum, perſpecta nimirum materiæ contentæ copia, membranæ noxa, ac fracturę ſede; ſiquidem in partibus lateralibus, imisq; ſedibus cerebri procidentia verenda eſt. nam pro comperto habetur, cutis amplas ſectiones, fracti oſſis notabilis quantitatis extractionem, ac operationis moram cauere oportere. hæc enim omnia membrum imbecille reddunt, & eius potentiam regitiuam deſtruunt. At cùm hic particulatim de his actionibus ſermo à nobis propoſitus non ſit, hæc dicta ſufficiant. Sit ergo tempus, locus, ſitus, oſsis quantitas, opportuna ac concinna inſtrumenta, necnon approbata medicamenta iudicio, & arbitrio ſolertis, ac eruditi Chirurgi dirigenda, qui ſuarũ indicationum fundamenta à fracturæ eſſentia, à patientis robore, à ſede affecta, & ſymptomatum fortitudine ſumere tenetur.

d ¶ Lib. 6. c. 90.

e ¶ 5. 4. cap. de fract. cranei.

f ¶ Hipp. lib. de Alim. in fine.

g. ¶ gal. libr. de vſu par. c. 1.

De Terebris, modiolis, ſacotis, ſcalpris, cycliſcis, meningophylacibus, ac alijs inſtrumentis ad cranij perforationes opportunis. Cap. XII.

CAPITIS fracturæ inter omnes corporis affectus, præſertim in ſoluta continùitate, inſtrumentorum varium vſum maximè expoſcunt; iccircò chirurgum ſolertem decet eorum copia, ac formę varietate minimè carere; ſiquidem [a] indecens eſt, in occaſionibus ea alibi perquirere, ob id de eis in præſentia aliqua dicamus, varias eorum formas delineantes, tùm ex antiquorum ſententia, tum etiam ad recentiorum opinionem, vt, qualis nam probabilior, ac vtilior eſſe videatur, pateat, & hãc vel illam accipere fas ſit. Ne miremini igitur, ſi inſtrumentorum tot varias formas hic deſignauerimus, apta quidem, vt decet, ad omnes caluariæ perforationes: porrò tertia illa medicinę pars, quæ chirurgia nominatur, in duas partes diducta eſt, vna carnis vitia corrigit, altera oſsium fracturas coniungit, aut luxata oſſa in ſedem propriam reponit. igitur quod ex vi nominis, ac operationis colligitur, ſolum affectus illi ad eam pertinere videntur, qui manus operam requirunt, & ea præſidia, quæ corporibus ſic languentibus adhibentur, non niſi multorũ inſtrumentorum auxilio celebrantur, iccircò ea, quæ fracto craneo opportunè opitulãtur, in officina ordinatè delineare decreuimus, vt ea operando in commodum vſum parata habeamus, quæ ſi ea, qua egemus, diligentia delineata non erunt, eorum tamen vtilitas, & operatio facillimè intelligi poterit. Priſci nempè illi medici, qui chirurgiæ operam nauarunt, in caluariæ perforatione quibuſdam inſtrumentis vtebantur, dum durioris oſsis amplũ ſpatium detectum adeſſet, Terebram, ac Terebellam ſic vocitantes. exciditur [b] enim os duobus modis; ſi paruulum eſt, quod læſum eſt, modiolo, quam chœnitiam Græci vocant; ſi ſpatioſum, terebris. Terebrorum autem duo ſunt genera, alterum ſimile ei, quo fabri vtuntur, præſertim ad vaſa terrea perforanda anguſtis quamplurimis foraminibus; itidem in caluariæ oſsibus ſic illi operabantur inſtrumentis, nempè formas imitantibus, in officina ſuo loco poſitas.

[a] ¶ Hipp. lib. de Medico.

[b] ¶ Celſ. lib. 8. cap. 5.

HOC terebro foramen fit in ipſo fine vitiati oſsis, atque integri; deinde alterum non ita longè; tertiumque, donec totus is locus, qui excidendus eſt, his cauis cinctus ſit, atque ibi quoque, quatenus terebra agẽda ſit, ſcobs ſignificat; tunc exciſorius ſcalper ab altero foramine ad alterum malleolo adactus id, quod inter vtrunque medium eſt, excidit, ac ſic ambitus ſimilis ei fit, qui in anguſtiorem orbem modiolo imprimitur. Terebræ proprium eſt perforare, cùm acutum mucronem habeat; aptatur propriè, cum oſſa plurimum firma ſunt. ſed metuendum eſt, nè, dum agitur mucrone cerebri membranam violet; quare imperauit Hippocrates, nè operando nimis altè deſcendat. Adhuc eius vſus alienus eſt, vbi oſſa vehementer ſunt confracta, aut vbi per ſe imbecilla fuerint: At quia, dum terebrum hoc circumagitur, periculum imminet, nè membranæ lædantur, ideo nonnulli (inquit Galenus) vt quò minus vſque aberrarent, & hoc periculi genus euitarent, eiuſmodi terebras excogitarunt, quæ mergi non poſſunt, & ob id à Gręcis ABAPTISTA dicuntur, circuncurrit enim parum ſupra acutam terebræ cuſpidẽ circulus quidam parum extans: expedit ſanè complures id genus paratas habere, quæ omni caluariæ craſſitudini adaptari poſsint: nam craſsiori ea conueniunt, quę inter extantem circulum, & mucronem longius ſpatium habent, tenuiori contra quæ breuius: atque etiam huc pertinere videntur terebræ ſecundo loco à Celſo deſcriptæ capituli longioris, quod ab acuto mucrone incipit, dein' ſubitò latius fit, atque iterum ab altero principio paulò minus, quàm æqualiter ſurſum procedit; prohibet enim capitulum, quod ſuper mucronem ſubitò lateſcit, nè terebra altius deſcendat. Terebrę iſtæ habena ducuntur, cum in tranſuerſarium inſeruntur, quod medium perforatum eſt, ita vt facilè ſurſum, ac deorſum per ipſam feratur, dum habena circum ipſam obuoluitur, & circumagitur, ac impetu per ſe in contrariam partem conuertitur: hoc terebrum credimus illud eſſe, quod quâmplurimi medici tum veteres, tũ noſtrates vnico ore inſtrumentum ſecuritatis appellant, ab aliquibus etiam terebrum non profundans dicitur; eo tamen nos vti non auſi ſumus, cum ſecuriora, ac magis idonea parata perpetuò habeamus; ſed vt abaptiſtæ vera forma cerni poſsit, imprimi curauimus in officina.

QVAM plurima orificia anguſta fracturã ambientia, nõ tñ a periculo tuta, longiſsimo tempore, magnis agitationibus, ac laboribus ab his terebris imprimebantur, quæ habena triplici modo circunducuntur, vno nempè per tranſuerſariũ, & duplici habena, vt dictũ eſt; altero per ſimplicem mediæ terebræ arctè alligatam, ac ſæpius circa ipſam obuolutam; tertiò cum exiguus arcus admouetur ſic, vt chorda ſemel circa terebram voluatur: quę autem terebra per ſimplicem habenam, aut arcum circumagitur, pilã mobilem in ſummo continet, quę manu ſiniſtra firmiter conſeruatur. terebræ verò acuties in oſſe ſano, vbi deſideratur orificium, ſituatur, ac dextera habenam ex tenui corio, aut exigua fune vi quadam trahendo, os terebræ magnitudine perforatur duobus nempe, aut tribus, vel pluribus, ſi opus fuerit, orificijs; quamquã autem ab Hippocrate, Celſo, & Galeno de acutis terebris mentio facta ſit, præſertim in oſſe puerili, cùm os terebra in circuitu perforatur, iubeantque admotis ſcalpris excidi; tamen, quia periculo non vacant, hiſce temporibus reprobantur. Sed, vt eorum potentia dignoſcatur, videamus imagines in officina

Navtae, & qui caſtra ſequuntur,inſtrumentorum penuria, oſſa cranij quibuſdam ſuis terebris perforare imaginati ſunt,quæ vna tantum manu aduoluuntur in ſummo,aut pilam, aut tranſuerſariũ quoddam continent,in imo valdè acutæ,aut torculatæ, aut triangulatę ſunt;ſed quia facillimè meningas attingere poſſent,reprobantur;poſſent fortaſſis à viro perito commodè vti, quare earum formas delineare decreuimus, vt in officina ſuo loco.

TEREBRA, QVAE VNA TANTVM MANV AVOLVVNTVR.

a ¶ Lib. 2. c.46. lib.3.cap.3.
b ¶ 5.4. tract.3. cap.1.

Arabs ille magnus chirurgus Albucaſis [a] in caluariæ perforatione quoddam terebrum commendat, quod digitis tantùm voluitur,& eam agit operationem, quam ſuperius deſcripta terebra facere ſolita ſunt.& quia ſolis digitis circunferuntur,tenuia admodum eſſe opinamur. Ab Auicenna [b] pariter quędam terebra commemorantur, quæ magnarum acuum triangulatarum effigiem præ ſeferunt, ac eorum præcipuè, quæ ad ſubſellia, aut ſcamna reſtauranda accommodantur;at quia periculo non vacant, cum ad membranas immediatè deſcendant,non admittuntur, formam videbis in officina.

Acvta terebra quàmplures anguſtas perforationes,cranij fracturas ambientes,radioli craſſitudine æquidiſtantes,formare ſolent:quod verò inter foramina reſidet aut rectis, aut curuis ſcalpris malleolo plũbeo adacto reſcindere expedit,quod ad rẽ eſſe nequaquàm videtur:nam ſcalpri acies membranas violare poſſet: quare,vt tutò opus perficiatur, ſcalprum quidam aut cæteris timidiores,aut fortaſſe tutiores adinuenere,quo nec qui minori cum periculo,nec qui celerius perficiatur, forandi modus inueniri poſſit, præſertim in vehementiſſimis fracturis,quas medici Gręci engiſlomata, & camaromata vocãt. nam præter alia, membrana ipſa ab oſſibus,quæ vehementer ſunt afflicta, celerrimè recedit, adeò vt nullus ſit metus, eam,quæ iam ſeiuncta eſt,tetigiſſe:ſi ergo vnam ſemel nudauerimus partem, ac ſcalprum, qui in cuſpide præfixam habet obtuſam,leuemq́ue lenticulæ ſpeciem, aciem verò per longitudinem erectam ſubmiſerimus, vbi latam partem lenticulę ſupra membranam ſtatuerimus,feriemus malleolo, ac ſic caluariam diuidemus.euenient enim ita agentibus,quæ requirimus,omnia;nam membrana, ne ſi dormitans quidem quis agat, lata tantùm lenticulæ parte occurrens,vulnerari poteſt: tale quidem ſcalpri genus,quod in imo lenticulæ ſpeciem habet, atque hanc hebetem,in longitudinem verò aciem acutã,apud priſcos omnes commendatur,quo adhuc in oſſe cranei valdè comminuto, aut arte pluribus in locis terebrato,ſed nõ vbiq; ſeparato, noſtrates chirurgi vtuntur;nã lenticula,quę membranã ab omni noxa protegit,malleolo eget;nam excidendo præire debet. quam excidendi rationem Galenus præter cæteras approbauit, vt quæ celerrimè effectum præſtat,idq́ue ſine vlla membranæ cerebri noxa:facit interdum poſt cerebri operationem ad ſquurilas, ſiue ſatagias diploidis remouendas,ac oſſis parietes leniendas, aut eius partes non ex toto dimotas ſeparandas.Phacotum Græci vocant, Latini lenticulatum ſcalprũ, & communiter lenticulare, lentiticium,& lenticula vocitatur,eius cauda ad Vectis formam diuerſimodè formatur, vt diuiſo, aut depreſſo oſſe,ſubleuari poſſit, effigies in officina cernuntur.

c ¶ Lib. 8.ca.3.

Praestantissimi Chirurgi,vt cerebri membranam ab angulo ſcalpri,omniue noxa tuerentur, inſtrumentum quoddam eius cuſtodem inuenere, quod operando ſub caluaria immittitur. Formatur hoc modo, inquit Celſus; [c] Lamina ænea, aut argentea,& firma, paulũ reſima ab exteriori parte, leuisq́; demittitur ſic,vt exterior pars eius cerebro propior ſit: ſubinde autem ei ſubijcitur, quod ſcalpro diſcutiendum eſt,ac ſi expedit,eius angulum vltrò tranſire non patitur, eòq; & audacius, & tutius ſcalprum malleolo ſubinde medicus ferit,donec exciſum vndiq; os eadẽ lamina leuetur, tolliq; ſine vlla noxa cerebri, poteſt. Alteram adhuc hoc inſtrumentum præſtat vtilitatem, vbi os totum eiectum eſt, circunradendæ, leuandæq́;ſunt oræ,& ſi quid ſcobis membranæ inſedit, colligendum; vbi ſuperiori parte ſublata, inferior relicta eſt, non ora tantùm,ſed os quoque totum lauandum eſt,vt ſine noxa poſtea cutis increſcat, quæ aſpero oſſe innaſcens,protinus nõ ſanitatem afferret,ſed nouos dolores commoueret: quod etiam innuit Auicenna,[d] dicens;Cum perfoderis os,oportet,vt æques aſperitatem eius,quę fit ex inciſione, & concauatione, aut cum nouacula, aut cum aliquo inciſoriorum, quæ ſimilatur aciei enſis, poſtquàm poſueris inſtrumentum, quod cooperit ſiphac,& ſeruat ipſum;& ſi remanſerit aliquid ex oſſibus paruis,aut fruſtis,tunc oportebit, vt accipiantur cum facilitate,donec curatur vulnus,cum vnguentis. Probant hoc inſtrumentum antiqui,[e] quod tamen non niſi à perito chirurgo vti licet;ſiquidem dictum eſt à Galeno; [f] Quemadmodum inter os perforandum,cùm quis membranam negligenter,ac vltra quàm res expoſtulat, meningophilace, id eſt membranæ cuſtode,premendo violauerit,ſopor accidere ſolet;ita vbi os caluariæ vehementer attritum ipſius ventriculos comprimat, maximèque medium, ſopor ſuperuenire poteſt, à Græcis meningophylax, à Latinis ſpatomelis, & cõmuniter membranæ cuſtos, vocatur, cuius imago eſſe creditur ea, quam in officina ſuo loco effingi curauimus.

d Cap. de frac. cran.
e ¶ Gal. com.1. de off. m. Hipp. Paul. lib. 6. cap. 77.& 90. Auic. 4.4.trac.4.c.12.
f ¶ 4. de not. loc. aff cap.2.

Terebrae proprium eſt perforare, cum acutum mucronem habeant,& anguſtos canales facere,& ob id ſcalpri, & malleoli opus requiritur; foramen primùm in fine vitiati oſſis, atque integri fit; deinde alterum non ita longè:tertiumq́ue,& quartum, donec(vt ſupra diximus)totus locus his cauis cinctus ſit, tunc exciſorius ſcalper, aut lenticulatus, ab altero foramine ad alterum malleolo plumbeo adactus, id, quod inter vtrunque medium eſt, excidit, quod opus duæ imagines apertè demonſtrant in officina ſuo loco poſitæ.

Expoſitis, quæ ad acuta terebra pertinebant, ad alata, & caudata trāſire tempus eſt, quibus oſſa radi, & excauari poſſunt; hæc aciem hincinde habent acutam, & formam ſemiouale m; & in ſuo vertibulo, aut manubriolo poſita, & pluries conuerſa os excidunt, nec ad membranas poſſunt deſcendere; nā quæ prominent alæ, cæteras partes penetrare facillimè non ſinunt: Huius generis quamplurima habenda ſunt latiora & anguſtiora. primò quidem latius admouendum eſt, deinde anguſtius, ſic, vt, cum dimidiū exciſum eſt, maximè anguſtū adhibeatur: in carioſis oſſibus, & magnis teredinibus ipſis vti, non inconuenerit; ſecus verò in rimis, aut puris ſciſſuris; tardè enim, ac magno ſtrepitu operātur. Hæc ſub diuerſis imaginibus formantur, nempe duarum, aut quatuor, aut plurium alarum, vt in officina ſuo loco.

Altera terebrorum ſpecies ſtriata ſine alis, ſed aſpera, & limæ formam imitans, inuenta eſt, cuius opus in ſquammis oſſium, & ſciſſuris approbatur, pariter in corruptis, & teredinibus, ſed potiſſimum ad ſquurilas, ſiue ſatagias delendas, ac eorum omnes aſperitates leniendas, vt inde ſuper ea caro oriri poſſit; tardè, ſed tutò operatur. & ſi quis de induſtria ad meningas deuenire voluerit, longiſſimo eget tempore: nam ſtatim ſcobinis, ſiue aſperitatibus repletur; hac de re nullibi vſitatur. eſſet fortaſſis in perita chirurgi manu opportunum inſtrumentum, cuius formæ ſunt in officina ſuo loco compictæ.

Aliam terebri formam ad oſſa valdè dura perforanda aliqui imaginati ſunt, & terebrum imaginatum vocarunt, quod in craneo ſine ſciſſuris timorosè operatur; ſub duplici forma effingitur, vna aculeum caudatum, acutum, ex duabus æquidiſtantibus, ac incidentibus alis munitum habet, quod Neptuni tridentis effigiem imitatur: altera aculeum, acutum teretem, vna tantùm ala ſecante: terebello, quo vaſa vinaria forantur, aſsimilatur: porrò quia huiuſcemodi inſtrumenta operando aut caput commouent, quod quietem potius expoſcit, aut quia effectum celeriter non præſtant, atque non ſine vllo timore (quod Hippocratis, & Galeni præceptis repugnat) & longo temporis ſpatio indiget, & capitis oſſa quàm celerrimè excidenda ſunt, nec cerebrum aut commoueatur, aut frigore afficiatur, aut quia ad meningas facillimè delabuntur, non videntur multum ad rem eſſe. Nulla ergo de ipſis conſideratio habeatur, ſed qualia ſint terebra imaginata, per effigies in officina ſuo loco poſitas facilè apprehendi poteſt.

Hactenus de caudatis terebris multa diximus, quæ profectò per ſe niſi alterius inſtrumenti auxilio nullius valoris, ac vtilitatis iudicantur. reſtat igitur, vt qua ratione perpetuò vſque ad operis finē circumagantur, explicemus. celebratur opus hoc vertibuli, aut manubrioli munere, ob id eorum fabricam deſcribere, & imagines ad ſenſum reddere licet. Inſtrumentum ferreum, aut argenteum eſt, ima parte quadratum, vt cauum ſimile, aut torculatum habeat, cui terebri cauda inſeritur, in medio flectitur, vbi fiſtula quędam mobilis auoluitur; in ſummo verò pila mobilis annexa eſt; terebro oſsi affixo, altera manu pila continetur, fiſtula altera circumagitur; ſic enim terebri acutie os perforatur, aut modiolo in orbem præciditur. Vertibulorum formæ ſunt, quæ in officina ſuo loco effinguntur.

Longiſſimo experimento nouimus, quòd vertibulum ſuperius delineatum, dum auoluitur, & altera manu pila, quæ in ſummo eſt, cōtinetur, altera fiſtula circumagitur, vt hoc pacto os, circa quod ferramentum agitur, perforetur, ac in orbem præcidatur, opus laborioſum, & tardum verè eſt, nec ab omni noxa tutum, cùm altè operetur: iccircò alterum diſsimile, ſed eiuſdem operationis, fabricauimus argenteum, aut æneum, aut ligneum, ouali forma, ad mediam longitudinem perforatum, per quod medium tranſit axis ferreus, qui in ſummo reflexus, in girum dextera vertitur, in imo adeſt cauus, vbi terebri cauda imponitur; ouatum verò in ſiniſtra receptum, ſuper caput infirmum firmiter accōmodatur, ac terebro in cauo affixo, & craneo adapto, dum auoluitur inſtrumentum, os citò, tutò, ac quietè perforatur; manubriolum ouale vocatur, cuius formam in officina poſitam intueri licet.

Superius varia delineauimus terebra, ac, qua ratione auoluerētur, explicauimus. reſtat modò, vt de modiolis, nō ſecus ferræ diſſimilibus, ſermo habeatur. Modiolus [a] ferramētum concauum teres eſt, imis oris ſerratum, per cuius medium clauus ipſe quoque interiori orbe cinctus demittitur, vt, eo inſiſtente, modiolus delabi non poſſit; at vbi iam iter modiolo preſſum eſt, medius clauus educitur, & ille per ſe agitur, donec opus perfectum eſt. Hoc inſtrumentum ſerra teres Hippocratis [b] eſt, qua, dum caluariæ os ſecaret, vtebatur; nam operando eius circuitum conſiderari iuſſit; circulus enim non niſi à tereti inſtrumēto producitur. A Galeno [c] etiam commendatur, qui poſt Abaptiſtæ deſcriptionem inquit; Antiquiores nonnulli, aut alijs timidiores, aut tutiores, ijs, quas chinicidas vocant, ſunt vſi. timidiores nempe in quibuſdam fracturis operando, in alijs verò tutiores. ſiquidem Paulus, [d] poſtquàm multas operationes explicauerit, inquit; At quæ adminiſtratio ſerris, & modiolo, quem chænition, ſiue chynicidam Græci vocant, peragitur, à recentioribus, ceu noxia, improbata eſt; ſed adminiſtrationem, quam pariter in rhogme expoſuimus, probant. idem etiam modus, oſſium excidendorum etiam in reliquis caluarię fracturis conueniet: antiquiſſimū quippè terebrum eſt, ac multum his temporibus vſui ſeruatum. nam ſi circunſpectè oſſi adhibeatur, ac ea ſeruentur, quæ Hippocrates ſeruari iuſſit, citò, tutò, & ſine rumore operatur, à Gręcis chynicida, a Latinis modiolus, ab Auicenna corrupta voce anichades, cuius effigies variè fingitur; nā aliqui ſub ſimplici cannuli ſerrati forma, alij alis multis circunducuntur, multi ſub limæ forma fiunt, multi inter ambas manus auoluuntur, quàm plurimi vna tantum ducuntur. hi caudati ſunt, vt in vertibuli cauo imponi poſſint, illi proprio manubrio inſeruntur, vt in figuris in officina poſitis videre expedit.

a ¶ Celſ. libr. 8. cap. 3.

b ¶ Lib. de Cal. curat. lib. de loc in hom.

c ¶ 6. meth. c. 6.

d ¶ Lib. 6. c. 90.

Recentiores medici ferè per totam Europam, nouam modioli formam inuenere;inſtrumentùm teres eſt,non à chynicida diſsimile, ferratum,ex ferro Indo, duabus alis ſecantibus ad longitudinem tendentibus munitum,quę modiolum repētinè mergi non ſinunt,ac oſsis terebrati perpetuò operando, circunferentias erodunt, & orificium latius reddunt, vt gradatim, quanta ſit ferræ penetratio, apertè dignoſcatur. Tardò,nec ſine aliquo rumore, ſed tutò operantur, ob id & noſtrates chirurgi talem approbant modiolum,qui in officina locatus eſt.

Pariter qui hac ætate chirurgiam exercent,vt breuior, tutior, ac latior ſit iſtius modioli operatio, quatuor alis eum induunt, & verè inſtrumentum ſatis accommodatum eſt:cuius forma dignoſcitur in officina.

Alter modiolus vtiquè in ſuo genere tutiſsimus reperitur, quàmplurimis alis circunuolutus, qui, eò quia Meſpili fructus formam imitatur, meſpilatus modiolus communiter vocitatur. eius forma in officina conſpici poteſt.

Et ſi prędicti modioli vbique ferè in continuo vſu ſeruentur; attamen aliqua incommoda afferre videntur, vnde nomen ſecuritatis omnino non merentur, quemadmodum multis eos ſecuritatis inſtrumenta appellare placuit; ſiquidem inſtrumenta ſecuritatis, quę eò,quia mergi non poſſunt, Abaptiſta vocantur, circulo, & non alis muniuntur; ob id circulatos modiolos fabricauimus, quorum circuli extantes, ac gradatim circuncurrentes parum à cuſpide acuta, ſiue tereti ſerra diſtant,ſic, vt craſsitudini oſsis cranij adaptari poſsint, & modiolum violentia quadam deſcendere non ſinunt, qui paulatim caluariam perforans membranas violare nequit. Porrò inſtrumentum hoc verè ſanctum, tutum, incomparabile,& abaptiſtum vocari meretur. Nos inſtrumentum ſecurum vocamus;nam ſi quis dormitans eo vteretur, nullum incōmodum afferre poſſet: ſimilia in forma, & cannuli latitudine eſſe debēt, diuerſa tamen in circuli diſtantia à ſerra; capita enim hominum multum inter ſe differunt; eorum imagines ſubiecimus in officina.

Formantvr etiam modioli aliqui,qui loco circuli nonnullas deſcendentes eminentias continēt, quæ ad ſerræ imum non perueniunt, ſed ab ea gradatim diſtant, eo ferè officio funguntur, quod ab Abaptiſta expectare decet; quare aliqui modiolos abaptiſtos vocarunt. eorū delineationes in officina videantur.

Aliqvi modiolorum numerum, & varietatem euitantes, modiolum cannulatum, teres, ſerratum ſine ala, aut circulo, ſed plurimis in locis gradatim perforatum ſtruxere; & ne mergi poſsit, trāſuerſarium quoddam parū extans in eius cauis ordinatè locarunt, quod ad cranij craſsitiem aſcendendo permutari poſsit; ſic enim vno ſolo modiolo omnibus craneis accōmodato oſſa perforant. Ingenioſum profectò inſtrumentum eſt, ſed incōmodum, maximam caluariæ detectionem requirens,ac longo tempore in tranſuerſarij mutatione indigens.

Chirvrgi diligentes in manuum operationibus, vt tutò caluariam perforare poſsint, nouos quoſdam inuenere modiolos, cannulatos, ſerratos, & exterius torculatos, quibus ab extra alter breuis ſuccedit cannulus,interius oppoſitè pariter torculatus, qui paulatim aſcendendo,ne vi ſerra ad meningas perueniat,prohibet; modioli torcular à cuſpide ſerræ parumper diſtat,ſic, vt ſerra perforando, quietè deſcendere valeat, vt per figuras in officina poſitas ſuo loco demonſtratur.

Inter modiolos cannulatos, ac ſerra munitos, quidā non ſine artificio ex duobus cannulis contextus reponitur; quorum primus ſimplex eſt, teres, ſerratus,ſemiuacuus, in imo longitudinis medietatis digiti, à quo in ſummo duæ alæ reſultant, tenues, & æquales,in quarum fere medietate duo parua tranſuerſaria exterius eminent; modiolus verò quoddam orificiū impreſſum cōtinet, vbi Vertibuli torculata cuſpis inſeritur; alter teres, ſed latior eſt,in quo primus ingreditur, ſed breuior, & ſine ſerra,à quo pariter alæ duę oriuntur, interius cauis multis repletæ, in quibus alarū primarum parua illa tranſuerſaria ingredi poſſunt; ſic enim ſerratus modiolus in opere, deſcendendo, tutò omnē caluariæ craſſitiem penetrat: auoluitur cuiuſdam vertibuli munere, cuius effigiem vnà cum binis illis cannulis delineauimus in officina.

Apvd nos modioli quædam forma reperitur, magno quidem magiſterio conſtructa; manubriolū eſt ſuperioribus multum ſimile, cui tres modiolorum formæ cannulatæ, teretes, ac ſerratę ad libitum inſeri poſſunt: variant nempe circuli latitudine. nam alter altero latior formatur. continet manubrium in ima eius parte ramos ſeptem, medius verò clauus eſt. his,qui ſequuntur, anguſtior modiolus locatur, in alijs magis latus, in amplioribus latiſsimus applicatur; videamus, quæſo, inſtrumenti artificiū, pulchritudinem, ac vtilitatem. Modiolus ramificatus vocitatur.

Nec præter hos alij deſunt modioli ad caluariæ perforationem opportuni, veluti ſubſequens eſt in manubriolo ligneo, recto, cauitatibus quàmplurimis ordinatè inſertis referto, vtrobique duæ ſerræ teretes conſeruntur,cui exterius eſt cannulus quidam,à quo duæ æquales auriculæ ortæ ad medij digiti longitudinem ingrediuntur;quę ſuis tranſuerſarijs cannulum ſuſtentando,modiolum profundari non permittunt: porrò à media ferè auricularum regione duo parua tranſuerſaria eminent,quæ manubrioli cauitates ingrediendo, ac cannulum firmiter tenendo, modiolum violenter mergi prohibent.cannulus verò ad operantis libitum & extollitur, & deprimitur.

Nvnc

Nvnc duo inſtrumenta, quæ ſparſim per Chirurgorum officinas videri non ſolent, delineabimus, quibus in Caluariæ curatione vti ſoliti ſumus. Vertibulũ vnũ eſt, nõ diuerſum ab alijs, in medio reflexũ, in imo cauum, vt terebri, aut modioli quadratæ caudę locentur, in ſummo mobili pila munitum: Alterum torculatum, cui duo pariter modioli interius torculati inſeri poſſunt, quorum vnus ſerrã adeò breuem continet, vt vix eius ſerraturæ veſtigium dignoſcatur, & primus in operatione eſt; nam aculeũ continet, & maſculus vocatur; alter ſerram habet alijs non diſsimilem, & fœmina nuncupatur. Eorum imagines per figuras apprehenduntur, quæ ſunt in officina ſuo loco poſitæ.

Restat modò, vt de modiolis planis aliqua dicamus; Aſtula lignea eſt, longitudinis palmi, quę hincinde modiolum teretem, planum, concauum, ac ſerratum continet: aculeus in vno apparet, vacuus alter eſt, cum inter duas manus voluitur, ac in orbem ducitur: oſſa caluariæ mirificè perforat, à Græcis chynicida, à Latinis modiolus planus vocatur.

Qvanqvam modioli plani citò operentur: non tamen ab omni noxa liberi ſunt, cùm facillimè mergi poſsint, ob id aliqui illum magis approbarunt, qui à meſpilato ſuperius deſcripto non variat, & eius effigiem præſefert. plurimis alis circundatur, quæ operando orificium latius reddunt. Modiolus meſpilatus eſt.

Decrevimvs adhuc aliquos modiolos delineare, qui apud nautas reperiuntur, & vna tantum manu auoluuntur; attamen, quia tardè operantur, à nonnullis reprobantur. nos autem eos ſummoperè laudamus.

Hactenvs de terebris, ac modiolis multa explicauimus, qui caluaria perforata, ôs in orbem terebratum in propriam ſedem relinquunt: at quoniam tunc eo vti inſtrumento opus eſt, quod eleuatoriũ dicitur, quod abſque aliquo timore non iudicatur; ſiquidem os aliquod eleuando in vna parte, id deprimi in oppoſita poteſt: vnde, ne membrana pungatur, aut deprimatur, quia periculũ imminet, cannulatam quandam tenaculam fabricauimus, æqualiter ſecundùm eius longitudinem bipartitam, modiolo aliquantiſper anguſtiorem, eiuſdem formæ, abſque ſerra, vt terebratam diploidem amplectatur, ac tutò dirimat, nullam interius ſquurilam, aut ſatagiam relinquens; vt autem modiolorum numerum ſequatur, ad eorum imaginem eius forma fabricari debet.

Non deſunt quàmplurimæ aliæ modiolorum formæ, ad varias vtilitates neceſſariæ, veluti ea, quæ ferè oualis eſt, teres, concaua, ſerrata, ſed exterius limata, & aſpera, quæ perpetuò operando ob eius formam ampliando procedit, vnde nec mergi, nec membranas violare poteſt; dum, aut vna, aut ambabus manibus auoluitur, omnes oſsis terebrati ſatagias, ac aſperitates delet, & adæquat: formatur Modiolus aſper modo, in officina ſuo loco explicito.

Vt pariter æquentur oſsis terebrati aſperitates, ac circuli parietes lenes fiant, quædam parantur inſtrumenta ſine cannulo, & ſerra, ſed plana, oualia, & aſpera; quorum infima pars lentis formã præſefert, quæ non multum differt à modioli latitudine, & membranam ab omni noxa tuetur; & quia eorũ operatio eſt æquare, Aequatores vocantur.

In quodam antiquo Albucaſis Codice vidiſſe recordamur nonnulla inſtrumenta ad cranij oſſa depreſſa eleuanda, quæ, eò quia magno ſunt artificio conſtructa, delineare ſtatuimus: eſſet quippe longiſſimus ſermo, ſiquis ſingulatim eorum fabricæ rationem narrare decreuiſſet; quare ſat ſit, vt eorum imagines in officina delineatas inſpiciamus, ac de eorum operatione iudicium faciamus.

De terebris, modiolis, & ſimilibus inſtrumentis hucuſque enarrauimus in caluariæ perforatione, leui, quieta, ac opportuna: nunc reſtat, vt nõnulla de his, quæ valenter operantur, delineemus, de quibus nullam adhuc mentionem apud antiquos reperire potuimus. Cogitur interdum Chirurgus oſſis partem aliquam diſrumpere, arripere, ſecare, aut cõminuere, vt meningæ à noxa liberentur; præſertim ſi oſsis partes diſſectæ fuerint, nec digitis, aut alio inſtrumento dimoueri poſsint, vt in ea fractura, quæ thlaſma, aut engiſſoma vocatur, fieri ſolet. Horum munus eſt rodendo plerunque duri oſsis partes abſumere, aut os diuidere, ac ipſum ad faciliorem extractionem parare; fracturæ orificium hoc modo latius efficitur, vnde poſtea humiditates cõmodè euacuantur: ab eorũ forma nomina propria ſortiuntur, ab aliquibus ſcalpra exciſoria oppoſita vocantur, cõmuniter forpices, & vulgo Mordenti nuncupãtur, ſemper apud expertos Chirurgos parata reperiuntur, & continuo vſui ſeruantur, quorum variæ effigies ſuo loco poſſunt in officina conſpici.

Mvlta alia de inſtrumentis ad caluariæ perforationem opportunis, in medium adduci poſſent: ſed nè operatores tædio afficiantur, ſilentio prætereunda exiſtimauimus; ac horum prædictorum ſingulum quomodo in vſum veniat, exponere tempeſtiuum eſſe iudicamus.

De ratione operandi in caluariæ fractæ curatione. Cap. XIII.

a ¶ Hipp. lib. de art. m. cap. 87. Auic. 1. 1. trac. 2. cap. 8.

b ¶ 2. Apho. 16.

c ¶ Lib. 5. c. 26.

CVM fractæ caluariæ curationem inſtrumentis aggredi ſtatuerimus, hæc primò ſupponi debent, virtus nimirum ægrotantis, quæ [a] omnium opifex eſt; ſi enim imbecilla fuerit, vel ob nimiam ſanguinis effuſionem, aut nobilium partium noxam, aut prauorum accidentium copiam, vel vulneris, aut fracturæ magnitudinē, ancipitem medicum in opere reddere ſolet, adeò, vt quandoque ab eo abſtinere decernat. nam dictum eſt ab Hippocrate; [b] Vbi eſt indigentia, laborandum non eſt. ſecundò ſymptomatum natura, quę ſi adeò valida fuerint, quòd mortem neceſſariò præſagiant, ex toto (ne mali medici nomen ſubeatur, & vt vulgarium calumniæ euitentur) ob omni opere abſtinere congruum eſt; ob id dicebat Celſus; [c] Prudentis hominis eſt, primum eum, qui ſeruari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem eius vt occiſi, quem ſors ipſius peremit. veruntamen ex prudentis artificis opere, aliqui præter omnem ſpem, & ſi ſæua apparuerint accidentia, conualuere, florente nempe ætate, ac virtutis robore, necnō corporis optima tēperie, ac animi conſtantia; hæc enim omnia perpetuò ſpē aliquam promittunt: horum autem, ſi tanquàm deplorati primis diebus ſuſcipiantur, curationem tentare perhumanum eſt, forma denique, & fracturæ magnitudine, ac ſede affecta ſedulò perſpecta, à quibus curandi rationales indicationes omnium operationum ſumuntur. Et primò vndequaque detonſis capillis, digito, qui verus iudex eſt, aut ſpecillo, fracturæ natura inquiratur; indè pericranion commodè à craneo dimoueatur, ne operi impedimento ſit: quinimmo, ſi decet, & vulnus in cute amplū reddatur, vel ad eius rectitudinem, vel orthogonaliter abſque nimio ſedis vulneratæ detrimento; quod opus Chirurgum ingenio præditum, & expertum expoſtulat. poſtmodum, extranea, ſi quæ ſunt, confeſtim, & in prima cura auferantur, ne ægrum in grauiora pericula inducant, ea præſertim, quæ ſine iactura, & magno periculo auferri poſſunt. & ſi ſanguinis non leuis aliquis fluxus appareat, quo patientis vires deſtituantur, hunc ſiſtere aut appoſito digito, aut xylo aduſto, aut oui albumine contuſo; aut aliquo puluere huic operi accōmodato, laborandum eſt; quanuis veteres [d] aut pannis ſiccis, aut ſpongijs oxycrato, ſiue poſca infuſis, ſanguinem ſiſtebant: nos eam methodum non approbamus, ſed potius vſum filorum, aut ſpongiarum in vino nigro auſtero, quamuis nec hæc, quia tuta non eſt, continuo vſui ſeruetur; qualecunque igitur adhibitum fuerit præſidium, ac obiectis linamentis occupatus ſanguis, caput altius eleuandum eſt, ac opportunis faſcijs auoluendū; poſtea molli culcitra, ac obſcuro thalamo patiens locetur, ac ibi quieſcat. In ſecundis viſitationibus, ſi ratio admittit, nulla obſtante cauſa, ſanguis pręmiſſo clyſtere mittatur; & ſi aliqua plethora apparuerit, à mediana, aut à capitali vena ſitus oppoſiti in ea quantitate, quam virtus, ætas, ſexus, habitudo, & tempus anni expoſcit: at ſi adhuc aliqua cacochymia aderit, ſuperfluus illę humor conuenienti pharmaco purgetur; quod eſt præceptū Hippocratis, [e] & Galeni [f] ſub his verbis; Purgatio ventris deorſum plurimis vlceribus confert; & in vulneribus, quæ ſunt in capite, & in vētre, & in articulis, tenui victu regatur; fluxiones ad longiora diuertantur, ac vrgentes humores ſerapijs, ac decoctis quieti detineantur. Sed quia ſuperius multa de his diximus, hæc ſatis: iam tranſeundum eſt ad Chirurgiam, quæ à læſionum forma indicationes ſumit; talis quidem fractæ caluarię ſex modis occurrere ſolet, & eorum quilibet ſingularem operandi modum tum manibus, tum inſtrumentis requirit; & à ſimpliciori inchoando, quę ſciſſura nuncupatur, dum in oſſe ſolum lædentis inſtrumenti impreſsio, ſiue ſedes dignoſcitur, quę ſiue capillaris, ſiue rimularis nuncupetur, quandam ſecum dubitationem adducit; quare rationalis medicus, aut ſcalpro, aut cycliſco vna tantùm operatione totam ſciſſuram delere tenetur, vt ſuperius Capite x. diffuſius explicatum eſt. cumque hoc opus præſtare intendit, vel ſcalpris radere, vel terebris perforare, patientis aures goſsipio, aut lana in formam claui parata, ac roſaceo oleo tepido madefacta, obturandę ſunt, manibusque miniſtri auxilium ferentis, premendæ, quò & firmius caput quieſcat, & ne etiam ſtrepitu horreat: Secunda huius fracturę ſpecies, aut forma, ea eſt, quæ ad diploidem vſque terminatur, & diligentiorem requirit operationem, cui liquoris nigri vſus ſatis accommodatus eſt, qui qualis nam ſpecie ſit, & quanta magnitudine, apertiſsimè oſtendet: excauare ſic oportet, donec nigredinis veſtigiū apparuerit. igitur inducendum eſt ſuper os aliquod medicamētum nigrum, quod dilutum ſit, poſtridie, purgata plaga, os radere. quod ſi integrum non fuerit, ſed fiſſum, aut colliſum, reliquum, quod raſum erit, album inuenietur. fiſſum verò, quum medicamentū combiberit, in alio oſſe, quod album erit, nigrum conſpicietur: in operatione verò fouenda, muniendaque ſunt vulneris labra linteolis oleo roſato tepido imbibitis, ne cruda fiant, & areſcant, noſtrates verò dimiſſo atramento tutò operantur, præterquàm in cacumine, vbi terebri, aut modioli opus non admittitur, ibi nanque maxima cerebri quantitas ſubeſt, & oſſa tenuiſsima ſunt: pariter vbi ſagittalis ſutura vnà cum coronali vnitur, cauti in cauteriorum adminiſtratione, & terebratione eſſe debemus: nam ibi dura meninx, vti in ſuturis, ab oſſe difficulter abſcedit, & non inſigniter ab externa caluariæ ſuperficie remouetur: porrò ſi rima ad meningas occultè deſcenderit, excauetur os, donec dura ipſa membrana patuerit. præceptum eſt Hippocratis ſub his verbis; Hanc ſciſſuram conſpectam totam ſecundùm profunditatem radere oportet: nam ſciſſura, quæ raſorio ſcalpro deleta eſt, minus

d ¶ Celſ. li. 8. c. 4. Paul. li. 6. ca. 90. Auic. cap. de frac. cra.

e ¶ Lib. de Vlceribus.

f ¶ 4. meth. c. 6.

veren-

verenda eſt, & minus negotij exhibet; non propter hoc conducit illicò membranam ob oſſe denudare,ne frigeſcat: fricando cauere oportet,ne multū procedatur, & mēbrana noxā percipiat. Sint igitur apud Medicum chirurgū miniſtri experti, lumen opportunū,aer calidus, medicamenta parata,& inſtrumentorum varietas:Nos verò ſola hac operandi ratione ſæpè in vulneribus ſimilibus ægros iuuimus.

Tertia fractura illa eſt, quæ manifeſtè ad intima caluarię deſcendere videtur, contuſa nimirū, à ſuſpicione, & timore non aliena, cum anfractus,& vias ſatis amplas contineat: ob id ſi malorum accidentium timor adeſt,oſſe valdè duro exiſtente, terebro vti neceſſe eſt. nā minus patientem infeſtat, breuiſsimoque tempore operatur: verum, quia antiquorum terebra ſuſpicione non vacant, iam ſunt reprobata, ſed ex modiolis vno vtimur, cuius operationes nunc deſcribere intendimus. Collocato igitur ægroto,aut prout ſedes vulnerata, ac læſionis forma requirit, recumbente, auribusque lana,aut xylo obturatis, ne à Modioli ſtrepitu lędatur, ac vinculis,quibus caput auolutum erat, ſolutis, & linamentis omnibus exēptis, ac goſsipio,ſiue xylo,vino nigro imbuto deterſis ſordibus,iubendū eſt, vt experti miniſtri caput immobile conſeruent: & ſi apud Paulum,& Auicennā legitur;Fac,vt duo miniſtri quatuor angulos attollant, eos nempè,quos arte parauit medicus in cruciali dilatatione, quod opus poſſe fieri negamus; ſed præcepto Hippocratis,labia vulneris linteolis roſaceo tepido madefactis, ne frigeſcant,& incrudentur,aut ferro lædantur,cooperiantur, inde opus Modiolo,per cuius medium aculeus tranſit,inchoare oportet, leuiter imprimendo,donec æqualiter in circulo auoluatur;tunc aculeus extrahatur, & Modiolus per ſe agat:eſtque quidam premendi modus,vt os foretur, & Modiolus circumagatur; quia ſi leuiter imprimitur, parum proficit;ſi grauiter, non mouetur. nec alienum eſt interdum Modiolum roſaceo immergere, quò magis lubrico voluatur, & non aqua, vt antiquorum mos erat,aut roſaceum terebrato oſsi inſtillare,ne caleſcat, & inde inſtrumentum calefaciat: porrò id paucum ſit; nam ſecus ferramenti aciem hebetat. At,cùm os dimidium perforatum fuerit, maiori cura agendum eſt, & lentius inſtrumentum auoluendum, ac ſæpius attollendum,& foraminis altitudo cōſideranda,ne Modioli mucrone,aut ferra membrana lædatur.igitur exempto ſæpè Modiolo,iam admoto ſpecillo ſpeculari non inconuenit; quare terebrantem oportet,vbi iam valdè parum abeſt, vt os perforatum ſit, & iam mouetur, ab opere deſiſtere,ac ſinere, vt os ſua ſponte diſcedat; nam tunc nihil mali accidere poteſt; ſiquidem non conducit membranam ab oſſe ſtatim denudatam eſſe,ne frigeſcat, aut malè afficiatur: quod innuit Paulus, & Auicenna ſub his verbis; Frequenter cerebrum, ac eius mēbranæ poſt chirurgiam inflammationes patiuntur: ſed quia tardè terebratum os ex ſe exire poſſet, perforata caluaria cautè,ac ęqualiter debet attolli, ne meninga violetur; ob id ad hoc cānulata illa noſtræ inuentionis tenacula opportuna eſſe creditur,quæ in officina conſpici poteſt.

Multa ab experto Chirurgo in his operationibus conſideranda veniunt, præſertim locus affectus. nam dicebat Galenus; Cogitaui accidere poſſe, vt ſi à latere magnum fieret in caluaria foramē, promineret fortaſsis hac parte cerebrum. eſt porrò,& in lateribus non vno in loco etiam neruorum, horumque non leuis momenti,quidam exortus,cum in ſupernis capitis partibus ne minimus quidem vſquàm oriatur neruus.his ergo admoniti, ab eximendo oſſe,quod in latere capitis eſt, abſtinere debemus,nec temporis os tangere Galenus auſus eſt. futuræ pariter terebrandæ nōn ſunt; ſiquidem per eas dura meninga pericranio alligatur; at os,quod ex ſui natura intro ceſsit,parum proforatione opus habet, & quæ maximè intrò ceſſerunt,& maximè fracta ſunt,neque diſſectio magna, nec quæ in debiliori ſede occurrit,perforatione indigent: ſed quoniam quandoque caluariæ fractura, aut colliſio ita ingens eſt,vt totum, quod perforationi ſubijci debet, terebro amplecti minimè poteſt; idcirco perueſtigandum eſt, qua induſtria tutò totum id auferri poſsit. nam & ſi à lenticulato ſcalpro adacto malleolo id fieri poſsit, horridus tamen quidam modus eſt, ac in opere tardus: ob id nos infirmo, & ſtabili oſſe multiplici Modiolorum perforatione rem, vt opus requirit, peragimus; tuncuè cuſpides, ſiuè angulos,qui inter circulos remanent, clypeato, aut lenticulato ſcalpro,phacotum Græci vocant, obtundimus. Si verò os amplum fuerit, & fractura ingens, nullo adhibito terebro, ſed ſcalpris aduncis, aut rectis, ac ferra præcipuè id totū auferimus. nā ſulci ſcalpris parantur; reſiduum verò ſerra tollitur. & ſic quod decet, ſecamus; ſola etiam ſerræ opera interdum id agimus. Terebrationum prædictarum imagines, vt noſcantur, ſubiecimus in officina.

Qvarta fracturarum ſpecies ea eſt, in qua manifeſta oſsis depreſsio apparet, & tunc an os depreſſum vbique ſeparetur,inquirere oportet: tunc denique, ſi expedit, digitis tantum eradicetur: ſin minus, volſella,aut tenaculis, aut prædictis forpicibus. Secus verò ſi alicui parti adhæſerit,& alibi depreſſum, fractum, aut diuiſum apparuerit. Siquidem illicò decet eo vti inſtrumento, quod eleuatorium vocant,eius vnam extremitatem ſub decliuiori oſsis depreſsi parte intromittendo, pręſertim vbi latior fractura videbitur,ſuper oppoſitam verò æqualiter,ac leuiter comprimēdo pars inclinata,ac depreſſa ad ſedem ſuam naturalem attollitur,aut ex toto auſertur, & ſic ſubcingens membrana ab omni noxa liberabitur.

Occvrrit multoties,& ſi ingens fuerit depreſsio, quòd nullibi os ſeparetur, nec aliqua fractura videatur,ſæua tamen accidentia patientem infeſtant; quare opus eſt anguſto Modiolo in ima parte orificium pararę, vt ab oppoſita Vectis cauda os depreſſum attollatur: verùm expedit de ſano oſſe parum-

parumper abſumere, vt commodius Vectis firmari poſsit: nam oſſa depreſſa terebrationes non expoſcunt. dictum eſt enim ab Hippocrate; Quæcunque oſſa intrò contuſa cedunt, ex ſua ipſorum natura rupta, aut etiam diſſecta valde ampla, talia minus periculoſa ſunt, vbi membrana ſana fuerit: & quæ pluribus fiſſuris, aut amplioribus intrò rupta ſunt, adhuc minus periculoſa ſunt, & ad detractionem faciliora fiunt, & nullum ex talibus perforare oportet; verumtamen & in his, ſymptomatibus apparentibus, aliquam partem terebrare expedit, vt membrana à nocumentis liberetur, ac immunis reddatur. Solent nimirum poſt terebrationes oſsis fruſtulę quædam remanere, à quibus praua oriuntur ſymptomata: quare os totum debilitatũ euellere opus eſt, inde circunferentes parietes Aequatore lenire, ac ab omni ſquurila denudare, aut Phacoto, ſiue Lenticulato orificia omnia æqualia reddere: in pueris verò depreſsiones ſolę, cute integra remanente, ceratis aliquibus, aut emplaſtris, abſque vlla manuum operatione ſanari ſolent.

Qvinta fractura, quæ ſimpliciter fractura vocitatur, dum oſſa in plures partes diſſecta videntur, diligentem operatorem requirit. nam omne, quod ſeparatum eſt, eget ablatione; quod adhuc reſidet, accurata diuiſione, & tunc lenticulatum inſtrumentum opportunum iudicatur. nam præter alia, membranam ab oſsibus, quæ vehementer ſunt afflicta, tutò recedit, adeò vt ex hac operatione nullus ſit metus, vbi latam partem lenticulę ſuper membranam ſtatuerimus, ac malleolo feriemus, caluariam commodè ab oſsibus fractis ſeparabimus. ſic enim omnia euenient, quę requiruntur: maximè tamen hunc modum in vehementiſsimis fracturis laudamus, quare nec qui minori cum periculo, nec qui celerius perficiatur, ſeparandi modus inueniri poteſt.

Inter has caluariæ fracturas nonnullæ à Meningophylace, ideſt inſtrumento, membranæ cuſtode, auxilium petunt, veluti ea, quæ à Græcis engiſſomata, & camaromata dicuntur, præſertim vbi aliquod conueniens orificium aderit, per quod id inſtrumentum locari poſsit; quod verò reſidet, Phacoto adacto malleolo diuellatur. nam tunc membrana interior, ne ſi dormitans quidem quis agat, vulnerari poteſt. Attamen huius ætatis Chirurgi hunc operandi modum nõ approbant, ſed eum, qui à forficibus Mordentibus, & Serpentinis reſultat; & nos cum ipſis eiuſdem ſumus opinionis, ob id; quia abſque vlla capitis commotione citò, ac tutò operatur, nec opus eſt malleolo, aut Meningophylace, ac perpetuò quid operator agat, conſiderare, ac inſpicere poteſt, vnde errorem cõmittere non poteſt.

Sexta fractura omni timore, ac ſuſpicione plena eſt, potiſsimum quæ ab anguſto, & acuto telo imprimitur, & perforatio vocatur; ſiquidem incognita eius perforatione, ob anguſtiam, à qua cerebri nobiliores partes afficiuntur, praua reſultant accidẽtia; quòd dum aduenit, ſi quid extranei aderit, veluti ſagitta, aut pugio, ſtatim extrahatur, ijs ſeruatis, quæ à nobis dicenda ſunt de extractione ſagittarum: verùm ſi decet, vt commodius medicamenta applicentur, lato modiolo os circa anguſtam fracturam perforetur; porrò in ſimilibus læſionibus magis, quàm in aliis, opus Modioli approbatur.

Datur & altera fractura, quæ oppoſitionis fractura nuncupatur, dum percuſſa vna parte, aut illi oppoſita, aut alia magis propinqua frangitur. nam euenire ſolet (quod pluries compertum eſt) vt altera parte fuerit ictus, & os altera ſit fiſſum, & vulneris genus miſerrimum ſit, ſi ignorat medicus, qua capitis parte operationem moliri poſsit.

In pueris ab alto cadentibus, aut alio modo percuſsis, caluaria abſque vlla fractura comprimi ſolet, vt vaſculis ſtanneis, aut plumbeis percuſsis euenire contingit, & more Hippocratis, os tantùm colliditur; nunc verò nullum opus requiritur, niſi deraſis capillis, aliquod ceratum, aut emplaſtrum adhibere. nam oſſa mollia, ac tenella in ſedem propriam facillimè his medijs reducuntur, ita vt natura agente ſanitati reſtituantur: & vt ea noteſcant medicamenta, quæ ad oſſa colliſa eleuanda probantur, præſertim puerorum, hæc pauca annotauimus.

CLYPEI AD MOLLIA OSSA COLLISA ELEVANDA.

aEx Be renrio.

Recipe Terebinthinæ claræ partes duas, ceræ citrinæ partem vnam, reſinæ pineæ partem mediam; liqueſcant omnia ſimul, inde manibus aceto madefactis, diu malaxentur, ac in eo per diem marceſcant, & Recip. ſucci Betonicæ partes duas, Verbenę partem vnam, lactis mulieris, quod ſufficit, & ſecundùm artem fiat ceratum, quod affectę parti applicatum diu conſeruetur.

Ex Rapaligena.

Recip. ceræ recentis, olei maſticini an. vnc. ij. pulueris Marcheſitæ vnc. s. pumicis drag. iij. abſynthij, cimini, ſulphuris an. drag. ii. baurach. drag. j. furfuris triticei pugillum j. vini optimi drag. iiij. miſce, & fiat emplaſtrum ſecundùm artem.

Ex Conciliatore.

Recip. Reſinæ pini, cerę citrinę an. vnc. iiij. terebinthinæ claræ, gummi elemi an. vnc. iij. olei roſati vnc. ij. ammoniaci vnc. j. s. farinæ fuliginis vnc. j. vini nigri optimi pro emplaſtro, & vtere.

Varia medicamenta cephalica huic operi accommodata in fine huius libri deſcribemus, nempè illud Diabotaron, aut Sacrum Galeni, aut de Centaurea Guidonis, aut de gummi elemi Conciliatoris, quæ valenter in his affectibus operantur. igitur pro nunc hæc ſatis: ſed caluariæ fractæ hiſtoriam continuando de medicinis poſt operationes opportunis aliqua dicamus; poſtmodum quibus medijs accidentia, quæ his lęſionibus ſupernaſcuntur, remoueri poſsint, explicabimus.

DE

De medicamentis poſt operationes opportunis. Cap. XIIII.

SI perforata caluaria,ſanguis plurimus emanat,ſiſtatur,aut appoſito digito,aut xylo aduſto,aut filamẽtis aridis,aut oui albore cõtuſo;& ex his vulnere repleto,ſplenijs vino,& pauco aceto imbutis cooperiatur:at ſi id,quod ſperatur,non euenerit, illo mirabili puluere repleatur,de quo diximus ad mentem medicorum [a] de præſidijs ad ſanguinis fluorem opportunis,illud nempè eſt,quo ad ſanguinem à pelliculis cerebri fluentem,tutiſsimè vtimur,paratur ſic.Thuris pars vna,aloes partis vnius ſemis,miſcetur, mox, cum tempus inſtat,quo vti debeat,tantum huius cum oui candido ſubigitur,quantum mellis craſsitudinem reddat; hoc dehinc leporis molliſsimo pilo excipitur, & demum tum vaſi ipſi,tum vulneri toti,liberaliter imponitur:alligandum autem id forinſecus eſt faſcia ex tenui linteo,cuius primi quattuor,quinqueve amplexus ipſi profluenti vaſi inijcientur;abhinc vaſis radicem verſus ducentur,diligentia adhibita, ne cerebri membrana grauetur, & ſi Hippocratis, ac Celſi mens erat,membranam acri aceto inſpergere,vt ſiue aliquid ſanguinis ex ea profluxerit,cohibeatur,ſiue intus concretus cruor remaneat,diſsipetur, vſui tamen non ſeruatur,nec à Galeno [b] commendatur. quidam vulnus pura aqua abſtergi iubent,quę [c] ob eius naturam in paſsionibus cerebri reprobatur. His peractis,ac victus regimine inſtituto,& corpore euacuato, quærendum eſt, qualis medicamenti topici natura,& compoſitio magis probetur,qua vulnus regere teneamur,& quæ propriè conueniant membranæ præſidia,oſſe detracto,ſiquidem in hoc Hippocrates ſatis obſcurus videatur. Galenum tamen duos curandi modos tradidiſſe legitur, inter ſe ferè contrarios;quorum alter mitis eſt,& anodinus,qui nunc verè frequenti eſt in vſu; alter maximè ſiccus,quo Meges Sidonius,ac ſenex ille Eudemus,Galeni præceptores,valdè in hac medicinæ parte exercitati,vti ſoliti erant; à quibus plures ſeruatos fuiſſe, quàm à lenientibus,ac anodinis,teſtatur ipſe Galenus,aſſerens ſe illos vſui habiturum,ſi in Aſia perpetuò permãſiſſet:ſed cum Romæ degeret,ſe Vrbis morem ſecutum eſſe. Sed,vt huius difficultatis veritas eluceſcat, amborum modorũ auctoritates,ac rationes in medium afferre expedit,& primò medicamenta ſicca magis probari videntur,teſte Hippocrate [d] ſub his verbis;Statim oſſe perforato,& exſecto,ac à membrana detracto,ipſam puram,ac denudatam quàm citiſsimè ſiccam facere oportet,ne,vt vbi ad multum tempus humida ſic computreſcat,aut in tumorem attollatur.& correlariè ait;Quare cauere oportet in terebelli admotione,ne fallaris;igitur operę pretium eſt,vt frequenter conſideres,ac os commoueas,& eijcere coneris;poſtquàm autem abſtuleris,reliqua,velut vlceri conferre viſum eſt,curato: inſuper vulnus in capite nullo humore humectare conuenit,ac ne vino quidem,neque cataplaſmate integere; porrò commune præceptum eſt, indicatione ſumpta à vulnere,quòd exſiccatio eſt eius cura; præterea qui [e] de hac intentione dubitarunt,prædictorum ſenum operationes approbant,qui nudatæ membranę protinus emplaſtrum, quod Iſin vocant,apponebant,& extrinſecus oximel.nec mirum eſt;nam qui auditorius meatus dicitur,non ſolum vſque ad cerebri duram membranam pertinet,ſed etiam neruum contingit,qui in ipſum à cerebro deſcendit.is autem,quãquàm ita poſitus in vicino,tamen vehementiſsima(ſicut dictum prius eſt)medicamenta tolerat.Non ſit igitur mirum,ſi poſt caluariæ perforationes craſſa cerebri membrana,antequàm inſigniter phlegmone occupetur,valentiſsimis gaudeat medicamentis,ceu ſiccam naturaliter ſubſtantiam habens.Hanc methodum apertè omnes approbant medici, cum in vniuerſa curatione perpetuò arida cephalica vulneri inſpergunt.Rationes pro hac parte magis apparentes, quatuor eſſe videntur,quarum prima hæc eſt.Vlcera [f] quatenus vlcera,exſiccatione curantur, & omnia [g] anodina humida ſunt,quæ qualitas eſt putredinis mater,ergo conuenire non poſſunt. Secũda,[h] vulnera omnia à duplici humiditate perpetuò alterantur,nẽpe craſſa,quæ ſordes vocatur,& tenui,quæ ichor dicitur,& qualitates omnes [i] à ſimilibus alterantur;ergo humida medicamenta,quia ſolutiones continui alterare poſſunt,reprobantur.& ob id dicebat Galenus;Quare nec tempus vllum erit,in quo non vtrunque medicamentorum genus vlcera deſiderabunt, vtique & quod ſiccet,& quod expurget. Tertia, ſi aliquod humidum medicamentum opportunum foret,illud nempe eſſet oleum roſaceum.conſequens eſt falſum,probatur. [k] Oleum detectis neruis inimicatur,& meninx ſubcingens neruea,& detecta eſt,ergo.Quarta, frigidum [l] nocet neruis, & cerebro,& roſaceum frigidum eſt; ergo cerebro,& meningis aduerſatur. Prædictis his rationibus reſpondebimus,ſed prius videre expedit,an aduerſa methodus magis approbata fuerit, & quòd caluaria perforata,anodina,& lenientia ſint magis opportuna;& de hoc dicebat Hippocrates; [m] Si quidem os fractum fuerit,ac contritum,periculo vacat,& medicamentis humectantibus curare oportet; ſi verò rumpatur,& ſciſſura fiat,periculoſum eſt.Galenus etiam,dum Romæ eſſet, hanc curandi rationem ſecutus eſt:nam præter Eudemum,alium quempiam ſiccis medicamentis fuiſſe vſum, nõ vidit,nec ipſe vti auſus eſt:verùm ſi in Aſia permanſiſſet,aggreſſus fuiſſet aliquando ipſe quoque eiuſmodi curationis rationem;ſecus verò Romæ.ob id dicebat ipſe;[n] Ego verò ſexcentos noui eorũ,quibus Romæ perforata fuere capitis oſſa,nec quicquam ab vſu roſacei citra columbæ ſanguinem offenſos: atque melius inuenire nihil potes,quàm oſſe perforato,vt roſaceo optimo vtaris.Antiquorum mos erat,detracto oſſe,vt dolores demulcerentur, illicò columbæ ſanguinem ſuper membranam calidum inſtillare, quod mirificè [o] etiam facit ad meningarum ſanguinis fluorem.Hac igitur ratione dicebat Galenus [p]; Si

a ¶ Gal. 5. meth. cap. 4. & lib. de Cur. p ſang. miſſ. Paul. lib. 4. cap. 53. Auic. c. de frac. cra.

b ¶ 2. de comp. med. ſecundum loc. vbi de cura ſodæ à percuſſ.

c ¶ Hipp. 3. de reg. acu. 41. & 5. Apho. 17. & 18.

d ¶ Lib. de Cal. curat.

e ¶ Gal. 6. meth. cap. 6. Auic. 1. 3. trac. 3. c. 14.

f ¶ Hipp. lib. de Vlceribus. Gal. 4. meth. cap. 5.

g ¶ Auic. 3. 4. c. 3.

h ¶ Gal. 3. meth. cap. 3.

i ¶ Gal. lib. art. p. m. cap. 89.

k ¶ Gal. 6. meth. ca 4. & 3 Katageni. Auic. c. de cura. vuln.

l ¶ Hipp. 3. reg. ac. 41. & 5. Aph. 18.

m ¶ Lib. de loc. in homine. vb. de capitis fraci

n ¶ 10. de ſ. m. c. 2. vbi de ſan. columb.

o ¶ Dioſc. li. 2. cap. de ſang.

p ¶ 2. de comp. m. ſecundũ loc. vbi de plaga ca. à percuſſ

roſaceum ipſi craſſæ membranæ nudę admoueatur, vt in ijs, quibus aliquid ex oſſe capitis exciditur, accidit, ſolum ipſum applicamus modicè calidum. hanc ſecutus opinionem Aetius [a] ait; Columbinum ſanguinem ſolent hi, qui oſſa capitis fracta perforant, craſſæ membranæ infundere; quòd ſi columbinus non adſit, palumbi, aut turturis ſanguine vti licebit; ego verò ſexcentos vidi oſſibus capitis perforatos, & nihil læſos ex roſacei vſu citra ſanguinem columbinũ. Paulus pariter ab hac methodo non deuians inquit; [b] Poſt chirurgiam panniculo ſimplici lineo, vulneri æquali, roſaceo madenti, cerebri membranam operimus, exiguamque lanæ partem ſimiliter roſaceo imbutam prædicto panniculo imponemus, deinde linamentum implicitum duplex, in æneleo, aut ipſo roſaceo imbutum, toti vulneri circumponemus, diligẽtia adhibita, ne cerebri membrana grauetur. poſtea latiore vtemur ligamento, neque hoc aſtringente, verum vt linamenta ſolum retineat. Eandemmet ſententiam ſcripſit Auicenna, [c] & qui eum ſecuti ſunt, & longiſſimo experimento hæc veritas comprobatur, ob id quia poſt operationes medicamẽtum non datur, quod magis propria qualitate, ac potentia, mediet membro conſimili, aut quoquo modo alterato, eius naturalem complexionem, ac innatum calorem corroborando, fluxionibus inhibendo, intemperies, quæ noxam præſtant, remouendo, cauſis dolores imprimentibus reſiſtendo, ac coniunctam quamlibet cauſam diſcutiendo, quàm oleum roſaceum bonum. Rationes etiam quàmplurimæ reperiuntur, probãtes nimirum hanc medendi rationem tutam, commodam, & ad medicorum mentem exiſtere, & prima hæc eſt. [d] In cura caluariæ fractæ vnaquæque indicatio in prohibitione inflammationum dirigitur, cuius primus terminus eſt, ſeptima aut nona dies. & nil [e] magis eas inducit, quàm dolor; nam quod dolet, plus aliquid affluere facit, atque etiam ſi quod affluit, pro iuſto naturæ modo ſe habeat. attamen vires ipſæ partium, quæ tum propter dolorem, tum etiam ex vulnere ſunt imbecillæ, ne quod iuſtum eſt, ferent, ſed veluti ab iniuſto grauabuntur, & tumebunt; iccircò perpetuò cauſis dolorum incumbendum eſt, nempe medicamentis mollientibus, & anodinis. Secunda hæc eſt; Vulnus [f] incrudeſcens non parum moleſtiæ exhibet, incrudeſcit verò ſiccis adhibitis ſuffragijs. nam dictum eſt, vulnera laxa bona, cruda verò mala; ergo non ſemper in vulnerum initio, nec ſtatim poſt chirurgiam arida cephalica ſunt opportuna; nempe dictum eſt, multotiens poſt operationes cum ferro meningæ, aut cerebrum inflammatione tentãtur; ergo quæ dolores leniunt medicamenta, & fluxionibus inhibent, magis probantur, ſed non longo tempore; nã putredinis ſuſpicio aliqua aderit, eoq; magis indicatio talis opportuna fuerit, ſi dolor, aut inflammationis initium apparuerit; quod verendũ eſt, indicatione ſumpta à natura, & nobilitate ſedis affectæ, præſertim in cacochymia, aut corpore nimia putredine ſcatente. adhuc vulnera ſanari nequeunt, niſi quietis ſymptomatibus, & in capite vulnerato quieſcunt, rhodino adhibito; ſiquidem [g] roſaceum vtpotè, cuius natura olei, roſæque in medio eſt, in inflammationum augmentis optimum remedium eſt, in eo [h] tamen fortis non reperitur frigiditas, ſed ſatis temperata complexio; Comprehenſum eſt à me (ſubinde dicebat Galenus) [i] roſaceum illud eſſe optimũ, quod ex oleo claro, crudo, aut maturo conficitur: quippe bifariam ipſum nominant, ſine ſale abſque odoramentis præparatum, roſis nempe Zebedenis plurimis intinctis: eſto autem roſaceum non vetus, ſed illo anno paratum, aut Vere, aut ineunte Aeſtate. Sic enim rationibus, quæ huic methodo aduerſantur, reſpondebimus; & ad primam dicimus, verum eſſe, quòd vulnerum cura ſit exſiccatio, ſed vt vulnera ſunt, & ſimplicia: ſecus verò de caluariæ fracturis creditur, quæ ſemper morbi compoſiti ſunt, magis poſt chirurgiam, quę alicuius ſymptomatis occaſione adhibita fuerit, nec putredo expectanda eſt, ſi bis quotidie purgabitur vulnus. Ad ſecundam reſpõdemus. Cum ſymptomatum tempus præterierit, quæ ratione vulneris vſque ad decimam quartam diem timenda ſunt, ad exſiccantia deuenire oportet, vt vnaquæque ſuperflua humiditas exſiccetur; quæ non niſi temporis longitudine producitur, & in vulneribus concauis, [k] dum noua producitur caro. quod affirmauit Galenus, [l] dicens; Neceſſe igitur eſt nobis primùm fracturæ aliquid nudare, quo videlicet detergere, & abluere ſaniẽ à membrana liceat. poſtea verò cum phlegmonum tempus pręterierit, omniaque ſicca ad vnguẽ fuerint, carnem producere, & cicatrice locum includere. Ad tertiam dicimus, quòd oleorum quatuor genera reperiuntur; vnum, quod ex puris oliuis maturis, aut viridibus, exprimitur, & hoc abſolutè oleum vocatur; alterum, quod ex ſeminibus oleagineis extrahitur; Tertium, quod vi ignis deſtillatur; Quartum, quod ex oleo, cui aut folia, aut radices, aut flores, aut animalium partes, ſunt incoctæ, & quod de primo intelligũt medici, cum dicunt, oleum vulneribus neruoſis aduerſari. præterea dicimus, non habere prę manibus diſſectum, aut punctum neruum, vbi olea, & humida reprobantur, ſed membranam detectam, & ſymptomatum cuſtodiam, quæ frequenter in his affectibus ſubnaſcuntur. Ad quartam reſponſum dedit Galenus, probans in roſaceo temperiem reperiri, nec in eo eam adeſſe frigiditatem, quæ meningis, aut cerebro noxam præſtare poſsit, idque minus. nam ſemper ſuper eas actu calidum adhibetur. ſic itaque huic parti finem imponentes, dicimus, patefactam cerebri membranam non modò dolore, aut inflammatione vrgẽte, illicò lenientibus mederi debere. nam Galenus detracto oſſe tepidam roſam imponebat, quod ſeruari iuſtum eſt à principio vſque ad ſymptomatum ſecuritatem, inde vſque ad finem exſiccantibus perſeueretur, quæ ob hoc cephalica vocantur: at ſi ab initio aut dolor, aut inflammatio oriatur, eamet adhibeatur curatio, donec vulnus purum reſtituatur: ſic enim noſtrates chirurgi inter initia perpetuò ad roſaceũ maturum, nullo apparente ſymptomate, confugiunt. ſecus verò ad crudum, quod omotribes, & omphacinum Græci vocant, inde ad ea medicamenta, quæ cruentis vulneribus opitulantur, deueniunt. Solet nimirum

a ¶ Lib. 2. c. 85.

b ¶ Lib. 6. c. 90.

c ¶ 1. 4. cap. de fract. cran. Raſis. 15. cont. c. 3. Zoar. 1. Theiſir. trac. 2. c. 1. Serap. 1. breui. c. de ſoda. Albuc. li. 3. c. 3.

d ¶ Hipp. lib. de cal. curat. Gal. 3. meth. cap. 4.

e ¶ Gal. 3. meth. c. 4. & 13. meth. cap. 2.

f ¶ Hipp. lib. de Cal. cur. in principio.

g ¶ Gal. 3. de ſ. m. cap. 16.

h ¶ Gal. 2. de ſ. m. cap. 1.

i ¶ 2. de comp. m. ſecundũ loc. vbi de capitis dol. ex perfrictione.

k ¶ Gal. 3. meth. cap. 3.

l ¶ 6. meth. ca. vlt.

mirum in plerisque harum fracturarum, etiam contracta cicatrice, ea oſſis ſuperficies, quæ ab extrinſeco aere fuerit circundata, aut ab oleis, pulueribus, & vnguentis alterata, aut ab inſtrumento cædente aliquo modo contuſa, ab innato calore deſtitui, & proprio humido, ac elementari priuari, & mori, ſiquidē dictum eſt ab Ariſtotele; [a] Oſſa ſuis ſpoliata membranis ſiderantur. & Galenus [b] dicebat; Vlcera omnia exſiccari oportet, præcipuè in quibus patitur os, vt abſcedat pars eius, quæ vitiata eſt. ob id exeunt partes eius ſuperficiales; & dum talis expectatur deſquammatio, integrè vulnus claudi non debet, nec caro illa, quæ mollis eſt, exſiccari exoptat; nam ſi natura ſquammam oſſis emittere tentauerit, caro ibi mollis apparebit, & ſtatim, exempta ſquamma, pars ſiccatur. & ſolidior facta, cicatrice obducitur. Indicia verò oſſis abſceſſuri, ſunt color eius alteratus, pus ſubtile, & copioſum magis, quā pro ratione vulneris, cuius labra non coeunt, nec coaleſcunt. dolor quidem mitis, aut pruritus ex humoris acrimonia ſentitur; [c] quo tempore abſceſſurus ſit, diſcrimen eſt. nonnulla enim oſſa grādiora, alia exigua ſunt: & quæ in ſummo continentur, celerius excidunt, ea fere oſſa celerrimè abſcedūt, in quibus celerrimè pus apparet. & caro mollis increſcit. quod euenire ſolet ſecundùm ægri habitudinem, ætatem, exercitium, & viuendi modum. caro enim, quæ in vitiata parte ſuccreſcit, plerunque os alteratum attollit: Ambitus ergo totius oſſis, ſi quadraginta diebus abſcedit, optimè abſcedet: quum nonnulla ad ſexageſimū vſque, & vltra perueniāt, rariora quidem oſſa maturius. Firmiora ſeriùs abſcedunt: Porrò [d] caluariæ os, quod longiore ſpatio carnē non recipit, ipſum omni diligentia leuiter radere oportet, donec ſanguis emanauerit, tūc quippe indicium eſt, eam partem viuere, à qua ſtatim caro efflореſcere incipiet.

a ¶ 3. de nat ani. cap 13.
b ¶ 6. Aph. ſ. com. 45.
c ¶ Hipp. lib. 3. de frac.
d ¶ Pau. li. 6. c. 3. in fine.

PRAXIS.

Nos verò in hac curatiua methodo ſic perpetuò agimus, indicatione ſūpta à natura vulneris, præmiſſis vniuerſalibus, ſi membrana à telo detecta mollis, mobilis, alba, illæſa, & pura apparuerit, aridis cephalicis eam leuiter cooperimus; inde totum vulnus aliquo medicamento ex his, quæ ad capitis fracturas ſunt approbata, replemus, donec plaga ad cicatricem deuenerit; parantur hæc omnia, vt in fine huius libri videre licet; nec ab re eſt (quod longo experimento nouimus in Athletis, & exercitatis corporibus) aquæ vitæ, addito rhodomelle, guttis quatuor vulneris imum cooperire, & reſiduum pulueribus, aut vnguentis replere, & caleſcat hoc medicamen inter duo vaſa, ne ariditatem acquirat; ponatur igitur in vaſe vitreo, & illud in alio aquæ pleno, qui modus balneum Mariæ vocitatur. nam ſic docet Gal. octauo methodi. quoniam aliter calefacto, vitiatur eius facultas. ſi autem membrana ex induſtria fuerit detecta, indicatione ſumpta à ſymptomatibus, quæ, vt dictum eſt, multoties poſt operationem cum ferro occurrere ſolent, aut ratione agitationis, aut ex acuta quadam oſſis eminentia, aut ex linamentorum grauitate, aut ex multo eſu, aut vini potu, aut alia quadam occaſione latente, dimiſſis aridis, rhodino crudo loto vtimur, quod paratur ex oleo non maturo, & roſis ad plenum non apertis, à Græcis omotribes, & omphacinum dicitur, à Latinis rude, crudum, acerbum, album, & ſpanum vocatur, à Galeno [e] mirum in modum probatur. nam ſtipticitate corroborat, & temperata frigiditate inflammationes prohibet; Optimū in ſanitatis vſu, ait Dioſcorides, [f] ex immaturis oliuis expreſſum oleum eſt. nouum eſſe debet, odoratum, ac guſtui nulla mordacitate præditum, eo nempe in vulnere tepido ſæpe vtimur ad ſeptimam vſque medicaturam. inde vulnus ipſum ſplenijs vino nigro, roſis, betonica, & myrtis bullito madefactis, ac expreſsis cooperimus; aut Hippocratis emplaſtrum ſuperponimus ex hordacea farina, puluere roſarū, & roſaceo; cui, ſi licebit, aliquid aceti addere expedit; ſanie itaque optima apparente, dum affecta ſedes propriam ſeruauerit ſymmetriam, nec dolore, aut inflammatione affligitur; ſi opus fiet pro debili quadam abſterſione, oleo ipſi crudo aliquantulum rhodomellis addatur. at ſi eius caliditas, aut mordacitas veretur, iuleb, aut ſyrupus roſatus probatur, ab aliquibus oleum de vitellis ouorum cōmendatur, adhibita diligentia in amplis membranarū detectionibus; ne grauentur. hac de re antiqui laminam tenuem argenteam, aut auream vbique perforatam, aut ſiccæ cucurbitæ externā ſuperficiem in maximam tenuitatem redactam ſuperponere auſi erant, ne pariter membrana ab extrinſecis comprimeretur; & hinc vulgares pro ablato oſſe cucurbitam applicari affirmant: Vulnus ſemel hyeme, æſtate verò bis curare ſoliti ſumus. In contuſis autem, aut laceratis vulneribus opportunum medicamentum oleum roſaceum maturum eſt, recens, clarum, & odoratum. ſiquidem eius temperata caliditate ad concoctionem, ſiue ſaniei productionem multum facit, quæ [g] in ſimilibus accelerari debet; & ſi quis apparuerit dolor, huic vitellum oui admiſcemus; & ſi cruditas aliqua aderit, Terebinthinam lotam adiūgimus; ſi verò abſterſio fuerit condecens, cum rhodomelle omnia componimus. nam ſanè caro ſine ea in vulneribus gigni nequit. ob id Antiquus Sidoneus Iſide ſolo vtebatur in corporibus Perſarū duriſſimis, ac robuſtiſsimis, & in his, qui in Aſia degebant; nam celebre in caluariæ fracturis medicamentum ab antiquis credebatur; eius inuentor, teſte Galeno, [h] Heras Philoſophus fuit: facit ad omne vulnus ad capitis affectus cum oſſium abruptione, & ſanat citrà reparationem. deſcribitur à Scribonio Largo [i] ſub his verbis; Emplaſtrum viride Gliconis Chirurgi, quod ſui generis, meo iudicio, ſuperat omnia, vocatur Iſis. facit hoc emplaſtrum ad detectam membranam tegentem cerebrum, de induſtria à medicis cum terebratu excinditur, quod eam lædit, os, vel alioquin detectam, roſa dilutum, & impoſitum. à Galeno, [k] & Aetio [l] inter catagmatica cephalica multum probatur, & Actuarius [m] de eo ſic dicit. Iſis ab aliquibus epi-

e ¶ 2. & 3. de cōp. m. 2. loc. 6. de ſ m. c. 120. & 1 Katageni.
f ¶ Lib. 1. c. 20.
g ¶ Hipp. lib. de Vlceribus. Gal. 4 meth. cap. 5. Auic. 4. 4. cap.
h ¶ 5. de cōp. m. in gen.
i ¶ Lib. de cōp. m. deſc 206
k ¶ 2. Katageni. vbi de emplaſtris, quæ propriè cephalica vocantur.
l ¶ Lib. de cōp. m. vbi de Iſide epigono.

gonos appellata, facit ad omne vulnus, & pręſertim capitis, ſi cum interciſione oſſium hiet, ſine iactura perſanat; Nos verò in his regionibus non niſi eo modo, quem Scribonius, & Galenus docent, vti auſi ſumus; addito nempè ad duplum roſaceo. omnia verò qualitercunque applicamus, calida qualitatibus applicanda ſunt, dumque curationem adhibemus, hyeme præſertim, tegulam terream, aut æneam calidã ſit, vt tantùm aer alteretur, ſuper vulneratum caput conſeruamus; æſtate verò pannis calidis continuò detectum vulnus fouemus; gignunt [a] autem carnem, quæ primum exſiccationis ordinem non multũ tranſgrediuntur. Puluerem aridum cephalicum ſic paramus in molli corpore; Corticum radicis opopanacis, olibani, Iridis, aloes, farinæ orobi an. miſce, & fiat puluis ſubtiliſsimus. aut Recip. in corporibus robuſtioribus (nam tollit ſquammas, & oſſa corrupta rapit) Iridis Illyricæ, panacis, an. drag. iiij. ariſtolochiæ rotundæ, mannæ an. dra. ij. ſquammæ æris, pumicis vſti an. drag. j. tritis vtere. probamus pariter vnguentum Periclimenon, baſilicon minus, & de gummi elemi. aut fiat mixtura ex reſina, ſucco betonicæ, lanceolæ, maſtice, ſanguine draconis, & cera ſine oleo: repleto vulnere, cutis inducitur cerato ex betonica, aut ex chalcitide, aut triapharmaco. reliqua poſtmodum agenda ſunt, prout vulneris eſſentia requirit, vt inferius dicemus.

a Gal. 3. meth. cap. 3. Auic. 4. 1. cap. 28.

DE MEMBRANA VVLNERATA.

SI membrana, quæ cerebri tutela, & cooperimentum eſt, aliquo modo afficitur, paſſio fit, Arabicè Alame dicta, & tunc primò inquiratur, ſi fuerit detecta, & vulnerata, & ſi ab ea plurimus ſanguis emanat, qui, eò quia conſtringi nequit, nec opportunè medicamenta adhibentur, magnum negotium faceſſit: veruntamen illæ indicationes ſeruandæ ſunt, quas ſuperius deſcripſimus. inde ſtudere oportet, vt quàm citiſſimè vulnus agglutinetur medicamentis nempè valenter exſiccantibus, omnem corruptionem prohibentibus, dolores demulcentibus, & proprijs, ac ſimilibus qualitatibus affectam partem corroborantibus, quæ quidem qualia ſint, ad plenum adhuc inuenire non potuimus, & ſi Galenus [b] ad mentem Archigenis dixerit; Non rarò accidit in ruinis ex alto, aliquam cerebri, aut membranarũ particulam abrumpi: quod vbi contigerit, capitis dolor magis vehemens euadit. optimum eſt igitur in his (niſi ætas prohibeat, & vis vitalis imbecillis appareat) initium curationis à ſanguinis miſſione moliri, & congruis ſuperfuſionibus in capite vti, lanas oleo dulci madidas ipſi circũponẽtes; at ſi prohibeatur propter horum aliquid, aut ætatem, aut virium imbecillitatem, aut etiam propter vtraque, ſanguinis detractionem tentare, clyſtere ventrem euacuabimus, reuulſionis gratia, ne humores ad affectas partes deferãtur. mox auxilijs vtemur ad inflammationes inſcriptis: ſi autem membrana conuulnerata fuerit, probè eam conglutinat (vt ait Archigenes) calaminthæ ſuccus inſtillatus, & farina milij arida inſperſa, deinde butyrũ, roſaceũ, & adeps ſuilla ſalis expers, vetuſta, mixta, & tepida infuſa: patientes à vino, & multo cibo, præſertim ſi febricitent, abſtinere oportet. Hæ omnes operationes ad dolores ſedandos dirigũtur, ne inde locus inflammetur; ob id nonnulli hanc methodum imitantes, ſuper membranam detectam, ac vulneratam lac muliebre calidum, alij columbinum ſanguinem ſtatim ab alis detractum, multi vinum nigrũ myrtis, roſis, ac betonica bullitũ inſtillãt; poſtea lichinis roſaceo crudo calido madefactis vulnus replẽt, ac totum caput inungunt: ſi verò omphacinũ optimum nõ aderit, rhodinum vnà cum myrtino cõponunt, & ſic vulnus vſque ad ſeptimam regatur. poſtmodum parum quid ſyrupi roſati, aut rhodomellis addatur, vt leuis quædam fiat abſterſio, indè aridis cephalicis vſque in finẽ vti expedit. Nos autem ſic agimus, præmiſsis vniuerſalibus, in ſecunda viſitatione tale medicamentum ſuper ſectam membranam applicamus, olei de Terebinthina vnc. ij. aquæ ardentis, quam iſti vinum ſublimatum, aut aquam vitæ appellant, ſyrupi roſati de roſis ſiccis an. vnc. j. miſce. poſtea totum vulnus tali puluere replemus, myrrhæ, aloes, maſtices, ſanguinis draconis, reubarbari electi, coraliorum rubeorum. an. drag. ij. miſce, & fiat puluis ſubtiliſſimus, & per petiam lineam tranſmiſſus, ac ſuperpoſito cerato ex Betonica, aut Diabotanon, aut Humano, caput totum roſaceo completo inungimus. poſtea ſplenijs ex carpentata ſtupa, vino nigro, ac rhodeolo madidis fouemus, & ne membrana grauetur, latiore vtemur ligamento, neque hoc aſtringẽte, ſed tantùm vt linamenta retineat. Verùm ſi membrana nigruerit, ait Paulus, & Auicenna, & ſolũ per ſummam eius ex medicamentis efficacibus id euenerit, mel triplum roſaceo miſcentes curabimus. at ſi nigrities ſua ſponte prouenerit, atque in imo potiſsimum vnà cum alijs grauioribus indicijs, attingi tunc non debet, vt quæ natiuum calorem emortuum innuat; nos autem Iſide medicamento membranæ initium ſphaceli curauimus, ac interdùm felici ſucceſſu ad Aegyptiacum deuenimus, omniaque medicamẽta adhibita ſuper ſindonem ſiricam rubei coloris extendi iuſſimus, ne amplexus quidam cum vulneratæ membranæ labris oriretur, aliter eum non probamus: nec licet huiuſcemodi vulnera aut ſtupa, aut bombice, aut lana, aut filamentis lineis abſtergere, ſed tantùm linimento aliquo exſiccante ipſa oblinire.

b ¶ 2. de cõp. m. ſecundum loc. vbi ad cap. dol. ex ictu Apollonij, & infra vbi de diuiſ. & contuſ. quæ capiti accidunt ex Archigene.

DE CEREBRO SAVCIATO.

ADVENIT interdum, quòd medullaris cerebri ſubſtantia, mollis, alba, & venularum plena, ac primarium membrum, in quo ratiocinatricis animę ſedes quieſcit, vulneretur, & talis paſsio lethalis ferè ab omnibus medicis [c] iudicatur: attamen non ob id, qui ſic vulnerãtur, deſtituendi ſunt; nam extra ſpem nonnulli mirabiliter euaſere. dictum eſt à Galeno [d] in deſperata ſalute; Quantò itaque

c ¶ Li. 1. de morbis libr. de Coac. prænot. & 6. Aphor. 18. Cel. lib. 5. ca. de vul. mort. Gal. 6. Aphoriſ. com. 18. Auic. 4. 4. c. 2.
d ¶ 10. meth. c. 10.

ſatius

ſatius eſt aliquid nonnulla fiducia,vel cum periculo facere,quàm ſpe adempta certò perire: Tantò profectò ſatius eſt potentibus prçſidijs pugnare,quàm nihil agere.& Celſus dicebat libro ſecundo cap.x.In magnis morbis ſatius eſt anceps auxilium experiri,quàm nullum agentes,ſiquidem & ſi aliud non aduenit,ſaltem læti ægri moriuntur, dum ſibi medelam non ſine ſpe præſtari vident;In hominibus(ait Hippocrates) [a] qui virium robore ſunt repleti,ſalutis ſpes perpetuò reperitur, nec ex toto huiuſcemodi curationis poſſibilitas à medicis reprobatur.nam dicebat Hippocrates [b]; Vulnera magis lethalia ſunt,quę in venas craſſas in collo,& inguinibus infliguntur,deinde quæ in cerebrum,& in hepar,poſtea quæ in inteſtinum,& veſicam. Sunt autem hæc omnia perniciosa valdè,non tamen ita,vt nemo ex his euadat,velut putatur.affirmat [c] etiam cerebrum ſphacelari poſſe,& ſanitati reſtitui.experimento etiam ab eo comprobatum eſt,[d] in puella,quæ de rupe cecidit,& lęſi cerebri varia ſymptomata apparuere, voce deſtituta,iactatio aderat,vomuit ad noctem ſanguinem multum,aquam difficulter deglutiebat,ſtertor, ſpiritus denſus veluti morientium,venæ circa faciem diſtentæ,decubitus ſupinus,pedes tepidi,febris debilis, vocis interceptio,& ſuperſtes manſit.à Galeno[e] etiam hæc veritas confirmatur,ait nempe; Cerebrum vulneratum ſæpius ſanatum vidimus,& ſemel,& bis in Smirna Ioniæ,viuente adhuc præceptore Pelope, & erat vulnus ſatis memorabile,quod rariſſimè contingit.admirabile atque incredibile ſpectaculum,quod aliquando conſpicati ſumus,adoleſcentem,vulnere in alterum anteriorum ventriculorum accepto, ſuperſtitem fuiſſe,Dei,vt pleriſque videbatur,voluntate.cerebrum enim nec durũ eſt, nec ex ſe mouetur, & illi manus,ac medicamenta adhibere poſſumus. ergo niſi circa eius baſim fuerit vulneratum, curari poteſt,etiam quòd rarò contingat,nec à Principe hæc poſſibilitas reprobatur;ſiquidem dicebat ipſe [f];In vulneribus peruenientibus ad panniculum cerebri,accidit laxitas in latere vulnerum,& ſpaſmus in oppoſito eius,& cum inciſio non peruenit ad ventres,ſed ad terminũ velaminis ſubtilis, eſt magis incolumis, cum verò peruenit ad cerebrũ,apparet febris,& vomitus choleræ,& non eſt ex eis,qui ſanetur,niſi rarò; ergò quis poteſt interdum ſanari.quod etiam eius teſtimonio confirmatur,cum dicit [g];Membra, in quibus cum cadit vulnus,augetur eorum nocumentum,& interficit, vt plurimum,& fortaſſe non interficit, niſi rarò,ſunt ſicut veſica,cerebrum,renes,inteſtina minuta,& hepar,quamuis fieri ſit poſſibile, vt ſaluetur ſuper ea,cum eſt leue.in corde autem non ſperatur ſalus, cum in eo accidit vulnus. à Celſo pariter dictum eſt;Seruari non poteſt,cui baſis cerebri percuſſa eſt.multotiens nobilia membra ſauciata, ait Paulus [h] & Auicenna,[i] extra ſpem mirabiliter ſeruata fuere; quod etiam quamplurimi recentiorum clariſſimi Medici ſuis doctiſsimis ſcriptis approbarũt,veluti magnus Guido de Cauliaco, Vgo Senẽſis, Theodoricus, Nicolaus Florentinus, Iacobus Carpenſis,Nicolaus Maſſa,& Victor Trincauelius,Veneti omnes,profectò Philoſophi,& Medici Illuſtriſsimi.adhuc Andreas Vexalius Bruxellenſis,Ioannes Tagaultius Gallus, Vidus Vidius Florentinus,Petruſandreas Mattheolus Senenſis,Gabriel Falloppius Mutinẽſis,Philippus Incraſsia Siculus,Franciſcus Valeriola Gallus,Antonius Muſa Braſauola Ferrarienſis, Alphonſus Ferrus Neapolitanus,Realdus Columbus Cremonenſis,Bartholomeus Maggius Bononienſis, Antonius Calmatheus Gallus,Leonardus Botalus Aſtenſis,Hieronymus Craſſus Vtinenſis, Ioannes Baptiſta Romanius,& alij,quorum volumina apud nos extant;nos etiam & Venetijs,quæ nobis dilectiſſima patria eſt,hoc anno præſertim,& Feltriæ,ac alibi,dum adhuc iuniores eſſemus,vulnera meningarũ, & cerebri ſanauimus,& ſanata vidimus,nec ſumus decepti;nã plures actus anatomicos in humanis corporibus proprijs manibus exercuimus,& quamplurimas,ac propemodum innumerabiles caluariæ fracturas pertractauimus.Quorum fideliſsimi teſtes eſſe poſſunt excellentiſſimi patres,D.Franciſcus Longus,Leander Zarotus, Vincentius Prouincialis,Auguſtinus Gadaldinus, Tiberius Barbarus,Decius Pulcher,& bonus,Ioannes de Franciſcis,Ioſeph Bonipertus, Bartholomeus Belatus, Aloyſius Bognolus à Cruce,nepos,& nobis tanquam filius dilectiſsimus,qui à latere noſtro vix vnquàm diſceſsit, ac quamplurimi alij huius inclitæ ciuitatis Venetiarum philoſophi,ac medici prçclariſsimi. Sed ad rem noſtram redeuntes,dicimus,quòd ſi vulnus ad cerebri ſubſtantiam deuenerit, & patiens optimi roboris,ac bonę habitudinis fuerit,collocato ipſo in cõuenienti,& obſcuro loco,præmiſsis vniuerſalibus indicationibus, prohibendus eſt ab eo omnis motus animalis,ſicuti & corporalis; prohibendæ ſunt locutiones nimiæ, ſuſpiria,clamores,quæ ſternutamenta ciere poſſunt,& quæ mandendo dura ſentiuntur.poſtmodum vulneris conditiones diligentèr conſiderare expedit,& ſi quid præter ordinem contineat, nulla violentia, ſed ſtatim, euellatur.verùm ſi euelli nequit,abſtinere opus eſt,& totum naturæ committatur, vt id ex ſe emittat,aut commodæ extractioni præparet. Secus verò inquietudines magnæ,& mors in Empiricorum manibus,magno cum eorum dedecore ſequi ſolent;ob id dicebat Auicenna;Si apparent ſigna mortis,ab omni opere abſtinere oportet,ne ſuperueniat nobis locus ſermonis ſtolidorum,cum hoc,quòd parum conferimus infirmo;huiuſcemodi vulnera nullo modo, vt abſtergantur aut lana,aut xylo,tangi poſſunt,ne acerrimi membranarum dolores ſubſequãtur;& ille,[k] qui patitur in cerebro,& non loquitur,cũ vſque ad tertiam ita remanet,& accidentia non minuuntur,neque augentur,tunc laudetur tertia, & expectetur ſeptima,& non moueatur ante illud cum aliquo;nos verò vrgente cauſa (nam quàmplurimæ humiditates aſsiduæ in capite producuntur) vulnus vino albo decoctionis roſarum,myrtillorum,ac betonicæ abluimus.& ſi dolor aliquis appareat,lac illicò ab vbere emulctum,aut columbinus ſanguis tepidus,aut aqua pimpinellæ probatur;membrana indè cooperiatur ſindone rubea,quæ tingitur ex cocco

a ¶ Lib.2. prædictionum.
b ¶ Lib.2. prædictionum.
c ¶ Li.2. de morbis.& 7. Apho. 51.
d ¶ 5.& 7. Epidemiarum.
e ¶ 8. de vſu par. ca. 10. & 6. part. Aphoriſ. com.18.
f ¶ 1.3. trac.3. cap.14.
g ¶ 4.4 cap.2.
h ¶ Lib.6. c.8 3
i ¶ 4. 4. tract. 2 cap.10.
k ¶ Aui c.4 1. tracta.2.c.4.

vero,& non ex vermibus, oleo de Terebenthina, ac rhodomelle imbuto, reliquum oportet repleri lichinis tali medicamento madidis, aloes, myrrhæ, maſtices, ſanguinis draconis an. drag. ij. Terebenthinæ claræ vnc. ij. aquæ vitæ vnc. j. miſce. aut Recip. Terebinthinæ aqua conſolidæ lotæ vnc. ij. aquæ vitæ, ſyrupi roſati an. vnc. j. pulueris olibani, maſticis, myrrhæ an. drag. ij. mumiæ ex craneo, granorum hypericonis, ſanguinis draconis an. drag. j. quæ tereda ſunt, ſubtiliſsimè terantur, & fiat medicamentum, ac ſuper omnia amplè vulnus contegatur emplaſtro ex Bethonica, aut Diabotano, aut de gummi elemi: caput totum omphacino, aut roſaceo, & myrtino irroretur, ac ſuperpoſitis ſplenijs vino ſupradicto infuſis, commodè faſcijs leuiter inuoluatur vſque ad ſeptimam, ſic quotidie agendũ eſt; at ſi nulla corruptio, de qua ſummoperè verendum eſt, nullibi apparuerit, ſola ardenti aqua, rhodomelle, ac aloe, & myrrha contenti, opus perficiamus, hoc obſeruato, vt topica medicamenta fauciata membrana potius, quam cerebro ſecto, ſicciora ſint. nam affectę partes pro viribus in ſua propria natura conſeruari requirunt, vt cerebrum præſeruetur, nam eius ſubſtantia mollis, humida, ac diſſolubilis, facillimè corrumpitur; nec curatio cogatur, ſed ordinatè procedere decet, donec natura nobiles partes rectificando, totum opus expediat: nos verò plures vidimus, qui ex tali effectu diu cannulum aureum, aut argenteum, in ipſo cerebro tulerunt, vt continuè humiditates effluerent, quæ, dum retinebantur, epilempticos motus, & diuerſa ſymptomata producere apta erant. ob id in hac curatiua methodo & patientes, & diligentes eſſe oportet, quemadmodum Feltriæ nos fuimus in curatione cuiuſdam adoleſcentulæ, quæ cum à cuſpide falcis, vulnus cum cerebri læſione paſſa fuerit, ex quo terebrata caluaria, notabilem portionem ipſius cerebri exiuiſſe, compertum eſt; tranſacto quarto menſe ſanitati fuit reſtituta, & in vulnere ſemper cannulum conſeruauimus, ac vſque ad decimum quartum diem ſolo oleo de Terebinthina, & aqua vitæ curauimus: inde vulnus guttatim tali liquore repleri iuſſimus, vini mõtani vnc. xx. ſucci betonicæ vnc. 4. ſucci calaminthæ vnc. ij. myrrhæ, olibani, aloes, ſanguinis draconis, centaureæ minoris, granorum hypericonis an. dra. j. piſtentur quæ piſtari poſſunt, ac in ſubtiliſsimum puluerem reddantur, & omnia ſimul componantur, ac per triduum in vitreo vaſe bene obturato marceſcant, poſtmodum lento, & claro igne, donec tertia pars abſumatur, bulliant, & adde mellis roſati vnc. iiij. & parũ adhuc bulliant, & ab igne vaſe detracto, adde aquæ vitæ vnc. vj. liqueſcant, & percolentur, & adde olei de Terebinthina vnc. iiij. & in vitreo vaſe cera obturato optimè, & diligenter conſeruentur; reliquum vulneris repleuimus cephalico puluere ab Auicenna deſcripto, ac deſuper latam petiam lineam pluribus in locis perforatam cerato humano munitã adhiberi iuſſimus: cum verò perfectam loci rectificationem nouimus, ſolo melle roſaceo, ac cerato prædicto vſi fuimus, & Deo fauente iuuenem ſanitati reddidimus. vexabatur tamen quadam linguæ balbutie, & oppoſiti brachij mollitie. longo quidem experimento nouimus omnes ferè ab his vulneribus Dei nutu liberatos, aliquo ſymptomate ex his, quæ cerebro affecto apparere ſolent, detineri. Oleum de Terebinthina ſic paratur. Recip. Terebinthinæ claræ, & odoratæ lib. iij. arenæ fluuiorum depuratæ, lotæ, & ſiccæ, aut vitri contuſi lib. j. s. omnia in curua boccia cũ ſuo recipiente ponantur, & boccia in vaſe terreo, inter quod, & bocciam cinis in ea adſit copia, quòd nullo modo tangi poſsint; & lento igne, ne terebinthina tumeat, & inflectur, fiat elambicatio: & quod primò diſtillat, aqueum eſt, ac nullius momenti: quod ſecundò, coloris auro obſcurioris, ac denſioris ſubſtantiæ, optimum eſt, ac vſui ſeruandum: quod tertiò, atrum, & cœno ſimile eſt, probatur in vlceribus tibiarum antiquis, & cacohete. aut Recip. Terebinthinæ claræ lib. ij. laterum recentium lib. s. maſticis, ſtyracis, an. vnc. j. lateres igniti oleo extinguantur, & fracti miſcentur reliquis, & per lambicum tres, vt dictum eſt, excipiuntur liquores, quorum ſecundus & tertius optimus eſt: Hæc ſunt, quæ de ſimplici, ac compoſito capitis vulnere in præſenti dicere decreuimus, ad honorem, & gloriã Dei benedicti, qui ſit laudatus in ſecula ſeculorum.

De ſymptomatum profligatione. Cap. XV.

a ¶ Gal. primo ad Glauc. & 12. meth.

b ¶ 3. de criſi ca. 4. & 5. de loc affec. cap. 7.

SYMPTOMATA, quæ fracta caluaria contingunt, adeò ſæua interdũ exiſtunt, quòd proprias cauſas ſuperare videntur, ob id [a] interdum poſtpoſita curatiua methodo, illis, veluti cauſis vrgentioribus, & quæ maius minãtur periculum, incumbere licet; ſunt itaque (& ſi minima, ac debilia apparuerint, præſertim in die aliqua ſignificatiua) ſummopere verenda; & illi admodum decipiuntur, qui de ipſis dimiſſa omni cõſideratione, curando ſimpliciter procedunt, nec ea, quæ meningarum, aut cerebri paſſionibus propria ſunt, ab aliorum communibus, ſecernere valẽt; vnde multi hoc errore ducti ad ſectiones, dilatationes, ac terebrationes inconſideratè procedunt: & hinc multa in dies oriuntur incommoda; Natura (ait Galenus) [b] & morbi ſpecies ex proprijs accidentibus dignoſcitur; magnitudo autem ex eorundem vehemẽtia. quare diuinus Hippocrates a vulneratis petere in primis iubet, vt nunquid mali, aut os, aut meningæ, aut cerebrum ſub telo ſenſerint, pernoſcatur, & quantum ſit, videatur; nempe ſi ſine ſenſu quaſi dormiens iacuerit, ſi oculi obcæcati fuerint, ſi vertigo ipſum occupauerit, ſi incompoſitè locutus fuerit, ſi bilem vomuerit, & ſimilia, ac ſi vera indicia ſint cerebri vulnerati. nam tunc medicus, his apparentibus, ad operis celeritatem cogitur: ſecus verò prudenter agat; externa enim, ac interna ſymptomata (vt intemperies, & dolor) magna fiducia tractantur, cum timore verò nonnulla, vt inflammatio,

flammatio, aut profunda corruptio, ob id nos primò de externis, ac internis partibus affectis, quomodo in propria temperie conſeruari debeant, & quomodo, ſi in contrariam lapſę fuerint, reſtituãtur, notis primò cauſis, temperaturam tranſmutare potentibus, inſtituere decreuimus.

DE INAEQVALI TEMPERIE.

EXTRANEAE qualitates à Græcis diſcraſiæ, à Latinis intemperies dictæ, nonnunquàm vulnerato capite ſupernaſcuntur ſine materia, dum qualitates tantùm, aut ad calidum, aut ad frigidũ, aut ad humidum, aut ad ſiccum alterantur, & ſimplices hæ qualitates ab empirico medico rarò conſiderantur; multoties ab aliquo ſucco diuerſo, præſertim tenui, & calido producũtur, qui à ſui intrin ſeco ſupremas partes petere ſolet, & ad affectas ſedes facillimè defluit, aut ratione doloris, aut à medica mento calido attrahente, aut à copia indumentorum, aut ab ambientis potentia, aut imprudentis chirurgi inepta actione, aut à prauo victus regimine, aut à cauſa aliqua occulta. ſi ergo ad caliditatem intemperies inclinauerit, ex rubore, aut colore florido, dolore, veſsicatione, & loci caliditate deprehenditur; in vulnere ſanies modica, tenuis, ſubrubida, & acuta producitur; patiens à febricula non abſoluitur, & inquietus apparet. tollitur hoc ſymptoma opportuna diæta, ſanguinis miſsione, ac omni diuerſionum genere, nempe clyſteribus, frictionibus partium, quæ multum à vulnere diſtant, cucurbitulis, & ligaturis. nã ſic nouæ fluxiones reuelluntur, & quod coniunctum eſt, facillimè diſcutitur; at ſi decet aluum mollire patienti, denuò medicamentum cologogum exhibeatur, veluti Caſia, Manna, aut ſyrupus roſatus, vel violatus ſolutiuus; & quia frequenter affecta corpora cacochymia, aut plethora vexantur, victus tenuis, frigidus videlicet, ac humidus inſtituatur, vinum prohibeatur, inflãmata pars violaceo, ac roſaceo tepido perungatur; vulnus primis diebus roſaceo ſolo regatur, poſtmodum ex periclimenone medicamento, lacte muliebri loto: quæ verò vlteriorem frigiditatem adepta ſunt, dimittantur, ne præcepto Hippocratis [a] materia ad intima retrocedat; talia ſint tamen, quæ qualitatibus contrarijs ſedem inflammatam ad temperiem reducant, affectus [b] ſiquidem non curatur, niſi affecta ſedes fuerit optimè diſpoſita: Si verò aduenit (quod ſolum in contuſis vulneribus aduenisse videtur) vt mala temperies frigida orta ſit, locus albeſcit, aut liuidi coloris ſit; frigidus eſt, non dolet, mollis apparet, & ſanies tenuis, & arida gignitur; nulla febris oritur, & ſomnolentus ſit æger; tollitur hoc ſymptoma contrarijs qualitatibus, nempè calefactione facta [c] primò pannis calidis, aut vino tepido imbutis: topica ſint temperatæ caliditatis, veluti emplaſtrum baſilicon minus, citrinum, nigrum, regale, aut de gummi elemi; victus regimen mediocre, & vinum oligophoron, aut multa aqua dilutum ſit. vt autem fluxa materia attenuetur, ac reſoluatur, caput camomelino, ac roſaceo completo irroretur; &, ſi aluum euacuare expedit, electuarium lenitiuum, aut catapotiæ cochiæ probantur: ſi verò humiditas multa locum obſederit ex mollitie nota, quæ ad tactum percipitur, ex aliqua eleuata dimenſione circa vulnus, cuius labia laxa ſunt tumida, & decolorata, ac ſanies multa, & tenuis videtur, ſuo quoque contrario profliganda erit; quarę ſiccantium medicamentorũ vſus commendatur, præſertim fotus ex vino nigro, betonica, ſtœcade, roſis, myrtis, balauſtijs, & ariſtolochia bullito: localia parantur ex pulueribus cephalicis tertij, aut quarti ordinis; probamus medicamentum ex Iſi ſolo, aut alteri admixto; cibaria ſicca ſint, & vinum pauciferum; ac, vt decet, euacuationes innouentur: Sicca apparente intemperie, aut ex aeris qualitate, aut ex medicamentorum potentia, aut ex aſsidua febre, aut ex cibi penuria, nulla, aut pauca in vulnere concoctio producitur, vulneris labra depreſſa videntur, coloris pallidi, cum vicina ſiccitate manifeſta, tunc ea medicamenta tempeſtiuè applicantur, quæ temperatè humectant; expedit igitur caput oleo communi, aut roſaceo tepido oblinire, aut decocto ex maluis, violis, & meliloto in vino albo tenui ſtupis in eo madidis cooperire; prodeſt etiam ad ſiccum locum aliunde humiditates attrahere, ac obſtructiones aperire; vulnus curetur medicamento ex Terebinthina, luteo oui, & multo oleo roſato, aut vnguento ex matreſylua, corticibus thuris, & ſepo hircino; ratio victus ſatis lauta ſit, euacuationes non probantur, niſi adhibitis clyſteribus. Intemperies igitur omnis, quæ exterius apparere ſolet, his indicationibus, ac remedijs tollitur, præſertim ſi vulnus quò ad ea, quæ circa ipſum pertinent, rectè ſe habere videatur, omni ſeruata conſideratione, ne internæ partes afficiantur. nam plerunque cruciari ſolent, & inde inflammatione affici, & alia accidentia & fortiora & ſæuiora demonſtrantur, febris intenditur, capitis dolores augentur, rigores inordinati perſeuerant, & cõuulſiones oriuntur. vltimò alienant, qui ſic affecti ſunt, & tandem moriuntur.

DE DOLORE.

INTER accidentia ſæua, quæ vulnerato capite ſuboriuntur, dolor eſt, ſiquidem in eius remotione temporis latitudinem non expectat, ſi potens eſt, [d] etiam ſi purum ab excrementis totũ corpus fuerit, fluxiones irritat. particula nanque, quæ dolore affligatur, ſanguinem, ac ſuccum diuerſum ad ſe trahit, copioſiorem ſcilicet, quàm ſit illi ex vſu, vnde inflammationes in ea frequenter excitantur; vehemens dolor [e] febrẽ adducit, repentinas [f] facit mutationes, virtutes [g] proſternit, digeſtionẽ corrũpit, ſomnum tollit, & eſt cauſſa mortis: ob id inter acuta ſymptomata numeratur, cui, dum apparet, omni ſtudio incumbendum eſt: quàm plurimæ ſunt cauſæ, hoc ſymptoma in vulneribus capitis commouere potentes, nẽpe mala temperatura, quæ [h] dum violenter continuum aut alterat, aut ſoluit, dolorẽ operatur

a ¶ Li. 1. de m or bis in princip. o. & 6. Aphor. 25.
b ¶ Hipp. lib. de Vlceribus. Gal. 3. meth. cap. 8. & 4. meth. c. 2. Auic. 4. 1. c. 28. & 1. 3. trac. 2 ca. 26.
c ¶ Celſ. libr. 5. cap. de vlc. ca co. Gal. 3. meth. cap. 4. Paul. lib. 4. cap. 38.
d ¶ Gal. 2. de diffe. feb. ca. 11. 5. Aphor. com. 32 3. meth. c. 4.
e ¶ Gal. 2. de comp. m. in genere.
f ¶ Gal. lib. art. par. m. c. 88.
g ¶ Auic. 4. 1. c. 30.
h ¶ Gal. 2. de loc. aff. ca. 5. 12. meth. cap. 7. 2. prognoſt. cõ. 1. lib art. par. m. cap. 80.

ratur, natura pariter, ac partis lęſæ compoſitio dolores promouet, vt ſunt tempora, vbi muſculi illi, quos Gręci crotaphites, & Latini temporales vocant, locantur; quapropter Hippocrates omnia loca capitis ſecare iubet præter tempora, inquit ipſe; Vbi caput incidendum ſit, cæteræ eius partes tutò inciduntur, tẽpus, & regio ſuperior iuxta venam, quæ per tempora fertur, hic inquam locus ſcalpello attingi nõ debet; eum enim, qui inciſus fuerit, neruorum diſtenſio prehendit: acria etiam, & acuta medicamenta dolores mouent; idem facit aliquod extraneum in vulnere contentum, aut aliquod os pungens, aut grauans, aut praua patientis diœta, aut aliqua cauſa occulta. Tollantur igitur cauſæ, quæ ſenſibus ſubijciuntur, ea ratione, qua tolli poſſunt, hoc ſeruato, ne noxa aliqua nobilibus partibus cõtribuatur. ſi verò abditę fuerint, optimũ in his (niſi ętas prohibeat, & vis vitalis imbecilla appareat) curationis initiũ à sãguinis miſsione molliri, & congruis ſuperfuſionibus in capite vti, lanas oleo dulci, aut roſaceo madidas ipſi circũponẽtes; at ſi prohibeatur propter horũ aliquid (veluti ætatẽ, aut viriũ imbecillitatẽ, aut etiã; propter vtraſq;) ſanguinis detractionẽ tẽtare, clyſtere ventrem euacuabimus, & omnibus modis materias reuellemus; ab itinere tales oportet à vino, & cibi ſatietate, præſertim ſi febre afficiuntur. Alteram doloris cauſam, quę ſub occulta diſpoſitione continetur, Paulus,[a] & Auicenna [b] aſsignare videntur; fit enim in eo ictu, qui in capite etiam alijs ex cauſis fieri videtur, in quo, continuitate cutis integra exiſtente, ortus abſceſſus cũ ſectus fuerit, offenſam ibi hominis caluariam fuiſſe, repertum eſt; qua ratione dolores etiam acuti præceſſere, donec cauſa abſumpta fuerit: porro [c] ſi aliquid inflammationis pericranij communione, quã per ſuturas cum dura membrana habet, etiam intra caluariam tranſmiſſum fuerit, eiuſmodi capitis dolor periculo non vacat: quibus etiã diſpoſitio intra caluariam eſt, his ad oculorum radices dolores perueniunt, & ſæpe moriuntur, ob id, quia oculorum tunicæ à membranis cerebri oriuntur: cæterum non rarò accidit in ruinis ab alto aliquam cerebri, aut membranarum particulam abrumpi: quod vbi contingit, adhuc magis capitis dolor vehementior euadit, & diſpoſitio tota curatu difficilior fit, & periculum præſentius, & vehementius oſtendit. Ait Hippocrates; [d] Si venæ circa cerebrum ſanguinem ſuperuomuerint, ac cerebrum calefecerint, febris emergit fortis, & dolor ad tempora, & ſinciput, & poſteriorem capitis partem extenditur, & aures tinniunt, ac flatu implentur, & nihil audit, & anxius eſt, & ſe ipſum præ dolore iactat, hic quinta, aut ſexta die moritur. ſecus verò de venis in cerebro credit Ariſtoteles [e] ſub his verbis; Cerebrum omnibus priuatum ſanguine eſt, nec venam intra ſe vllam continet, & ad tactum frigidum natura eſt. interdum [f] doloris cauſæ externæ ſunt, nempè indumentorum copia, & cataplaſmatum natura, & ſimile præſertim in his, qui calidi cerebri ſunt, nec pondus in capite ferre poſſunt; ignis ex carbonibus, mali odores, vapores putridi, flatus auſtrales, rumores, ſtrepitus, & clamores caput lædere ſolent: nõnulli etiam conſortij lege ſi exiguus quidam in ventriculo, & magis in eius orificio humor acris collectus fuerit, illicò capite dolent; eodem modo multi à cibo diutius abſtinentes offenduntur; augeſcit enim ipſis propter longam inediam talium humorum prauitas: curare igitur eos, qui ſic infeſtantur, oportet, nihil capiti admouentes, ſiquidem neque vllum peculiarẽ affectum ſuſtinent, ſed corpus conuenienti nutrimento nutrire, aut noxios ventriculi humores celerrimè euacuare, & omnem manifeſtam cauſam remouere; In omni dolore à cauſa interna (ait Raſis) qui perſeuerauerit, corpus fluxibile reddatur, cibus detrahatur, & vinum ex toto prohibeatur: & ſi inflammationis initium apparuerit, ſanguis mittatur, & clyſteres acuti adminiſtrentur; ſic enim vires validiores redduntur, vt doloris cauſas per ſenſibiles, aut inſenſibiles euacuationes abſumere poſsint, veluti per ſeceſſum, aut lotium, aut ſudorem, aut vomitum, aut aliquem abſceſſum, dum tales alicui facili euacuationi paratæ fuerint; porrò vires validas reddunt, quies, ſomnus, cibi boni, facilis concoctio, & leues frictiones, quæ poſtea per poros cranij, & anguſtos meatus inſenſibiliter dolorum cauſas diſcutiunt; nec ab re interdum eſt caput leui oxyrodino perungere, aut, vt ipſe Raſis inquit, [g] cataplaſma applicetur ex ſucco foliorum ſalicis, myrti, oleo roſato, vino nigro odorifero, myrrha, ſertula campana, calamo aromatico, alumine cameno, & boloarmeno, aut ex folijs myrti, mentaſtri, vitis, & ſampſuci. Hæc omnia Auicenna [h] Arabum auctoritate approbauit in ſoda ſine vulnere, & inquit; Fortaſſe contentus eris oleis, & rectè agit, qui eis vtitur tepidis. His remedijs dolores capitis, dimiſsis narcoticis, id eſt ſtuporem inducentibus medicinis, tolli ſolent.

a ¶ Lib. 1. c. 90.
b ¶ Ca. de frac. cran.
c ¶ Gal. 2. de cõp. m. ſ. loc.
d ¶ Li. 2. de morbis.
e ¶ 1. de nat. anim. cap. 16.
f ¶ Lib. de Cal. curat. lib. de fracturis. lib. de off. Medici.
g ¶ Ad Alm. ca. ...it.
h 1. 3. tra. 2. ca. 26.

DE INFLAMMATIONE EXTERNA.

VLNERATO capite, ſi qua externa inflammatio ſuboritur, ferè ſemper à billioſo ſanguine gignitur, cum talis humor ſui natura ſuprema petat. & rarò alter humor huic ſedi, prȩterquam in contuſis, noxam præſtat, ſiquidem pituita in eis defluere apta eſt; cum igitur alicuius fluxionis initiũ demonſtratur, & ne locus inflammetur, timor adeſt, quod [i] dignoſcitur ex colore loci, calore, dolore, & dimenſione, cauſa tũ efficiens, tum materialis illicò perquiratur; nam eæmet eſſe poſſunt, quas in internis affectibus deſcripſimus: quapropter ſi qua fuerit nota, tollatur. ſecus verò inflammationis tempus conſideretur, vt loco, & tempore præſidia adhibeantur. nam [k] vulnera curari nequeunt, niſi finita inflammatione. in hoc autem diligens Medicus requiritur, ne naturȩ operationibus aduerſetur, quod eſt prȩceptũ Hippocratis, [l] dum inquit; Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, per loca conferentia ea ducere, ob id motus omnis conſideretur. ſi enim [m] eryſipelas, & vnaquæque inflammatio ad extra verti bonum ſit, apocruſtica, id eſt quæ repellunt, & prohibent, dimittantur: porrò tale initium prohibendum eſt

diæta,

i ¶ Gal. 14. meth. cap. 9.
K ¶ Hipp lib. de Vlceribus & li. de fracturis. Ga. 4. meth. cap. 6. Auic. 4. 4. ca. 3.
l ¶ Lib. de humoribus & 1. Aphor. 21.
m ¶ Hipp. lib. 1. de morbis & 6. Aphor. 25.

diæta,& euacuatione.Sic enim præcipit Hippocrates, [a] dicens;Vbi autem in vulnere capitis ſiue ſectio adhibita ſit,ſiue non, tumor rubicundus, & ad eryſipelatis naturam accedens, in facie,atque oculis,vel vtriſque,vel alterutro oriatur,iſque tactus doleat,febris item ſuperueniens,& grauis horror:vlcus verò, quòd ad carnem pertinet,rectè ſe habere videatur,os,& quæ iuxta vlcus ſunt,rectè procedant. excepto faciei tumore,cui nullus alius error in victus ratione adijciatur,aluus homini ducenda eſt,dato medicamento,quod bilem moueat:poſt purgationem febris ceſſat,tumor finitur,& ſanitas reſtituitur. Sed,cum medicamentum datur,æſtimandæ ſunt vires hominis,vt valeant. Nec quidem hoc caſu expectanda eſt materiæ concoctio,nihil de ſanguinis miſſione,pura bile peccante,memoriæ ibi prodidit Hippocrates; ſed alibi [b], ſi tumor à materia,aut mixta,aut craſſa prodiderit, ſanguinem mittit. inſuper humores, qui adhuc ſupererint,quieti,ſerapijs,decoctis,frictionibus,clyſteribus,& conuenienti diæta,ſeruari debent. Topica ſint oleum roſaceum:nam de eo dicebat Galenus; [c] Roſaceum verò vtpotè eius natura olei, roſæque in medio eſt,in inflammationum augmentis optimum eſt remedium: at ſi inflammatio ad conſiſtentiam deuenerit,& partes vulneri proximas occupauerit,tunc quod fluxum eſt, diſcutiatur, & quod fluit,reprimatur:tunc ergò roſaceum,& myrtinum vnà probantur,aut cataplaſma tale applicetur.Recip. medullæ panis aqua maceratæ,& addito puluere roſarum,myrtillorum,violarum,betonicæ, & oleo roſato fiat emplaſtrum: & ſi tumor ad deliteſcentiam inclinauerit,caput totum roſaceo maturo, & camomellino tepido pluries irroretur, aut emplaſtrum adhibeatur ex floribus roſarum, meliloti, betonicæ, camomillæ an.m.j.farinæ fænugræci,hordei,ſeminis lini an.vnc.ij.rob.olei roſati an.q.s.miſce & fiat emplaſtrum:diſcuſſo tumore accidentia minuuntur,& tunc diſcutiendi,& exſiccandi indicatio eſt opportuna.igitur inuncto capite roſaceo,& maſticino,tale applicetur emplaſtrum.Medullæ panis,pulpæ paſſularum an.vnc.ij.florum camomillæ,meliloti,roſarum,ſticados an.vnc.s.farinæ fabarum,hordei, fænugræci an.vnc.j. mellis crudi vnc.ij.lixiuij clari q.s.& fiat emplaſtrum: ſi autem materiæ copia in aliquo ſinu coaceruatur,agente in ea calore mixto ex naturali,& præter naturam,ad ſuppurationem tendit, quod cognoſcitur auctore Hippocrate ex eleuata dimenſione,febre,& dolore,tunc ſedis affectæ vis corroboretur, & innatus calor reſeretur,ne diſflari poſsit,& tunc triapharmacum, quod & macedonicum vocatur à multis, [d] probatur.paratur ex aqua communi,oleo oliuarũ,& farina triticea:aut ex farina triticea, decocto caricarum,paſſularum,& foliorum maluæ,roſaceo,& adipe ſuillo: concocta materia,in decliui parte exitus fiat,& ea obſeruentur,quæ capite octauo explicauimus.vulnus hoc interim opportunis indicationibus regatur.Et hoc vnum perpetuò obſeruandum eſt,quod à Chirurgis non obſeruatur,niſi ab his,qui Hippocraticam methodum ſectantur,quòd non rarò aut ab aere,aut medicamẽto erodente,aut inepta operatione pericraneum inflammatur,& conſortij lege interior meninx afficitur,& ſęua occurrũt accidentia,& mors;vulnus decoloratũ redditur,labra tenuia fiunt,& ab oſſe ſeparantur;tunica languet, febris augetur,ſanies aquea fit, & mali odoris; inde delirium ſequitur,cõuulſiones gignũtur; vltimò mollificationes ſubſequuntur,& mors.

[a] ¶ Lib. de Cal. curat. Gal 4 n e th. cap. 6. Paul. lib. 6. cap. 90.

[b] ¶ Lib. de fracturis.

[c] ¶ 2. de comp. me. 2. loc. vbi de ſoda à percuſſ. & 3. de ſ.m. c. 16.

[d] ¶ Celſ. li. 5. c. 1. Gal. 6. Katan e ni. & 2. ad Gl u. Auic. 4. 4. c. 3. Auer. 5. col g. cap. 5.

DE INFLAMMATIONE INTERNA.

CVM [e] cerebrum, aut eius membranæ inflammatione vexantur, dolor totum caput occupat, ea maximè parte,qua inflammatio conſtiterit;aures ſonitu replentur,auditus hebeſcit, & venæ tẽporum extentæ ſunt,& pulſant,febris continua augeſcit,pulſus durus apparet,rigores inordinati perſeuerant,& dolor nunquam ceſſat,oculi rubeſcunt,facies nigreſcit,lingua aſpera fit,ac puſtulis repletur,vulnus liueſcit,nec proprium ſeruat colorem,& ſaniem modicam,ac tenuem emittit, & carnem ſale conditam repræſentat;laborans mente non conſtat,diſtenſio in altera corporis parte ſupernaſcitur, attonitus fit,& moritur:ſi verò inflammatio anteriorem capitis partem occupauerit,potentia imaginatiua corrumpitur,& tunc [f] patientes manus ad faciem admouent, vt inde quidpiam ſuperuacuè inquirãt, aut fruſtra muſcas venantur,aut feſtucas colligunt,aut de veſte pilos euellunt,aut de pariete paleas, & falſa perpetuò imaginantur:ſi autem mediam ſedem percuſſerit,cogitatiua virtus deſtruitur,vndè patientes facillimè iraſcuntur, incompoſitè loquuntur,rident,ſomno priuantur;& ſi dormiunt,aut ignem, aut ignitas res videre imaginantur,à ſomno timentes ſurgunt,& faſcias,quibus caput auolutum tenebant,lacerant,medicamenta abijciunt,& vulnus frigido aeri obijciunt,quod exſiccatur,& patientes moriuntur: cumq; poſterior pars inflãmatur,memoria perturbatur, facillimè obliuiſcuntur quicquid tunc dixerint, aut petierint,aut oſtenderint:at ſi tota regio capitis accenditur,accidentia omnia,aut maior eorum pars apparere ſolent,quæ omnia nõ illicò,ſed tractu tẽporis dignoſcuntur.Harum inflãmationum varię ſunt cauſæ, [g] nempe os aliquod meningas pungens,aut lacerãs,aut frigus,aut cibi multitudo, aut vini potus, aut praua chirurgia,aut diſpoſitio aliqua occulta,veluti interior fractura venularũ occultarum,aut materiæ copia ſuper meningas contentæ, aut acris humoris quædã fluxio,interdũ à vicinis partibus tranſmiſſi, aut ibi geniti,quæ omnes cauſæ aut per ſe ſolæ, & ſingulatim,aut commixtæ hos prauos affectus producere aptę ſunt,quorum initium(vt ait Auicenna) [h] dignoſcitur,quia ſi in illo,qui habet hoc impedimẽtum,apparet febris,& conturbatur intellectus tunc iam incipit apoſtemari; augmentum verò ob rigorum vehementiam.nam dicebat Princeps [i];Et quandoque accidit rigor,propterea quia refugit calor ad interiora,ſicut fit in apoſtematibus intrinſecis,& ſunt rigores perſeuerantes,quibus intenſior calor non ſubſequitur;

[e] ¶ Hipp. lib. 3. de morbis. Gal. 3. Inter. cap. 3. Aet. ſer. 6. c. 25. Paul. lib. 1.

[f] ¶ Hipp. 1. progno. c. 26. Auic. 1. 3. trac. 3. ca. 2.

[g] ¶ Gal. 8 de vſu par. Paul li. 6. c. 90. Auicen. 5. 4. trac. 3. c. 1. Raſis. 20. conti. c. 2.

[h] ¶ 1. 4. trac. 2. cap. 26.

[i] 1. 4. trac. 2. c. 26.

ſubſequitur; porrò ſi talis inflammatio in panniculis orta, calida fuerit, à Græcis [a] phreneſis, ab Arabibus [b] Sirſen, & Karabitus, & à Latinis mēbranarum inflammatio vocatur, aut cerebri, potiſsimum membranarum, ob id quia venarum, ac arteriarum maiorem copiam concinnent, & earum ſubſtantia denſior eſt; quare facilius inflammationes ferre poſſunt: cerebrum verò, dum affligitur (quia molle, humidum, frigidum, ac diſſolubile) non, niſi à potentiſſima cauſa, occupatur: hac ratione ſphacelo interdum corripitur, & illicò mens turbatur, & vita perit; quod illi occurrit, dum in eo extra venas ſanguis effunditur, ac extra venas continetur; & ideò hæc phreneſis vera non eſt, ſicuti velaminum inflammatio, quæ in eius initio curari ſolet, cauſam remouendo, ſi ſenſibus ſubiicitur: ſi verò occulta, abſumatur omni diuerſionum genere, & ſit tua ſolicitudo, & finis in intentione ad hoc, vt dolorem ſedes, ait Auicenna, inquantum potes, & elonges materiam à loco læſo, aut cum euacuatione, aut attractione ad contrarium, vt non apoſtemetur: primum ergo, quod te oportet facere, eſt phlebotomia cephalicæ, aut nigræ: ſi autem eſt repletio, oportet, vt vtaris clyſteribus acutis, ſaltem cū pulpa coloquintidæ; & ſi intenſa apparuerit febris, clyſtere ęquabis: primò ergo ſanguis mittatur à propinquiori ſede lateris vulnerati; interdū etiam, auctore Paulo,[c] ſub lingua, ſi materia fuerit ſubtilis; cibus minuatur, vinū ex toto detrahatur, materia diuertatur frictionibus, cucurbitulis, ligaturis, & clyſteribus: localia verò ea ſint, quæ in inflammationum initio probantur, nēpè oleum roſatum rude, ſiue omphacinum tepidum: in incremento inflammationis in auribus ea, quæ caliditatem remittunt, inſtillare oportet, ſicut eſt roſaceum, & violaceum oleum; occipitium, ſpinam, ac ſubaſcellia roſaceo, ac gallinæ pinguedine humectare; & ſi decet, caput totū cooperiatur cataplaſmate ex farina hordeacea, ſeminum lini, oleo roſato, & ſapa, calida omnia dimittantur, præſertim indumētorum copia; ſiquidem immoderatus calor ex multis pannis, ſtupis, pelliceis, calidiori conclauio, calidioribus medicamentis excitari ſolet; ob id Hippocrates in his nec faſcias tantùm applicare auſus erat: ſi autem inflammatio perſeuerare videatur, quod dignoſcitur ex ſymptomatum fortitudine, & augmento, & nihil prohibet, medicamento, quod bilem purgare poſsit, patientem euacuare expedit, & illud probatur, quod validum, & leue eſt. validum nempè, vt à capite diuertat, & euacuet; leue, vt ſemel, aut bis tantùm purgare poſsit abſque caliditate, & violentia. nam dictum eſt ab Hippocrate; [d] Febricitantis caput ne purgato, ne furioſus fiat; calefaciunt enim caput pharmaca purgatiua; nam ſi ad caliditatē febrilē accedit, id, qđ in medicamento eſt, inſaniā facit. ob id dicebat Auicenna; Si apoſtema calidum perſeuerat, & nō eſt aliquod, quod prohibeat ſumere medicamentum ſolutiuum ſoluens ſemel, fiat illud. nā ſic præcipit Hippocrates; attamen in nouis Auicennæ correctionibus ab Andrea Bellunenſi nuper in lucem editis, dictio illa, ſemel, non legitur, & textus ille ſic ſonat; Si apoſtema calidum perſeuerat, & non eſt aliquod, quod prohibeat omnino ſumere medicamen ſolutiuum, fiat illud; nam ſic præcipit Hippocrates. quod etiam affirmat Paulus ſub his verbis; Si pſeuerat inflāmatio, & nihil aliud prohibet, medicamēto, quod bili ducendæ eſt, purgare ipſos Hippocrates præcipit. igitur in antiquo Auicennæ Codice dictio illa, ſemel, tollatur, & eius loco, bilem, ponatur, vt vnà cum Hippocrate, & Paulo ſententia intelligatur, ſiquidem ratio hoc demonſtrat; non enim medici munus eſt, pharmacum exhibere, quod ſemel, ſicut bilem, euacuare poſsit. poſſet fortaſsis textus ille Auicennæ ſic intelligi; ſi inflammatio perſeuerat, & nihil prohibet, ſemel ſumere medicamentum, quod bilem ſoluat, fiat illud. & vnum notare expedit, quòd Hippocrates bilem euacuat, vulnere bene ſe habente, ſed facie inflāmata tantùm, & ignis ſacri ſpeciem referente, & nihil de cerebro, aut meningis inflammatis memoriæ prodidit. hac de cauſa multi ſanguinis miſsionem, & clyſteriorum vſum in affectibus intrinſecis magis, quàm pharmacum, approbarunt; attamen, vrgente cauſa bilē expurgandi, medicamento aliquo eradicante vti non expedit, veluti antiquorū mos erat, ſed id lenitiuū omni caliditate expoliatū ſit, vt eſt caſia, tamarindi, mirobalani, manna, reubarbarū, aut ſyrupus roſatus ſolutiuus, aut ſimile medicamentum benedictū, quod vi mouere non poſſit, ne materiæ crudæ moueantur, & ad affectam partem concurrant. ſiquidem[e] ſcammoneata ſic corrigi minimè poſſunt, quin primarijs, ac nobilibus membris noxam inferant, & quæ vi euacuant, ventriculum offendunt. inde praui gignuntur humores, qui, ſi euacuationi apti non fuerint, conturbantur, & mouentur, & ad affectas partes facillimè aſcendunt, & capiti nocumentum afferunt; &, vt ait Hippocrates, inſaniam producunt, id eſt phreneſin, & membranarum inflammationem. hac ratione Galenus [f] in acutis morbis medicamentū eradicatiuè euacuans dari prohibet, nec ob id tantùm, quòd morbus acutus eſt; ſed quia perpetuò febris adeſt, quæ augetur, & vapores mali caput petentes inflammationes excitant. porrò [g] felices euacuationes cognoſcuntur concocta materia; concoctiones [h] verò non, niſi in chronicis, expectantur, hac ratione præclariſsimi medici cerebro inflammato magis phlebotomiam, quàm pharmacum, approbant, in cacochymis à mediana, in plethoribus à capitali vena eiuſdem lateris. ſic enim Hippocratis [i] methodus ſeruatur, ſi qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facilè ferunt; ſi contra, difficulter. porrò ſecta vena, ſanguis in ea copia mittatur, quæ deſideratur; ſecus verò à pharmaco, qualecunque fuerit id euenire ſolet, ideò in Aphoriſmis ſcriptum eſt; [k] In acutis paſsionibus raro; & in principijs medicinis purgantibus vti. quare dicebat Galenus; [l] Si minus quidem auxilium per ſanguinis miſsionem, quàm per purgationem, ſequitur in morbis acutis, ſecurius tamen multò exiſtit, immo nullum ex eo, quod per ſectionem venæ fit, periculum impendet, eo diſcrimen maximum ſubeunte, quod per purgationem tentatur, & potiſsimum, ſi laborantis naturam expertus quis non fuerit, nempe difficulter alij natura purgantur, alij modico aſ-

ſumpto

a ¶ Gal. 3. de loc. affec. cap. 5. 2. de ſimpt. cauſ. ca. vlt.
b Auic. 1. 3. tracta. 3. cap. 1.
c ¶ Lib. 3. ca. 7. Auic. 1. 3. tract. 3. cap. 4.
d ¶ Lib. de loc. in homine. & libro de medic. purgan.
e ¶ Celſ. lib. 5. cap. 1.
f ¶ 2. reg. ac. cō. 11. & 12. & 1. Aphor com. 24.
g ¶ Hipp. lib. de humoribus. & 1. Aphor. 22. Gal. 1. de criſi. cap. 8.
h ¶ Gal. 1. Aph. com. 24. 3. Aph. com. 16. Auic. 4. 1. cap. 3.
i ¶ Lib. de medic. purgan 1. Aph. 25. 4. Aph. 3. & 5. & 6. Epidemiarum.
k ¶ 1. Apho. 24.
l ¶ 2. reg. ac. cō. 11.

ſumpto medicamento copioſè.ſi enim hominis naturam non noueris,metus eſt, ne plus iuſto euacues, quę omnia in acutis morbis magnas pariunt offenſas.id ergo ſequitur,quod ab omnibus [a] medicis in fracturis caluariæ probatur,quòd,ſignis inflammationis apparentibus,clyſteribus,ac ſanguinis miſſione vti debeamus,potius,quàm pharmaco euacuãte.ſanguis igitur ex cubitu mittatur,interdum ex naribus, aliquando etiam ex fronte,aut ex vaſis linguæ ſubditis,cumque inflãmationis cauſa materialis,aut mixta, aut craſſa fuerit(quod dignoſcitur ex tarditate,ac ſymptomatum imbecillitate)tunc clyſteres ex hiera, aut electuario lenitiuo laudantur.&,ſi intenſa febris non apparuerit,auctoritate Raſis,[b] & Auicennæ[c] pilulæ cochiæ ſummopere probantur;valent profectò,quibus nos magno cum honore pluries vſi ſumus: optimum pariter remedium eſt ſanguinis miſsio ex venis podicis,quas hæmorrhoides Græci vocant: ac occipitio hirudinum applicatio,ſiue earum poſt aures,aut temporibus appoſitio. Hæ operationes à diligenti chirurgo ſecernendę ſunt,& ſecundùm opportunitatẽ eligendæ,& in omni euacuandi modo,ętas, ac virium robur,ſexus,exercitium,ac temporis conſtitutio,primò conſiderari oportet.

a ¶ Hipp. lib. de Cal.cur.Celſ. li. 3.cap.18.Gal.2. meymir. Oribaſi. lib.ar. cur.ca. 6.Aet lib.6 c.2. Paul.lib. 3. c. 6. Serap.1.bre.c.2. Raſis 1. cont. c. 4. & 6. ad Alm. cap.vlt.Auic. 1. 3.trac.2.c.26.

b ¶ 9. ad Alm. cap.1.

c ¶ 1. 3. trac.2. cap.26.

DE MEMBRANA, ET CEREBRO EXTVBERANTE.

POST[d] chirurgiam,aut aeris frigiditate,aut mala diæta,infrigidatur velamen ſubcingens,& tumet ſic,quòd craneum extuberat,& extra eminet;& hęc paſsio à Galeno[e] fundus vocitatur, ob id quia parui, ac rubei fungi imaginem pręſefert:à Principe in veteribus traductionibus,futratem, & futuratim,interdum etiam addito articulo Alfaturatim.in recentioribus verò, Arabicè Alchatara, Fater,& Fatera,quod fungũ ſignificat.excedit hic tumor oſsis craſsitiẽ,ac interdũ cutis ſuperficiem: in mẽbrana grauitas percipitur,& eius motus deperditur naturalis.ſæpe huic morbo extenſiones præcedunt, & ſæua alia ſymptomata,& mors;oritur nempe craneo fracto,ſi meninga,quæ cerebrũ cuſtodit,ſauciatur,aut alteratur:at quia vtplurimum in hac curatione operationes omnes fruſtratoriæ ſunt, Alſutraten vocitatur. capite enim violato,membrana interdum inflammatur,neque repelli poteſt quod concurrit, neque facilè extrahi, quod ſuper ipſa collectum eſt.ea de cauſa timenda eſt talis inflammatio, licèt alioquin caput,cum ſuperius ſit rectè locatum,& non pendeat,non ita humorum concurſum admittat.cumque talis tumor apparuerit,ſi ex manifeſta cauſa initium traxerit,ea protinus amputanda eſt;ſi à frigido aere,alteretur ad calidum;ſi à medicamentorum qualitatibus,permutentur;ſi oſsis anguſtia id effecerit, amplietur;ſi praua victus ratio,corrigatur:vulnus,ac mẽbrana vino albo odorato tepido abluatur,leuiterq́; ſiccetur, poſtmodum ſindone rubea oleo de Terebinthina, ac aquæ vitæ imbuta cooperiatur. inde ſuper poſita lata petia,eodem medicamento tincta,ac capite roſaceo,& camomellino oleo inuncto, exiguam ſtupã vino nigro,& roſaceo madefactã,toti capiti circũponemus,adhibita diligentia, ne membrana grauetur;poſtea latiore vtemur ligamento,neque hoc aſtringente,ſed vt medicamentum tantùm retineatur. Celſi[f] verò teſtimonio ſi membrana ex inflammatione intumuerit,infundenda erit roſa tepida; ſi vſque eò tumebit,vt ſuper oſſa quoque emineat,coercebit eam bene trita lenticula,vel folia vitis contrita,& cũ recenti butyro,vel adipe anſerino mixta,ceruixque molliri debebit liquido cerato ex irino facto.Paulus verò membranam prius fouet decocto altheæ,ſeminum lini,& fœnugræci, cui ſi maluam, & violariam addiderimus,optimum erit.noſtrates autem medici hoc approbant emplaſtrum, Recip. Florum camomillæ,meliloti,betonicæ,roſarum,an.m.j.ſquinanti,linguæ paſſerinæ an.m.s.ſeminum fœnugræci vnc.j. omnia in brodio capitis Veruecis bulliant, poſtea colentur,& exprimantur. & Recip.farinæ hordei,cor ticum tritici an.vnc.ij.pulueris roſarum,meliloti,ſticados,betonicæ an.vnc. 5.olei roſati,myrtini,rob.an. vnc.ij.prædicti decocti q.s. pro emplaſtro,nam nõn rarò hi tumores flatu replentur. quod Alexander Tralianus[g] annotauit,quærens,an flatus ſit, an cerebri ſubſtantia,an materia diuerſa,& aſſerit nullo modo cerebrum eſſe,ob id,quia interdum à debili medicamento tumores iſti diſcutiũtur,quod non ita eueniret,ſi cerebrum adeſſet.valdè enim diuerſa ab eo eſt materia fungi; ſiquidem cerebri ſubſtantia non ita relaxatur,quanuis mollis,& laxa fuerit,nec,vt alia excrementa,in aquam diſſoluitur;& hinc error maximus oritur.nam imprudentes,nulla habita ratione de tumoris eſſentia,eum reſecant, & membranam offendunt.igitur magis rectum eſt,vt ex ſe cadat,aut diſcutiatur,ſi poteſt.ſi enim inflammatur,ſic vt corrumpatur,quod corruptum eſt,ſeparetur.nam operatio hæc admitti ſolet.& ſi qua fuerit difficultas, totum opus naturæ committatur. Generatur Fungus vtplurimum frigefacta membrana,aut frigida humiditate repleta,quæ,dum attenuatur,agente calore debili,flatum producit;cumque per anguſtum callem talis cauſa exire cogitur,quæ in neruea membrana continetur,à frigido aere alterata, extra craneũ tumorem efformat,qui fungi effigiem reprę́ſentat.hunc interdum,ſi diſcuti nequit,ferro aperire expedit, vt materia euacuetur,ne fiat vomica;quod felici ſucceſſũ pluries factum eſt;atque qualicunque euacuata materia,ſinus,& vulnus vino decoctionis roſarum,pimpinellæ,betonicæ,ac minoris cẽtaureæ abluatur, addito roſaceo melle.& ſi dolor moleſtiam inducit,humano lacte ab vbere emulto.inde tali regatur medicamento.Recip.Terebinthinæ claræ vino albo lotæ vnc.ij. aquæ vitæ,mellis roſati an. vnc.j. myrrhæ, aloes,granorum hypericonis an.drag.j.ceræ parum pro molli vnguento:repleto vulnere,leuiter tamen, lata petia ex vnguento de gummi elemi,& diabotano,aut de betonica cooperiatur;procedatur ſic, donec aliqua naturæ ſignificatio,aut ad mortem,aut ad vitam apparuerit;& ſi ad vitam, dimiſsis vnguentis,& humido quocunque,aridis cephalicis vti decet;ſi autem memdrana nigruerit, melle roſaceo ſolo

d ¶ Paul. li. 6.c. 90.Auic.1.3.tr. 3. ca.14. & 5.4. tr.3.c.1.

e ¶ 1. de loc. aff circ. prin. & 3 Epidemiarum

f ¶ Lib.8.ca.3.

g ¶ Lib.2.pro-blem.86.

vtemur;quod ſi nō iuuat,medicamento Iſide interdum,& ægyptiaco tutò vti decet;ſi verò nigredo non cedit,calorem illius partis emortuum iudicabimus.Adhuc notare oportet,quòd interdum quædā mollis caro adeò concreſcit,vt ſimilis tumoris formā præſeferat,quæ vnguentorum applicatione augetur; quare tunc ad ea,quæ valde ſiccant,deuenire opus eſt.

DE FEBRE.

FEbris, quæ[a] apoſtema comitatur, quod alicui membrorum nobilium incipiendo innaſcitur, mala eſt, & illa peior,quæ ſequitur ad inflammationem panniculorū cerebri.ipſa nanque eſt febris phreneſis;dictum eſt à principe;[b] In illo,qui patitur lodam à percuſsione, ſi apparet febris,& conturbatur intellectus,tunc iam incipit apoſtemari;& ſi[c] vulnus peruenerit ad cerebrū,& apparet febris,& vomitus coleræ,non eſt qui ſanetur,niſi raròːpoteſt quippe interdum non multo timore in caluaria fracta febris oriri,præſertim in æſtate ante ſeptimam,& in hyeme ante decimam diem,aut ratione doloris,aut animi affectuum,aut bilis motus,aut longæ inediæ, aut dum pus conficitur, aut retentis corporis excrementis,aut ſi aliquod extrinſecum apparuerit eryſipelas : concentratur interdum natura in his motibus expulſiuis,& rigores ſubſequūtur,poſtea florido colore locus alteratur,& febris quieſcit, nec ob id vulnus eo modo exſiccatur, ſicuti in occulta inflammatione;tunc enim febris ardens perpetuò patientem affligit,& rigores inordinati,ac diuerſi perſeuerant,ac ſi febres plures, ac inordinatæ, & mali modi,adeſſent:ſuffocato denique innato calore,& languida facta nutritiua virtute, vulnus ſiccum redditur,fit mali odoris,os liueſcit,inde ob intenſum calorem nigreſcit,& teredine afficitur,lingua arida fit,ac ob humoris acredinem,qui continuò à cerebro ad os deſtillat,puſtulis repletur,& alcola, ſiue vlcuſcula,aphtæ à Græcis dictæ, per os producuntur;tandē qui ſic affecti ſunt, conuelluntur in oppoſito latere,mollificantur in proprio,poſtremò mente non conſtant,& moriuntur; febris tamen primò apparet mitis quidem,non multi caloris,quæ [d] ſi in quarta,aut ſeptima,aut vndecima, aut decimaquarta die oritur, mortem futuram indicari, iudicatur à pleriſque,ſi quidem quarta vulneris die inceperit,ad vndecimam;ſi ſeptima,ad decimamquartam,aut decimamſeptimam;ſi verò vndecima,ad vigeſimam : porrò ſi in febris initio aut delirium,aut aliqua conuulſio orta fuerit,malè præſagire oportet, niſi omnino ex optimis ſignis criticis aliquod apparuerit,aut virium robur adſit:optima [e] nempe ſigna hæc ſunt,copioſa è naribus ſanguinis emanatio,aliquod extrinſecū, eryſipelas,aut aliquid ſimile, quod perfectam criſim oſtendat, & tunc, ait Hippocrates ; Si vulnerati fiunt conualeſcentes, in parte aliqua corporis perpetuò patiuntur,nec [f] febris quidem terrere debet,ſi in magno vulnere,dùm inflammatio eſt,permanet.illa pernitioſa eſt,quæ vel leui vulneri ſuperuenit,vel vltra tempus inflammationis durat, vel delirium mouet. vel,ſi neruorum rigor,aut diſtenſio,quæ ex vulnere orta eſt, eam non finit;ſiquidem [g] dictum eſt in libro ſeparatorum ſermonum;Febrem conuulſioni melius eſt ſuperuenire,quàm febri conuulſionem. & qui à neruorum conuulſione detinentur, aut diſtenſione, febre ſuperueniente, liberantur : hiſce febris ſolita eſt magna ex parte ſuo calore extenuare,atque diſſoluere conuulſionis cauſam:illa [h] verò febris ſalubris eſt, quæ,orta inflammatione extrinſeca,ſuperuenit vulnere bene ſe habente, aliter pernicioſa iudicatur. Vrinæ in febribus ex occulta inflammatione claræ,& crudæ malæ ſunt,arguunt nempè calorē innatum circa materiam internam occupatum eſſe;illæ [i] peſsimæ ſunt,ſi albæ, & perſpicuæ minguntur, & magis,ſi patiens delirio affligitur; Nunquàm delirantem,ait Galenus,cum his vrinis ſaluatum vidi. Cū igitur vulnerato capite,aut fracta caluaria,febris oritur,quæ nec Ephimera,nec humoralis, ſiue putrida fuerit,nullum ſeruans typum,aut periodum,ſed aſsidua,alijs prauis ſymptomatibus, quæ inflammationis initium,aut cerebri,aut meningarum portendunt,aſſociata, victus regimen attenuetur; qui, vt docet Hippocrates,[k] frigidus,& humidus ſit,veluti ptiſana hordeacea eſt,aut panatella cum ſaccharo, & lacte amygdalarum,aut ſeminum melonum;potus aqua decocta ſit,addito vino granatorum,& zulapio roſato. ſi virtus conſtat,denuò capitalis vena aperiatur:& ſi corpus plurima bile ſcatuerit,medicamento calologo euacuetur,humores ſerapijs opportunis æquentur,veluti de Endiuia,roſatus,& de cichorea cum aquis,aut decoctis conuenientibus;omne genus diuerſionum probatur,potiſsimum verò ſimilium clyſteriorum vſus,Recip.foliorum maluæ,violarum,ſcariolæ,lactucæ,bletæ an.m.j.decoquantur in communi aqua,& Recip.prædicti decocti vnc.x.& adde mellis violati,Zucchari rubei an.vnc.ij.olei violati vnc.iij. caſiæ extractæ vnc.j.ouorum vitellos nu.ij.ſalis cochleare j.miſce,& fiat clyſter ; ſpina tota roſaceo vnguento,muliebri lacte,& violaceo oleo inungatur,& vulnus indicationibus proprijs regatur.

a Hipp. 2. prædict. Raſis 10. ad Alm. cap. 15.

b 1.3.tr.2.c.20.

c ¶ 1.3.tr.2.ca.14.

d ¶ Hipp. 2. prædict.

e ¶ Gal. 2. de criſi.

f ¶ Cel. lib. 5. vbi de ratione victus vulnerat.

g ¶ 2. Apho. 26. 4. Aphor. 57. li. 1. de morbis

h ¶ Hipp. lib. de C. l. curat.

i ¶ Hipp. lib. de Coa. prænot. & 4. Apho. 72.

k ¶ Libr. 5. de fracturis, & 1. Aphor. 16.

DE ALIENATIONE.

VI [l] capite vulnerato mentis perturbatione vexantur,ſi alia internæ inflammationis ſigna adfuerint,ſat erit tales ſolis Presbiteris relinquere : nam in meningis,aut cerebro facta eſt inflammatio,aut iam fit:quòd ſi facta eſt,curationem expectare non licet, & [m] minus, ſi per ſe accidens fuerit,& non conſortij lege,omne [n] quidem delirium,principem facultatis motiuæ, ac intellectiuæ pati demonſtrat:eius cauſæ duæ ſunt,internæ,& externæ. internæ praui ſucci ſunt,aut vapores mali,cerebri operationes corrumpentes;nam ſæpe [o] à ventriculo vapores aſcendentes,aut ſubtiles materiæ ad caput, intellectus operationes perturbant, vnde vulnerati mentis compotes non ſunt ; inediæ pariter, quæ

l ¶ Gal. 3. de loc. aff. c. 5. 5. de loc. aff. cap. 3. Raſis 9. ad Alm. c. 3.

m Auic. 1. 3. tr. 3. ca. 14.

n ¶ Gal. 3. de lo. affec. cap. 5. 3. de cau. ſympt.

o Gal. 3. de not. loc. aff. c. 5.

quæ [a] modum excedunt,præſertim in his,qui validè concoquunt,præter alia,febrem,& alienationẽ producunt.quæ tamen(ait Paulus)phreneſis non eſt, ſed delirium ex conſortio ortum:hac ratione diuinus Hippocrates [b] in victus regimine aliquid dabat ætati,conſuetudini,& anni tempori; procatarticæ verò, ſiue externę ſunt res pungentes,aut comprimentes meningas,aut cerebrum,quibus remotis,ſtatim & effectus remouetur:porrò,ſi cauſa abdita fuerit,& corpus plenum,victus attenuetur,aer alteretur,ſomnus reconcilietur, vena cephalica brachij,aut frontis,aut naſi extremitate ſecetur,aut ab hęmorrhoidibus sã guis mittatur,hirudines poſt aures applicentur,cucurbitularum vſus,frictiones,ligaturę,balnea,& omne ingenium,quod à capite reuellere poſſit,probatur:verùm, ſi nihil prohibet, medicamentum leue, quod bilem euacuet,dare oportet:in initio caput oxyrhodino inungatur,in ſtatu,quæ diſcutiunt,conueniunt; & ſi [c] vlterius tale accidens proceſſerit,nihil agendum eſt,ſed naturæ totum opus committatur, ſiquidẽ qui tali deſipientia, aut delirio tenentur, moriuntur.

DE VOCE DEPERDITA.

PErcvsso capite,aut fracta caluaria,ſæpè occurrit,vt vox intercipiatur,& patientes muti fiãt, nec vllum quidem verbum proferre poſsint,& hoc potiſsimum indicium eſt,quòd cerebrũ malè affligatur.nam ſcriptum eſt in Aphoriſmis;[d] Quibus cerebrum aliqua ex cauſa concuſſum fuerit,neceſſe eſt,ſtatim mutos fieri:iacent autem eodem modo,quo apoplectici,ſenſu,ac motu deſtituti.cerebrũ hoc modo interdum concuti contingit, propter aliquem caſum totius corporis violentum, ex locis altioribus factum. tales enim caſus in ſpinæ vertebris concuſsionem facere ſoliti ſunt, quando ipſarum harmoniæ commotæ fuerint,ſpinalis verò medulla, quæ in eorum cauitate continetur, laborauerit,ipſa verò valdè concuſſa periculũ adduxerit,ne aliquis neruus eorum, qui in ipſa naſcuntur, abrumpatur,quod non minus in ipſo fit cerebro,idque magis,quantò plus vacui loca habent,quæ ipſum circunſtant:quieſcit enim patiens ob id,quia contrahitur vis animalis in ſe ipſam in talibus diſpoſitionibus, à motu vehementi moleſtata,vndè mutum,atque immobile totum iacet,quod ita afficitur,animal; quare dicebat Auicẽna [e];Et ille,cui aduenit offenſio,aut caſus,aut aliud,& abſciditur ſermo eius,& inclinatur caput eius,& areſcit anhelitus,& ſudat frons ipſius,moritur ſtatim.quandoque [f] etiam percuſsio,aut caſus leuis eſt,& curatur,& quandoque peruenit ad hoc,vt cerebrum permutetur,& pereat;nam continui ſolutio quandoque accidit in velaminibus cerebri,quandoque in eius ſubſtantia,& quandoque in eius venis,& ſcinduntur,& in his omnibus affectibus prædicta accidentia apparere ſolent:dictum [g] etiam eſt,& ille,qui cadit in caput,multoties non loquitur,& cum remanet vſque ad tertium,& non minuitur,neque additur,tunc laudatur in tertio, & expectetur vſque ad ſeptimum, & non moueatur ante illud cum aliquo,ſcilicet medicamento euacuante interius ſumpto,aut manuum operationibus,præterquã in amplis, & manifeſtis fracturis,iã quieto ſymptomate, ne à pugna natura diſtrahatur,cuius officium eſt internas læſiones corrigere.Nos verò ſæpe vidimus,hoc apparente ſymptomate,eoque in eadem latitudine permanente,ſi tertia præterierit, patientes ſanitati reſtitutos;quod ab Hippocrate [h] ſub his verbis probatum eſt;Quibus cerebrum ſphacelatum,id eſt,corruptum eſt,in tribus diebus pereunt;ſi verò hos euaſerint,ſani fiunt.poteſt ſiquidem cerebrum concuſſum aliquo modo ad ſphacelum ire,nõ tamen ſphacelari, cum ſphacelus ſit vniuſcuiuſque partis ſubſtantiæ corruptio:ob ſui ergo nobilitatem cerebrum hanc diſpoſitionem pati nequit,nec contingit hunc,qui ſic ægrotat, perſanari; verùm ſi ante triduum mors non ſequitur,ſed ad quartam patiens deuenerit,ob virium valetudinem,quæ morbum ſuperare ſolet,ipſum declinare ſperandum eſt.Nos verò hoc in loco per ſphacelum inflammationem interpretati ſumus,quæ in gãgrænam terminari poteſt:ſolent nempe in his ſigna phreneſis primò apparere:poſtquam verò inflammatio exorta fuerit,gangræna gignitur.nam dictum eſt; [i] Niſi præceſſerit maxima inflãmatio,non fit gangræna: porrò omnes medici,[k] excepto Serapione,[l] cerebrũ ſphacelari cõfitentur,cui Auicẽna mirificè aduerſatur. ſed ad vocẽ amiſſam redeuntes,dicamus cũ Hippocrate;[m] Cum cerebrum nimium calefactum eſt,corrumpitur;& ſi de repente obmutuerint qui ſic afficiuntur,in tribus diebus pereunt.verùm ſi dormiunt,& ex naribus ſanguis fluit, aut multum vrinæ emittunt, ac ſeptem dies tranſgrediuntur (plerique autem non tranſgrediuntur)euadere poſſunt;iſti hoc tempore ſola ptiſana nutriantur, vitentur rumores, lumina,& quæcunque ſomnum prohibere ſolent:ſi verò hoc ſymptoma abſumi nequit, ea ad vnguem obſeruare oportet,quæ ad cerebri inflammationes valere explicauimus, vtplurimum ab externa cauſa oritur, potiſsimum ab aliquo oſſe cerebrum lædente, quod dum contrahitur, neruos recurrentes,qui à ſexto pari originem ducunt,& linguæ motum præſtare ſolent,ſecum adducit,& retrahit, vnde vulnerati muti fiunt;quod [n] probatur,dum conuulſionis initium apparet, cui interdum loquendi impotentia præcedit:cũque igitur cauſa dignoſcitur,auferatur;ſi abſcondita fuerit,ſanguis mittatur à vena, cucurbitulæ apponantur,hæmorrhoides prouocentur,extrema laqueentur, leuiter fricentur, imponantur enemata cum hiera,& diafinicone; &, ſi expedit corpus àliquo pharmaco euacuare, pilulæ cochiæ principatum tenent,caput totum roſaceo tepido humectetur, cui parum aceti addere licet. cumque verbum aliquod proferre inceperit,roſaceum,& camomellinum ſummè conueniunt:ſi verò nulla contiuui ſolutio apparuerit,tale cataplaſma toti capiti adhibeatur, Recip. furfurum tritici vnc.iiij. farinæ fabarum, ſeminum lini an. vnc. ij, roſarum,camomillæ,betonicæ,meliloti,ſtœcados an. m. j. abſynthij, anethi, coriandro-

a ¶ Gal.2.Aph. com. 22. Paul lib.3.ca.6.
b ¶ 2.reg. ac.36. & 1.Aph.17.
c ¶ Hipp. lib. d. arte. Gal. 2.aphoriſmorum. 29. 4. aphoriſmorum.72.Aui 1.3.tr.c.1.
d ¶ 7.Apho.59. lib. de morbis. & lib.1.de Coac. prænot.
e ¶ 4.4.tr.2.c.4.
f ¶ Auic.1.3.tr. 2.cao.3.
g ¶ 4.4.tr.2.c.1.
h ¶ Lib. de Coac.præno.lib.2. de morbis & 7. Aph.51.
i ¶ Gal. 7. Aph. com.51.14. meth.c.3.de tumo. præter nat. cap. 7.& 8.
k Gal.11. meth. cap.18 4. de lo. aff.ca.1.5 de lo. affe.cap. 3.2 de ſympt cau.ca.7. met. li 6 ca. 25. Paul.li. 3.c.6. 7. & 8.Oribaſ. lib. curat.c.8. 10.& 11.Alex.tr. li. 1. cap. 13. Raſis.li. diuil.c. 6. Auic. 2.1.doct. 1. c.5. & 1.3.tr. 3. c.1. 4.& 5.
l ¶ 1. Breuiarij. cap.20.
m ¶ Libro.2.de morbis.
n ¶ Hipp.6.& 7. Epidem.

rum an.drag.ij.quæ in puluerem contundi poſſunt,contundantur.inde omnia in vino nigro bulliant ad mellis conſiſtentiam.& adde olei roſati,rob.an.q.s.pro emplaſtro;&,ſi diu perſeuerauerit hoc accidẽs, prædicto emplaſtro addatur calamentum,origanum,aſſarum,pulegium,oleum maſticinum, & lixiuium clarum,ſiquidem credendum eſt, magnam pituitæ copiam in capite contineri.

DE CONVVLSIONE

[a] ¶ Lib. de Coac.prænot.& 5. Apho.2. [b] ¶ Lib.de ſpaſmo.ca.vlt. 5. de cau.ſymp.ca.2. & 6.Aph.cõ.39 [c] ¶ Gal.3. de lo. affe.cap.6. & 5. Aph.com.5. [d] Hipp.6. Aph. 39. Gal.2. Aph. com.26.

SI vulnerato capite, conuulſio apparuerit, mortem prædicit. nam dictum eſt ab Hippòcrate;[a] Cõuulſio ex vulnere lethalis eſt, cum enim [b] lacertorum capita, aut nerui, aut tendones vi quadã, ac inuoluntariè verſus eorum originem contrahuntur, motus aliqui contractiui aliquarum partium ſequuntur, qui Græcè ſpaſmi, & Latinè conuulſiones dicuntur. hi [c] nec naturales, nec ſecundùm hominis arbitrium fiunt. Huius [d] ſymptomatis cauſæ duæ ſunt, aut nimia humorum copia, qua neruoſæ partes repleri ſolent, qui dum per eas cerebro communicantur, volens id ab ea ſe exonerare, contrahitur, ad quem motum omnes partes, quæ illi annexæ ſunt, aut ab eo originem ducunt, contrahuntur, & fiunt conuulſæ; & hic affectus ille eſt, qui fracta caluaria, & vulneratis neruis, ocurrere ſolet, cui ſemper aliqua præcedit inflammatio affectæ partis, aut in eo abundat copia humoris corrupti, aut veneno præditi. exſiccãtur interdũ ex nimia humorũ penuria neruoſæ partes, præſertim naturaliũ, ac nutrientiũ, & fiunt conuulſæ, & hæc fæcunda conuulſionis ſpecies non ſubitò, ſed temporis interuallo, creatur; at quia alibi in tertio libro de hac re ad plenũ tractaturi ſumus, nihil amplius hic dicere decreuimus, ſed ſat erit ſcire, quòd meninx ſi puncta fuerit, aut inflammatione affecta, aut cerebrum compreſſum, aut à materia diuerſa corrupta alteratum, in eo primo genio, aut lege conſortij fiunt contractiones conuulſæ ſedis oppoſitæ partium capitis vulneratarum, ſi vulnus latus occupauerit; ſi verò in media regione conſtiterit, ambæ partes conuelluntur, vt Antonomo occurrit, quod [e] alijs corporis partibus non aduenit, quæ conuelli nequeũt, niſi præceſſerit inflammatio manifeſta. primò enim conuelluntur partes, quæ inflammatione vexantur: inde noxa cerebro communicatur, poſtmodum totum corpus conuulſum redditur, & ſic neruorum diſtenſiones fiunt; cùm ipſi muſculi primò, ac præcipuè, deinde partes, ad quas perueniunt, ad ſuum principium contrahuntur. Huic ſymptomati præcedit ſæpe dorſi dolor, poſtea nuchæ, vltimò capitis, & fiunt partes fere immobiles, ac tenſæ, & magna cum difficultate mouentur, vulnus ſiccum redditur, & qui ſic affecti ſunt, clamant, & liberè verba proferre non poſſunt. vltimò contrahitur ſeptũ, & ſuffocantur; præcedit interdum acutus oculorum dolor, aut fluxus diarrhæus, aut fœcum inuoluntarius fluxus, aut lotij reddendi difficultas, & cùm hæc accidentia apparent, moriuntur. Cùmque aliqua materialis conuulſio apparuerit, teſte Hippocrate, [f] opportunis euacuationibus curari ſolet, potiſsimum ſi cauſa interna fuerit; ſi autem manifeſta, ea quippe ſublata, abſumitur: igitur ſi patiens plethora, aut cacochimia laborauerit, euacuetur, aut ſanguinis miſsione à capitali vena affectæ ſedis, ſi habitudo, ætas, virtus, & anni tempus id admiſerit, & diſtenſio ab inflammatione prouenerit, aliter corpus acribus clyſteribus, aut medicamẽto bilem ducente moueatur: ſi verò pituitæ copia, aut craſſi humoris abundauerit, Agaricus, Hierapicra, & pilulæ cochiæ probantur: ſin autem clyſteria, caputpurgia, ſiue apophlegmatiſmata conueniunt, ſpina vbique, ac ſæpe, ſubaſcellia, inguina, collum, ac vniuerſę partes conuulſæ calente oleo communi, aut liliorum, aut camomillæ, àddita gallinæ pinguedine, inungãtur: interdum totam ſpinam, iuncturasque omnes magna vtilitate illinire tali linimento cõſueuimus, Recip. olei violarum, amygdalarum dulcium an. vnc.iij. pinguedinis gallinæ, medullæ crurium vituli an.vnc.j.s. omnia ſimul bulliant in decocto maluarũ, radicum altheæ, & ſeminum lini, donec decoctum abſumatur. colentur, & fiat linimentum.

[e] Gal. 5. Apho. com.2.

[f] Libro de nat. humana. lib. de flatibus.& 2. Aphor.22.

De paralyſi in parte affecta, & conuulſione in oppoſita, opiniones diuerſæ.

[g] ¶ Lib. de cal. curat.lib. de Coac.prænot.lib.3. de fract.43.li.5. & 7.Epide. [h] ¶ 1.3. cap. 14. [i] ¶ Libro. 5. de mor.popu.

QVIA hactenus ad plenum rationes & cauſas, cur conuulſio in oppoſitis partibus ſedis læſæ capitis intimè vulnerati, & paralyſis in proprijs oriatur, intelligere non potuimus; ideò pro hac indaganda veritate, hæc pauca in medium adducere decreuimus, ſemper meliori iudicio, ac veritati ceſſuri: verũ & ſi nullibi [g] de paralyſi verbũ vllum proferat Hippocrates, Princeps tamen Auicenna [h] hæc duo ſymptomata, læſa caluaria, euenire commemorauit. Inquit Hippocrates; Conuulſio pleroſque corripit in altera corporis parte, ſiquidem ſi in ſiniſtra capitis parte vulnus quis habeat, in dextera conuulſio oritur: ſi verò dextera ſauciata eſt, ſiniſtram conuulſio corripit, ac pluries hoc eueniſſe fatetur, experimentoque, ac exemplo demonſtrat, [i] præſertim in caſu illius famulæ in Omilo duodecim annos natæ, quæ ex capitis vulnere in media æſtate, decimaquarta die mortua eſt; conuulſio verò manum ſiniſtram inuadebat, nam in dextera magis vulnus habebat: Attamen huius effectus oppoſitum aliqui falsò credunt, aſſerentes magis rationabile fore, conuulſionem partem, ſiue latus affectũ occupare, quàm in altera, & ſàna oriri, ea quippe ratione; quia conuulſio motus eſt non naturalis, ſed coactus lacertorum primò, deinde cerebri, vt nocentes cauſas eorum violenta contractione expellere poſſint; ergo magis credibile eſt, quòd in affecta parte, quàm in ſana, contrahatur; huiuſcemodi ratio motu epileptico corroboratur, ſiquidem in tali affectu cerebrum contrahitur, & ea omnia membra, quæ illi annexa ſunt, ſecum adducit; ſic enim epilepſia, & vniuerſalis conuulſio producitur. Alij

dicunt.

dicunt.ſi natura ſupremum ventrem panniculo illo,à Græcis diaphratondes,& à Latinis mediaſtinum, vocitato,ſeparauit,nempe, vt affecta vna parte,reliqua incolumis conſeruetur,magis cōuenit,vt cerebrū potius in læſa parte,quàm in ea,quæ non affligitur,contrahatur;ergo cōuulſio in parte vulnerata potius oriri deberet,quàm in valida & ſana:Horum opinionibus ſic reſpōdendū eſſe arbitramur; Corpora [a] noſtra,quia continuò reſoluuntur,continua etiam egent reſtauratione,& alimento,ob id natura ſagax nutrimentum in quali,& quāto proportionatum,æqualiter omnibus partibus impartiri tenetur,quæ quod ſibi propriū,ac peculiare eſt,trahunt,retinēt,& ꝓ nutritione præparāt:portio verò alimenti,quæ caput ꝓ eius nutritione petit,dum nec(vt decet)permutatur,nec aſſimilatur partibus nutriendis,quæ ex vulnere,& alijs cauſis imbecilles iam factæ ſunt,& in ſimilibus potentijs deficere videntur,ſub quadam cruditatis natura,in cerebri ſubſtātia,ſed potius in neruorum initijs,reſident.quæ cum tam magna ſit, & multæ molis,magna etiam eget alimenti copia.hæc enim cum in vulnerata ſede reperitur, partim cum magna ſpirituum copia per vulnus,ſub qualitate,& ſubſtantia ſanioſa,& partim naturæ,ac topicorum actione,inſenſibiliter abſumitur;ſiquidem in affecto loco materiæ quantitas retineri non poteſt, ſicuti in oppoſita & ſana parte,in qua dum à cauſa ſimili diuerſa,ac in maiori copia,quàm deceat,non aliena ab aliquo ſpiritu venenoſo,cerebrum,ac neruorum origo opprimuntur,quærentes ſimilem cauſam aliunde expellere,& ab illa ſe tueri,corriguntur,,& contrahuntur,ac inde membra,quæ ab eis originem ducunt, ſecum trahunt, vnde conuulſio illius lateris,quę potius more Hippocratis cum palpitando,aut concutiendo appareat,motus conuulſiuus dici poſſet.oritur etenim [b] omnis expulſio,quæ à primarijs mēbris perficitur, corrugatione,& contractione fieri ſolet;quapropter ſi faciem,aut eius partem,nempè frontis cutem,mādibulam,aut linguæ radicem conuulſam videmus,quia partes has omnes,à muſculis,à cerebro,& neruis à tertia coniugatione ortis,vires ſuſcipientibus,moueri nouimus,cerebrum ipſis ſic laborantibus affectū eſſe neceſſariò credimus.huic reſponſioni fauet notabilis illa cerebri ſeparatio,ob id quia pars non affecta,à ſimilibus cauſis moleſtata,ob prædictæ facultatis deperditæ impotentiam,eas abſumere nullo modo potens,violentia quadam,ac impetuosè mouetur,& contrahitur,& ſic ſpaſmus in ea parte producitur.ea verò,quæ ſauciata eſt,quia imbecilla,contrahi nequit,ſed repleta ea humiditate,mollis fit, & paralyſi afficitur. ob id dicebat Auicēna; [c] In vulneribus capitis peruenietibus ad panniculū cerebri,accidit laxitas in latere vulneris,& ſpaſmus in oppoſito eius.& de paralyſi rationē reddēs,ait; [d] Non elongatur, quin ea potentia,quæ noſtrum regit corpus,ſeruet naturam vnius duorum laterum capitis incolumem, purgando & expellendo materiam ad latus,quod eſt debilius,& quod eſt magis ſuſceptibile materiei primum,& cui accidit percuſsio,& ictus,& ad quod expellitur ſuperfluitas lateris cerebri, quod ipſum ſequitur;& non eſt mirandum,ſi ægritudo ſit propria vni lateri abſque alio. Natura enim præcepto ſui creatoris iam diſcernit quod eſt ſubtilius hoc,poteſt ergo & brachium,& crus lateris affecti primò paralyſi affligi;demum contraria pars,& ſana,conuulſione detineri.Porrò occurrit interdum percuſſo capite, quòd à cerebri potentia materiæ diuerſæ nocentes alibi propellantur, potiſsimum ad aliquam ſedem imbecilliorem,quæ ſui natura ſuperflua faciliùs recipere ſolet;he ſi ad oculos deuenerint,eos ſtrabos efficiēt;ſi ad os,cynicum ſpaſmum procreabunt;ſi ad ſpinę vertebras,paralyſim;ſi ad cerebri neruos, conuulſionem,quę diuerſimodè latus alterutrum moleſtare poteſt,ſemper iam orta inflammatione:at ſi epilepſia apparet,totum corpus conuulſione moleſtatur;ſi apoplexia,aut moritur æger,ſi fortis fuerit, aut vnum corporis latus mollificatione tentabitur:Hęc omnia euenire ſolēt,cerebro,ac eius partibus primario affectu laborantibus. Ad [e] caput pariter, aut ſectum,aut contuſum, veluti ad ſedem malè affectam, ac dolore moleſtatam,variæ defluunt ſuperfluitates,& craſſæ,& tenues.tenues cerebri ſubſtantiam mollem facillimè ingrediuntur,quæ dum contrahitur,& ſi fibroſa minimè ſit,ſed ratione annexorum, in cauſa eſt,vt pars ſana diſtendatur, vulnerata verò ac debilis craſſas retinet,quæ vias nutrimenti,ac ſpirituū, ſenſum,& motum illis partibus deferentium,obſtruens, mollificationem partis lęſæ,ac neruorum,quibus mouendi facultas donata eſt,gignunt.equidem ſic cerebri potentia,aut alteratur, aut corrumpitur, necnon neruorum habitudo,& operationes eorum naturales pereunt,vnde prædicta oriuntur ſymptomata: ſi verò in his humiditatibus inſignis aliqua putredo aderit,à qua vapores mali,putridi, aut venenoſi reſultent, & exitum non habeant,ac neruorum principia petant,illius partis nempe ſanę inordinatam concuſsionem,ſeu motum quēdam conuulſiuum producunt: Nonnulli autem,qui anatomē calent, dum rationem huius quęſtionis aſſignare conantur,dicunt neruos motiuos à nucha,& ſpina natos,vni lateri ſenſum,& motum deferentes,à contraria parte originem ducere,hac ratione,capite vulnerato, conuulſio in parte oppoſita vulneri,oriri contingit. Alij dicunt motum conuulſionis ſimilem eſſe motui expulſiuo ventriculi,dum,quod nocuum eſt,eijcere conatur,ſiquidem in tali motu,in oppoſitum contrahitur,nempe ſi per vomitum,in portonario;ſi per meatum ordinarium,in pyloro ſiue æſophago . Sic in conuulſis ſemper contractio oppoſitum ſitum occupare ſolet,nec propter hoc obſtat diuiſio illa,facta à natura in cerebro,quod interdum per ſe conuellitur,interdum conſortij lege,& tunc Hippocratis more,motus fit conuulſiuus.& propter hoc,in caluarię percuſsionibus,interdum ſola conuulſio, ſæpe ſola paralyſis,multoties ambo hęc accidentia,& nonnunquàm vllum videri ſolet,quod ex corporum diuerſitate,& plenitudine contingit:porrò multi,qui chirurgicam artem diu coluerunt,conuulſionem affectam partem occupaſſe, & paralyſim oppoſitam inuaſiſſe,cognouerunt. Nec Hippocrates hoc ſymptoma

a ¶ Gal.li.3.de diſſol.continua

b ¶ Gal.3. de lo. aff. cap.5. Auic. 1.3.tr.5.c.8.

c ¶ 1.3.tra.c.14.
d 2.3.cap.2.

e ¶ Gal.2.Apho com.26.5.Aph. com.2.

ſic de neceſſitate euenire pollicetur, ſed ait; [a] Pleroſque cõuulſio corripit in altera corporis parte, & frequenter, dum muſculi maſticatorij in temporibus ſiti, vulnerati fuerint, hic enim locus ferro attingi nõ debet; ſi inciſus fuerit, neruorum diſtenſio oppoſitam ſedem moleſtare ſolita eſt. & ſiquis rationem ex Hippocrate [b] aſsignare vellet, poſſet dicere. aliqui in homine reperiuntur muſculi, qui germani, & fraterni nuncupantur, ob id, quia inter ſe conſortium, & cognationem retinent, ad eundem nẽpe, & idem opus deſtinati, latentem quandam copulationem inter ſe ſeruantes, dignoſcuntur, vbi ſituati ſunt, dum affecta vna parte, altera pariter manifeſtè læditur, quemadmodum in vtroque temporum ſitu, dum capitis vulnera tractamus, euenire percipimus; muſculi enim ipſi temporales, maxillares, & maſticatorij dicti, ad dextram & ſiniſtram ſituati, ad inferioris maxillæ eleuationem facere videntur: at cum illi præciduntur, qui maxillam ab vna parte connectebant, amplius prohibere nõ poſſunt, quominus muſculi alterius partis ad ſuum initium contrahantur, quod [c] proprium eſt, ac innatum omnium muſculorum, qui ſuo fungũtur munere, dum ad hominis libitum, verſus eorum initium contrahuntur: quod cum inuitis nobis occurrit, ob alicuius inflammationis magnitudinem, aut malam qualitatem, muſculi ipſi, & nerui diſtenduntur, & conuulſi fiunt. ſic enim muſculi, qui à maxilla læſa tendebãtur, & muſculis alterius partis alligabantur, & germani erant, nõ æquè poſſunt contrariæ partis muſculos continere, ne conuellantur. meritò igitur irritati contrahuntur, & breuiores fiunt; nam validi ſunt, & robuſti: ſecus verò de oppoſitis, & vulneratis eſt, qui agendi poteſtate priuantur. ſi verò [d] vtranque ſimul partem lædi contingit, non nerui proprius, ſed in cerebro loci cuiuſpiam, à quo nerui procedunt, primus affectus eſt: quòd ſi vnus duntaxat, vel muſculus, vel neruus quoquo modo, ſiue primaria affectione, ſiue per conſenſum fuerit affectus, pars ipſa in aduerſum trahitur muſculum; nam reſoluto muſculo, qui dextram maxillę partem mouebat, ipſa ad ſiniſtram deflectitur. at ſi is, qui ſiniſtram mouet, reſoluitur, ipſa trahitur ad dextram, & in aduerſam partem deflecti contingit, quippe in ſimilibus motibus conuulſiuis, muſculi, qui integri ſunt, breues fiunt, trahentes ad ſe partes, quæ illis annectuntur: trahuntur [e] etiam interdum muſculi in ſe ipſos, non enim à ſe ipſis, ſed quieſcentes atque ocioſi, ab ijs, qui in cõtraria parte ſiti ſunt, & fiũt tenſi; ſic enim muſculis, ac neruis euenire, affirmant Hippocrates, [f] & Paulus, [g] potiſsimũ dum vna aliqua capitis pars læſa fuerit; nam ſæpe altera, & oppoſita motu aliquo conuulſiuo afficitur, & mortem vt plurimum adducit, quod ſecus in alijs corporis partibus euenire contingit. nam ſemper affecta ſedes primò inflammatur, poſtea conuulſione detinetur.

a ¶ Lib. de Cal. cu:a.
b ¶ Libr. 2. & 3. de art.
c. ¶ Hipp. lib. 1. de fract. Gal. lib. de motu muſ. & com. 1. & 3. de arti.
d ¶ Galen. 4. de not. loc. aff. c. 4.
e ¶ Gal. cõ. 3. de fract.
f ¶ Lib. 3. de articulis.
g ¶ 1. 3. cap. 18.

DE PARALYSI.

A Cauſis internis, & externis læſo craneo, aut poſt eius ſalutem, in aliqua corporis parte, præſertim in ea, quæ vnà cum vulnere conſortium tenet, mollificatio, quam Græci paralyſim vocant, oriri ſolet, & eſt magna neruorum reſolutio, quæ partem quampiam, non autem corpus totũ infeſtat, & differt [h] in hoc ab apoplexia; nam in apoplexia ex nocumento iam in neruorũ principio contracto, omnes corporis partes & motum, & ſenſum amittunt, diaphragmate excepto; in paralyſi alterum corporis latus, aut dextrum, aut ſiniſtrum, motum tantummodo deperdit, & vniuerſalis paralyſis vocitatur: cum verò hic affectus vnam tantùm particulam læſerit (nempe manum, pedem, aut linguam) particularis paralyſis nuncupatur: paralyſis [i] ergo ea eſt, cum motus tantùm alicuius partis deperditur: ab intranea [k] etiam cauſa paralyſis gignitur, dum materiæ multæ, craſſæ, & viſcidæ neruorum corpora replent, & animalem facultatem, quæ à cerebro oritur, ad reſolutas ſedes tranſire prohibent. quod ſic aduenit in meningarum compreſsione: quare [l] in percuſsis, aut fracta caluaria, dum ea meninx opprimitur, etiam primis diebus hoc ſymptoma apparere ſolet, ob id dicebat Auicenna; [m] Et quãdoque fit ex compreſsione vehementi paralyſis, ſicut accidit à percuſsione, aut caſu; interdum ex inflammatione, quæ neruorum principio, aut ramis occurrit. quod ſæpiſsimè videre ſoliti ſumus, dum caluariæ fracturas curamus. Paralyſis à procatarctica ſimili cauſa orta ſanari poteſt, ea ſiquidem ablata, ſed ab interna, & materiali aut nunquam, aut ſerò, & magna cum difficultate in his, qui ſenio confecti ſunt, pauco præditi calore, qui omnium opifex eſt: nihilominus dicebat Raſis; [n] ſi paralyſis ex percuſſione, aut caſu euenerit ſubito, taliter permanebit, quòd nunquam ſanabitur; quòd ſi non repentè, ſed paulatim, & molliter inuaſerit, ſanitati reſtituetur: quod Romæ Galeno [o] euenit, dũ Pauſaniam ſophiſtam Syriacum curaret: qui, cùm è curriculo ceciderit, vniuſque manus duorum digitorum amiſerit ſenſum & motum, ſanatus eſt: & ea paralyſis non ſanatur, ait Paulus, [p] quæ à nerui diuiſione orta eſt. Cum igitur ex compreſsione, aut punctura meningarum aliqua gignitur mollificatio, tolli poteſt, ſubleuato, aut detracto oſſe; quæ autem ab inflammatione, & humorum copia initium ducit, opportuna euacuatione, & omni diuerſionum genere regatur. quæ autem contracta cicatrice, reſident, opportunis indicationibus; quę ex humorum multitudine, conuenienti euacuatione: ſi omnia membra reſoluta ſunt, ait Celſus, [q] ſanguinis detractio vel occidit, vel liberat. aliud curationis genus vix vnquam ſanitatem reſtituit, ſæpè mortem tantùm differt, vitam interim infeſtat: poſt ſanguinis miſsionem ſi non redit & motus, & mens, nihil ſpei ſupereſt, ſed particularis mollificatio, cum acutus morbus non ſit, interdum curam admittit. mittatur igitur ſanguis in hac paſsione, ſi expedit, & ſi pituitæ copia abundauerit, eam commodè euacuant pilulæ cochiæ, fœtidæ Arabicè, & aſſaieret, cum agarico: verùm

h ¶ Cel. lib. 3. c. 27. Gal. 3. de lo. aff. ca. 10. Paul. libro. 3. cap. 18. Auic. 2. 3. tra. 5. cap. 12.
i ¶ Gal. 1. de cau. ſympt. cap. 4. 4. eiuſdem cap. 2. & 3. de loc. aff. cap. 10.
k ¶ Gal. libr. de atrabile. cap.
l Gal. 4. de cau. ſympt.
m ¶ 2. 3. Doct. 2. cap. 2. de par.
n ¶ 9. ad Alm. cap. 7.
o ¶ 3. de loc. aff. cap. 10.
p ¶ Lib. 3. c. 18.
q ¶ Lib. 3. c. 29.

verùm,ſi hic euacuandi modus non expedit , clyſteres ſummè probantur,quæ ſic parantur . Recip.maluæ, altheæ, mercurialis , ſaluiæ,betonicæ,iuæ, ſtœchadis an.m.s. bulliant in communi aqua, donec tertia pars comſumpta fuerit , Recip. prædicti decocti vnc.x.electuarij de benedictis vnc. v. indi drag. iij. mellis crudi,olei rutacei,laurini an.vnc.j.ſalis drag.ij. ouorum vitellos nu.ij. miſce, & fiat clyſter, cuius vſus alternis diebus,& ſummo mane laudatur.occipitium , vertebra,ac adenoſæ partes oleo liliorum , irino, de ſpica,& ſimili calido foueantur;aut Recip. olea prædicta,& adde maſticinum,camomellinum, ex lumbricibus an.vnc.j.euphorbij,caſtorei,an.drag.j.miſce,& aliquantiſper bulliant,& vtere.probantur fomenta ex decocto ſa luiæ,ſanſuci,camomillę,hypericonis,ſtœcados,iuæ,& betonicæ,in vino albo potenti, quo expleto, inunctio fiat ex prædictis oleis,aut fortioribus , quale eſt coſtinum,vulpinum , laurinum,de euphorbio,de lateribus, quod oleum philoſophorum appellant , aut cum vnguēto martiaton , aragon,agrippę, & ſimili.adhuc mirabile illud medicamentum eſt,quod Meſue annotauit capite de paſſionibus cordis,& nos,vbi de cura vulnerum neruorum , in fine illud deſcripſimus. laudantur apophlegmatiſmata,& caputpurgia poſt vniuerſales euacuationes; pariter & antidotum theriaca antiqua , aut Mitridatum, aut area Alexandrina,aut diamuſcus,aut roſata nouella,aut cōſerua illa de acoribus. Hæc de inueterata paralyſi dicta ſint.fracta tamen caluaria , ſi vnà cum malis indicijs fuerit , nempè rigoribus,febre,vomitu,& ſimilibus , internam inflammationem confirmatam indicat, & mortem . Paraliticorum victus ratio ſicca ſit,potus aqua mellis,& ſaluiæ : vt autem [a] cauſa concoquatur , valet ſyrupus de betonica, de ſtœchade, & rhodomel: ſi verò diu perdurauerit hoc ſymptoma,ea probantur medicamēta,quæ acopa à medicis vocantur . Interdum motus, interdum ſenſus in paralyſi deperditur , quod aut ratione ſedis affectæ,aut magnitudine inflammationis,aut natura obſtructionis aduenire ſolet.

a ¶Gal.1.Aph. com.24.3.Aph com.16. Auic. 4.1.cap.3.

DE APOPLEXIA.

MVLTOTIES ex caſu,aut percuſione virtus motiua,& ſenſitiua omnium corporis partium deperditur,diaphragmate excepto; Symptoma à medicis [b] aut apoplexia , aut morbus attonitus vocitatum;porro quandò commune principium neruorum affectum eſt,atque omnes corporis particulę mótum ſimul & ſenſum amiſerint,apoplecticus morbus appellatur; accidit principalibus animi functionibus oblæſis : ſi autem in altera corporis parte obſtructio oborta fuerit, Hemiplexia,ſiuè paralyſis nominatur ; ſi vnam quandam particulam occupauerit , illius particulę affectio dicetur,ex nocumento in principali animę contracto, prę ſertim in ventriculis cerebri,vbi animę functiones celebrātur, aut à compreſsione,aut punctura,aut vehementi inflammatione; vnde [c] qui ita ſunt affecti,neque ſenſu, neque motionis munere funguntur : ſpirandi tamen facultas haudquaquàm lęditur,& hic affectus interdum caros,ſiuè ſopor vocatur: ſi verò adeò vehementer ſpirationem opprimat,vt quis vel magno conatu vix ſpirare poſsit, eorum exemplo , qui per grauem ſomnum ſtertere ſolent , apoplexia nominatur; quę,[d] ſi fortis fuerit,curationem non admittit; debilis verò non facilem. & ea fortis eſt , [e] quæ inſpirationem prohibet , & cordis temperamentum corrumpit. Cum igitur fracta caluaria ocioſum hoc ſymptoma apparuerit,& cauſa in propatulo fuerit , tollatur.nam dictum eſt à Principe, [f] Compreſsio, aut punctura , quæ ab oſſe in meningis fit , inflammationes , conuulſiones , & apoplexias inducit. extracto poſtmodum oſſe , illicò redit ſenſus , & motus; nec vt id natura faciat,expectare óportet, ſed medici diligentia,& optima chirurgia: ſi autem humore pituitoſo , ac viſcido ventriculis cerebri oppletis, id euenerit,& nihil obſtet, à cephalica vena ſanguis mittatur. poſtea,ſi decet, ab hęmorrhoidibus; verūtamen ſi omnia membra vehementer reſoluta ſunt , ſanguinis detractio vel occidit , vel liberat . quare ſi alia expedit euacuatio , quæ raró ob patientis impotentiam , & imbecillitatem admittitur, tunc clyſteres probantur, quæ à capite craſſos humores reuellant, veluti Recip. fumariæ,epithimi,thymi,ſenæ, polipodij an.m.j. pulpę coloquintidæ, corticum agarici,turbit an. drag.s. ſtæchadis,ſampſuci , ſaluiæ, betonicæ,acori,glycirricæ an.m.s.florum camomillæ m.ij.aquæ clarę lib.x. bulliant, donec aquę medietas conſumpta fuerit,& facta forti expreſsione,Recip.prædicti decocti vnc.x. Hieræ picræ vnc.s. electuarij diaſenæ drac. vj. Zucchari rubei,olei anethini, camomellini an.vnc.s. ſalis gemmę, drag.4. ouorum vitellos nu.ij. miſce & fiat clyſtere.vſus glandium commendatur, extremis etiam partibus ligaturę, & frictiones vehementes : ſinapiſmus quoque, ſiue emplaſtra rubificantia , quæ à recentioribus veſicatoria vocantur.& quia ſæpe apoplexia in paralyſim terminatur , aut debiliorem diſpoſitionem,nec ex toto conualeſcunt, qui ſunt ſic affecti, & ſi tale diſcrimen effugiunt,ſubinde in quandam diuturnā paſſionem incidunt,aut quorundam membrorum,aut totius corporis, potiſsimum in verborum prolatione: pro curatione verò,ea ſeruanda ſunt, quę ſuperius deſcripſimus.

b. Hipp.3. Aph. 16.Cel.lib.3 c. 27.Gal.3.de lo. aff.c.10.2.Aph. com.42. Aet. li. 6.cap.27. Paul. lib.3.c.18. Aui. 1.3.tr.5.cap.24 & cap.de fract. cra.

c ¶Gal.4 de lo. aff.cap.2.

d Hipp.2. Aph. 42.

e ¶Gal.3.de lo. aff.cap.10. & 2. Apho.com.42.

f ¶5.4.c. de fract.cra.

DE EPILEPSIA.

RARÒ, ſed interdum,percuſſa caluaria, ac cerebro patiente,quoddam ſymptoma apparere ſolet,quod medici Græci epilepſiam,& Latini morbum comitialem, ſacrum,herculeum; & caducum vocant : conuulſio quippe interpolata eſt,in qua ſenſus,& motus vitiatur, & eius cauſa leuis quędam ventriculorum cerebri obſtructio eſt,ſed non ex toto,quæ hominem ſtare prohibet, ſed repentinè cadit,& quia ſpiritus difficulter ab aſpera arteria exſufflatur , ſpuma ab ore emanat, nec diu

ſymptoma perdurare ſolet,& patientes ex ſe ſurgunt.Nos verò talẽ affectum ſemel tantùm inter curandum vidimus.multoties verò cum contracta iam cicatrice inſpeximus,vt Feltriæ cuidam puellæ euenit, quæ poſt à vulnere recuperatam ſanitatem,tranſactis quatuor menſibus, à tali ſymptomate diu vexata fuit,& tandem conualuit.Credunt aliqui,quòd & ſi vulnerati cadunt,conuellantur,cinici fiant,ſpumam emittant,fœces,& lotium inuoluntariè expurgent:nihilominus veri epileptici non ſunt,ſed motibus epilepticis moleſtantur.ſiquidem,dũ quàmplurimæ materiæ à vulnere perpetuò expurgantur,epilepſia fieri nequit.Curatur hoc ſymptoma,ſi à manifeſta prouenerit cauſa;ea remota,& ſi ventriculorũ cerebri oppilatiua cauſa eſt ex craſſorũ humorũ copia,& diu permanſerit,iiſdem indicationibus,quibus apoplexia, & conuulſio,ſanatur.

DE VVLNERIS SICCITATE.

VLNERVM ſiccitas poſt quartam,aut ſeptimam diem,& vltra permanens, ideſt in vulnere nulla concoctione apparente,ſæuis accidentibus eam comitantibus,indicium mali pręſagij eſt.nam dicebat Galenus; [a] Multoties vulnerum ſiccitas,ob imbecillitatem illius potentiæ,quæ noſtrum regit corpus,ac ipſum alit,prouenire ſolet.ſiquidem dictum eſt,[b] ſuppurare maximum eſt vlceris ſignum ad ſecuritatẽ.nihil enim mali vlceri pus generanti aduenire poteſt;nã [c] vlcus,ſiue antea extitit, ſiue exiſtat in morbo,conſiderandum eſt.ſi enim moriturus eſt æger,antè mortem aut liuidum,aut pallidum,aut ſiccum erit.Siccum ſic redditur,quoties facultas nutriens languida fuerit, color permutatur ex humorũ, ad vlcus aſcendentium,prauitate.quod affirmat Hippocrates,dum ait; [d] In oſſe ægrotãte caro liuida malum,quæ oſsiũ malas indicat qualitates, extincto in ea carne innato calore. dictum eſt ab Hippocrate; [e] Si in vulneribus prauis,& fortibus exiſtentibus tumor non apparet,ingens malum; quippè ſuſpicandum eſt,ne humores ad locum affectum defluentes,ad nobiliora retrocedant,& magis verendum eſt,ſi dolor adfuerit,& propter ipſum omnino aliquid influat:porrò vulnera laxa(id eſt optima ſanie prædita) bona ſunt,ſicca verò mala:Nimis intumeſcere vulnus,ait Celſus [f] periculoſum;nihil intumeſcere periculoſiſsimum;illud indicium eſt magnæ inflammationis,hoc emortui corporis.Detecto igitur vulnere,color primò conſideretur; quòd ſi liuidus,aut pallidus,aut niger,aut varius apparuerit, ſcire licet malum vulnus eſſe. Vulnerum ſiccitatis cauſæ variæ ſunt,nempè meningarum,aut cerebri inflammatio,circa quam innatus concentratur calor,& vulnus ab eo deſtitutum ſiccum redditur.febris ardens aſsidua,& naturalẽ,& aduentitiam humiditatem exſiccare ſolet.idem facit eryſipelas,quod vulneratas partes obſidet: medicamen validum in ſiccitate,aer ambiens valdè ſiccus,nutrimenti penuria,& fames lõga(potiſsimùm in his, qui eam tolerare nequeunt)vulnus ſiccum faciunt.Si ergò fracta caluaria,aliquibus tranſactis diebus,vulnus exſiccatur,& cauſa manifeſta fuerit,abſumatur;ſi verò non,indicatione à ſiccitate ſumpta,humectatio cura erit,nempe à propinquioribus locis ad vulnus conueniens nutrimentum attrahendo , quod mẽbri diſcraſiam alterare poſsit.quare olei roſati continua infuſio probatur,aut vitellus oui cũ roſaceo,aut terebinthina cũ oui vitello,& modico olei roſati.caput etiã totum foueatur decocto maluarũ,camomillæ,betonicæ,violarum,& fœnugræci,nec his operationibus obſtat febris,aut inflãmatio aliqua exterior. quæcunque igitur,,ac qualiſcunque cauſa fuerit,ad ſuum contrarium alteretur:ſi autem abſcondita,vulneratus de neceſſitate moritur.

a ¶ 1. prognoſt. cap.25.
b ¶ Gal. 5. Aph. com.22.
c ¶ Hipp. li. de Coac. prænot. & 1.Præſag.25.
d ¶ 7.Aph.2.
e ¶ 2. de morb. popu.lib.de Vlceribus. & 5.Aphor.66.
f ¶ Libro.5. vbi de rat. vict. vulneratorum.

DE MEMBRANA DENIGRATA.

SI membrana ſubcingens denigratur(quemadmodum poſt empiricas operationes contingere ſolet)malum indicium eſt,laceratur interdum,poſtmodum putreſcit,aut præceſſa inflammatione corrumpitur:cui quàmplurima mala ſubſequuntur ſymptomata,& ob id timere,ac de patientis ſalute nihil ſperare,dignum eſt;atque magis,ſi nigredo ad externam vſque oculi tunicam,abſque procatarctica cauſa terminauerit,talis ſiquidem à dura meninga originem ducit:hoc ſymptoma innati caloris, & membranæ maximam corruptionem,ac eius deſtructionẽ, aut quòd gangræna afficiatur, declarat.ſolet etiam à topicorum natura, & operatione hoc euenire,& ea nigredo ab eius leuitate,& facili remotione dignoſcitur,nullo aſſociante ſymptomate.tollitur hic color ſola ſyrupi, aut mellis roſati applicatione, & ſi tenuis fuerit,pro dimidio roſaceum adhibeatur:at ſi ratione frigiditatis medicaminum, aut ambientis hoc euenerit(quod ex temporis longitudine dignoſcitur;nam tranſacta etiam quarta,nigredo apparere ſolet,quod à ſola contuſione non occurrit)tunc enim,quæ temperatè calefaciunt,adhibẽda ſunt; veluti eſt ſanguis columbinus,aut Turturis,calidus,addito rodomelle, aut oleum abietinum cum melle ipſo roſaceo,aut oleum terebinthinæ ſtillaticium:ac vulnus replendum eſt puluere cephalico,& ſuperaddito emplaſtro de betonica,aut de gumma elemi nardino ſoluto,caput faſcijs opportunis auoluatur, & calidis foueatur:ſi autem aut ſanguis conglobatus,aut materia aliqua viſcida id fecerit, oxymellite, roſaceo admixto,abſtergatur:at ſi contuſio,aut compreſsio nigredinem duxerit,eam abſumit rhodomellis pars vna,granę finiſſimæ,& aloes puluerizati pars media, miſce:cumque aut malus aer, aut praua chirurgi adminiſtratio, aut inflammatio profundam nigredinem effecerit,nec rhodomellis,aut oxymellis auxĩlio tollitur,morbus extremus iudicatur,& extremis eget remedijs,& tunc Iſide medicamento vti non ab re fuerit,quod,detecta membrana,ab antiquis vſui ſeruabatur;nos verò in hac re non raró Iſin Tere-

binthina,

binthina,aut oleo ex Terebinthina admixtum experti ſumus,interdum & ægyptiacum addidimus,felici quippè ſucceſſu,nempè Recip.olei abietini vnc.j.rhodomellis vnc.s.vnguenti ęgyptiaci deſcriptione Aui cennę drag.ij.miſce.tale enim paratur ex melle,Ziniar,alumine liquido,ſine aceto.ſoliti ſumus etiam ſo-lo ægyptiaco nigredinem cum fœtore abſumere;interdum etiam hydrargiro præparato,quod pręcipita tum vocant, vti auſi fuimus. ſi autem hæc non proſunt, fugere licet, & ægrotum presbyteris commendare.

DIGRESSIO.

POST caluariæ perforationem,membrana intacta,colorem,& motum naturalem ſeruare ſolet, poſtmodùm eo amiſſo,amplius non mouetur,nec ob id aliud ſymptoma innouatur;paucis po-ſtea peractis diebus,ſuperficies eius alba,& tenuis admodum ſquammas facere incipit,& pellicula quædam prætenuis araneę modo eleuatur,& inde noua caro oriri inchoat;res quippe admiratione digna; ſiquidem pars ſubſtantiæ ipſius membranæ eſt,& mẽbrana conuulnerata rarò ſanatur;nec adhuc apud antiquos ſcriptores de hoc vllum verbum legere potuimus,nec aliam rationem huius affectus aſſignari poſſe,opinamur,præter eam,qua & cranij oſſa ſquammas ſeparant,& emittunt,nempe aeris actionem,aut variorum localium applicationem,& alia,quæ oſsium naturis aduerſantur,aut quia contuſione aliqua fuerint vexata,& pars ſuperficialis moritur,& ab humido ſuo proprio & elementari derelicta,aut carne ſubnaſcente relaxatur,& à reliquo oſſe,quod alterationem non nouit,ſéparatur,& in piſciū ſquãmarum effigiem exit,aliquantiſper colore alterata.pariter cum id duræ matri euenerit,chirurgum in hac curatione non exercitatum,timẽtem reddit,ne pellicula illa corrumpatur,aut mala temperie afficiatur: attamen ex ſe ſolùm ſuperficies illa dimouetur,aut tantùm rhodomellis auxilio;ſi non autem,Recip. Terebinthinæ claræ,vino albo lotæ vnc.ij.rhodomellis,aquæ vitæ,farinæ hordei cribratæ an.vnc.j.myrrhę, aloes,granæ,ſacchari fini an.drag.ij.miſce,& vtere, donec membrana pura moueatur,ac ſui coloris apparuerit;inde ea adhibeantur,quæ ſeruata methodo,alijs capitis vulneribus opitulantur.Solet interdum in hac ſequeſtratione fætor quidam apparere,de quo dubitandū non eſt,niſi alterum aderit prauū ſymptoma;nam in exteriori ſuperficie affectus tantùm reperitur.oſſa caluariæ præterea,poſtquam color vulneris ruffus,aut ſubliuidus apparet,nimirum calore eius innato ex toto deficiente,corrumpi incipiunt: iure igitur,cum caro liuida efficitur,oſſa ægrotan‹t›,teſte Hippocrate,[a] & nigra fiunt,inde cinericea,& acri humore exaſperantur:nigreſcit autem quod album erat ob ingentem inflammationis calorem, ac deinde, cùm iam purulentum eſt,pallet,vel album efficitur,huiuſcemodi enim eſt color ſaniei;tale quid lignis euenire videtur, cùm vruntur,ab igne enim primò nigra fiūt,deinde in cinerem verſa,albeſcunt. Hoc etiam in oſſe reſpondet,cùm alieno calore primò nigreſcat,deinde ſubpallidum, vel ſubalbidum fiat:huic denique ſymptomati ſequuntur puſtulæ quamplurimæ in lingua,& æger mente non conſtare videtur: puſtulas ſimiles huius ætatis chirurgi rarò viderunt,vt qui cubantis linguam non intueantur, pręſertim cum deliret,& prope mortem ſit conſtitutus:lingua ſic afficitur conſortij lege,quę eſt inter cerebrum,& oris partes;ſanies enim acuta[b] à cerebro,in quo eius maxima reperitur copia,à qua opprimitur,ad palatum, & linguam defluit,ibiq́;reſidens,cum acris ſit,puſtulas excitat, varis ſimiles, quę(vt ait Celſus)[c] cum rũpantur intus,quaſi caro exulcerata conſpicitur.Hęc igitur mala,ſi craneo fracto ſuperueniunt, ad vltimũ ventum eſſe,teſtantur.

a ¶ 7. Aphor. 2.

b ¶ Hipp. lib. 2. de tumor. pop

c ¶ Lib. 8. c. 4.

DE CARNE AVCTA.

VVLNERE carne repleto, illa interdū mollis,& ſpongioſa augeri ita ſolet,quòd de genere morbi in quantitate eſt, ſalubris tamen,quia tantùm cicatricem gigni prohibet: prouenit multoties ex nimia nutrimenti copia, aut ex nimia topicorum humiditate,aut ex tarda medicatura, aut ex abſterſione diminuta.Hæc adaucta caro,quam Hyperſarcoſin Græci vocant, interdum indicatione ſumpta à natura ſedis affectæ,& à temperatura totius,ſolo alumine rochæ cõbuſto,aut zuccharino abſumitur;aliquando hermodactilorum,aut ariſtolochiæ,aut ſpongiæ nouę aduſtæ,aut cucurbitę aduſtę puluere tollitur: validiora verò medicamenta ſunt,calcitis,& Miſi,aut ęris ſquamma pręparata: metallica etiam quàmplurima lota,aduſta,& pręparata; vnguenta etiam multa,ſi res poſtulat,ahhiberi poſſent,cauendo,ne aliqua ſequantur incommoda,ob id nõ ſemper probantur,niſi in durioribus & defaticatis corporibus,vt Iſis,ceraſeos, cauterij, ęgyptiacum,& ſimilia.victus tenuis etiā in hoc conferre videtur;ob id alimenta ſubtrahenda ſunt,ac aliunde frictionibus reuellenda.

d Hipp. libr. de Vlceribus Cel. lib. 5. ca. 26. Gal. 3. meth. c. 4. & 4. de com. med. ſecandū gener.

Solet interdum caro ſuper internam membranam adeò augeri, quòd omnium humiditatum ſub craneo exiſtentium, liber exitus prohibetur,nec ibi commodè medicamenta adhibentur;quare Medici intereſt,in hac re diligentiam adhibere,& [d] ea medicamenta tunc probantur,quæ abſque vlla mordicatione probè ſiccant,& in hac [e] operatione(ſicuti in carnis productione)naturæ opus expectare non licet,ſiquidem aduerſæ admodū actiones ſunt;auxilia verò,quæ huic operi adaptantur,à filamẽtis lineis, albis, & ſiccis, aut ab hermodactilis puluerizatis,aut coralijs albis,& rubeis,aut raued ſeni puluerizato,aut alumine aduſto petuntur.Infeſtantur adhuc capitis vulnera varijs alijs ſymptomatibus, dum in eo inflammatio aliqua oritur,aut iā orta eſt,nempè oculorum dolore,oris diſtorſione,ſyncopa,ſtupore,diarrhęa,

e ¶ Gal. 5. meth cap. 1. & 5. Kata geni.

vigiliarum inſtantia, oſsium nigredine, & ſimilibus, quę optimo victus regimine, opportunis euacuationibus, & naturæ auxilio dimoueri ſolent. ſcire etiam licet, quòd hi, qui morbo gallico affecti ſunt, non niſi magno labore à vulneribus capitis liberantur, quòd longo experimento à nobis obſeruatum eſt; nec interdùm, niſi auxilio Guaiaci, aut Zarzæ parillæ ſanitati reſtituuntur. Hæc ad omnipotentis Dei laudem, ac hominum vtilitatem in materia de caluariæ curatione dicta ſufficiant.

De vſitatis medicinis in fractæ caluariæ curatione. Cap. XVI.

IN hoc capite, perindè ac ſi huius libri antidotarium eſſet, quàmplurima medicamenta Chirurgo opportuna, ac perpetuo vſui ſeruanda deſcribere intendimus, vt indicationes omnes à morbi eſſentia ſelectas tutò, ac celeriter adimplere valeat; quorum aliqua ex antiquis, & multa ex recentioribus accepimus.

VT SANGVIS COHIBEATVR.

1 Digiti diuturna compreſsio.
2 Araneorum tela.
3 Xylum aduſtum.
4 Filamenta ex lino, minuta, & ſicca.
5 Fermentum aridum aduſtum pulueriƶatum.
6 Oui albumen contuſum.
7 Oui albumen cum aceto, & vino nigro auſtero.
8 Oui albumen cum aloe, boloarmeno, & draconis ſanguine.
9 Oui albumen cum aloe, olibano, leporum pilis moliſsimis, ac tenuiſsimè inciſis.
10 Gipſum, aloes, farina volatilis, & ſanguis draconis.
11 Calx viua cùm ſtercore aſinino aduſto.
12 Actuale cauterium, id eſt ignis, quod diuerſimodè adminiſtratur.

SANGVINIS miſsio per antiſpaſin, id eſt per reuulſionem ad longinqua, potiſsimum remedium eſt; remeat ſanguinem animi deliquium, extremarũ frictiones, laqueationes, & balnea, oppurtuna deligatio, ac cõmoda compreſsio, & venæ orificij obturatio: obturãt digiti appoſitio, ſplenia ex lana, ex bõbice, ex ſtupa, aut ex pilis leporinis tenuiſsimis, potiſsimum faſcię ſuper vulneris orificium pluries auolutæ, venę ſutura, aut laqueatio, aut eius totalis inciſio.

VT FLVXIONES INHIBEANTVR.

1 Oleum roſatum maturum.
2 Oleum roſatum crudum.
3 Oleum violatum.
4 Oleum myrtinum.
5 Oleum menupharinum.
6 Acetum roſatum.
7 Oleum violatum cum vnguento roſato Meſues.
8 Oleum roſatum omphacinum cum boloarmeno.

MEDICAMENTA omnia, quæ Gręcè apocruſtica, & Latinè inhibitiua, aut defenſiua dicũtur, illi parti adhibenda ſunt, per quam fluxionis fit tranſitus. nam dictum eſt in Aphoriſmis; Frigidis vti cõuenit, vbi ſanguis fluit, aut fluxurus eſt, nõ in vulnere, ſed in regione ſupra vulnus, vbi nerui, aut neruoſæ partes ſunt affectæ, ob id in capite eorum vſus raro probatur.

VT VVLNVS PRAEPARETVR.

1 Oleum roſatum completum.
2 Oui luteum cum oleo roſato.
3 Terebinthina cum vitello oui, & roſaceo.
4 Recip. ſepi caſtrati colati vnc. ij. Terebinthinæ claræ vnc. j. vitellos ouorum nu. j. olei roſati vnc. s. croci, ſcrup. j. s. corticum thuris drag. ij. miſce.

VSVS horum digeſtiuorum diem ſeptimam raro excedit, ſed ſat fuerit, donec optima apparuerit cõcoctio, probatur nempè in crudis, aut dolore affectis vulneribus, ſed potiſsimùm in contuſis.

VT ABSTERSIO PERFICIATVR.

1 Mel violatum.
2 Syrupus roſatus.
3 Mel roſatum.
4 Oleum de vitellis ouorum.

5 Oleum

5 Oleum de Terebinthina.
6 Terebinthina cum farina hordei,& rhodomelle.
7 Emplaſtrum Iſis Gliconis.
8 Emplaſtrum cераſeos Meſue.
9 Vnguentum ægyptiacum minus.

Raro admodum, præterquam rhodomel, cętera medicamenta fracto craneo probantur; vrgente tamen neceſſitate, vt de membrana denigrata dictum eſt, validioribus egemus remedijs.

VT NOVA CARO PRODVCATVR.

1 Irios, farina orobi, ariſtolochia, opopanax.
2 Irios, farina orobi, ariſtolochia, opopanax, thuris cortices. Gal. 6.
3 Irios, farina orobi, ariſtolochia, opopanax, thus, aloes,& myrrha. Gal. 3. metg. c. 6 Paul. 1 meth. c. 2
4 Aloes, myrrha, olibanum, ſanguis draconis, corallia rubea. Raſis ib. 3. c. 13.
5 Aloes, myrrha, olibanum, ſanguis draconis. cap. 27. ad Alm. Aui 7.
6 Irios, farina orobi, ariſtolochia, olibanum, corticum radicum opopanacis, myrrha, ſarcocolla, ſanguis draconis. vlt. c. 4. 4. tr. ca. Au

Mvtla medicamenta, quæ arida cephalica ſarcotica (id eſt carnem inducentia) vocantur, apud antiquos reperiuntur, quę ad requiſitas indicationes variè parantur; ſiquidem hominum varię ſunt habitudines, ætates,& exercitia, ac viuendi modus,& ſexus: porrò in mollibus corporibus, nempe puerorum, mulierum,& eorum, qui vitam ocio degunt, ea conueniunt medicamenta, quæ primum ordinem exſiccationis non multum tranſgrediuntur; in meſſoribus verò, militibus, nautis,& in his, qui ſenio ſunt confecti, aut ſub dio,& Sole viuunt, quæ valenter exſiccant, opportuna iudicantur: ſiquidem ad oſſa denudata pinguium,& eorum, quę ad tingenda linamenta parantur, vſum vitamus,& ſiccis tantùm vtimur. craic. ca. de fra. Ce. prl. li. 5. ca. pro. Gio. nial. 5. Katage. d. Aet. li 14. c. 35. aul. li. 6. ca. 13.

VT CICATRIX INDVCATVR.

1 Pini cortex, cadmia, puluis balauſtiarum.
2 Conchilium cortices aduſti, gallarum puluis, aloes,& pompholix. Gal. 5. de com. med. in gen.
3 Pumex aduſta, ariſtolochia, reſina ſicca,& irios.
4 Myrtus, mirabolani, alumen rochæ,& cadmia.
5 Tripharmacum, diapalma, diacadmias, diaoſtreon, diaaloe, melitera,& cera tum de betonica.

Qvam plurima medicamenta epulotica, quæ arida cephalica ſigillatiua nominantur, ab antiquis deſcripta reperiuntur, quę pariter ſecundùm corporum diuerſitatem, cõmodè adhiberi poſſunt. Celſ. li. 5. Gal 4.& 5. Katageni. Paul. lib. 7. Lucius Catagetes.

ANODYNA, IDEST DOLORES SEDANTIA.

1 Oleum roſatum maturum, omnes dolores emulcet, digerit, mollit,& diſcutit. Aſclepiades.
2 Oleum roſatum completum, cruda vulnera præparat, dolores tollit,& coniunctas materias diſcutiendo abſumit. Triphon Chirurgus. Galenus.
3 Oleum roſatum omphacinum, fluxiones prohibet, inflãmationes remouet,& dolores ſedat. Meſues.
4 Oleum violatũ, eryſipelas remittit, mollit,& omnes inflãmationes extinguit. Galenus. Nicolaus.
5 Oleum amygdalarũ dulciũ, parotidas abſumit, auriũ ſibilationes remouet,& oẽs durities mollit. Actuarius.
6 Oleum myrtinum, temperatè repercutit,& laxa membra corroborat. Nicolaus.
7 Oleum camomellinum, lenit, diſcutit,& ſine attractione omnes dolores remittere ſolet. Auicenna.
8 Oleum de vitellis ouorum, dolores tollit, vulnera expurgat,& cicatrices delet. Meſues.
9 Oleum de Terehenthina, tremoribus,& conuulſionibus mirabiliter auxiliatur,& cerebrum à corruptione præſeruat. Author.
10 Oleum de lumbricibus, durities neruorum mollit, ac artuum prauos ſenſus demit. Nicolaus.

Rarò,& ferè nunquàm in capitis lęſionibus (præterquàm in temporibus, aut magnis contuſionibus, aut inflammationibus) dolores occurrunt; & ſi accidunt, aut futuram inflãmationem, aut conuulſionem prænuntiant; quare decet omni modo illis vacare,& malas temperaturas remittere, ne ſui actione materiæ aliunde ad caput trahantur.

EMPLASTRA CEPHALICA MODERNIORVM de matreſylua.

Commune.

Recip. ſucci foliorum periclymenonis, quam iſti matriſſyluam vocant, olei communis an. vnc. vj. reſinę pini, terebinthinæ claræ an. vnc. iij. bulliant omnia vſque ad ſucci cõſumptionem,& adde ceræ vnc. iij. miſce,& ſecundùm artem fiat vnguentum.

ALTER MODVS.

Recip. ſepi caſtrati colati vnc. vj. olei roſati, myrtini an. vnc. ij. pulueris betonicæ, matriſſyluæ an. vnc. j. olibani, maſticis, ſarcocollæ an. vnc. ſ. terebinthinæ claræ, ceræ an. vnc. ij. miſce,& fiat vnguentum.

ALTER

ALTER MODVS.

Ex Petro de Argellata. Recip. matriſſylułę m. iiij. decoquantur in vino, donec medietas conſumpta fuerit, & cola cum forti expreſſione, & adde ceræ, olei roſati an. q. s. iterum bulliant, donec ex toto vinum conſumptum fuerit, miſce.

ALTER MODVS.

Ex Iacobo Carpenſi. Recip. reſinę, terebinthinę, reſinę pini, cerę nouæ an. vnc. iiij. olei roſati boni vnc. viij. matriſſyluæ, betonicę, pimpinellæ. an. m. ij. herbę minutī incidātur, & in lib. x. vini albi p̄ horas vigintiquatuor marceſcant, inde bulliant, vſquequò conſumpta fuerit vini medietas; cola, & frigeſcat, ac denuò quod percolatū eſt, bulliat vnà cum reſinis, & cera, donec vinum defecerit, & cola, & adde maſticis, olibani, myrrhæ, ſanguinis draconis an. vnc. s. gummi elemi vnc. ij. inde omnia miſce, donec perfectum acquiſierit corpus, & ſic dimittatur.

ALTER MODVS.

Ex Nicolao Floren. Recip. Verbenæ, matriſſyluæ, pimpinellæ, betonicæ, ſcabioſæ, an. m. ij. bulliant in vino optimo ad eius mediam conſumptionem, & adde terebinthinæ, olei roſati an. vnc. iiij. iterum bulliant ad vini conſumptionem, & cola, & adde ceræ, gummi elemi, reſinæ albæ an. vnc. ij. myrrhæ, olibani, ſarcocollæ an. vnc. iij. iridis, ariſtolochiæ an. drag. ij. maſticis, ſandalorum, draganti an. drag. j. miſce, & ſecundùm artē fiat vnguentum.

MOBVS, QVO VTIMVR.

Recip. Verbenæ, betonicæ, matriſſyluæ, diptami, conſolidæ maioris, & minoris, lanceolæ, milleſolij, pimpinellæ, ſcabioſæ an. m. j. bulliant in vino albo, donec herbarum virtus extracta fuerit, & cola, ac viriliter exprime, & adde ſepi hircini colati, cerę nouæ, an. vnc. iij. gummi elemi vnc. j. olei roſati, myrtini vnc. iiij. bulliant iterum ad vini defectum, & adde boliarmeni, ceruſſæ, maſticis an. vn. ij. miſce, & ſecundùm artem fiat vnguentum in bona forma.

BASILICON COMMVNE.

Ex Scribonio & Celſo. Recip. opopanacis, galbani an. drag. xij. picis græcę, reſinæ terebinthinę an. drag. xx. olei roſati. q. s.

BASILICON TETRAPHARMACON.

Ariſti Chirurgi & Pauli. Recip. Colophoniæ, reſinæ, ceræ, picis græcæ, ſepi taurini an. partes æquales.

BASILICON MAIVS.

Ex Meſue. Recip. ceræ albæ, reſinæ, ſepi vaccini an. vnc. vj. picis naualis vnc. ij. olei communis vnc. xxiiij. oliban i, myrrhę an. vnc. j.

BASILICON MINVS.

Ex Meſue. Recip. reſinę, picis græcę, cerę an. olei roſati q. s.

BASILICON MAGISTRALE.

Raſis. Recip. olei roſati, camomellini an. vnc. iij. myrtini, hipericonis an. vnc. j. s. ſucci betonicę, matriſſiluę an. vnc. ij. ſaluiæ, millefolij an. vnc. j. vini albi q. s. bulliant omnia, donec vini medietas conſumpta fuerit, & facta forti colatura, adde ſepi caſtrati colati, medullę cruriū vituli an. vnc. ij. bulliant iterū parum, & adde maſticis, myrrhę, ſpumę argenti an. vnc. j. minij, picis naualis an. vnc. s. cerę citrinę vnc. iiij. miſce, & ſecundùm artem fiat vnguentum.

CITRINVM.

Recip. olei roſati vnc. iiij. reſinę pini. vnc. vj. Terebinthinę clarę vnc. iij. ceræ citrinę q. s.

ALTER MODVS.

Recip. Terebinthinę claræ, olei roſati an. vnc. vj. reſinę pini vn. iiij. ceræ citrinę vnc. iij. gūmi elami vnc. s. miſce.

DE GVMMA ELAMI, SIVE ELHEMI.

Recip. gummi elenij, quam iſti elami vocant. Terebinthinæ an. vnc. iij. olei roſati, ammoniaci aceto ſoluti an. vnc. ij. reſinę pini vnc. iiij. cerę q. s.

ALTER MODVS.

Recip. gummi elhemi, opopanacis an. vnc. vj. bdelij vnc. s. reſinę pini vnc. j. Terebinthinę vnc. iiij. thuris, maſti-

maſticis an.drag.ij.cerę citrinæ,olei roſati an.vnc.x. fiat vnguentum ſecundùm artem.

ALTER MODVS.

Recip.gummę elami drag.ij.reſinę drag.iiij.cerę drag.vj.ammoniaci drag.ij.terebinthinę drag.iij.ſucci betonicę drag.v.miſce. Conciliatoris.

DE BETONICA.

Recip. ſucci betonicę,plantaginis, apij an. vnc.xij.colentur, & aliquantulum bulliant, & adde reſinę, cerę nouę an.vnc.iij.iterùm bulliant vſque ad ſuccorum defectum,& adde Terebinthinę vnc. x. & ſecundùm artem fiat vnguentum. Henrici.

ALTER MODVS.

Recip. ſucci betonicę,pimpinellę,ſaluię,centaureę minoris an.vnc.ij.vini albi odoriferi vnc.xij.olei roſati,mirtini an.vnc.ij.bulliant,donec vini medietas conſumpta fuerit,coletur,& adde terebinthinę,ceræ citrinę,reſinę pini an.vnc.ij.iterum bulliant ad vini defectum,& adde boliarmeni,mumię,ſanguinis draconis an.drag.ij.maſticis,olibani,myrrhę an.vnc.s.miſce. Magiſtrale.

MODVS QVO VTIMVR.

Recip. ſucci betonicę vnc.vj.pimpinellę,matriſſyluę,conſolidę minoris an.vnc.j.vini maluatici vnc.x. bulliant,donec vinum conſumptum fuerit,& adde terebinthinę vnc.iiij.olei roſati,ſepi caſtrati depurati an.vnc.ij.maſticis,mirrhę,mumiæ an.drag.iij.viridis ęris vnc.s.cerę q.s.pro vnguento. Auctoris.

DE CENTAVREA.

Recip. centaureæ minoris m. vj.incidatur,& per noctem in vino marceſcat,bulliat poſtea,donec vini medietas defecerit, & cola; inde quod percolatum eſt, bulliat vſque ad mellis conſiſtentiam, & Recip. iſtius decocti vnc.iij.lactis mulieris vnc.ij. terebinthinę vnc.x.cerę nouę vnc.ij.s.reſinę vnc.j.s.olibani, maſticis,gummi arabici an.vnc.j.miſce, & ſecundùm artem fiat vnguentum. Magni Guidonis.

CERATA CAPITALIA ANTIQVORVM.

Apoſtolicum chirurgum.

Recip.picis naualis vnc.xij.picis græcę vnc.vj. galbani,ſerapini,ammoniaci,opopanacis an.vnc.s. propolis vnc.iij.aceti,vnc.vj.gummę,quę teri non poſſunt,cum aceto in catiola liqueſcant ad ignem,poſtmodum catiolam cacabo aqua frigida pleno immittes,donec frigeſcere incœperit, & tunc adde picem græcam,ac maſticis,olibani an.vnc.s.miſce perpetuò agitando cum rudicula,donec citrinum colorem acquiſierit,nã tunc coctura facta eſt;illico ab igne dimoueatur,& adde terebinthinæ vnc.ij. miſce,& manibus oleo laurino inunctis,diu malaſſetur,& magdaleones formentur. Democratis.

MEGETIS CHIRVRGI.

Recip.ſquammæ æris ciprij drag. xxv.guttæ ammoniaci,ariſtolochiæ,irios,myrrhæ, aluminis ſiſſi an. dragm. xx. terebinthinæ pituitinæ,adipis tauri,ceræ an. drag. iiij.olei veteris vnc.xvij. aceti acris drag. 72. eius compoſitio fiat,cum caniculæ ſydus oritur,ſub ſole teratur, donec ex toto acetum extinctum fuerit. Ex Scribonio.

TRIPHONIS CHIRVRGI.

Recip. ſquammæ æris cyprij drag.xij.olibani,ammoniaci,reſinæ,terebinthinæ an. drag. vj. reſinæ pini drag.x.pinguedinis vituli drag.iiij.ceræ vnc.iiij.olei roſati vnc j.s. aceti vnc.iij.quæ teri poſſunt,terantur, ac aceto nutriantur,vſquequò mellis craſsitudinem acquiſierint.poſtquàm verò ceram,reſinam, & oleũ purgaueris,omnia miſce,& liqueſcant,ac lento igne bulliant,donec cerati cõſiſtentiam acquiſierint, perpetuò agitando,donec facta fuerit coctura,poſtmòdum manibus diu malaſſentur,& fiant magdaleones. Ex Scribonio.

RELATVM AB ANDROMACO.

Recip. granorum fructuum palmæ,ſalis rubei, ſalis armoniaci,ariſtolochiæ, radicis cucumeris agreſtis an. drag.xx. piperis longi,rotundi,ammoniaci,xylobalſami, amomi, olibani,myrrhæ, reſinæ ſiccæ, viſci quercini an.drag.x.ceræ drag.xxx.pinguedinis capræ drag.xv. fæcis olei liliorum q.s.

ADDITIO.

QVAMPLVRIMA alia medicamenta,quæ eo quia fracto accommodantur capiti, cephalica vocantur apud Celſum [a] de mente Philotæ Iudæi,& Megetis.multà apud Scribonium [b] de mente Iraſeę,Gliconis, Ariſtidis,& aliorum;multa apud Galenum [c] ad mentem Aſclepiadis, Deleontis,Philotę,Dioniſij;Samij,Lucij,Cathegetis,Heræ,& aliorum multa apud Aetiũ,[d] & Paulum [e] legi poſſunt

a ¶ Lib.5.c.19.
b ¶ Lib.de cõp. med.
c ¶ Lib.2.4.& 6 Katag.
d ¶ Lib. 15.ca. 13.
e ¶ Lib.7.

ſunt, quæ nunc breuitatis cauſa dimittere intendimus, atque etiam quia validiſsima ſunt, & fracta caluaria non parum timenda iudicantur, ſiquidem fortia ſunt, & magnæ attractionis; ſed ea tantùm vſui ſeruētur, quę paſsim conſiderata ætate, habitudine, virtute, vita, & patientis exercitio, à nobis longa praxi obſeruata ſunt. At quia diuerſimodè caluaria fracta apud quaſdam nationes aliquibus experimentis curari ſolet, nulla eis adhibita fide, illa, quæ habere potuimus, paulò inferius deſcribere decreuimus.

CERATA CAPITALIA MODERNORVM, de gummi elhemi.

Gentilis. Recip. ammoniaci, bdelij, ſerapini, opopanacis an. vnc. s. gummi elhemi, ſiue elimi vnc. j. terebinthinæ, picis naualis, reſinæ, viſci quercini an. vnc. iij ariſtolochiæ longæ rotundæ, diptami, colophoniæ, myrrhę, calaminthæ, polipodij, corticum radicum arundinis an. drag. iij. fermenti, axungiæ porcinæ, olei laurini an. vnc. ij. aceti vnc. j. olei roſati vnc. iiij. ceræ q. s.

ALTER MODVS.

Nicolai Florent. Recip. gūmmi elhemi vnc. iij. opopanacis vnc. ij. bdelij vnc. s. reſinæ vnc. j. terebinthinæ vnc. iiij. maſticis, olibani an. vnc. iij. olei roſati vnc. xx. ceræ q. s.

DE BETONICA.

Ioannis de Vig. Recip. betonicæ m. ij. matriſſyluæ, ſaluiæ, hipericonis, millefolij, piloſellæ, conſolidę minoris, an. m. i. cētaureæ maioris, minoris, pimpinellæ, verbenę an. m. s. Terebinthinæ claræ vnc. xx. olei roſati vnc. x. reſinę pini, gummi elhemi an. vnc. j. s. herbę minutim incidantur, ac terantur, & ad ignem omnia ponantur, & adde vini albi optimi vnc. xxiiij. aliquantulum bulliant, inde in vaſe aperto omnia Soli exponantur per dies octo, pluries quotidiè miſcendo. poſtea bulliant ad vini conſumptionem, & cola, ac fortiter exprime, & adde ceræ q. s. pro cerato, quod poſtea manibus lacte caprino, aut vaccino inunctis diu malaſſetur, & vltimò aqua vitæ, & diligenter conſeruetur.

DE MINIO.

Eiuſdem. Recip. olei roſati vnc. xij. maſticini vnc. ij. ſepi caſtrati, vitulini an. vnc. x. lithargirij aurei, & argentei an. vnc. iiij. minij vnc. ij. vini odoriferi vnc. xv. bulliant ſimul perpetuò agitando lento igne primis horis, qui poſtea paulatim augeatur, donec medicamentum nigreſcat, & adde terebinthinę vnc. vj. gummi elhemi vnc. j. maſticis drag. ij. ceræ q. s. pro cerato.

GRAECVM.

Magiſtrale. Recip. olei roſati omphacini, myrtini an. vnc. viij. aceti albi vnc. iiij. lithargyrij aurei, & argentei an. vnc. vj. maſticis, ariſtolochiæ rotundæ an. vnc. s. minij vnc. j. puluerizentur quæ trituranda veniunt, ac per horas vigintiquatuor in oleis, & aceto marceſcant, ſæpe agitando, deinde lento igne bulliant ad ſpiſsitudinem, & manibus lacte inunctis, diu malaſſetur.

HVMANVM.

Iacobi Carpen. Recip. Terebinthinæ lotæ cum vino maluatico, reſinę pini colatæ, ceræ albæ an. vnc. iij. mumię ex craneo vnc. j. s. liqueſcant omnia ſimul, & ad ignem perpetuò admiſcendo, fiat perfecta mixtio, iterum omnia in vaſe æneo nitido iaceant, in quo aceti roſati ex vino maluatico vnc. xxxvj. reperiantur, ſic maneāt per diem naturalem, & manibus in eodem aceto malaſſentur, donec ex toto acetum à cerato expurgetur. ceratum indè in vaſe vitreo, aut terreo vitreato ſine aceto locetur, in quo vaſe lactis mulieris vnc. vj. ſucci tormentillæ vnc. j. ſucci pentaphilonis vnc. s. ſucci betonicæ drag. ij. ſucci brionię, ſucci plantaginis an. drag. j. s. omnia lento igne ſuper cineribus bulliant, donec humidi corporis tertia pars conſumpta fuerit, & adde ſucci verbenæ vnc. j. ſucci pimpinellæ vnc. j. s. miſce, & omnia Soli æſtiuo opponantur, cautè quidem, ne à puluere turbentur, ſic per menſem maneant, quotidie lac mulieris addendo ad pondus vnc. ij. & ſucci betonicę vnc. j. exſiccabitur quippè lac, & ſuccus, ob id ſingulis horis decet ceratum reuiſere, ac lignea ſpatula agitare, vt optima fiat mixtio; ſi verò Solis actio defecerit, debilis ignis ſuppleat, donec humiditas tota exſiccata fuerit, quæ ſemper innouari debet. poſtea magdaleones ad pōdus vnc. iiij. formentur, & in mēbranea pagina auoluantur, & in loco ab omni humiditate alieno ſeruentur.

De empirica praxi. Cap. XVII.

EMPIRICORVM caterua(ſic enim à ſolo experimento dicti ſunt empirici)omnes caluariæ fracturas indifferenter curare intendit,perpetuò patientibus carnes, oua, caſeum, & vinum concedens. quare illorum, qui ad pauca reſpicientes,ſeipſos eorum manibus committunt,maior pars vitam cum morte mutare ſolet. Horum aliqui ſolis pulueribus,alij ſtillatitijs liquoribus,multi potionibus,quas pigmenta vocant,alij ceratis aut emplaſtris tantùm,alij ſolis ſimplicibus,alij incantationibus, & plerique ſuis orationibus,& pura aqua vtuntur,omnes manuum operationes fugientes,aliquibus ſuis moti opinionibus,vt in duabus ſectis empiricis explicauimus;Sed vt eorum experimenta,ac curandi modi intelligantur,nonnulla nunc deſcribemus,quæ nobis fuere à multis relata, & quę non abſque methodo à recentioribus deſcripta inuenire potuimus.

Nicolaus Florentinus in ſeptima ſuorum voluminum parte, vnà cùm Ioanne de Vico hanc praxim approbant:imum vulneris aqua vitę replent, & quod reſidet,cephalico puluere,inde totum vulnus foliorum caulibus cooperiunt,& opportuna faſcia caput auoluunt.

Ex Nicolao Floren.

IOANNES de Vico Genuenſis in ſua chirurgia ſic ait;Aquę ardētis vnc.x.myrrhę vnc.j.aloes vnc.ij. ſarcocollæ,thuris an.drag.ij.croci ſcrup.j.miſce,vulneris fundus repleatur liquore tali,reſiduum verò cephalico puluere Auicennę, ac deſuper cerato ex minio,aut de betonica.

Ex Ioanne de Vico.

MARIANVS Sanctus,Barolitanus,in ſuo chirurgicali compendio membranam rhodomelle cooperit,reſiduum aqua vitę replet,ac cephalico puluere,ac deſuper marinam ſpongiam apponit,& cum lata petia vnguēto baſilicone tincta totum caput amplectitur.

Ex Mariano Barolitano.

IACOBVS Berengarius Carpēſis in tractatu ſuo de fractura cranij ait;Apud Hiſpanos,& Genuenſes quidam curandi modus ſolis liquoribus obſeruatur,& hic eſt vnus.Aquę vitę lib.x.vini maluatici lib.v. aloes,mirrhę,olibani an.vnc.iij.pulueris radicum conſolidę maioris vnc.iiij.pulueris centaureę vnc.ij.pulueris hypericonis vnc.j.terebinthinæ clarę lib.ij.omnia miſce,& per menſem in vitreo vaſe optimè obturato vnà maneant,& diligenter cola,ac fortiter exprime;& quod expreſſum eſt,in eo vaſe ſeruetur, ita vt nihil expiret,vulnus verò filis nitidis,eo in liquore tepido infuſis,repleatur.

Ex Iacobo Carpen.

PERRGRINVS Parmenſis in ſuo tractatu ſimilem parat liquorem;Aquæ vitæ ſtillatitiæ bis,aut ter per elambicum extractæ lib.iiij. maſticis,myrrhæ,olibani,gummi elemi,gummi hederæ,ammoniaci,opopanacis,bdellij,matriſſyluæ,betonicæ an.drag.ij.theriacæ finæ vnc.iiij.ex his,quæ contundi poſſunt, contundantur,& omnia in boccia ſtricti orificij ponantur,& ſic triduum permaneant,inde lento igne fiat deſtillatio in balneo Mariæ ſecundùm Alchimiſtarum artificium; & quod ſtillatum eſt, in vitreo vaſe optimè clauſo ſeruetur, poſtmodum vulnus eo medicamento abluatur,ac filis nitidis eo infuſis repleatur,ac deſuper lata petia vnguento ex gummi elemi,aut matriſſyluæ caput totum cooperiatur.

Ex Peregrino Parmen.

HEBRAEVS quidam Teutonicus hoc vtebatur liquore,quo multa lucratus eſt;Aquæ vitæ lib.j.mellis roſati vnc.vj.vini maluatici vnc.iiij.ſanguinis draconis,terræ ſigillatæ,mumię,aloes,myrrhę an. drag. j.pulueris betonicæ,granorum hypericonis an.drag.iij.croci ſcrup.ij.ex omnibus fiat optima mixtio,quæ per dies octo in vitreo vaſe bene obturato ſeruetur;poſtmodū viriliter exprimatˮ,& quod expreſſum eſt, cuſtodiatur:vulnus filis in eo madefactis repleatur,poſtea lata petia vnguento ex gummi elemi, aut de betonica caput cooperiatur.

Ex quodam Hebræo.

Quamplurima medicamenta ſimilia variis in locis parantur, quæ elixir vitæ, mater balſami, olea balſamina, aqua balſami vocantur; ac ſi balſami virtute prædita eſſent, magno pretio venduntur: nos verò in caluariæ curatione ea nullo modo probamus, ſed tanquam periculoſa experimenta reprobamus.

MODI VARII MEDENDI VVLNERA CAPITIS.
orationibus,& aqua.

ETIAM Hippocratis[a] tempore homines quidam,vnde ſibi victum pararent, neſcientes, medici euadere imaginati ſunt,alioſve magica arte,aut incantationibus ſanare pollicebantur,& hi (vt dicebat Hippocrates)expiatores,circulatores, & arrogantes erant,& ſe valde pios,ac doctrina plenos eſſe ſimulabant:eodem modo multis in locis aliqui ſunt,qui medicinam profitentur,& omnia vulnera pura aqua,orationibus,& incantationibus,alij ſolis petiis lineis benedictis in crucis formam applicitis ſanare promittunt:at quia hactenus hac via notabiles curationes videre non potuimus, eam quippe nec probamus,nec ſpernimus,ſiquidem verba ipſa & ſancta, & benedicta fuerint, vt per infraſcriptas deſcriptiones plenè intelligi poteſt:nec aquam probare cogimur fracta caluaria,& ſi Hippocrates[b] in puris capitis vulneribus eam laudauit, quod & Celſus[c] ſub his verbis affirmat; Leuis plaga iuuatur etiam,ſi ex aqua frigida expreſſa ſpongia imponitur.iterumque ait;[d] Vulnus aperiendum, detergendaq; ſanies ex aqua frigida, eademque rurſus iniicienda;& iterum, [e] fluente ſanguine,ſpongiam aqua madefactam ſuperponere iubet:nec Galenus diſſentit,nam dicit; [f] Scias, ſi ſpongia noua in vulnere vtaris cum aqua,aut oxicrato,aut vino pro corporum diuerſitate,glutinabit ſiquidem ea ſimiliter, atque medicamenta,

a ¶ Lib. de morbo ſacro.
b ¶ Lib. de humi. vſu.
c ¶ Lib. 5. cap. de glut. vul.
d ¶ Lib. 5. cap. de rat. vict. vulneratorum, & cap. quomodo vulnus implendum eſt.
e ¶ Lib. 5. cap. de cura fluxu ſang.
f ¶ 11. de ſimp. med. cap. de ſpōgia.

a ¶ Lib. 5. cap. de ſpongia.
b ¶ Lib. 14. cap. 26.
c ¶ Lib. 6. c. 84.
d Lib. 6. c. 34.
e ¶ 4. 1. c. 28. 4. 4. tr. 3. ca. 8. & 5. 4. c. de vul. cap.
f ¶ Lib. 15. ca. 14.
g ¶ Lib. 8. c. 50. in fine.
h ¶ Vbi agit de ſagitt. extrahendis.
i ¶ Guido in par. 2. Chi. c. 1. Petr. de Argelata. li. 1. tr. 8. c. 4. Theod. li. 2. c. 3.

camenta, quæ enemata vocant: quod iam probauit Dioſcorides [a] ſub his verbis; Spongia ex aqua, poſcaue recentia glutinat vulnera. quod pariter affirmant Aetius, [b] Alexander, [c] Paulus, [d] & Auicenna, [e] valere in ſimplici, ac recenti vulnere, non autem in compoſitis, & minus caluaria fracta: nam ſi vinum incommodum eſt, quantò magis aqua, quę cunctis vulneribus nocet, præſertim oſſe detecto, aut aperto? pręterea legitur apud Aetium, [f] quòd antiqui, dum medicamentum Pręſidis reipublicę parabant, hæc proferebant verba; Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob huic pharmaco vires largiatur. Docet pariter Aetius, [g] vt cùm deuoratæ ſpinæ, aut oſſicula, & in tōſillis, aut alibi infixæ fuerint, & extrahi nequeāt, ſic agere, te ad ægrum deſidentem conuerte, ipſumque tibi attendere iube, & dic; egredere os (ſi tamen os, aut feſtuca, aut quicquid tandem exiſtit) quemadmodum Ieſus Chriſtus ex ſepulcro Lazarum eduxit, & quemadmodum Ionam ex Ceto; atque apprehēſo ægri gutture, dic; Blaſius Martyr, & ſeruus Chriſti dicit, aut aſcende, aut deſcende. Theodoricus [h] etiam iunior Chirurgus, dum ſagittas è corpore euellere cupit, genibus flexis, dicta Dominica oratione, ſagittam manibus apprehēdit adiunctis, inquiens; Sicuti Nicodemus clauos ex manibus, & pedibus Domini extraxit, ſic & hæc ſagitta extrahatur. Alij poſtea, [i] aut medendo, aut medicamenta parando exorciſmate tali vtuntur. In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ſancti ✠ Amen. In nomine ſanctiſsimę Trinitatis indiuiſibilis, dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, nō moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini, caſtigans caſtigauit me, & morti non tradidit me. orantes Dominum, vt infirmus ſanetur: qualia verò ſint huiuſmodi medicamenta, quærendum eſt apud Vgonem, & Theodoricum, quibus in deploratis diſpoſitionibus interdum vti forſan licebit.

ALTER MODVS.

Svper aquam puram, & claram, dicta confeſsione genibus flexis, quæ ſanctiſsimam Miſſam præcedit, dicunt aliqui; Benedicta ſit ſanctiſsima Trinitas, ac ſua indiuiſibilis vnitas, confiteor illi, deprecando, vt nobis ſuam oſtendat miſericordiam, benedicamus Patri, Filio, & Spiritui ſancto, & inclinato capite emiſit ſpiritum. poſtea ter Dominicalē orationem, ac ter Angelicam ſalutationem dicūt, & petias lineas nitidas in eam benedictam aquam immergunt, & cum eis ſub forma Crucis totum vulnus tegunt.

ALTER MODVS.

Facta confeſsione, quæ initium ſanctiſsimi Altaris ſacrificij eſt, genibus flexis, ac dicta Dominicali oratione, ac Angelica ſalutatione, aquam puram benedicunt; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen. inde petias immergunt, & vulnus in modum Crucis cooperiunt, dicentes; In nomine ſanctiſsimæ Trinitatis, dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini.

ALTER MODVS.

Aqvam multi ſic benedicunt, dicentes; Te benedico aqua per Deum viuum ✠ per Deum verum ✠ per Deum ſanctum ✠ & per Deum, qui te in mundi principio creauit, & per Ieſum Chriſtum, vnicum filium eius, & dominum noſtrum, qui in Cana Galileæ cum mirabili ſigno ſuæ potentiæ te in vinum permutauit, & aquam à Samaritana poſtulauit, in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ſancti. ✠ Amen.

ALTER MODVS.

Aliqvi benedicēdo dicunt; Sicuti Longinus Hebræus lancea coſtatum Domini noſtri Ieſu Chriſti aperuit, à quo ſtatim exiuit ſanguis, & aqua; ita, Domine Ieſu Chriſte, te rogo per tuam ſanctiſsimam paſsionem, ac per ſeptem verba, quæ in Cruce dixiſti; In manus tuas Domine commendo ſpiritum meū. & per ea verba, quæ in fine pronūtiaſti; Conſummatum eſt. & per omnia miracula, quæ feciſti, vt virtutem huic aquæ largiaris hoc vulnus ſanandi ſine ſanguinis fluxu, dolore, inflammatione, aut ſpaſmo, in nomine Patris ✠ & Filij ✠ & Spiritus ſancti ✠ Amen. Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, Chriſtus hoc vulnus ab omni malo defendat ✠ Amen.

ALTER MODVS.

Nonnvlli, poſtquàm vulnerati peccata ſua confeſsi ſunt, & ſanctiſsimam Euchariſtiam ſumpſerint, ac percuſſori pepercerint, ſimulque manibus iunctis generalem confeſsionē pronuntiauerint, quinquies Pater noſter, & quinquies Aue Maria, dixerint ad honorem quinque plagarum domini noſtri Ieſu Chriſti, ſecretè ſuper vulnus hæc proferunt verba; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Dominus noſter Ieſus Chriſtus in Natali nocte natus eſt, & pro noſtra ſalute in Cruce mortuus eſt, & tertia die reſurrexit; nos verò eum deprecamur, vt huic vulneri imperet ad ſanitatē tendere, dolore, ac ſpaſmo vacare. accipiunt inde quinque petias in pura aqua madefactas; quę prius in hunc modum benedicta fuerit; In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & vulnus ad modum Crucis cooperiunt, dicentes. Dominus ſic mihi dedit, ſic illi placuit; ſic etiam, quando illi placuerit, me liberabit, & eius nomen

bene-

benedictum ſit in ſecula ſeculorum. Amen. & tandem, vt vnico verbo in hac curandi ratione concludamus, hæc, & ſimilia ſacra verba, ſi rectè, ac bona intentione prolata fuerint, maximam habere virtutem & potentiam, exiſtimandum eſt. ſecus verò, ac ſuperſtitiosè, aut minus rectè, illi, qui eis abutuntur, punientur.

Operationum chirurgicalium, in caluariæ fractæ curatione, breue compendium.

Chirurgus, qui caluariæ fractæ curationẽ eſt aggreſſurus, in omnibus medicinę partibus exercitus eſſe debet.

Iuuenis, aut iuuentuti propinquus, in anatomicis ſectionibus inſtructus, inſtrumentorum iuxta opportunitatem inuentor, in ſimplicibus & compoſitis medicaminibus exercitatus.

Quietus, & prudens, ſed fortis & intrepidus, eius veſtimenta grauitatem oſtendentia, ſed expedita ſint.

Inter medendum, tranquillo animo appareat, languentibus indubiam ſalutem promittat, affinibus verò, ac de eorum vita quærentibus, veritatem, quæ à virium robore, vulneris meliori conſtitutione, & ſymptomatum priuatione, ſumi ſolet, prædicere ſtudeat.

In latentibus, aut timidis percuſsionibus, ad confitendum Deo peccata ſua, & ad condonandum inimicis iniurias, patientes adhortetur: in ſaluberrimis verò pacem probet.

Symptomata communia, ab his, quæ propria ſunt, accuratè diſtinguat.

Si quid præter naturam vulnus occupauerit, quietè, ac tutò euellat.

Lumen opportunum, aut auerſum, aut aduerſum accommodet.

De toto primo conſiderationem habeat, inde ad particulares deſcendat operationes.

In neceſſarijs euacuationibus, nempe in ſanguinis miſsione, aut ducenda aluo, ſit diligens, & circunſpectus.

Fluxiones à ſede affecta, omni ingenio reuellat, veluti frictionibus, cucurbitulis, clyſteribus, ſuppoſitorijs, hyrudinibus, ligaturis, aut ſimilibus.

Victum tenuem inſtituat, vinum, motum, iram, venerem, & omnem animi affectum prohibeat.

Fluentem ſanguinem pręſidijs opportunis ſiſtat, & caput mollibus indumentis auoluat.

Inſtrumentorum varietatem paratam habeat, & eam optimam, ac nitidam conſeruet.

Medicamenta, quibus vtitur, aut vti debet, ratione & experimento ſelecta, ac à fideli & experto aromatario parata, munda, & pulueris expertia ſeruare ſtudeat.

Miniſtri, qui medico aſsiſtunt, & eidem opem ferunt, pauci ſint, ſed experti, affabiles, & timoe vacui.

Medico operante, omnes ſileãnt; pueri & mulieres procul arceantur, ac rumores omnes vitentur.

Priuſquàm ad operationes ſe conferat, vulnerati vires diligenter perpendat. nam vbi eſt indigentia, borandum non eſt. Secundò morbi magnitudinẽ conſideret, ne prędicendo hallucinetur. Tertiò ſymptomatum naturam, quæ ſi valida, ac timoris plena fuerit, & conſilium, & ſocios quærat, ne mali medici nomen ſubeat.

Si vulnus dilatare tentauerit, cautè id agat, ne læſa pars nimis imbecilla reddatur, & turpis inde reſideat cicatrix, & ne pericraneum operationem impediat.

Frontem, tempora, ac caluariæ ſuturas, quàm fieri poteſt, incolumes conſeruet.

Vrgente neceſsitate, vbique, quocunque tempore, & qualibet die, operationes adimplere tenetur.

Niſi indicia propria, & cauſæ immediatæ adfuerint, oſſa caluariæ terebrare minimè conuenit.

Ante terebrationem, infirmi aures aut lana, aut xilo obturentur.

Operationes, qualeſcunque fuerint, ſedem decliuiorem expoſcunt.

Cauere oportet, ne operando os caleſcat, & membrana inflammetur.

Dum inſtrumenta ad diploidem deuenerint, cautè procedatur, & quanta ſit penetratio, ſpecillo ſæpe, ac diligenter perquiratur.

Inter fricandum, aut terebrandum, os eo pacto auferatur, quòd quæ ſub eo humiditates extraneæ continentur, commodè expurgari poſsint.

Oſſa terebrata vi extrahi non debent, ſed roſaceo tepido ſæpe humectanda ſunt.

In æſtate bis, in hyeme ſemel, vulnus curare oportet.

Quæcunque capiti adhibentur, calida qualitatibus adhibeantur.

In qualibet operatione, caput linteis calidis coopertũ detineatur, & nulla apparente inflãmatione, ignis propè ęgrum conſeruetur.

Medicus, medendi rationem, medicaminum vires, lichinorum, plagellarum, penicillorum, turundarum, ſpleniorum, faſciarum, & clipeorum quantitatem, numerum, materiam, & formam, omni ſtudio conſideret, ne comprimant, aut nimis calefaciant.

Symptomatum prohibitionem præuideat, & ea, quæ apparent, corrigere, & profligare ſtudeat.

Neceſſarias indicationes, præparando, abſtergendo, carnem producendo, ac cutim inducendo, ſecundũ temporis opportunitatem obſeruet.

Faſciandi modus primis diebus ſit retentiuus, poſtea expulſiuus, vltimò incarnatiuus.

Si oſsis ſuperficies deſquammari debet, vulnus apertum præſeruetur, & oſſis eleuatio expectetur.

Citò, & ſerò oſſa deſquammantur, ſecundùm patientis habitudinem, ætatem, exercitium, & anni tẽpus, aut topicorum potentias, & operationes.

Optimi medici munus eſt, vt agat citò, tutò, lætè, & quàm minimo cum dolore, & hoc illius potiſſimum munus eſt, vt in ſuis operationibus, ſi non iuuet, ſaltim non noceat.

Hæc ſunt, quę in materia de caluariæ curatione ex nunc habere potuimus, & pro fine primi libri huius primæ ſectionis, ad laudem omnipotentis Dei, cui infinitas, ac immortales reddimus gratias.

CHIRVRGIAE

IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI,

Tractatus Secundus.

De vulneribus.


LIBER SECVNDVS.

De Facie vulnerata. Cap. Primum.

FACIES, ideſt pars illa tota, quæ capillis ſubijcitur, ac mento & auribus terminatur, motuque voluntario mouetur, à Græcis Proſopon dicta, cum ſit membrum iniurijs exterioribus expoſitum, ſępè vulnere aliquo affligi ſolet, nempè ab acuto telo perforante, aut ab enſe, vel gladio ſecante, aut à re graui, obtuſa, & plana contundente, vnde variæ, ac diuerſæ in ea occurrunt continui ſolutiones. Quarum omnium de ſectis vulneribus ad præſens aliqua enarrare decreuimus. Huiuſcemodi enim vulnera, aut ſimplicia ſunt, & per ſe ſola manent, ac citra ſubſtantiæ deperditionem; aut alio morbo, vel diuerſo ſymptomate, aut propria cauſa complicantur. Porrò ea ſimplicia vulnera ſunt, quæ rationem cauſæ non obtinent, & carnoſas tantùm partes leuiter offendunt, nempè frontem ſolum, aut genas, & nihil proprij habent, ac tutò, citò, et ſine moleſtia vniuntur, & agglutinantur. Præſertim, quia hæ partes ſiccę, & viſcidæ natura ſunt, ob id faciliorem curationem admittunt, ac ratione medici finalis indicatio vna tantùm remanet, vt ſanato vulnere, cicatrix perpulchra, ac decora reſideat, & appareat. At[a] ſi vulnus in ſummo non reſidet, aut per longitudinem altè deſcēdit, non parui timoris iudicatur. & prima eius curandi methodus eſt extraneorum, ſi quæ aderint, ablatio, mox labrorum [b] æqualis, & iuſta vnitio; Extranea propterea extrinſecus aduenientia confeſtim auferenda eſſe exiſtimamus, dum ſanè ſine iactura, & magno dolore, duci poſſunt, vt vulneris labra citò coire valeant. extranea verò appellamus, non tantùm quę extrinſecus adueniunt, ſed quæcunque noſtræ naturæ contraria aliquo modo ſunt; aut ab ipſa natura conſeruari nequeunt, vt pili, ferrum, vitrum, lignum, lapis, oſſa fracta, caro contuſa, ſanguis à venis extramiſsus, & ſimilia, quæ omnia, aut curationi aduerſantur, aut turpem cicatricem producunt; quemadmodum & telorum ærugo, aut ſclopetorum pulueris nigredo, aut goſsipium exuſtum, quod frequēter, vt ſanguis cohibeatur, vulneribus adhibetur, aut mala medendi ratio, in qua prima die ſumma ope nitendum eſt, vt nihil agatur, priuſquàm vulnus intus purgatum ſit, nequid ibi alienæ rei, ne linamentū quidem, quod ſupprimendi ſanguinis cauſa inditum eſt, nec cōcreti ſanguinis relinquatur. id enim & in pus vertitur, & inflammationem mouet, & conglutinari vulnus prohibet. quare non inconuenit interdum, ipſum aut vino, aut poſca abluere; poſtmodum, vt vulneris partes quàm rectiſsimè adinuicem coniungātur, nempe accommodata ſutura, acu videlicet ſubtiliſſima, breui, ac rotūda: cuius cauda ita excauata ſit, vt in ea filum ad faciliorem àcus tranſitum recōdatur. ſic enim mitiùs corpori inſidet; filum verò lineum,

a ¶ Gal. 4. de ſympt. cau.
b ¶ Cel. lib 5. de glut. vul.

æquale,& duplicatum,ſed non ſericum probatur.nam id carnem citò diuidere ſolet.Puncta verò breuia ſint,& adinuicem æqualiter diſtent,quæ nec admodum profunda, nec multum in ſummo figantur. Siquidem hæc non retinẽt;illa verò cutim facillimè ſecãt.hoc peracto,ſi ſanguis multus emanauerit,oui albumine,aut poſca,aut pulueribus ad hoc deſtinatis,ſi alter non datur modus, ſiſtatur. à goſſipiò, ſiue bombice aduſta omnino abſtinendum eſt;ſiquidem eius nigredinis veſtigia in cicatrice apparere ſolent. Poſtmodum victum tenuem,donec ab inflammatione,aut reliquis ſymptomatibus ęger tutus fuerit,pręſcribere oportet.venam cephalicam,ſi affectus eguerit,ac ætas,& vires ferant,iniecto prius clyſtere molliente,aperiamus:medicamenta etiam laxantia,mitiora tamen iuxta humorum dominium, exhibeantur. ac,vt quotidie aluus liberè fluat,curabimus.Animi ac corporis quies ſummè probatur. Altera verò die, vt partes ſectæ rore proprio,ac elementari per viam ſcilicet primæ intentionis, abſque ſanie vniri poſſint,ſtudere oportet;nempe glutine aliquo,ſuper linteolis hinc inde extenſo, quò ſic vnitæ partes conſeruentur.quo facto,quamprimum ſutura ſecetur,& puncta amoueantur.Gluten verò vario modo parari ſolet. Aliqui glutine piſcium aceto ſoluto, & cocto, vtuntur. alij ex oui albumine diu concuſſo leuiter,fundum vaſis æneì cooperiunt.deſuper poſtmodum tenuiſsimam calcem viuam, vt vix appareat, inſpergunt.& facta tenaci mixtura,paratam telam liniunt;accipiunt multi gummi arabici,dragagãti,maſticis,myrrhæ,picis,ſanguinis draconis,calcis viuæ an.drag.s. pollinis, ideſt farinæ volatilis molendini drag.j.albuminis oui q.s.miſce.Alij gluten ſic conſtruunt,& hoc illud eſt,quo quàm ſæpiſſimè vſi ſumus. Accipiunt caſei vaccini antiqui non ſaliti ad libitum,ipſumque diu terunt,vſque ad mellis conſiſtentiã, cum oui candido hyemali tempore,aut lacte ficuum ſub magnis æſtibus,aut ſaltim cum aqua roſacea, & addita viua calce optimè puluerizata q.s.iterum omnia ſimul,vſque ad glutinis formã componunt, quã iſti collam vocant, & ea hoc modo vtuntur. facta labrorum vulneris æquali vnione,vbi motus validus non adeſt,ac pannis lineis validis,& non aſperis,glutine aliquo linitis,ac vtrinque admotis,qui,vt exigit vulneris forma, quantitas, & ſitus, diuerſas effigies præ ſe ferunt,nempe Triangularem, 1 aut Quadratam, 2 aut Semioualem, 3 aut Oualem, 4 aut Oblongam, 5 aut alterius modi, ad formam ſcilicet partis inciſæ,cui applicari debent,vulnus conſtringunt,quemadnodum in his figuris, caracteribus ſignatis, conceini poteſt.



Ea verò magnitudine parari gluten debet,quæ læſo membro,ac vulneri congruere videatur, potiſsimum vbi cicatricem apparere minimè ſperamus. panni verò aliquo tenaci glutine liniti, ac vtrobique per digiti ęquidiſtantiam ad vulneris latera adhibiti,cum adhęrere tenaciter videntur,& ſicci facti ſunt, ſimul aut laqueis, aut ſutura conſtringantur, donec vulneris labra adinuicem rectè commiſſa coierint, quæ poſtmodũ ſuperaddito medicamento ex oui candido optimè concuſſo,addita roſaceæ aquæ quarta parte,glutinabuntur.aut Recip.Aquę ardentis,vitę nuncupatæ,decoctionis conſolidæ,æquiſeti,& maſticis in vino,albuminis oui diu concuſsi,an.portione æquali:colentur,& quod percolatum eſt,vtere.Turundæ verò ſi in profundis vulneribus,aut vbi oſſa fracta ſunt,aut caro ablata,vel intemperies aliqua apparuerit,admouendæ non ſunt;ſic enim cicatrix deletur.At ſi vulnus cauum fuerit, vel carnis, aut oſſis pars aliqua dempta eſt,tunc & latam,& turpem cicatricem expectare oportet: ſi ſanguinis copia emanat,opportunis pręſidijs ſiſtatur;poſtmodum ab omni ſuperfluitate expurgato vulnere,digito quęratur, an os rimam,aut manifeſtam fracturam patiatur, ſiquidem notæ fracturarũ oſſium ſenſu tactus ſunt ſatis perſpicuæ, quæ aut vbique ſeiuncta ſunt, aut alicui lateri adhærent; ſi ex toto fractura eſt diducta, auferatur.Secus verò,nullo modo dimouenda eſt,ne inde turpis reſideat cicatrix.huiuſcemodi enim vulnera adhibitis opportunis remedijs,ac conuenienti ligatione,quæ in fronte,aut vbi pili non adſunt, ſtringere debet,facillimè adhærent,& agglutinantur.Igitur dimiſſa acuum auolutione,aut pellipariorum ſutura,qualecunque fuerit vulnus,aut in parte molli & mobili,aut ſicca & immobili,fibulatione,ſiue communi ſutura vti cõmodè expedit;quæ inde per aliquos dies tali puluere à putredine præſeruetur.Recip. ſarcocollæ,dragaganti,terræ ſamiæ,aloes,maſticis,an.drag.s.miſce.& fiat puluis ſubtiliſsimus.ſi humiditas multa abundauerit,ſutura ſecetur,& glutine aliquo labra ſimul committantur.in imis partibus orificio dimiſſo,& tunc emplaſtro illo celebri barbaro ſimplicioris temperaturæ,aut triapharmacon, aut de minio, aut de pulueribus vti tempeſtiuum eſt.quæ autem commiſſæ ſunt partes, prima die,nec nimis

latè,

latè, nec nimis arctè conſtringantur, ſed gradatim,iam expurgato vulnere, præſertim ſi ad buccam terminauerit, tunc enim aſsiduè rhodomel adhibeatur interius, & os aliquo magiſtrali decocto abluatur, quale hoc eſt. Reci.pentafilonis, myrthilorũ, radicum conſolidæ maioris, gummi arabici, dragaganti an. miſce, & decoctum in vino nigro paretur. cui addatur ſyrupi myrtini℥, aut roſacei, aut diamoronis, quod ſat erit, & vtere: Interim multa obſeruanda ſunt, nempè ne vulneratus vi quadam manducet. nã violenta maſticatio, ac multus riſus, & frequens loquela, ſi vulnus alicuius fuerit momenti, ſuturas abrumpit. porrò eſca humida, meri potus, aer malus, venus, ira, clamores, & ſimilia vnionem prohibere ſolent, quę naturæ tantùm opus eſt; ſi autem carnis portio ſublata fuerit, nec ſutura, nec glutine vti eſt opus; ſiquidem à ſutura vulnus recollecti marſupij effigiem præ ſe fert. Tunc vulneris caui ſanandi prima indicatio nobis inſinuat, carnem eadem ſpecie cum ea,quæ perijt, rurſus gignendam eſſe. quo fit,vt geminus curandi finis nobis propoſitus ſit, nempè repletio,& vnitio; quoniam & affectus geminus eſt, videlicet continui diuortiũ, & cauitas, quæ ex amiſſa propria ſubſtantia eſt contracta; itaque continui diuortium vnionem, cauitas repletionem deſiderat. Particulares verò indicationes, quibus caua vulnera repleri ſolent, ſumuntur ab ægri temperie vniuerſali, ætate, ſexu, exercitio, modo viuendi, necnon ſedis affectę natura, & compoſitione. adhuc, vulneris quantitate, & ſymptomatum robore; ſiquidem horum plurima dum à ſymmetro naturali deuiant, caro non generabitur. nam carnis gignendæ materia ſanguis bonus eſt, qui nec quantitate, nec qualitate vitioſus fuerit. opifex verò, & effectrix cauſſa, natura ipſa, quę opificis rationem non habebit, niſi ſubiecta materia iuſtum temperamentum obtinuerit; & ſanguis, qui ad eam fluit, bonus, & modicus ſit. hac ratione, his ambabus cauſis,vñ caro naſcitur, præſentibus, nulloq; extrinſecus,quod impediat, obſtante, carnis generatio prohiberi non poteſt. Quæ verò ſingulatim in hac indicatione obſeruanda ſunt, loco ſuo explicabimus: vbi verò vulnus purgatum, ac repletum fuerit, vt cicatrix pulchra inducatur (quod ſummè neceſſarium eſt) ſtudere oportet. hęc ex cuticula quadam noua producitur,quę talis omnino,qualis erat quæ perijt,eſſe non poteſt; illa quidem ex ſemine patris ortum habuit, hęc per accidens gignitur,& cutis officium ſupplet, quæ carnis tegumẽtum eſt; vnde interdum ex medicorum imperitia, aut negligentia cicatrices deformes, atque indecoræ producuntur; prout aliquæ cauę ſunt, vbi oſſa excauata fuerint, quæ teſte Hippocrate correctionẽ nõ admittunt. Interdum ex mala medela,quæ ante tempus opportunum cicatrizantibus medicinis (Epulotica Gręcè dicuntur) vſa eſt, tollitur hoc ſymptoma, cicatricem remouendo, & vulnus denuò planũ renouando. quod facit aſsidua fricatio cum vino puro, aut geranij folijs, aut cantharidibus, donec veſicula eleuetur. qua amota,vulnus, adhibito emplaſtro aureo, aut baſilicone minori, carne repleat. poſtmodum noua cicatrix inducatur. At ſi eleuata,& eminens plus iuſto apparebit, aut inæqualis,& criſpa fuerit, ſi adhuc recens,& tenella extiterit,diu,ex antiquorum [a] experientia, aſinina pinguedine fricetur, & ſuperaddita lamina plumbea arctè alligetur: ſi verò dura, inueterata,& calloſa erit, ſcalpello exulcerari debet, aut medicamento, quod duram ſubſtantiam excedat, tollatur, aut ſaltem cute exulcerata ſupereminens caro aut alumine rochę aduſto, aut hydrargiro ꝑparato, aut ſquãma ęris cõbuſta,aut aliquo ſimili Epirotico abſumatur,donec ſanę cuti æquetur,& tunc cicatrix inducatur. quę ſi dura tantùm percipitur,admoto diachilone,aut lithargyro, aceto acri nutrito, molliatur. quod etiam faciunt radices cucumerorũ agreſtium tritę, addita anſerina axungia, aut ciclaminum radices tritę cum melle: delet nouas cicatrices vnguentum alabaſtrinum, de pomo citri,& de ouo. idem facit oleum de tritico, de myrrha,de vitellis ouorũ,balſaminum,& balſamũ ipſum, ſi haberi poteſt. valet etiam mirificè in Vere aqua, quæ à vite inciſa reſudat, aut à fraxino viridi, cum altero capite aduritur, aut ab ouo recenti, ſi apud prunas coquitur: Nigricantes verò cicatrices, aut malo colore affectas, remouet oleum,in quo brionię radix incocta fuerit,aut calamintha in vino ebullita; aut Reci.argenti ſublimati vnc.s.ſucci limonũ drag. ij. ducantur omnia in mortario lapideo, cum piſtillo ligneo,ſub Sole,donec ſiccetur. deinde ponatur in linteolo,& fiat faſciculus, qui leuiter immergi debet in duabus partibus ſucci limonum,& vna aquæ roſarum; & ita dimittatur, donec ſuccus totus abſumatur; & facta leui expreſsione, ex eo, quod expreſſum eſt, cicatrix liniatur. Hęc pro cicatricibus reparandis agenda ſunt: Attamen, vt ait Celſus libro 5. capite vigeſimoſexto, circa finem; Stultum eſt, ſi vel excreuerit cicatrix, vel caua fuerit, decoris cauſſa, rurſus & dolores, & acrem medicinam ſuſtinere.

[a] ¶ Dioſcorides lib.2.cap. de adipibus. Aetius li. 13.cap.131. Paulus.lib.4.c.47. Auicenna. 4.4. tr.3.ca.14.&.7. 4 tr.2.cap.4.

De oculorum vulneribus. Cap.II.

OCVLI, ideſt organa viſus, vulnere aliquo affici ſolent, à telo pręſertim acuto, & perforante; ſępè etiam à re graui, obtuſa,& ęquali, nempè lapide, aut pila, aut re ſimili contundente; raro verò, aut nunquam ſectum vulnus patiuntur, quin & facies ipſa magno vulnere,ac profundo lędatur, cum oculi cauis ſedibus ſint reconditi, ac pręſeruati: eorum vulnera apertiſsimè ſenſibus dignoſcuntur, & medico magnum negotium, ac ęgrotanti periculum non minus afferunt; ob id,quia eorum mẽbranæ,ac nerui immediatè à cerebro propagantur, maximo ſenſu præditi ſunt, & ad viſoriam facultatem deſtinati humores continent labiles, tunicas tenuiſſimas,perpetuò mouentur,&

ﬂuxiones recipiunt vndequaque facillimè,quare non ab re eſt,aut cæcitatem, quę ex paruo admodum ictu oriri ſolet,aut futuram mortem ab aliquam conuulſionem,prędicere:Quomodocunque verò lęſio aliqua eis contigerit, ſtatim eiuſdem lateris vena cephalica aperiatur. ob eorum enim nimium ſenſum, facillimè atrociſsimo dolore cruciantur, & quamplurimę materię ad ſedem dolentem plus iuſto trahuntur,& inde inflammatione vexantur; vnde ne oculus corrumpatur,vereri oportet:nam ab Aetio ſic dictū eſt;Vbi profundum vulnus in oculo obtigerit,ne inſiti humores periclitentur,obſeruari oportet, ac ne inflammatio ſubſequatur,quam febris,& conuulſio comitatur. præ omnibus [a] ergo,ſi vires ferunt,vena cubiti capitalis ſecanda eſt,inter initia enim nihil hoc præſidio efficacius:at ſi venę ſectio non admittitur, purgatorio idoneo vtamur; ſin minus,clyſteribus aluum ſubducentibus, euacuatio fiat; victus ratio tenuiſſima ſit, & ea omnia cauenda ſunt, quæ caput replere ſolent, ac fluxiones irritare; vinum ex toto, vſquequò accidentia quieuerint, prohibeatur; obſcuritas probatur,motus omnis, & mentalis & corporalis alienus ſit: ſternutare, vomere,ac fortiter clamare,peſsimum eſt:repellentia verò aptiſſimè fronti, ac temporibus admouebuntur.parantur ex oui albumine concuſſo,aqua roſacea,& boloarmeno,aut ex vnguento roſaceo,croco,& ceruſa: in oculo candidum oui aliquandiu digito agitatum inſtilletur,ac deſuper cataplaſma adhibeatur ex oui albo,& luteo contuſo,addito rhodino,vino nigro,& hordei farina, ita vt leuiter tepefactum, & lana exceptum adhibeatur,& leui faſcia ęqualiter comprimatur. In ſecundo apparatu albumini ouorum adijcere poterimus collyrium album ſine opio ad dimidium,ac deſuper fomentum,quod ex roſarum,meliloti,ac capitum papauerum decocto,cum medulla panis, vitello oui, croco,& mulierum lacte,componitur.oculus verò leuiter deligetur,& cataplaſmata leuia ſint;ac,ne ſiccentur,crebrò permutentur:& ſuperna palpebra ſola ex his contegatur: ſi oculus dexter afficitur, dormiat patiens ſuper latus ſiniſtrum;ſi vulnus fuerit in ſiniſtro,quieſcat ſuper latus dexterum. In tertio verò,aut quarto apparatu Recip.Syeph albi ſine opio Raſis [b] drag.ij.aquę roſarum,albuminis ouorum an. vnc.j.tutiæ præparatæ drag.ij. ducantur aliquandiu omnia in mortario marmoreo, & vtere ſub forma collyrij:aut Recip.Lapidis hæmatitis pręparati ſcrup.ij,camphoræ,aloes loti,an.drag.ij.tutiæ præparatę, ſieph memithæ an.drag.s.miſce in mortario plumbeo vſque ad linimenti conſiſtentiam,& vtere. medicamenta hæc omnia ob particulę naturam ab omni roſione,ſiue morſu aliena,adhiberi debent;inter quę quod ex pompholige,& aloe lota conficitur,ab omnibus probatur.Succi etiam quamplurimi ipſis miſcentur,non ſolum roſionis expertes omnino,ſed qui vehementiſsimos dolores lenire poſſunt; vt poligonij,oleaſtri,aut plantaginis. Nos verò ab oui albumine non diſcedimus.conſtat etiam talia pręſidia, cùm medendi tempus prope eſt,vt formentur,eo quòd citò areſcunt. omnes pariter puncturæ in oculo (quales à ſtylo,aut aliquo conſimili telo imprimuntur)magni timoris ſunt;& ſi cornea perforatur,exeūt humores & muci,præſertim aquoſi,& inde cæcitatem expectare oportet.igitur poſt vniuerſalem curandi methodum,ſi nullus inſtat dolor,ſolo oui candido;ſecus verò turturis,aut columbæ ſanguine,irrigandæ ſunt.ab initio quidē fomenta,aut cataplaſmata calida vitanda meritò veniunt,ſed ea vſui ſeruentur, quæ ad prohibendas inflammationes parantur; collyria etiam leuiſsima adhibeantur,quanuis vulnus impurum apparuerit:experti pluries ſumus trifolij oculati ſuccum(andacochā iſti vocant)addita tutia pręparata,& cando puluerizato.adhuc oui candidum diu contuſum cum tertia parte aquæ roſarum, ac parum quid tutiæ præparatæ & boliarmeni. aut Recip. Syeph de thure drag. j. de plumbo, tutiæ præparatæ, aloes loti, candi, an. drag. s. ſucci andacochæ, aut euſragiæ, aquæ roſarum an.q.s.miſce, donec collyrium efformatum fuerit; de quo guttatim tepidum in oculo inſtilletur, ac deſuper linteolum,vnguento roſato Meſues, aut ceruſato coopertum,applicetur.ſi multa effluit humiditas, tali præſidio exſiccetur.Recip. Lapidis hemathitis, antimonij pręparati, tutiæ pręparatę an.ſcrup.j. croci g. v. miſce,& fiat puluis tenuiſsimus: qui in linteolo ſub faſciculi forma alligatur, & bulliat in aqua plantaginis, & roſarum, & fiat expreſſio,& quod expreſſum eſt,guttatim oculo adhibeatur. Si verò oculus prolapſus fuerit(vt ex caſu ab alto, aut ex violenta quadam capitis percuſsione contingit) ruptis nempe vaſis,aut pelliculis, aut lacertis,quibus in eius capſula adhæret, & conſeruatur, periculoſa ſequitur affectio;& ſi foras iam ruptus procedit, ſine auxilio res eſt, quamuis dixerit Galenus; [c] Incredibile quippiam, & quod nunquàm antea videre conſueueram. Puer cum iuxta pupillam ſtylo pungeretur,effluente protinus aquoſo humore,imminuta eſt pupilla,ac ceratoides tunica omnino corrugata videbatur,qui mox curatus,viſum recuperauit,inſtaurato ſcilicet humore paulatim,qui antea effluxerat.Sed huiuſcemodi euentus raro videntur.nam talia vulnera magna ex parte cæcitatem inducunt: ab Hippocrate [d] equidem dictum eſt;Quibus rumpuntur oculi,& poſtea prominent,vt extra locū oculus ſit, his & tempore,& arte,opem ferre non datur,ad hoc vt videant,poſſet fortaſſe humor albugineus reſtitui,tunica intacta remanente,quod euenire nequit,ſi vitrea,aut vuea fuerit vulnerata:cunque igitur affectus ſimilis occurrit,ſtatim ea curatio adhibenda eſt,quæ per venæ ſectionem,& capitis purgationem celebratur.cibus,ac vini potus ſubtrahendus eſt,& ea topica conferre videntur,quæ dolores emulcere ſolent. exterius verò repellentia adhiberi debent,quæ non exaſperent,hoc eſt non validam habeant aſtrictionem;mitigatoria verò ſunt oui albumen,fœnugræci decoctum,ſanguis columbaceus,ſub ala extractus tepidus,ac mulieris iuuenculæ lac recēter in oculo expreſsum.Hęc verò monohemata Gręcè dicta medicamenta,in vehementiſsimis doloribus,aut dum inflammationis initium veremur,aut propter fluxi

a ¶ Hipp.6.Aphoriſ.31.& 7.Aphor.47.Cel.lib.8.c.6,Gal.4.de comp.m.ſm.locos.& libr. de oculis cap.10.Aet lib.6.c.22.Pau.li.3.c.22.Auic.2.3.tr.2.c.5.Raſis.9.ad Alm.cap.15.

b ¶ Libro.9.ad Alm.cap.15.

c ¶ Libro.1.de ſympt.cau.ca.2

d ¶ Lib.2.prædictionum.

xi humoris acrimoniam adminiſtrare tenemur, non tamen immediatè ſupra vulnus, ſed in locis propinquioribus, exterius verò ſpongiam mollem, aut ſplenium poſca, aut vino aſtringente, aut roſarum decocto imbutam, ſuperdare commodum eſt; aut tale adhibeatur medicamentum, Recip. Syeph albi completi, ſyeph de plumbo an. drag. j. ſeminum papaueris albi, fœnugræci an. drag. iij. aquę roſarum, lactis mulierum an. drag. s. pulpę pomorum coctorum vnc. ij. miſce pro cataplaſmate, aut Recip. foliorum papaueris albi coctorum ſub cineribus, carnis malorum dulcium ſimiliter coctorum an. vnc. ij. croci drag. j. farinæ ſemi. fœnugræci drag. s. lactis muliebris vnc. i. s. olei roſati completi abluti q. s. miſce, & fiat cataplaſma. in dolore verò mitiori ſat eſt, emplaſtrum parare ex pulpis pomorum dulcium ſub prunis coctorum, cum ſaccharo copioſo, vnguento roſaceo, & croco: caput pilis denudetur, & cucurbitula occipiti, ac vertici affigatur: reuulſiones à longinquis ſecundum omnem modum laudantur, & vſus acrium clyſteriorum ſummoperè probatur. Cubantis locus obſcurus ſit, & lumen oppoſitum conſeruetur; Somnus, ac quies perpetuò ſint, eleuato capite, aer verò, & omnia calida vitentur. coitus etiam his vulneribus inimiciſſimus eſt: At ſi vulnus ſimul cum inflammatione obortum fuerit, curationem ex ijs, quę inflammationem linire, & concoquere poſſunt, moliemur, non neglectis ijs, quę ad vulnus propriè pertinere videntur. Ad diſcutiendum, ac diſſoluendum ſanguinem, ex ictu aut contuſione in oculo, aut tunicis concretum, ruptis nempe, aut contuſis vaſis in oculorum tunicis (affectus Græcè Hypoſphagma, & ab Arabibus Taifati dictus) facit ſanguis columbaceus calens cum muliebri lacte inſtillatus, ac deſuper medulla panis torrefacta, & vino rubeo macerata ac expreſſa. valet abſynthium viride tritum, cum oui albumine, nocte ſuperpoſitum. pariter & fomentum ex decocto ſertulę campanæ, & ſeminum fœnugræci: aut Recip. Collyrij albi, mucilaginis. ſeminum cidoniorum, aqua roſarũ extractæ an. vnc. s. aloes loti, tutiæ præparatæ an. drag. s. miſce, pro collyrio, laudatur ad hoc collyrium diarodon, nilli, & diaſmirnon, ac multa alia medicamenta, quæ à Galeno [a] deſcripta ſunt: ſi quod autem vulnus bulbi, ſiue oculi capſulam tantùm lęſerit, tunc terebinthina abluatur, aqua conſolidæ aut fœniculi, & cum ea vulnus regatur: ſi verò ſagitta hoc effecerit, magnus inde oritur timor, & ea tunc obſeruanda ſunt, quę infra libro ſexto explicaturi ſumus: ſi quid verò præter naturam in oculi ſubſtantia infixum fuerit, ac ita ibi reſideat, quòd niſi quadam violentia euelli poſsit, nullo modo commouendum eſt, præterquàm ſi ęruginoſum, aut venenoſum fuerit, ſed opus totum naturę committatur; localia verò medicamenta parentur ex oleo terebinthinę, aut de vitellis ouorum, & parum quid croci, exterius fomentũ adhibeatur ex decocto fœnugræci, roſarũ rubearũ, & plantaginis in vino nigro, ad coercendam inflammationem: oculorum verò cicatrices attenuat collyrium ex ſucco euſragiæ, & rutæ, cum melle, & ſagapeno; aut ex ſucco anagallidis, & fœniculi cum melle, & felle taurino.

a ¶Lib. 4. & 5. de comp. m. ſecundum. locos.

De Naribus ſauciatis. Cap. III.

Nares, [b] hoc eſt inſtrumenta odoratus, multoties aut tranſuerſaliter, aut obliquè vulnerantur: interdum contuſione aliqua affliguntur, aut eorum pars amputatur, aut denſiores partes franguntur. quomodocunque autem lædantur, ſi affectus ad narium foramina non deuenerit, curationis methodus eadem ſit, quæ capite de ſimplici vulnere faciei ſuperius iam deſcripta eſt. Si verò foramina ipſa ſecta fuerint, ſumma diligentia adhibenda eſt, ne odoratus aut minuatur, aut deſtruatur. quare partes vulneris ſimplici ſutura, acu nempe breui, & curua (quæ ſi talis in promptu non habetur, igne ſupercalefacta recuruetur) ſecundùm iuſtam naturam, adinuicem committantur, vt deinde cicatrix non ſit deformis, non diſtorta, ſed aſpectu iucunda: inde ſuperaddito oui albumine optimè agitato, internæ partes digitis minimis in nares immiſsis, aut ſaltem ſpecillo, exactè, & concinnè ſunt componendæ; ac, ſi decet, cannula argentea, aut plumbea, aut penna anſerina, aut vulturis, aliquo conſtringente linimento exterius obuoluta naribus imponatur, vt eorum forma, ac vtilitas, & officium conſeruetur, id eſt, ne ſpirandi, ac odorandi facultas deſtruatur, ſi partes nimis arctè coierint; exterius verò aut oui candidum, aut barbarum ſimplicioris temperaturę adhibeatur. at ſi hæc curandi ratio moleſta fuerit, quia inſpiratio prohibetur, aut quia patiens diſtillatione vexatur, aut dolore affligitur, turundæ interius adhibeantur, molles nempe, ac flexibiles, barbaro mirthino multo ſoluto, munitæ; ſiquidem nares ſolent humido proprio citò glutinari. hac ratione, quantò citius expedit, puncta fecentur, & gluten aliquod imponatur, vt de facie vulnerata dictum eſt. Dum verò contunditur, & cõtinui nulla apparet ſolutio, ſtatim manibus cõprimatur, & rectè æquetur, ne ſimus reddatur, aut deorſum ſpectet, aut in neutram partem inclinetur, ac ſtatim oui luteum cum duplici rhodini parte applicetur, aut oxirhodinum cum ceruſa adhibeatur; ſic enim dolor quieſcere ſolet, & fluxiones inhibentur. poſtremò nigredinẽ tollit emplaſtrum ex ouo, aut alabaſtrinum. ſtudere enim debemus, vt quæ contuſa ſunt, maximè ab inflammatione tueantur, & quæ inflammata ſunt, celerrimè ab inflammatione liberentur: ob id parcè viuere, ac corpus totum euacuare, optimum præſidium eſt.

b ¶Hipp lib. 2. de articulis. Pau. li. 6. c. 91. Auic. 5. tr. 3. cap. 3.

Si frangitur naſus, fracturæ modus vnus non eſt; ſiquidem interdum comprimitur, interdum abrumpitur, interdum etiam deorſum, aut ad latus, aut in ea parte, quæ cartilaginoſa eſt, aut in ea, quę oſsibus

bus continetur,inclinatùr. ima narium pars,quia cartilaginea eſt, frangi non ſolet, ſed contundi, ſima peruerti, ſuperior, quæ oſſea eſt,frangi: commodiſsimè enim reſtituitur naſus fractus, ſi in inferiorem partem demittitur,eadem die, vel certè paulò poſt: Naſus enim(ait Hippocrates) ex omnibus corporis partibus facillimè componitur. equidem nullum vnquam naſum fractum vidimus, qui non poſſet protinus componi, ſi priuſquàm callus increſcat,compellatur,modò quis rectè mederi poſsit,ac vellet.

Ergo ſi fractura omnino in inferiori parte fuerit, dirigere eam oportet, atque ſuperius compellere,& in priſtinam ſedem reſtituere; cui rei quocunq; medico magis idoneus eſt æger ipſe,ſi id facere audeat;nā immiſſo in nares indice,vel minimo digito,nō magno negotio fracti oſſis partes in ſuā ſedē reponet,aut ſi non ipſius ægroti,ſaltem pueri,aut mulieris, mollibus ſiquidē manibus opus eſt, vt optimè naſus fractus in priorem effigiem reſtituatur. vtrinque enim digitos,qui naribus accommodentur, immittere oportet, ac in imum,quantum fieri poteſt, atque ita quieſcere,nulla obſtante ratione,donec agglutinetur, vel certè multo tempore, in naribus quidem callus citò increſcit. &,niſi corrumpatur(ait Hippocrates) decem diebus ſaneſcit: ſi verò id fieri nequit, licet aliquid in naribus inſerere,vel linamē tum, vel linteolum,ita figuratum, quod idoneum ſit, & linimento aliquo cinctum, quale ex manna thuris, boloarmeno, maſtice, & oui albumine diu agitato parari ſolet,& ſic vnum ſingulis foraminibus naſi imponatur.Galenus verò fruſtum pulmonis ouili conijcere docet,aſſerens,ꝙ ſi ſpongię indantur,humorem imbibant. antiqui linteolum cartaginenſi pellicula obuolutum,circumſutumquē adhibebant, quod magis probatur quàm ouilus pulmo: At vbi fractura ſuperior fuerit,nihil horum dimitti intus poteſt, nam difficulter ſpiratus trahitur, ſed grandis penna mollis ,pellicula circundata, ne fracta aliqua pars in eius cauum decidat, ea ſiquidem eſt, quæ impulſu eget, vt excitata poſsit in ſuam ſedem detineri. Quòd ſi plura erunt fragmenta, eodem modo extrinſecus ſingula in ſuas ſedes digitis erunt compellēda, & adhibito medicamento ex farina milij recenti lota,& glutinoſa, boloarmeno, draganto, thure, maſtice,ac reſinæ portiuncula habena ad hoc idonea ſic conſeruari debent,nec altera faſcia adhibenda eſt.nam,vt ait Hippocrates,qui præſtantia vincula amant,ſine mente complura alia lædunt, vt quæ magis partes reſimas efficiant, & diſtorqueant. attamen habena interdum ſic paratur,quæ vel vt pollicem non excedat, vel quantum conuenit,lata ſit,& extrinſecus naſo,qua parte declinatur, intendenda, ſic vt naſus dirigatur;longa enim eſſe debet,ac tum ſub aure, ac circa caput ſurſum adducenda, & ibi auoluta vincire. verùm ad naſi fracturarum diuerſitatem,varij modi faſcian di,ac faſciæ admodum diuerſæ à Galeno lib. de faſcijs fuerunt deſcriptæ, veluti funda,accipiter,vallum,rhombus,& ſemirhombus,quæ ferè omnes literæ X imaginem præſeferunt.Cumque naſi pars aliqua ex toto amputatur, præſertim cartilaginoſa, curationis ſpes omnis deperditur, ob id, quia hæc pars[a] cum exanguis ſit, neque augetur, neque coaleſcit;Deficientes verò partes, inquit Galenus,[b] quæcunque ex ſanguine ortum habent, corrigi quidem non eſt impoſsibile,quæ verò ex ſemine,propemodum impoſsibile exiſtit: porrò augentur partes,ſi iam defecerit propria ſubſtantia, ſubnaſcente carne, quæ deperdita eſt, & vocatur cohalitus per viam ſecundæ intentionis,à Græcis verò ſiſarcoſis. Coaleſcunt verò,dum rore proprio,ac elementari agglutinantur,& dicitur cohalitus per viam primæ intentionis, ſimphiſis Græcè dicitur: Igitur audiendi non ſunt, qui ablatum naſum denuo reſtituere pollicentur, quoniam neque naturæ artificium, neque artificis munus tam amplo priuilegio conſtitutum eſt, vt abſciſſum penitus à facie naſum, in integrum reſtituere poſsit,nec naſum ſemimortuum reſcindere debemus; ſiquidem partem naſi ſic conſtitutam,rectificatam,& agglutinatam interdum vidimus: curantur communiter naſi vulnera ſiccisſimis medicinis; nam Hippocrates ea vulnera abundè ſiccari voluit; porrò ſi pars naſi frigida, aut ſemimortua apparuerit, eam,aut patientis manu calefacta,ac diu applicita,aut linteolis ſupercalefactis adhibitis, excalefacere oportet.ad quod etiam facere ſolet pullus gallinaceus,aut columbaceus de recenti ſectus, & calidus ſuprapoſitus: prius tamen partes ſutura condecenti vniantur. naſus ſiquidem, niſi ex toto amputatus fuerit,& conciderit in ſolum,facillimè agglutinationem recipit.

a ¶ Hipp. lib. Aph.19.7.Aph. 28.li.1.de morbis.& lib.de Coac.præno. Ariſt. libro 1.de Hiſt. ani.cap.13. Gal. lib.1.de ſemine c.8.li.3. art. par. m.c 91.& 3.meth.cap.5.

b ¶ Lib. ar. par. m.c.87. libr. de conſti.ar.m.c.7. & libr. de ſemi. cap.8.

De labrorum vulneribus. Cap. IIII.

VLNERA labrorum, quæ ex quatuor muſculis, qui ipſis famulantur, compoſita ſunt, quorum fibræ vario modo procedunt,atque inter ſe commiſcentur,& implicantur,vnde varios motus edunt, exactè ob decoram formam,æquari deſiderant, quæ adamusſim eſt conſeruanda. igitur ſi amplum fuerit vulnus, decentem requirit ſuturam,ac ſicca medicamenta,quæ cruentis vulneribus accommodantur;nempe quæ citò eius partes ſectas agglutinare poſsint,nam loquela,ac frequenter ſputa mouendo,& humectando,huius membri conſolidationem prohibere ſolent: ob id his vulneribus ea medicamenta iuuare videntur,quæ vulneribus narium proſunt; igitur interius rhodomelle,exterius oui albumine,aut barbaro mirrhino multo ſoluto,vt amini.

De ſectis auribus. Cap. V.

AVRES, ſi à cauſis deforis venientibus, læduntur, nullum imminet periculum. verun tamen ſi eorum pars aliqua ex toto ablata fuerit, nunquàm denuò generabitur: at ſi ſola vulnera ſint, & aliquam obtinuerint profunditatem, rectam ſuturam expoſcunt, ac medicamenta valde ſiccantia, virtute aſtringente & agglutinante, non expoliata, requirunt. nam audiendi locus, quoniã ſicciſſimus eſt, medicamentis eget, quę vehementiſſimè ſiccent: ſic enim aurium vulnera facillimè ſanitati reſtituuntur. abundè ſiccari huiuſcemodi vulnera iubet Hippocrates, [b] cum natura ſicciſſimæ aures ſint, eo quòd ex chartilagine, & cute conſtant, quę leuis ac mollis eſt, vt ab externis iniurijs, & ictibus minus lædantur. oſtenſum enim ab Hippocrate eſt, vnamquamque partem, quatenus ſiccior eſt, eatenus ſicciorem curationem requirere: ſiccare enim ſolet has partes ſine mordicatione mel atticum inunctum, inſperſo denique quouis medicamento bene contrito, veluti eſt thus, aloes, & mirrha, aut trochiſcus andronius, vino leuigatus. vbi enim quis aurem ſectam curare tentauerit, ab omni cataplaſmate, & liniměto abſtinere debet: ſed medicamentis vtatur, quæ protinus cruentis vulneribus inijciuntur, vel alio, quod neque onere lædat, neque acuitate moleſtiam afferat, quale eſt oui albumen diu concuſſum; aut medicamentum, quod ex ſalice, aut ferri ſcoria paratur; aut illud celebre barbarum ab antiquis, [c] ſub diuerſo tamen genere compoſitionis deſcriptum. nos verò, quod ſimplicioris temperaturę eſt, magis probamus; ſic enim conficitur, Rec. Bituminis iudaici, picis aridæ, reſinæ, ceræ an. vnc. xij. Terebinthinæ, mannæ, thuris, opopanacis, ceruſæ an. vnc. ij. argenti ſpumæ vnc. j. olei mirthini vnc. iij. aceti q. s. & medicamentum pareťur in bona forma. à Celſo ſic deſcribitur. Aeruginis raſæ drag. xij. ſpumæ argěti drag. xxx. aluminis, picis aridæ, reſinę, pineæ aridæ drag. x. olei mirthini, aceti an. q. s. eſt enim præſtantiſsimum remedium. adhuc ſcire oportet, in omni auris fractura vinculum inimicum eſſe, nam laxum nihil boni affert: quod ſi magis aſtringatur, plurimum officit. nã aſtricta auris dolere ſolet; inde pulſatione, ac inflammatione vexatur. Si eius cartilago rumpatur, antequã pus oriatur, cute integra exiſtente, medicamentũ glutinans imponatur: ſi autem cũ cute cartilago abrupta fuerit, cutis vtrinque ſuatur. Si verò pus orit̃, cutis pars altera aperienda eſt, & linteolum imponatur cum medicaměto, quod ſupprimat, & omne pingue vitetur, & lana mollis auri ſubijcienda eſt, quæ, quod inter eam & caput eſt, impleat, & ea leuiter liganda, donec ab inflammatione tuti fuerimus, in quo tempore cibi, ac potus abſtinentia neceſſaria eſt.

a ¶ Gal. 3. de cõpo. m. ſm̃ locos. 5. meth. cap. 10. 6. meth. cap. 6.

b ¶ Lib. 2. de articulis.

c Scribo. lar. de ſcrip. 207. Celſus li. 5. cap. 19. Gal. 2. Katag. in fine. Actuarius. lib. de comp. m. Paul. lib. 7. c. 17.

CHIRVRGIAE

IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI,

Tractatus Tertius.

De vulneribus.

LIBER TERTIVS.

De neruis, ac neruoſis partibus ſauciatis. Cap. Primum.

IN partium [a] ſimilarium humani corporis numero nerui habentur, qui, vtcũquè ſimplices exiſtant, pretioſiſsimà organa ſunt, & munere præſtantiſsimo funguntur, cùm ſenſus & motus vniuerſi corporis vehiculum ſint, à cerebro, & ſpinali medulla, tanquàm à fonte (& ſi ſecus crediderit Ariſtoteles) [b] originem ducentes, cui continuitate indeficienti iunguntur, nec [c] ab ipſo admodum diſsident, niſi quatenus compactiori materia ſunt conſtituti: quod factum eſt, ne à quolibet facilè læderentur; eoque magis denſantur, quò elongati ab ipſo, partibus affuſi motum excitare tenentur: ſecus autem ij, qui ſenſibus duntaxat inſeruientes, à cerebro immediatè propagati, molliorem conſiſtentiã ſunt conſecuti, iccirco etiam humidiores ſunt; ſic enim ad faciliorem alterationem, velocioremque opus erat, ſiquidem ad ſenſuum inſtrumenta principis partis potentia, luminis inſtar, irradiantur, perficiuntque inſtrumenta ipſa, vt ſpecies omnes colorum, ſonorum, guſtus, & tactus ſuſcipere queant; quemadmodum & motiui [d] muſculis circunfuſi, in tendones deſinentes, vbique motus arbitrarios impartiũtur, delata nimirum identidem facultate ipſa (veluti radius eſſent) ad omnes partes motrices: cuius quidem rei indicio ſunt, ſuperiores partes vinculo obductas, ſeu quouis modo arctatas protinus inferiorum obſtupeſcentiæ cauſam eſſe, ac earum ſenſus, & motus priuationis: licèt autem partibus quibuſdam ſeiunctim nerui ſenſitiui à motiuis nec diſtingui, nec percipi poſsint, non eſt, cur hæſitandum ſit de ipſorum differentia, quin alij ſenſus, alij motus, delatores exiſtant, cùm in quibuſdam partibus liquidò conſtet, vt in oculo, & lingua: dignoſcitur etiam ex paſsionibus. nam neruus inciſus, contuſus, oppreſſus, laqueo interceptus, callis affectus, aut putrefactus, à muſculo omnem motum, & ſenſum aufert; & qui phlegmone patitur, nõ parum conuulſione detinetur: eorum [e] ſubſtantia ſatis mollis eſt, & humida, forma oblonga, teres, & alba, tenui duntaxat membranula induta, ac inter ſeminaria membra enumerata. Nerui [f] ſecti non coeunt, neque diminuti augentur, deficiente quidem generationis prima materia, eorum [g] tamen propria humida eſt, à frigido coagulata, â cerebro, & medullari ſpina alimentum ſuſcipiens: replentur [h] nerui facillimè humore albo, frigido, ac viſcoſo, iccirco [i] putredini, ac conuulſioni obnoxij ſunt; quò [k] fit, vt vulnerati eorum curationi aqueum, ſeu quid aliud humidum medicamentum repugnat: in vniuerſum [l] autem omnes tum ſenſitiui, tum motiui ſenſu nimio prediti ſunt, non enim ex ſeipſis, ſed deſuper à magno principio defluente, fuſius tamen in ſuperioribus, maxima animalis ſpiritus copia exuberante. Hinc ori-

tur,

a ¶ Gal. lib. 1. de temp. c. 1 & lib. de ſect. neruorũ Auic. 1. can. ca. de anat. neruorum.
b ¶ 3. de nat. animal. cap. 5.
c ¶ Gal. 9. de vſu par. c. 14. 16. de vſu part. cap. 1. lib. de conſt. ar. m. cap. 4. lib. de motu muſcul. & 6. meth. c. 4.
d ¶ Ariſt. 3. Phyſicorum, & 11. metaph. Gal. li. de motu muſc.
e ¶ Gal. libr. de conſt. ar. m. c. 5. & li. 1. de ſemine.
f ¶ Hip. 6. Aph. 19. 7. Aph. 28. libro de Coac. prænot. & lib. 1. de ſemine ca. 8. 2. Techni. c. 87.
g ¶ Ariſto 3. de nat. ani. c 5. Gal. 8. de vſu part. 6. meth. c. 3. Auic. 1. 3 c. 2.
q ¶ Gal. 2. Aph. cõ. 26. 6. meth. cap. 3. & com. 2. libri de articulis circa finem.
i ¶ Auic. 4. 4. tr. 4. c. 1.
k ¶ Gal. 6. meth. c. 3.
¶ Gal. 5. de vſu part. c. 9.

tur, [a] quòd vulnerati ſæpè conuelluntur, & mentis perturbationem patiuntur. Eiuſdē ferè naturæ ſunt tendones, ſiue eneruationes, tendones à tendendo Grecè dicti, in ſecundo neruoſarum partiū ordine habiti, qui à muſculorum extremitate originem ducunt; nanque cùm neruus à cerebro, aut ſpinali medulla ad lacerti initium terminatur, in eo inſeritur, ac in multas, & minimas, ſeu capillares partes, aut membraneas fibras diuellitur, ac diſſeminatur, quæ totum muſculi corpus intertexunt; denuò in fine coaleſcunt, ac corpus quoddam album, denſum, ac ſatis latum generatur, chorda communi voce appellatum, cuius munus eſt parti ſibi annexæ motum abſoluere: ſentit autem, ac mouetur ea ratione, qua nerui eſt particeps; mixta [b] etenim eſt eius natura, mediaque inter neruum, & ligamentum, tantòque neruo durior, quantò ligamento mollior, propterea & validiora medicamenta ferre ſolet, & accidentia ex ipſis orta mitiora apparent. Enumerantur [c] poſt hæc, ac in tertio neruorum ordine ſunt, vincula, ſeu neruea ligamenta, Græcè [d] ſyndeſmi, Arabicè hacab appellata, quæ ab oſſe oriuntur, & in oſſe, aut muſculo terminantur, & parùm forma ob eorum duritiem, & denſitatem à tendonibus diſſident, & à neruis nobilitate tantùm, cùm prorſus ſenſus expertes ſint: eorum vtilitas eſt, oſſa adinuicem colligare, ac artus formare; vulnerata, vt nullum vitæ periculum, ita ſeram, ac difficilem curationem admittunt. Sunt poſtremò inter neruoſas ſubſtantias enumerati, ac ſimillimam habent ſpeciem, panniculi neruei, ſeu membranę ad hoc genitæ, vt ab eis partes aliquæ duriores ſenſum accipiant, vt oſſa; alioquin, quia ſubſtantiæ terreę ſunt, natura prorſus ſenſu carent; attamen, dum viuunt, & nutriuntur, mediante panniculo ea veſtiente, ſtupido ſenſu prædita ſunt, qui vbique Græcè perioſteos, quaſi circa oſſa, in capite verò pericranion dici ſolet; aliæ verò membranę ſunt, quæ membra induunt, vt pulmones, iecur, & lienem, quæ viſcera ex ſe non ſentiunt, & illis aliquem ſenſum communicant; aliæ præſeruant, & interſepiunt, vt quæ cor ambit, Græcè pericardia; aliæ continent, & conſeruant, vt veſsica, & quæ inteſtina circunuoluit, peritoneon Grecè, ſyphac Arabicè; aliæ conſeruant, & mediant, vt dura meninx; aliæ diuidunt tantùm, vt in thorace mediaſtinon, Græcè diaphratondes dicitur; aliæ ſunt, quæ ſuſpendunt, ac alios præſtantes vſus corpori afferunt, quæ vulneribus rarò admodum obnoxiæ ſunt, niſi vnà ſecum & membra, quibus præſunt, & conſortium tenent, lædantur, quorum, vbi de annexis membris ſectis ſermocinaturi ſumus (& ſi aliter credat Ariſtoteles) [e] curationem aggrediemur.

a ¶ Gal. lib. ar. par. m. ca. 92. 6. meth. ca. 3. & 3. katagenī.

b ¶ Gal. libro de motu muſc. 6. meth. c. 4.

c ¶ Gal. 14. de vſu part. 6. meth. cap. 4.

d ¶ Gal. 6. meth. cap. 4.

e ¶ Lib. 3. de natu. ani. cap. 13.

De neruorum vulnerum formali differentia. Cap. II.

NERVORVM, ac neruoſarum partium vulnerum curationem tractaturi, de qua aliqui nihil, quidam vberius, quidam parcius, quàm ars ipſa chirurgica expoſtulare videatur, diſſeruere; decet quidem prius ad maiorē huius rei dilucidationem eorum formales differentias ſcrutari, quæ ad ternarium numerum reducuntur, nempè ad ſectionem, puncturam, & contuſionem; porrò ſi occurrat, vt cæſim neruus vulneretur, vulnus id, vel tranſuerſim, vel iuxta lōgitudinem infixum erit; atque ex horum vtriſque quoddam fit ſine ſubſtantiæ carnoſæ amiſsione, quoddam cum carnis, ac cutis, quæ interueniebat, deperditione. in vtroque etiam, vel ex toto neruus pręciſus eſt, vel ex parte diſſectus, quod pariter puncturis aduenire ſolet, aut manifeſtè, aut occultè, cùm vel ſecundùm partem, vel iuxta medietatem, aut ſecundùm totum perforatur: dum verò neruo contuſio accidit, ea nempè erit vel ſola, & ſimplex abſque carnis diuiſione, & nerui attritione, aut cū manifeſta continui ſolutione, adeò vt quandoque, ſicut in cæteris ſimilibus vulneribus, neruus nudus appareat, interdum punctus, aut ſectus: inſuper aliquæ aliquo vrgentium ſymptomatum genere complicantur, nempe dum ingenti dolore, inflammatione, aut conuulſione premuntur; aliæ mites ſunt, illas compoſitas, has ſimplices ſectiones Medici vocare ſolent. Ab his igitur enumeratis differentijs decet, tanquàm à morbi eſſentia, quam naturam vocant, curatiuas indicationes aſſumere.

De neruorum vulnerum cauſis. Cap. III.

FAEMET omnium eiuſmodi vulnerum cauſæ ſunt, quæ & cæterarum corporis partium deforis nempè accedentes, ac per accidens corpora alterantes, vt ſubſtantiæ inanimatæ nimirum pungentes, ſecantes, & contundentes, aut corrumpentes; cuiuſmodi ſunt, quę veneno affecta eſſe poſſunt: verùm cum ſuperius, vbi de caluariæ curatione egimus, fuſiſsimè de cauſis vulnerum enarratum ſit, hęc pro nunc ſufficiant.

De neruorum vulnerum ſignis. Cap. IIII.

NOTAE vulnerum neruorum, ac neruoſarum partium, propriæ illę ſunt, quæ ob eorum vehementem ſenſum fiunt, præſertim dum ſedis affectę ſubſtantia neruoſa fuerit: ſunt, inquam, dolores ingentes, inflammationes, reſolutiones, conuulſiones, febres, mentis perturbationes, & interitus; verumtamē dolor ſatis commune ſymptoma eſt, nec (ſicut conuulſio) liquidò neruum ſectum eſſe oſtendit; nam dictum eſt ab Auicenna, [f] quòd ſæpe neruorū vulnera perducunt ad ſpaſmum abſque anteceſsione læſionis prauæ, & non ſit in eis excuſatio, quin illic ſit apoſtema magnum abſque dolore magno, & faciliores eorū diſpoſi-

f ¶ 4. 4. tr. 4. c. 1.

tiones ſunt febres,& apoſtemata multa apparēt in alijs locis, quàm in vulneribus,& ſitis,& vigiliç,& deſiccatio linguç:patet igitur ex his cõuulſionem fieri poſſe,aut inflammationem,nullo præcedente vehementi dolore,aut ob partis naturam, aut ob inflammationis morem.nam Galeno [a] auctore,puncto muſculi capite,quamprimum conuulſio aduenit,quæ nulla conuenienti medicamētorum vi remittitur:in femore verò,in partibus genu anterioribus,vbi magnum videre eſt tendonem,qui conſenſus ratione repentina conuulſione corripitur, morsque inde ſubſequitur abſque dolore magno, quemadmodum etiam poſt vehementem inflammationem. nam à maximo, eoque celeri humorum defluxu, neruorum, aut chordarum ſubſtantia repleri ſolet,ac tumet,eiusque habitudo alteratur,& intēditur, quò fit,vt ſentiēdi vis deperdatur,quç in eius ſymmetro proprio,ac temperamento iuxta naturam conſiſtit,& ob id impreſſionem à cauſa diuerſa ſubitò in eo factam,apprehendere nequit,quæ triſtis ſenſus eſt,dolor vocitata:inquit enim Galenus;[b] Conuulſio,ac mentis perturbatio ſequuntur inflammationes neruorum,ac neruoſarum partium; quare dicere expedit, proprias vulnerum neruorum notas, inflammationes varias eſſe, conuulſionem,ac mentis perturbationem;dolor item ſi adfuerit,& ipſe pariter neruum conuulneratum eſſe teſtatur. eſt [c] enim neruus inſtrumentum,& organum principale ſenſus tactus:febris quoque continuis aſſociata rigoribus,nullum ſeruans periodum,ſauciatos neruos conſequitur,ob quantitatem vaporum,cordis regionem petentium:delirium,vbi neruus magnus fuerit vulneratus,ob neruorum cum cerebro conſortium,præſertim ſi quis magnus neruus læſus fuerit,& inflammatio aliqua appareat,à qua eleuati vapores quàmplurimi,& putridi,caput afficientes ſpiritum animalem conturbant:idem ex ardenti, & aſſidua febre contingit,dum accenduntur,aut exſiccantur humores,& ſpiritus in membranis,& in capite, aut ex longis vigilijs, & ſomni priuatione. Paralyſis quoque neruum ſectum eſſe,interdum atteſtatur,& ſi inter hçc ſigna non deſcribatur,declarat ſiquidem motus inſtrumenta pati, vnde ſequitur impotentia quædam ad motum ſecundùm hominis imperium,paralyſi admodum ſimilis,prçſertim partium ſub ipſo vulnere exiſtentium:replentur etiam nonnunquàm ſucco diuerſo nerui ſecti, aut tendones,& inſitam ſibi virtutem amittunt,tremorque partis indè ſubijcitur,ob ſpirituum ad inferiora debilem tranſitum: humoris adhuc à vulnere continuò emanantis copia,eleodes Græcè, meliceria Latinè, neruoſam partem vulneratam innuit:hæc,ſi facilè effluat,vulnus à doloribus,& alijs prauis ſymptomatibus innocuum reddit,licèt quandoque ſarcoma,ſiue eminens,laxa,mollis,ac ſpongioſa caro ſupercreſcere videatur:ſi verò tendonis,aut nerui capita à vulnere exeant,neruum, aut neruoſam partem affectam eſſe,notius eſt,quàm dicere conueniat,prçter id,qòud ab affecta ſede optimus anatomiſta neruum, aut tendonem vulnus accepiſſe,dignoſcit.

a ¶ 3. meth.c.9. & 5. Aph. com. 65. Auic. 4.4. tr. 3. cap. 1

b ¶ 3. de not. loc. aff. ca. 3. & 5. Apho. com. 1. & 2.

c ¶ Ariſto. 2. de Anima. ca. 10. & 3. de nat. ani.

De præſagandi modò in neruis ſauciatis. Cap. V.

CVM [d] tanto ſenſu,ac tali iam demõſtratum ſit,neruos præditos eſſe,meritò cum læduntur,laboranti periculum imminere, & medico negotium,prædici poteſt. nanque ad leuem eorum læſionem,acutiſsimi dolores ſequuntur, quos celerrimè inflammatio ſubſequitur,& lege conſortij ad ſua principia retrahuntur, & conuulſi fiunt,fitque tunc paſsio acuta,& lethalis,ſiquidem [e] conuulſio ex vulnere eſt lethalis,cùm [f] in ea tandem contrahatur ſeptũ tranſuerſum, diaphragma Grçcè dictum, anhelitus deficiat,& cordis temperamentum alteretur, eiusque operationes deſtruantur, vnde mors ſequitur. Futuram autem conuulſionem ſignificāt tumores mox apparentes,de repentè euaneſcentes;nam quibus [g] tumores in vulneribus apparent,non conuelluntur, neque inſaniunt: verum his euaneſcentibus,de repente quibuſdam à tergo conuulſiones,& diſtenſiones fiunt:quibuſdam autem inſania,vel dolor lateris acutus,vel ſuppuratio,vel difficultas inteſtinorum,ſi tumores ſunt rubicundi:ob inflammationem igitur vulneribus ſuperuenientem,conuulſiones fiunt,& primùm quidem videntur conuelli,quæ è directo ſunt partium inflammatione laborantium.deinde, poſtquàm principium attigerit,paſsio ad totum extenditur corpus; ſecus verò in caluaria fracta contingit.Quãdo igitur quis parte poſteriori vulnus acceperit,quç plurimis neruis repletur,ac tumore aliquo vexari incçperit,qui de repentè euanuerit,conuulſionis periculum imminet,nec in dorſo duntaxat,ſed vbique locorum neruorum:dictum prçterea ab Hippocrate eſt; [h] Si in vulneribus fortibus,& prauis exiſtentibus, tumor non apparet,ingens malum;illa verò vulnera praua ſunt,quæ in capitibus,aut finibus muſculorum occurrũt. nam & in his ſuſpicandum,nè humores, qui ad vulnus fluere deberent,cerebrum petant, cùm tendonibus,ac neruis imbibantur,prçſertim ſi dolore crucientur;quo fit,vt apoſtemata,conuulſiones, ac deliria ſequantur:malum eſt igitur,ſi vulneratis neruis tumor non apparet,hoc eſt,ſanioſæ humiditatis copia; nam [i] laxa vulnera,ideſt optima ſanie prædita,maximam ſalutis ſpem pollicentur:non eſt quidem dubitandum(inquit Galenus)ex vulnere pus generante;ſiquidem tumida vulnera neque inflammationes,neque conuulſiones comitantur.certam portendunt ſalutem labra vulneris tumida,mollia,ac rubicunda, ſi dolore carēt,ac vulnerati prauorum ſymptomatum expertes quieſcunt;ſecus verò neruorum vulnera timēda ſunt,ſi clauſa fuerint,& non expirent.nam occæcato vulnere,retinentur materiæ,ac dolores excitantur,quos inflammationes,vigiliæ,ſyncopa,linguæ ſiccitas,febris aſſidua,alienatio, cõuulſiones, in-

terdumquè

d ¶ Gal. lib. art. par. m. ca. 92. 6. meth. c. 2. & 3. Katageni. Aet. lib. 14. cap. 27. Paul. li. 4. c. 54. Auic 4. 4. trac. 3. cap. 1.

e ¶ Hipp. lib. de Coac. prçnot. & 5. Apho. 2.

f ¶ Gal. 1. Aph. com 12.

g ¶ Hipp. lib. 2. de mor. popu. & 5. Aph. 65.

h ¶ Libro. 2. de mor. popu. & 5. Apho. 66.

i ¶ Hipp. 5. Aphor. 22.

terdumque mors ſubſequuntur: difficilem curationem habent neruorum fiſſuræ; nam eorum ſubſtantia frigida,& exanguis eſt,& caleſcere nequit,nec eorum humiditates coctionem admittunt,& vulnera cacohetica vocantur.Quæ tranſuerſim occurrunt,periculoſiora,quàm quæ iuxta rectitudinem,iudicantur, illa ſiquidem & ſenſum,& motum partis crebrò deſtruunt,hæc autem ſuſpicione vacant: rurſus ea deteriora ſunt, quæ neruum penitus non ſecant,ſed vnam duntaxat partem,ob quam ſanam inde grauiter lędi,& ſæua ſequi ſymptomata contingit;quippe [a] præciſo per tranſuerſum toto neruo,dolores ſedari,conuulſiones prohiberi,& reliqua his vulneribus infeſta,tolli videntur.Ad eundem modum contuſiones verendæ ſunt,ob humorem craſſum,viſcidumque,quo facillimè replentur nerui,& putredini etiam obnoxij ſiunt,cum ab innato calore regi hę humiditates nequeant.Hi quoque in præcipiti ſunt,quorum articuli vulnus acceperint,tùm ob ſedis capacitatem,vbi humiditatum copia facilè aceruari poteſt, tùm etiam ob partis motum continuum. quapropter ſerò plerunque cicatricem admittunt, vehementiſsimique dolores vrgent ob tendonum læſorum quantitatem,qui in eorum capitibus muſculorum oriuntur,aut terminantur:obſeruatumque eſt,vulnera omnia articulis quatuor digitis circunſcripta, periculo non vacare,ac Chirurgorum doctiſsimorum ſolertia indigere:cæterùm neruorum vulneribus,ſed maximè pũctim inflictis,,perperam à principio curatis,maximè omnium inflammatio,& putredo ſuperuenit. Ligamentorum verò vulnera, vt ſenſu prorſus expertia ſunt, ita timore vacant, ac valentiſsimorum remediorum vim tolerant;ergo ſindeſmus ſi is fuerit,qui ab oſſe ad os permeat,maximè ſine periculo eſt; Quidam tamen(inquit Galenus)cùm non valeãt ligamenta cognoſcere,tanquàm neruos & tendones vulneratos ſuſpecta habent,à periculo alioquin remota quomodocunque,afficiantur,quippe inſenſibilia,& ex oſsibus,non muſculis orta,ſicut tendones;vel ex cerebro,ſpinalique medulla,vt nerui:tendones verò, quoniam eorum ſubſtantia compoſita eſt ex neruo,& ligamento,quatenus nerui participes ſunt,eatenus ex cerebro oriuntur,vnde ſecti maximum timorem adducunt,minus tamen,quàm ipſi,nerui conuulſionem accerſunt:quatenus autem ſindeſmi naturam ſapiunt,omni ſuſpicione carent:veruntamen ſecti tendones vtplurimum particulas,quibus alligantur,debiles reddunt. Diuerſorum panniculorum vulnera, præſertim illorum,qui inter neruorum compagines numerantur,magni timoris ſunt, nempe pericranij, meningarum,pericardias,ſepti tranſuerſi,peritonei,veſicæ,& ſimilium;nam horum omnium fabrica neruea eſt,& conſortij lege partibus nobilibus alligantur:ſeruant nimirum tendones villorum ordinem, ad ſui longitudinem,quod in panniculis latet,ſed ęquales & confuſi in omni parte conſiſtunt.Tendones ab omni cauſa alterantur,panniculi ſtupidè ſentiunt,ligamenta apertè dignoſcuntur;nam eorum ſubſtantia dura,alba,ac ſanguinis expers eſt:ferè eiuſdem habitudinis cartilagines ſunt, quę oſsium extremitates circunſcribunt,vbi ſimul iunguntur,& articulos componunt. Verùm quia partes hę ignobiles ſunt,pauca de eis dicere intendimus;id autem ſolùm ſciendum eſt,quòd ab omni cauſa frigida,aut ſi interiùs,aut exteriùs euenerit,membra hæc omnia maximè afficiuntur,atque magis detecta & carne denudata.Iudicatur vltimò,particulas ad vſum naturæ inſtitutum,ineptas fore,ac perpetuò in ea conſtitutione manere, quando nerui,aut tendones vulnerati inflãmatione premuntur,aut penitus fuerint ſecti,aut aliquo ſphacelo deſtructi,aut exſiccati,& tabidi conſpiciuntur:porrò pro confeſſo habetur,[b] quòd nerui ſecti neque augentur,neque coaleſcunt.

a ¶ Gal. libr. de motu muſc. 3. meth.c.9 6.meth.ca.3.Aet. lib. 14.c.29.Paul li. 4.c. 54. Auic. 3. 4.ca.3. Raſis 7. ad Alm. cap. 3. Auer.7.coll.ca. 35.

b ¶ Hipp. 6. Aph.19.7. Apho. 28.lib.de Coac. prænot.& lib.1 de morbis. Ariſ. 3.de Hiſt. anim. cap.5. Gal.li. 1. de ſemine.ca. 8. & li.art. par. m. cap.87.

De vniuerſali ratione curandi neruorum vulnera. Cap. VI.

VNAQVAEQVE [c] indicatio,quæ huic curationi dirigitur,ſub tali ſcopo continetur, ne quis dolor vulneratam partem occupet,& vt ſedes affecta ab inflãmatione tueatur;nam ſic omnis conuulſio,quę ab his cauſis emolitur,prohiberi ſolet:hac [d] ratio ne non expedit aliquo modo vulnerum conſolidationem accelerare, ſed cutis vulnus apertum,inglutinatumque cuſtodire,quo per id ex neruo vulnerato ſanies effluat,& omni ingenio,ne alia praua inſurgant accidentia,ſtudere: quæ duo ex neceſsitate,niſi obſtiterimus,conuulſionem ſubinde accerſunt.Vt autem talem ſcopum aſſequamur,tres intentiones,totam artem medicam conſtituentes, rurſus à nobis erunt diligenter obſeruandæ,nempe diæta,quæ in recta victus conſtitutione conſiſtit,& ſex rerum non naturalium optimo regimine; potio,id eſt materiæ antecedentis ſubtractio,ne ratione doloris confertim ad locum affectum confluant;& Chirurgia, quæ accommodata manuum operatio eſt, medicamenta topica opportunè applicando, ac omnia circunſcribenda adhibendo, dolores ſedando,æruginoſas materias educendo, & conuulſionis noxas vindicando. Patiens [e] igitur victum tenuiſsimum à principio vſque ad ſymptomatum ſecuritatem ſeruet; ſiquidem talis paſsio inter acutas numeratur, in quibus Hippocrates [f] victum tenuiſsimum ſeruari iubet; ob id panatella cum ſaccharo ſola aqua decocta, his, quorum habitudo bilioſa eſt, & ætas iuuentutis tantùm concedi poteſt; quibus, ſi talem abhorrent diætam, condrum in brodio paruæ pullæ decoctum cõcedatur; caro, oua, caſeus, acria omnia, aut cruda, & quæ multi nutrimenti ſunt, dimittantur: aliquibus peractis diebus, niſi aliquid noui emerſerit,dięta aliquantiſper augeatur,ouum ſorbile recens tantùm exhibendo,aut montanas auiculas, aut carnem paruæ pullæ,aut aliquid ſimile, iuxta illã formam,quam in fracta caluaria ſuperiùs expreſ-

c ¶ Hipp. lib. de Vlceribus. Gal. 3.meth.ca.8. 9. 10.4.meth. c.6. 6.meth.cap.2. Auic.4.4.cap.3. & 6.

d ¶ Gal. 6. meth.c.2. Auic. ca de cura vulner.

e ¶ Gal.6.meth. c.3.Paul. lib.4. cap.54.

f ¶ 1.Apho.7.

ſimus:vinum omnino interdicatur,eoque magis,ſi dolor, aut febris, aut inflãmatio apparuerit, ſed aquã ſolam decoctam,aut cum ſaluia admixtã,aut cinamomo addito,aut fœniculi ſemine,& ſaccharo bibat, cui interdũ iuleb roſatũ admiſcetur: locus verò, vbi æger quieſcere debet,Celſo teſte,[a] tepidus ſit; nam multo calore pręditus,poſſet varios humores à toto ad defaticatum locum attrahere,ſi frigiditate,teſte Hippocrate,[b] noceret;nam nihil eſt,quod magis neruos offendat,frigore ipſo;immunis ſit à ſtrepitu,prauis odoribus,& boreali flatu,& perpetuò clauſus:lectulus mollis eligatur,& humilis, ſed non humidus, vt multis in locis legitur:quieſcat continuò membrum,quod ictum eſt;nam quies optimum remediũ eſt. moueri autẽ,aut deambulare, alienũ:ſedis affectæ is ſitus ſit,à quo nullo dolore affici poſsit,aut incõmodum percipiat:corpus inſuper ęqualiter totũ quieſcat;horis certis, ac determinatis dormiat, ſtudeat vene tunc dimoueatur,& vulneri offenſam præſtet; ſtet hilari, ac coſtanti animo,nec vllo modo clamores emittat, aut ira afficiatur;à venere diuortiorum faciat,& frigida omnia fugiat:victus ratio talis ſeruetur, donec decimaquarta dies à ſymptomatibus malis præterierit;nam, vt dictum eſt à Galeno,[c] id tempus præfixum in hoc eſt,& æger ad ſalutem tendit,& ampliori victu nutriri debet,nempè carnibus craſsioribus,& vino oligophoro,id eſt plurima aqua diluto,ac modico,quod clarum & odoratum ſit. Hoc inſtituto,vt ſecundam indicationem aſſequamur,iuxta Hippocratis,& Galeni præceptum,expedit conſiderare,an corpus plenum ſit,& ſcateat prauis humoribus,vel ſuperfluis humiditatibus ſit inane: ſi qua igitur plethora apparuerit,protinus congruo medicamento euacuetur:& quia ſanguis aliorum humorum pater eſt,& hic quidem ad ſectas partes facillimè currit,eius miſsio,ſi qua non obſtiterit cauſa,vtique ſi fortis fuerit virtus, præmiſſo clyſtere,& lenita prius aluo,molliatur,ea quippe probatur,[d] quæ copioſa per vnam diametrum,& diuerſiua celebratur:diameter[e] autem talis ſit,vt locorum affinitas ſeruetur, id eſt dextra manu ſauciata,dexter malleolus,ſiuè talus feriatur;ſiniſtra,ſiniſter incidatur:ſecus verò dextero crure vulnerato,ſubalaris vena dextræ manus;ſiniſtro,ſiniſtrę,rectitudine ſeruata,aperiatur:at ſubalari non apparente,mediam ſecare oportet.Sanguinis quantitas pro ætate,robore, ſexu, & habitudine totius commenſuretur:noſtrates autem Chirurgi, altera manu laborante,alterius venam aperiunt;nonnulli verò diligentiores,aliqua plenitudine apparente brachio affecto,crura ſcarificant; altero crurũ malè habente,alterum,& iuuat.nos verò,vulnere ſupra ſeptum tranſuerſum exiſtente,ac plethora apparẽte, & morbi initio,cũ viriũ robore,ac ætate iuuẽtutis,primò â iecoraria vena,vt plenitudo minoretur,inde à talo ſanguinem mittimus;ſi infra ſeptum,non ex poplite primò,ſed ab axillari,inde ex poplite venã ſecamus.dũ verò alicuius humoris abundauerit copia,id eſt vitioſis ſuccis repletũ corpus fuerit,ea prorſus purganda venit.nã purgatio,inquit Hippocrates,[f] per aluũ pleriſq; vlceribus prodeſt,præſertim,ſi prævalida fuerint, atque magis ijs,quæ in capite,in ventre,& articulis ſunt accepta;has nãque euacuationes indicat ipſa copia,ſicut etiã ſuccorũ vitiũ,redũdãtis ſucci eductionẽ:ſi ergò[g] copia bilis redũdauerit,purgationem emolitur Caſſia,manna,reubarbarum,aut ſyrupus roſatus ſolutiuus; ſi craſſi humoris multitudo aderit,euacuari debet electuario lenitiuo, de dactylis,hiera,aut agarico,& ſimili;&,ſi Galeno aſſentimus,per vomitũ quandoque talem admittimus euacuationẽ:Inſuper cæteri humores adæquandi ſunt, qui in venis, & alibi reperiuntur, ne à dolore moti ad affectam ſedem defluant:igitur ſummo mane ſyrupus exhiberi poteſt,nempe roſatus recens,de cichoria,de endiuia,& huiuſmodi,ſi corpus bile plurima ſcatet;ſin minùs,ille ſit de betonica,& ſtœcade,& rhodomelle cum aquis,aut decoctis vtrobique appropriatis:ſi verò aliqua fluxio irruerit,ad oppoſitam partem eam reuellere ſtudendum eſt: vtique ſi in ſupremis vulnus conſiſtat, inferna leuiter fricanda ſunt,& è contra:alternis etiã diebus,ſi non à natura,ſaltem ab arte,aluus moueatur. Quod verò ad Chirurgiam,& topicorum naturam, ac operationem attinet,ſex nobis occurrunt cõſiderationes;Prima,cuius ſpeciei,ac formę vulnus id exiſtat,dignoſcere,cum à formarum varietate prima indicatio ſumi debeat;aliter enim tranſuerſalis ſectio, quàm longitudinalis inciſio,regi debet;& aliter punctura latens,& obcæcata,quàm aperta & patens,curatur.porrò dictũ eſt, indicatione ſumpta à ſede affecta,curationis methodi variari ſolent,pariter etiam à prauorum ſymptomatum natura,& fortitudine:Secunda aſſequitur,ſi decet,vulnus dilatando,ſi ſatis non dehiſcat; & ſi in eo aliquid extranei interciderit(vt ſpina,telum,oſsiculum,aut pilus,aut aliquid aliud pungens,vel lacerans)inſtrumento aliquo, vt res poſtulat,excogitato,id apprehendi debet,ac leuiter,citò, & ſine dolore euelli:Tertia eſt,ſi vulnus præualidum,aut dilaniatum fuerit,partium diſsidentium coalitus, membrum affectum quàm leuiſsimè tractando,& quæ adducta ſunt labra,ſic conſeruare,hoc ſeruato,vt in imo ſitu orificium paretur,vt ſucci æruginoſi,qui in hiſce paſsionibus gigni ſolent,perpetuò expurgentur: anguſta verò vulnera,vt dictum eſt,aliquo incommodo apparente,dilatentur,cautè tamen,ne malum malo addatur,& elaborandum eſt,vt ſi non iuues,ſaltem non noceas:Quarta,quæ in curandis vulneribus proponitur,ſtat in potentia,vſu,& quãtitatibus topicorum,quæ,vt à medicis decretũ eſt,calida & ſicca eſſe debent:quas porrò qualitates duas ſimul comparando,ſiccitas abſque mordicatione caliditati præcellere debet, habita diligenti conſideratione ætatis,ſexus,habitudinis,& modi viuendi,ac temporis conſtitutionis;diligentia etiam adhibita,vt ſi nocumentũ fuerit in ligamento,medicamenta in quarto gradu ſiccitatis,prætcrquàm vrentia,opportuna fore,ſenſu ſiquidem carent hæc membra;nerui verò,qui à cerebro,aut ſpinali medulla originem ducunt,medicamenta in gradu ſecundo,aut tertio abſque mordicatione requirunt:tendones verò medium expoſcunt ordinem: Quinta in manuum operationibus conſiſtit,

lætè,

[a] ¶ Libro. 5. vbi de art. vuln.

[b] ¶ 3. de reg. acut. 41. libro de humid. vſu & 5. Aph. 17. & lib. 3. de ract.

[c] ¶ 3. de comp. med. in genere. vbi de cura vulner.

[d] ¶ Gal. 6. meth. ca. 2. 3. Paul. lib. 4. c. 54. Aui. 4. 4. c. 3. in. fine, & 4. 4. tr. 4. ca. 2. Auer. 7. coll. ca. 35.

[e] ¶ Aet. lib. 14. c. 27.

[f] ¶ Lib. de Vlceribus. Gal. 4. meth.

[g] ¶ Gal. 6. meth. c. 2. Aet. lib. 14. cap. 27.

lætè,& prorſus ſine dolore operando, & ea omnia qualitercunque vulneri applicauerit medicus, calida actu, & qualitatibus afferat: Sexta eſt correctio, & profligatio ſymptomatum his vulneribus ſuperuenientium, remedia vnicuique propria, prout res deſiderat, admouendo, vt ſingulatim ſuo loco dicemus.

De Neruorum longitudinali fiſſura. Cap. VII.

CVM vulnerum neruorum curationem in vniuerſum ſuperiùs tradiderimus: nunc ſupereſt, vt ſingulatim eorũ curandi rationem oſtendamus, & à fiſſuris, ſeu vulneribus cæſim inflictis, ac longitudinalibus, tanquàm à ſimplicioribus, & ab ijs, quæ tutius curationem admittunt, initium capiamus. Si ergò tendo, aut neruus planè cæſim vulneratus fuerit, ſolet nempè talis ſectio ab acutis ſymptomatibus expoliari, & ſenſibus dignoſci, pręſertim manu, aut pede affecto, magna ſiquidem ex parte nerui in his ſedibus vulnerantur, aut vbi pauca admodũ caro reperitur, & multum interuenientis, ac præiacentis cutis diuiſum fuerit, aut ſic affectus anguſtus eſt, vt nulla certitudo habeatur: tunc verò ſpectandum venit, num totus neruus diſſectus fuerit, an ex toto prçciſus: ſed quo modocunq; id euenerit, nulla cauſa extranea aſsiſtente, optimi Medici officium eſt, partes vulneris ad inuicem (ſi cutis, quæ interueniebat, ſatis pateat) aut ſutura, aut fibulis, aut laqueis, aut faſcijs vnire, ac maximo decori ſic vnitas conſeruare, ne turpis appareat cicatrix, in imaq; parte emiſſariũ aliquod relinquere, quo collecta ſanies effluere poſsit; poſtea affectum locum ab aliena fluxione cuſtodire, & partis laborantis temperaturam conſeruare, ne dolor, qui ob exactam, & excellentem eius naturam vehementiſsimus excitari ſolet, ſubſequatur. ſit igitur Chirurgi actio omnis leuis, læta, dolorem non inducens, nempè turundas molles, & accommodatas imponendo, opportunas faſcias conuoluendo, ac omnia in his peragendo, quæ in Medicatrina ab Hippocrate diligentiſsimè deſcripta ſunt: ſibi primò ea omnia præparet, quæ inter medendum occurrere poſſunt, vtpotè medicamenta, & quæ vulneri circunſcribenda ſunt, ne, cùm illi neceſſaria fuerint, aliunde quærat: vulneris orę[a] committendæ, ac agglutinandæ non ſunt, niſi prius humiditas omnis expurgata fuerit; nam à collecta humiditate extranea, quæ effluere nequit, nerui putreſcunt, inde praua ſequuntur accidentia; putredo namque in eis feſtinat, nam creati ſunt ex materia humida à frigore coagulata: & quia, dùm ſola huiuſcemodi vulnera eſſe ſolent, ac ſolo faſciandi modo ſanari, non multa de eis dicere opus eſt; ſat tamen erit, ſaltem primis diebus, ſi neruus adamuſsim expoliatus non fuerit, turundam aliquam mollem, medicamento ex terebinthina, oui luteo, & paululo croci illinitam, in decliuiorem locum immittere, hoc ſeruato, ne aliquo modo neruus, aut tendo tangatur; deſuper verò celebre illud barbarum, aut diaphænicone ſit, vt per ſpacium quatuor digitorum vulnus amplectatur, expedit applicare: circumiacentes partes inungantur roſaceo, myrtino, ac maſticino oleo, donec nullum amplius phlegmonis, aut conuulſionis periculum immineat. ſi verò cutis, & caro, quę interueniebat, diſſecta, aut deperdita fuerit, adeò vt neruus nudus appareat, nullum pręſtantius medicamentum repertum eſt glutine ipſa albotin: quare cũ de eo ſermonẽ habiturus eſſet Galenus,[b] in hac curatione inquit; Vſus ſum primùm reſina terebinthina per ſe quidem in pueris, mulieribus, & generaliter ijs, qui molli eſſent carne, aut vitam ocio, & ſub vmbra degunt: ob id dicebat Auicenna;[c] Gluten albotin eſt de melioribus medicinis vulnerum neruorum, cum quibus incipitur; verũ illis, qui ſunt ſicut infantes, & mulieres, & cuius complexio eſt vehementis humiditatis, ſufficit, quod eſt ſicut glutinum, albotin ſolùm. non ergo immeritò vſui ſeruatur ab omnibus,[d] cùm omnes requiſitas intentiones huic curationi opportunas in ſe contineat. inſuper audiendũ eſt, quid de ea Galenus dixerit; inquit enim;[e] Amici mei, commentarios vobis paro, ex quibus, quàm efficax ſit noſtra neruorum curandi ratio, adinuenire poteritis, ex qua omnes ſeruati ſunt, non autem manci, nec claudi redditi; quæ aliter curatis, accidere conſpexiſtis, quemadmodũ etiam nonnullos cõuulſione correptos, vel cum dolore, vel putredine, vel febre mortuos. apud me igitur cõtemplatus omnia ex humiditate, & calore putreſcere, ac frigida neruis inimica fore, optimum eſſe vulneratis neruis medicamentum intellexi, quod & ſiccaret, & ad calorem accederet: calidum tamen ſatis eſſe poſſe, modò ſiccandi poteſtate polleat. etenim calor citra humiditatem putreſcere nihil habet: ergo horum medicamentorum facultas ſit temperatæ caliditatis, ſed fortioris ſiccitatis, quorum ſubſtantia tenuis ſit, & fluxibilis ſtipticitatis, & omnis mordacitatis expers, cui virtus inſita ſit, omnem humiditatem à profundo euocare; caliditas verò non admodum vehemens ſit, ſiquidem mordicare poſſet, & aliunde materiã attrahere, ac locum ad inflammationem excitare: porrò ſiccitas neruoſas partes à putredine præſeruat, eas corroborat, & omnem dolorem tollit: hac quippe ratione communis opinio eſt, in neruorum ſciſſuris longitudinalibus nullum nobilius, ac ſecurius medicamentum dari poſſe glutine albotin, id eſt terebenthina clara, & odorata; Ex omnibus reſinis (ait Dioſcorides)[f] terebinthinæ principatus datur, poſt eam lentiſcinę, tum ei, quæ de picea redditur & abiete, exſiccat, corroborat, præſeruat, obſtructiones aperit, & abſque vllo dolore abſtergit; quare in denudato neruo, & ad longitudinem cęſim affecto nullum præſtantius medicamentum dari poteſt: multoties etenim in his vulneribus

a ¶ Gal. 6. meth. c. 2. Auic. ca de cura vul. neuorum.

b ¶ 6. meth. ca. 2. & 3. Katageni.

c ¶ 4. 4. tract. 4. cap. 3.

d ¶ Aet. lib. 14. cap. 27. Paul. li. 4. c. 54. Albu. li. 2. c. 85.

e ¶ 6. meth. c. 2. 5. Apho. com. 66. 3. de comp. med. in genere.

f ¶ Lib. 1. c. 90.

iuxta membri longitudinem factis, deligatura vulnerati muſculi partibus inuicem contrahendis ſufficit; Quare (dicebat Auicenna) ſi neruus fuerit detectus, & inciſio ad longitudinem, tunc ſtude, vt ipſum carne cooperias, & pone ſuper ipſum medicinas exſiccantes, & ſtringe pannis longis ſtrictura colligente, & aggregante ſuper rem magnam loci ſani. veruntamen, ſi de aliqua eius nitroſitate verendum ſit, abluatur vino albo, aut aqua betonicæ, aut conſolidæ, quod facere præcepit Galenus, [a] etiam omnibus mineralibus pro hac curatione vſitatis; & mel, & cera, & terebinthina abluenda eſt, vt abſque mordicatione exſiccare poſſit: in corporibus verò laboribus aſſuetis (nempè militum, ruſticorum, & nauigantium) ſi vehementiorem deſiderabimus exſiccationem, illi addatur parum quid tutiæ, aut calcis ſub cane aqua dulci ſæpiùs elotę, cum permagna humanorum corporum ſit differentia, tum in temperamentis, ſicuti ætatum mutationibus, vitę ſtudijs, ſexibus, viuendi ratione, & ſimilibus; vnde nulla ratione ſingulare quoddam medicamentum omnibus conuenire poteſt. Igitur duo in promptu habere expedit, alterum potentius, & ſimilium genere confectum; alterum mitius; quæ duo inuicem componi, & admiſceri poſſunt, dùm vſus poſtulat. ſi namque partem ex vtriuſque portione quis temperauerit, exactè medium amborum erit; quòd ſi alteri plus adijciat, illud à medio tantò recedet, quātò mixtura ſuperauerit: & hæc fortaſſis erit vera horum vulnerum curandi ratio. nam dicebat Galenus; Proponatur, multum cutis eſſe apertum, adeò vt neruus nudus appareat, isque per directum, non per tranſuerſum diuiſus, huic nullum iam memoratorum medicaminum, quę ex euphorbio, ac ſimiliter acribus emplaſtris fiunt, applicabis; nudatus nanque, non fert eorum vim, ita vt, cùm interpoſita cutis erat, tulit. optimè igitur eo caſu calce elota multo oleo roſato, aut maſticino ſoluta, aut quod ex pompholige medicamentum fit, vtare, ſalutare enim admodum eſt.

a ¶ 9. de ſimpl. med. 3. Katageni, & 6. meth. cap. 3.

PRAXIS.

AD vulneratum quamprimùm accerſitus, vt cognoſcas, elaborandum eſt, ſiquid in vulnere præter naturam cōtineatur; nam id ſtatim eximere oportet, aut digitis, aut volſella, aut forcipe, aut alio inſtrumēto, cuius effigies locis proprijs fuit delineata: & ſi cutis, aut carnis, quæ interuenit, ſectio non ſatis patuerit, ampliori, vt decet, diuiſione aperiatur; & ſi labra valdè diſsident, futura committātur; & ſi ſanguis multus effluxerit, aliquo puluere vim aſtringendi habēte, aut ligatura ſiſtatur, & nō oui albumine, aut aceto, aut tenuiori medicamento maioris frigiditatis. inde linamentis, vel ſtupis ſiccis plaga oppleatur, & manu ſuperpoſita faſcia conuoluatur, & alligetur, & membrum commodè collocetur, ac inde euacuato corpore, victus regimen inſtituatur: poſtmodum in ſecundis viſitationibus omnia primùm pręparentur, quæ ad medelam faciunt, & æger intra tectum, modò hyems fuerit, ad quintū vſque, aut ſeptimum morbi diem ſeſe contineat; nam ſi eo vſque nec phlegmone quadam tentetur, vacetque prorſus dolore, & nullam ſentiat tenſionem, in poſterum tutus erit: hoc interim locale medicamentum ſit reſina laricina, qua vtimur loco terebinthinæ, cùm terebinthinæ veræ copia non affluat his noſtris regionibus, & experimento diuturno comprobatum ſit, laricinam pręſtantiſsimam eſſe, nec à Græcis cognitā, & hęc actu ſit calida, non tamen vehementis caliditatis; nam in primis ſemper eſt cura habenda, ne quid ex his, quæ vulnus contingent, valdè calidum, aut frigidum ſit, omnia tamen quouis modo applicanda qualitatibus calida ſint: guttatim tale medicamentum in vulnus inijciatur, ac deſuper lata petia eo madefacta imponatur, lichinia verò, aut turundæ, aut linamenta adeo mollia, ac tenuia ſint, vt nec neruum contegant, nec dolorem inferant: partes, quæ in conſortio apparent, oleo maſticino, de ſemine lini, ac camomellino lumbricato foueantur: aliquibus peractis diebus, vulnus, ac ſi ſimplex & recēs foret, ſolo faſciandi modo regatur; quare adhibito barbaro, aut palmulato emplaſtro, ad cicatricem perducatur.

De neruorum tranſuerſa ſectione. Cap. VIII.

NVNC de tranſuerſo nerui vulnere, quod Arabes gauziratum vocant, agamus: illud namque, aut ex toto, aut ex dimidia parte neruum ſecat: quòd ſi totus præciſus fuerit, metus nullus inſtat, debilis tamen affecta particula remanebit, præſertim ſi diſſectus neruus inſignis magnitudinis fuerit, & eius curatio cum ea, quam paulò ſuperius explicauimus, communis eſt: at ſi neruus ex dimidio præciditur, conuulſionis maior metus impendet, phlegmone ſcilicet à diſſectis fibris ad non diſſectas communicata: cæterùm conuulſione ab ipſis non ſectis excitata (cum neruus ex ſentiendi, quod obtinet, acumine, dolorem excitet, & inde ex neceſsitate inflammationem, quam vtplurimū cōuulſio ſequitur, niſi quis ſtatim dolori medelam inuenerit, & phlegmonis generationem prohibuerit) detrahere largius ſanguinem, ac tenui magis, quàm in alijs, vti victu, ac in quiete hominem continere, iubet Galenus, [b] ac oleo calenti vbertim, & ſæpius in die, ſi in manu, aut brachio fuerit vulnus, axillas, collum, ceruices, & ſpinam inungere: at ſi vulneratus neruus ex his fuerit, qui in crure, aut pede habentur, inguina, pecten, apoplites, ſpinam, & collū ſæpè humectare; quo facto, vt pariter mala ſymptomata prę caueamus, vt locus affectus corroboretur, et mala temperatura tollatur, ſi quid influit, inhibeatur, & ſi quid fluxerit, vt diſcutiatur, ſtudere operæ precium eſt: huic noſtrates Chirurgi per tres digitos ſupra locum

b 6. meth. ca. 3.

cum affectum ſimile medicamentum inhibitiuum, ab eis defenſiuum vocatũ, adhibere ſolent. Recip. Olei roſati omphacini, maſticini an. vnc. ij. ſucci plantaginis, centinodiæ an. vnc. j. aceti albi vnc. s. vermium terreſtrium vino lotorum vnc. j. bulliant ſimul, donec acetum, & ſuccus fuerit conſumptus; & adde boliarmeni, terrȩ lemniæ, ſandalorum rubeorum an. drag. iij. iterum parum bulliant, & addita pauca cera, fiat linimentum: vulnus laricina, ſeu Terebinthina reſina actu calida repleatur, non tamen, vt nimio calore adurat; nam in neruo denudato, ac tranſuerſim ſecto vſque ad quartam diem, æſtate bis, & hyeme ſemel adhibita, erit ſalubre medicamentum: tranſacto hoc tempore, ſi qua accidentia non apparuerint, vulnus baſilicone regatur, & triapharmacone ſigilletur. verùm ſi ichor aliquis, aut ſubtilis humiditas à vulnere emanauerit, ad ſicciora tranſire licet; nam ea quȩ viriliter exſiccant, etiam quòd nerui expoliati ea non ferant, in tranſuerſalibus vulneribus admittuntur: adhuc quia de neceſſitate plerunque huiuſcemodi vulnera ſuuntur, & nerui ſecti à carne cooperiuntur (nam per tranſuerſum vulnere accepto cum ligatura nihil prodeſſe poteſt) ſola ſutura totum abſoluitur, has ſuturas niſi quis altas fecerit, muſculi partes inglutinatæ remanent; quare altioribus ſuturis vti expedit, haud ignari carnoſam muſculorum partem periculo vacare: cautè ergo in iam conſuto vulnere, præſertim magni lacerti, in quo ad eundem ferè ordinem ac tendines procedunt, fortiori medicamento vti quis audebit, nam perpetuò in his paſsionibus maxima malorum humorum copia gignitur, quȩ pariter vehementiorem ſiccitatem requirit, hac ratione in duris corporibus nequaquam verendus eſt ſulphuris, aut euphorbij vſus; veluti, Recip. Terebinthinæ claræ vnc. ij. olei hypericonis vnc. j. ſulphuris ignem non experti, non petroſi, ſed clari ac leuis, ſubtiliter puluerizati drag. ij. miſce, & aliquantiſper bulliant, & vtere, celebre quidem medicamentum eſt. aut Recip. Terebinthinæ vnc. ij. olei anetini vnc. j. ſulphuris, vt dictum eſt, præparati drag. ij. miſce & vtere. aut Recip. olei de terebinthina, maſticini lumbricati an. vnc. ij. euphorbij recentis in minutiſsimum puluerem redacti vnc. iiij. croci ſcrup. s. miſce vt ſupra. aut Recip. olei abietini, hypericonis, maſticini lumbricati an. vnc. j. reſinæ pini vnc. s. ſulphuris viui, euphorbij recentis an. drag. ij. croci parum. miſce, & lento igne parum bulliant, & vtere ſic, vt ad vulneris vltimam differentiam penitus penetret, & omnis exſiccetur humiditas: porrò prȩdictis defenſiuis, vnctionibus, ac vnguentis non contenti, vt à dolore & inflammatione hæc vulnera tuta reddantur, expedit aliquod cataplaſma ſuperaddere, cui ſit inſita virtus corroborandi, exſiccandi, putredines prohibẽdi abſque multa ſtipticitate, & cõſtrictione: &, vt hȩc parari poſsint, multa ſimplicia à Galeno probãtur, nempè dictamum, matricaria, poliũ, chamepitheos, centaurea maior & minor, ſtœcas, ſertula campana, conſolida, iua, betonica, terebinthina, lumbrici terreſtres, farina lupinorum, fabacea, fœnugræcum, oleum maſticinum, camomellinum, rob, lixiuium clarum, & ſimilia: ſed quia, vt decet, diuerſimodè parãtur ratione ſedis affectæ, & ſymptomatum fortitudine, interdum calidioris, interdum frigidioris naturȩ eſſe debent. Si ergo alicuius inflammationis initium apparuerit, expedit aliquod emplaſtrum huiuſmodi componere, vt materia, quæ fluit, reprimatur, & quȩ fluxa eſt, diſſipetur. Recip. florum roſarum, myrti an. m. j. betonicæ, camomillæ an. m. s. decoquantur in vino nigro tenui, & piſtentur, & adde farinæ hordei vnc. iij. fabarum vnc. j. s. olei roſati, maſticini an. vnc. j. s. lixiuij clari q. s. miſce, & fiat emplaſtrum in bona forma: procedatur ſic vſque ad ſeptimam, nam hic terminus eſt communiter malorum accidentium: at cum bona apparuerit concoctio, & nullum aderit ſymptoma, vulnus, ſi expedit, aliquantiſper abſtergatur, & ad hoc mundificatiuum de melle à multis laudatur, cuius compoſitio eſt talis. Recip. lithargirij vino albo loti vnc. ij. olei maſticini, ceræ, mellis an. vnc. j. miſce: his omnibus poſtea dimiſsis, vnio tentanda eſt, quare ſalubre medicamentum puluis hic eſt. Recip. pulueris lumbricorum terreſtrium prȩparatorum, granȩ tinctorum, equiſeti, olibani, ariſtolochiæ an. partes æquales, miſce, & fiat puluis, ſicut alcohol per petiam tranſmiſſus, quo ſinus impleatur, & deſuper, aut barbarum, aut diapalma, aut græcum emplaſtrum adhibeatur: verùm ſi in fine tenſio aliqua, aut durities, remãſerit, tale medicamentum, quo nos vtimur, applicetur. Recip. Cẽtaureæ minoris, lanceolæ, cynogloſſȩ, piloſellæ, conſolidæ maioris & minoris, caudæ equinæ, millefolij an. m. j. vermium terreſtrium præparatorum vnc. iij. olei maſticini vnc. vj. vini albi odorati vnc. xviij. aceti roſati vnc. iiij. macerentur omnia ſimul per dies octo, & adde ſepi caſtrati vnc. xij. picis naualis, reſinæ pini an. vnc. iij. bulliant omnia ſimul vſque ad vini, & aceti conſumptionem, & cola, & adde ammoniaci, galbani, opopanacis in vino ſoluti an. vnc. ij. terebinthinæ clarȩ vnc. iiij. olibani, maſticis, ſarcocollȩ an. drag. iij. croci drag. s. deinde omnia lẽto igne ſimul bulliant, palmea, aut ſalicea ſpatula perpetuò agitando, inde addita cera quoad ſufficiat, fiat vnguẽtum in communi forma, aut vtare cerato oxycroceo. His medijs vulnera hæc ſanitati reſtituuntur: ſi verò, vt ſæpè contingit, praua ſupernaſcantur accidentia, ea ſeruanda ſunt, quæ ſingulatim in eorũ curatione à nobis inferius ſuo loco demonſtrabuntur.

DIGRESSIO.

QVIA in cura vulnerum tranſuerſorum partium neruoſarum quò ad eorum ſuturam, & ſuendi modum nonnulli diuerſimodè excogitantur, nempè ſi neruus, aut tendo ex toto præciſus ſutura agglutinari poſſit, hæc pauca in hac methodo cogimur in medium afferre. Credunt aliqui,[a] & ſuis rationibus, experimentis, ac auctoritatibus probare nituntur, neruum ex toto diſſectũ ſutura coiri poſſe, nec aliter curari debere; aſſerunt tamen neruorum capita vnà cum exrremitate muſculoſæ carnis

[a] ¶ Guido de Cauigliaco Lanfrancus Mediolanen. Guilielmus de Saliceto Brixien. & alij.

debere aſſui,& illicò rodeolo ſuperpoſito partes ſic vnitas faſcia opportuna cōſeruari,affirmātes, quòd ex tali modo curandi melior cōſolidatio contrahatur in ipſum neruum,qui ſi aliter curatus,aut ex toto, aut ex maiori parte motum amiſerit,eundem ex ſutura redimere potes,& membrum fortius redditur, nec dolor ab acu productus timēdus eſt;tollitur enim,quamprimum à roſaceo tangitur:probant hāc operationem ratione à praxi ſumpta,& à Galeno confirmata,dicentes, ſicut peritoneum, ſiue ſiphac membrana quidem neruoſa inter abdominis,ſeu mirach muſculoſas ſubſtantias conſutum vnitur;ſic pariter & cæterę partes neruoſæ inter ſubſtantias carnoſas congeſtæ conſolidari perfectè poſſunt.& ſi talis vnitio rore proprio ac elementari,ſiue(vt dici ſolet)per viam primæ intentionis non fit, coeunt tamen medio aliquo eterogeneo,& carne mediante,& alligante,quod in pueris apertiſsimè videri ſolet,in quibus nerui vulnerati perfectè vniuntur;& quamuis aliqua eorum operatio deſtruitur,obſtructione in eis facta,vnde ſpiritus per eos tranſire nequeunt,non tamen motiuam virtutem amittunt: pręterea ſicuti oſſium fracturis occurrit,quę reſtaurata,ac in propriam ſedem redacta,& facta,vt ait Hippocrates,iuſta natura facilius à callo,ſiue alrosboth,aut poro ſarcoide alligantur,& perfectius vniuntur,& citius ſanantur:ſic ſectis neruis,ac ſutura conuenienti vnitis euenire poteſt.& ſi oſſa callo ipſo alligantur,nerui per muſculorum partes conſolidantur,& inde proprias exercēt operationes:teſtimonijs denique quamplurimis hoc affirmare mouentur,& Raſis [a]præſertim,& Auicennæ,[b] ſiquidem ab eis dictū eſt;Si neruus ſecundum longitudinem ſectus detectus fuerit,ſtude,vt carne cooperiatur,ſiccis nempè medicinis, ac opportunis faſcijs;& ſi vulnus ſecundùm latitudinem infigitur,tunc ſutura vniatur:nam aliter ſanari nequit.credunt pariter & Galenum hoc in tendonibus conceſsiſſe,ergo & in neruis,nam hæc ſunt eius verba [c] in caſu Gladiatoris; Etenim in vulneribus iuxta membri lōgitudinem factis deligatura vulnerati muſculi partibus inuicem cōtrahendis ſufficit:per tranſuerſum vulnere accepto,cùm deligatura nihil prodeſſe poſſet, ex ſola ſutura totum abſoluitur.Paulum[d] etiam iſtius opinionis eſſe affirmant,cùm dicit;Si tranſuerſum vulnus eſt,maior conuulſionis metus impendet,& nonnulli in vulnere recenti adhuc ſuturis vſi ſunt, & medicamento conglutinatorio;ait etiam equiſetum,ſi illiniatur,neruos quoque pręciſos iungit.affirmāt adhuc Guidonèm à Cauliaco,& alios vidiſſe,ac ab alijs audiſſe,perfectè nonnullos à vulneribus neruorum,facta in eis ſutura,ſanitati reſtitutos,nullo habito in arbitrario motu detrimento.Hæ ſunt rationes, ac teſtimonia aſſerētium neruos,aut tendones per tranſuerſum diuiſos ſutura vniri debere;ſecus autem vnà cum veritate quàmplurimi [e] tenēt,philoſophorum,ac medicorum auctoritatibus moti,nam dictum eſt;[f] Cum diſciſſum fuerit os,aut cartilago,vel neruus,aut genæ particula tenuis,vel præputium, neque augetur,neque coaleſcit,deficientes verò partes,quæcunque ex ſanguine ortum habuerint, corrigi quidem non eſt impoſsibile.quæ autem ex ſemine,propemodum eſt impoſsibile:ſic enim reſpondentes rationi de peritoneo ſecto,ac conſuto dicamus,talem vnitionem fore per accidens,& ſecundùm quid, & nō verā,ac ſtabilem,ſed mediantibus alijs partibus;nam vnio hęc inter partes abdominis cōſeruatur,quę ſuturam ferre poſſunt,non autem eſt ipſius membranæ vnitio,quam non admittunt nerui,nec tendines. Oſsium rationi dicamus cum Galeno,[g] qui credentibus oſſa fracta perfectè agglutinare poſſe ait; hæc enim ſeu viua,ſeu mortua ſi quis inſpicere voluerit,diſſecando manifeſtè videbit à callo quodam (veluti vinculo circunſcripto) partes oſsium diſciſſas conſtrictas eſſe; quas ſi abraſerit,fracturæ profundum videbit non conglutinatum: verè nullibi,niſi in oſſe fracto,callum à natura factum perſpicuè videri poteſt,quippe fundamentum,ac totius corporis ſuſtentaculum oſſa ſunt.Auctoritatibus iam adductis ſic reſpondere oportet,talem ſuturam in carnoſis tantùm ſubſtantijs conuenire,& non in neruo, ob id quia in tranſuerſalibus [h] vulneribus ſutura communis eſt operatio,præſertim in quibus partes magno diuortio diſgregantur.hac ratione dicebat Galenus; Altioribus ſuturis vſus ſum, haud ignarus carnoſam ipſam muſculorum partem periculo vacare,non autem tendones & neruos. Paulus etiam dicebat;Suturam altius molliri conuenit,ne quæ in imo ſunt conglutinata,dehiſcant: rurſus,magna cura adhibenda eſt,ne ab acu neruus compungatur;ergo neruus conſuendus non eſt,ſed muſculorum partes.porrò credibile eſt in conſuto vulnere partes ſecti nerui magis vnitas conſeruari,quàm in non conſuto,& per conſequens in eius conſolidatione minus detrimenti in motu voluntario reperiri, ex quo perpetuò nerueæ partes inter carnoſas ſutura conſeruantur:quòd experimento compertum ſit,ſectos neruos vnioni reſtitutos modo,vt ſupra,concedimus,& ſi alicui hoc acciderit,non eſt medicæ conſiderationis, nam erit de his,quæ rarò contingunt:omnem ſiquidem particulam,aut organicum membrum,aiunt anatomiſtæ,vnū quoddam principale membrū habere,quo naturales,aut arbitrarias operationes exercent,cui quàmplurima alia in ea operatione deſeruiunt.quò fit,vt ſecto vno neruo,alij incolumes reſideant, & ſic operatio interdum in toto non deperditur.quod à Galeno corfirmatur, cùm dicit; Si puncto muſculi capite, conuulſio,quæ nulla conuenientium medicamentorum vi remittitur,ſuperuenerit,præciſo toto muſculo per tranſuerſum conuulſionem quidem ſanaueris,aliquem tamen ex particulæ motibus vitiaueris: ad eundem modum iam neruum punctū ſæpè cogimus tranſuerſum præcidere,quoties vel conuulſiones, vel deliria,vel ambo magna,ægreque ſanabilia ſuperuenire vulnerationi cernimus. Hæc veritas in ipſa praxi agnoſcenda eſt,dum nerui ex toto diſsecti reperiuntur;illicò quidem contrahuntur eorum partes, & fugiunt,ac à ſenſibus elongantur,nec in vulnere ob ſanguinis defluxum dignoſci poſſunt, nec minus adiungi:hac ratione audiendi non ſunt,qui pro vulnerum horum curatione,ac conſolidatione igne vtūtur,

a ¶ 78. continen.cap.1.
b ¶ Cap. de cura.vul.ner.
c ¶ 3. Katageni.
d ¶ Lib.4. c.54. lib.4.cap.17.
e ¶ Nicolaus Floren. Dinus Floren. Petrus Argellata, Theodoric[a], Ioannes de Vico,& alij.
f ¶ Hipp. lib.1. de morbis.6. Ap.10.19.7. Aphoriſ.28. Ariſt. 1. de nat. ani.cap.13. Gal.lib.3.de ſemine c.8.lib. de conſt.art. med. ca.7.li. art. par. med.cap.83. 3.meth.c.4. Auic.1. 1. diſt. 5.cap.1.
g ¶ 6.Apho. cō. 19.
h katageni. vbi de emplaſt.glutinan.3.metho. cap.vlt.

tur, neruorum capita vrendo. nam manifeſtè videtur, [a] quòd quamprimum neruoſæ ſubſtantiæ ignem ſentiunt, exſiccantur, contrahuntur, & conuulſæ fiunt. & ideo princeps Auicenna [b] dicebat; Caueat ille, qui vrit, ne ferramento ignito vſq; ad neruos & tendones, ac copulas pertranſeat; & ſi id, quod vritur, fuerit vt caluaria, tunc caue, ne cerebrum ferueat, & ne membranæ ipſæ conuellantur.

a ¶ Gal 7. Aph. com. 14.
b ¶ 4. 1 c. 19. Ariſto. 1. de natura anim. cap. 13.

De Neruorum Punctura. Cap. IX.

DETERIVS vulnus, quod neruis, aut tendonibus euenire poſſit, punctura anguſta eſt; nam ex ſimili parua quippe læſione ob ſentiendi eorum facultatem, dolores, inflammationes, conuulſionesue facillimè excitantur: & ea quidem punctura maius detrimentum afferre ſolet, quæ occæcata, & ſubtilis eſt. quod atteſtantur Galeni [c] verba, cùm dicit; Nerui verò, & chordæ punctura propter ſenſus vehementiam (& quoniam hæc pars principio continuatur) prompta eſt ad neruorum cõuulſionem excitandam, ac tunc præſertim, cùm nihil extrorſum expirat, occæcato cutis vulnere: aperiendum eſt igitur, atque exſiccandum ſubſtantia tenui, quæ vſque ad ima nerui offenſi penetrare poſſit: plurimum ergo confert oras anguſtorum vulnerum punctorum eſſe apertas, vt calidum medicamentum extrinſecus applicatum per eas vapores educat, attrahens humiditatem circa affectum locum in alto latentem; qua de re in huiuſmodi puncturis orificium in cute duabus ſectionibus rectis diuidere oportet, ne in ea coaceruatis humiditatibus, praua oriantur ſymptomata: rationabile ergo erit, cutis vulnus apertum, & agglutinatum cuſtodire, quò per id ex ſecto neruo virus perpetuò effluat & expiret, & totum corpus ſuperuacuis humoribus liberare, atque ſi expedit, ſanguinis miſſio ne inanire, vtique ſi valida fuerit virtus, victusquè tenuior adhibeatur, vinum meritò prohibendũ eſt, & reliqua ſeruentur, quæ in regimine ſex rerum non naturalium ſuperius deſcripſimus: in reliquis puncti nerui curatio medicamenta expoſtulat, quæ & tepidum calorem excitent, & validè ſiccent, tùm quæ ex ſubſtantię ſuę natura, & attrahendi vim habeant, & tenuium ſint partium; ſiquidem nudato neruo, omnis curationis conſilium eò dirigendum eſt, vt minima cum roſione ſiccet: hæc ſiquidem propria, ac vera indicatio eſt à nerui punctura accepta. dictum nempe à Galeno eſt; In pharmacis omne conſilium direxi, vt eorum facultas eſſet tùm tenuis, tùm modicè calefaciens, & quæ admodum ſiccare citra dolorem poſſet, cùm ſola hæc trahere ex profundo ſaniem neque contracta, neque demorſa particula poſſit: Sed ante omnem operationem, ſi qua infixa neruis inhæſerint (vt acus acumen, vitrum, os, & ſimile quid) extrahantur; qua autẽ ratione infixa euellantur, paulò inferiùs explicabimus, & ſi quæ fuerit difficultas, cutis protinus aperiatur, & vulnus inglutinatum cuſtodiatur, cauendo, ne afflicto afflictio addatur, & ſecto neruo maius præſtetur nocumentum; nec ſectionem amplam facere decet, ne neruus detectus reddatur, præſertim corpore cacochymo, aut plethorico exiſtente, ne inde vehemens dolor excitetur: quæ igitur plethora, vitioſoquè ſucco laborant corpora, quæ tenera carne prædita, & ad ſentiendum inſigniter habilia ſunt, facilè ex morſu, ſeu roſione phlegmonem recipiunt. in horũ numero habentur mulieres candidæ, pueri, eunuchi, qui vitam in ocio degunt, aut regionem frigidam incolunt; ſecus verò qui calidum locum inhabitant, aut laboribus valde dediti ſunt; Hac ratione (ait Galenus) vſus ſum primò in pueris, mulieribus, & generaliter ijs, qui molli ſunt carne, reſina terebinthina per ſe, cum ſulphure, aut euphorbio in ijs, qui dura ſunt carne: diximus itaque terebinthinam, id eſt cyprium terebinthum, qui ſi non aderit, communi terebinthina vti expedit, id eſt reſina laricina, aut humida illa de pino, communi voce larga dicta, aut reſina frixa, aut abietina, oleum abietis, aut la chrymum vocitatum. at ſi vlla inueniri nequit, ab omnibus oleum ſabinum, aut clarum, & expurgatũ antiquum probatur (nam recens pingue eſt, ac obſtructiones gignit, & materias, vaporeſquè malos ab ipſa cute diſcuti prohibet) aut oleum commune anetho, aut ruta decoctum, aut oleum balſaminum, aut illud, quod ex vitellis ouorum extrahi ſolet: nos verò tunc aut de hypericone, aut de terebinthina vti ſoliti ſumus; tale crudum non ſit, vt omphacinum, nec aſtringens, vt myrtinum, ſed dulce, clarum, maturum. & ſubtilium partium: ad eundem modum, ſi ſulphur viuum non reperitur (quo Zoar illicò puerum à nerui punctura liberaſſe aſſerit) aut euphorbium optimum, quod niſi in magnis & nobiliſsimis ciuitatibus reperitur, eius loco calcem aqua dulci, aut marina, aut de betonica, aut de ſaluia ſæpius elotã, ac diebus canicularibus exſiccatam adminiſtrare poterimus, aut eius loco pompholigem, ideſt tutiam, eam præſertim, quæ ex Alexandria defertur, lotam nempe, & aliquo tenui medicamento dilutam: ſi verò hæc prænarrata auxilia non fuerint in promptu, vt Galeno ruri euenit, tunc aut ſagapenum, aut opoponax, aut fimus columbinus ſylueſtris vſui ſeruetur, multò magis in ſiccis, & duris corporibus: vrgente verò neceſsitate, ſi aliquod horum non adfuerit, fermentum triticeum vetuſtiſsimum, præſentaneum remedium eſt, temperatè calfacit, mirè exſiccat, & materias in imo inſertas euocat. nos autem Feltriæ ſæpius quàmplurima neruorum vulnera ſola terebinthina in vulnere, ac deſuper vſnea (id eſt muſco arborum) ſuperpoſita, facta conuenienti, ac ſtricta deligatura, ſanauimus; interdum ſolo vſu propolis, hoc eſt fœcis, quæ in fundo vaſorum apum reperitur, ac deſuper fermentum acre maſticatum; quę ſi durior fuerit, pauxillo oleo hypericonis moliendam eſſe iuſsit Galenus,

c ¶ Lib. art. par. med. c. 92. 6 meth. cap 2. 4. 3. de comp. m. in ge. Aet. li. 14 c. 27. Paul. lib. 4. c. 54. Raſis. 7. ad Alm. cap. 3. Auic. cap. de cu. vul. ver.

nus. quàmplurima alia medicamenta,quæ ab antiquis probãtur,deſcribenda forent, ſed hunc laborem cæteris relinquamus, tantùm nonnulla compoſita, laudata nimirùm, in medium adducemus, medicamentum ex ſulphure, Recip. terebenthinæ claræ, olei hypericonis, reſinę pini an. vnc. iij. ſulphuris ignem non experti, ſubtilis, & non petroſi vnc. j.aut in ea quantitate, dum ex omnibus in tenuibus corporibus mixtum eſſet, ſordium haberet craſsitudinem, in valentioribus verò, ac durioribus ad mellis ſpiſsitudinem, croci ſcrup. s.miſce,& omnia ſimul aliquantiſper lento igne bulliant,quę ebullitio magis probaretur, ſi in duplici vaſe celebraretur. Medicamentum diaeuphorbium ex tertio Katageni, quod facillimè ad imas partes vulneris peruenit. Recip. olei antiqui vnc. xij. ceræ nouæ vnc.iij. euphorbij clari recentis, & odorati ac triti, & tenui cribro excuſsi vnc.j. miſce,& parum bulliant, aliud ex ſexto Methodi,& euphorbio, cera,reſina, terebenthina, & pice græca ſine oleo, fit hoc modo. Recip. ceræ vnc.i.terebinthinæ, picis græcæ an.vnc.s.euphorbij drag. ij.miſce. tale præſidium, inquit Galenus, mirabile eſt in anguſtis vulneribus, habita nempe diligenti conſideratione in eorũ operatione;ſi exſiccando imbecillis fuerit, aut ſulphuris, aut euphorbij menſura pro imbecillitatis ratione augeatur: ſi verò fortis,eorum additio minoretur; hoc diligenrer examinato,an euphorbium recens ſit, an vetuſtum; nam vetuſti doſis ſit ad duplum reſpectu recentis. recens enim in quarto gradu ſiccitatis collocatur, coloris ſubalbidi, ſubſtantiæ denſæ, aliquantulum tenacis: vetuſtum,colorem pallidum, aut liuidum, aut nigrum ſecundum eius antiquitatem præſefert, ſiccum ac fragile in ſiccando non valdè potens eſt; nam eius virtus iam diſcuſſa eſt. ſolent huiuſmodi corpora ob eorum ſiccam naturam, difficulter ad imum penetrare; quare interdum aliquo tenui medicamento ea attenuare oportet,nempe oleo antiquo,aut ſabino maturo,aut aliquo magiſtrali; ſiquidem his vtimur oleis,tanquam commodo vehiculo: tenuitate enim, qua pollent, altius ſeſe inſinuant, alia valdè exſiccantia ſecum deferentia,& ſic ſauciatos neruos ſummopere iuuare poſſunt;veruntamẽ oleũ ſimplex eſſe nõ debet,ideſt ex ſolis oliuis,ſed ſicut illud, quod ex ſeminibus exprimitur, aut quod ignis vi aufertur,aut ex plantarum, aut animalium, aut mineralium decocto paratur,aut ſimile. Recip. maſticis vnc.j.s.thuris,draganti an.vnc.j. terebinthinę clarę vnc.iiij. miſce,& omnia per elambicum deſtillentur. aut Recip.terebinthinæ claræ, vino albo lotæ vnc. vj. maſticis vnc.ij. florum hypericonis m. ij.omnia in vitreo vaſe ſub ęſtiuo ſole diebus canicularibus per dies octo marceſcant,inde viriliter exprimantur, & quod expreſſum eſt,hoc modo vtendum. Recip. prædicti liquoris vnc.iiij. ſulphuris viui,aut euphorbij recentis vnc.s.miſce,& parũ bulliant,de eo guttatim in anguſto vulnere imponendo,& deſuper vnguentum excellentiſsimi genitoris noſtri, longiſſimo vſu comprobatum,cuius deſcriptio in ſequenti libro,capite de Thorace vulnerato, poterit videri ſub hoc titulo VNGVENTVM ſanctum,& incomparabile, aut eius loco vtamur emplaſtro de gummi elhemi Conciliatoris, aut illo de Centaurea Guidonis,aut de fermento Democratis,aut illo Auicennæ ex farina fabarum,hordei,orobi æqualis portionis decocta in lixiuio & oxymellite. illudquè è memoria non excidat,in talium medicamentorum applicatione, vulnere anguſto exiſtente,quòd partes,quæ vulnus circunſcribunt, minimè tangantur, calefiant, & inflammationem inducant; quare expedit eas corroborare,ac ab omni noxa tutas reddere,oleo nempè roſaceo,maſticino,aut camomellino lumbricato; atque hoc interim, ſi ſuperiores partes vulnus occupauerit,nempè manum,aut brachium,protinus collum,ſpinam,& axillas calenti oleo camomellino,liliorum,& roſaceo delinire expedit. Si verò neruus ex ijs ſit,qui in crure ſunt,inguina ſtatim, pubes, & partes circumiacentes prædictis oleis abundè imbuere expedit. nec deſunt quamplurima alia medicamenta, quæ neceſsitatis loco vti poſſemus; nempè ex plantis, ditamnus,gentiana,centaurium,ariſtolochia,amaracus,& id genus multa alia: quæ in puluerem tenuiſsimum redacta,aut per ſe,aut addito liquido aliquo conuenienti,& cera,ſub emplaſtri forma præſtantiſsimum eſſet præſidium.

Not.

De Neruis contuſis. Cap. X.

SVB duplici forma nerui, aut tendones contundi ſolent, nempe ſoluta cute,ac ijs ſolutis, quæ eam ſequuntur;aut ipſa integra remanente, & nihil, quod ſenſui appareat, à natura receſſerit, ſed tunc tumor quidam eleuatur,dolor ingens à ſanguine per anaſtomoſin percolato à venis minimis oritur,& locus affectus liueſcere incipit,& cum ecchymomate affinitatem tenet; & morbus hic ſciſſuris,aut puncturis interdum deterior eſſe ſolet, nec curatu facilis ita redditur, vt contuſa carne euenire ſolet,quæ facillimè ſuppuratur, & ſic contuſio abſque multo dolore diſcutitur, denuoque regeneratur, quod ſecus eſt in contuſis neruis, qui non, niſi acerbiſsimo cruciatu, & longiſsimo tempore,ob eorum naturam, in ſaniem vertuntur, nec putrefacti amplius augentur, aut coaleſcunt. augentur enim quæ deficiunt; coaleſcunt autem,quæ diuiſa,aut ſeparata ſunt.quare inter moleſtas, & cacoheticas paſsiones hæc enumerari ſolet, à Galeno ſemel tantũ viſa, vt ipſe affirmat ſexto Methodi, capite tertio; ob id pręclariſsimi iubent medici [a], vt in omni neruorum attritione, aut contuſione prima intentio ſit euacuatio: & quia [b] in cõtuſis, aut ab alto delapſis prima operatio eſt ſanguinis miſsio,vena,nulla prohibente cauſa, aperiatur, victus tenuis inſtituatur, & omni

a ¶ Gal.6. meth.c.3. Aet. lib. 14. ca.29. Paul. li.4.c.54. Auic. 4.4.tr.4.c.5.
b ¶ Gal.4. meth.c.6.

& omni ingenio doloribus, ac fluxionibus inſiſtatur, præſertim in momentaneis contuſionibus; nam leues, & non ſolutas tollit citò fomentum ex oleo roſaceo maſticino, aut camomellino, aut vnguentũ alabaſtrinum, aut illud, quod ex ſucco althææ paratur, prædictis oleis ſolutum; valent etiam diſcutiẽtia, veluti camomellinum, anethinum, ſambacinum, irinum, & roſaceum completum, ſuperpoſita lana hyſſopi: hac ratione ea, quæ pus mouent, non admouenda cenſemus; ſiquidem hæc calida & humida ſunt, ac ad putredinem faciendam maximè apta, quæ in neruis vulneratis euitari omnino oportet. hi enim, ſicut caro, ſuppurationem non admittunt, & in ſaniei generatione vehementiſsimis doloribus cruciantur. igitur præcepto Hippocratis & Galeni, has contuſiones computreſcere non eſt neceſſe, ſed eas ſolùm, quæ carnoſis partibus occurrunt. Sed ſi cutis diſſecta, exulcerataq; fuerit, ea medicamenta opportuna ſunt, quę exſiccant, at ſimul fluxiones prohibent. quare, dicebat Auicenna, ſi vnâ cum contuſione plaga fuerit, medicamenta adhibere oportet, quæ validè ſiccant, & diſgregatas partes vniunt, dolores ſedant, & inflammationes prohibent; quare in vulnere impoſita terebinthina, ac hypericonis oleo, illud cooperiatur emplaſtro ex fabacea, & lenticea farina, oxymellite paucæ acetoſitatis, & ſapa cum puluere lumbricorum terreſtrium, & maſtice, aut emplaſtro ex betonica, maſticino, oleo ſoluto, aut fiat emplaſtrum Dioſcoridis, ex cinere ſarmentorum, adipe & oleo: tota ſiquidem ſedes contuſa, quę in via alicuius putredinis eſt, valde exſiccari debet, vt quæ ſana eſt, præſeruetur: nec ab re eſt pro temporis interuallo medicamentorum varietate vti, modò exſiccantibus, modò diſcutientibus, modò anodynis, vt morbi eſſentia exegerit: & ſi aliqua vulneris cruditas apparuerit, & dolor non quieuerit, præparetur medicamentum ex terebinthina, pice liquida, manna thurris, vitello oui, & croco; tota regio affecta oleo camomellino, de lumbricis, maſticino, roſato completo, ac de ſemine lini, corroboretur: & ſi aliqua inchoauerit inflammatio, ſanguis mittatur, & tota indicatio in doloris ſedatione, ac fluxionum prohibitione verſetur; quare diuerſiones omnes omninò probantur, & dimiſſa aqua tum calida, tum frigida, in oleorum reſoluentium adminiſtratione ſtare oportet, & medicamentum ſuperponatur ex ſapa, oleo roſato, & farina hordei, & modico aceto, in quo infuſa ſit lana hyſſopi, & locus cooperiatur, aut talis prępar etur compoſitio. Recip. vnguenti alabaſtrini, farinæ fabarum, pulueris lumbricorum, vini nigri parum, & cum pauco oximellite fiat emplaſtrum: & ſi aliqua putredo apparuerit, ea quippè tollenda eſt medicamento ex melle, aut Iſis celeberrimo, aut per ſe, aut alteri admixto. Si autem articuli contunduntur, abſque cutis ſolutione, ſolent nimirum materiæ quàmplurimę pituitoſæ ad locum affectum defluere; quare expedit in re notabili corpus à tali ſucco expurgare; & ſi decet, ſanguinem mittere, ac victus regimen inſtituere; & facta prædictorum oleorum ampla inunctione, tale ſuperponatur cataplaſma ex roſis, myrtis, betonica, camomilla, farina fabacea, vnguento dialthæę, lumbricis terreſtribus, lixiuio claro, & ſapa, aut ex alijs rebus, exſiccantibus, diſcutientibus, ac dolores emulcentibus, vt diffusè hic inferius dicturi ſumus, vbi de ſymptomatũ correctione tractabimus.

De Symptomatum correctione. Cap. XI.

RARO admodum in ſauciatis neruis (prę ſertim in punctura) rationales medici, prę terquã apparẽtibus prauis ſymptomatib. conuocãtur; ob id omni laude digni sũt, qui opportunè ea corrigunt, & remouent; nec illi indigni, qui omni adhibita diligẽtia, ea præuidẽt, & ſe tutos reddunt à futuris, quæ à triplici cauſa produci ſolẽt, nẽpè à natura ſedis affectæ, quę nobilis eſt, ac ſenſus inſtrumentũ, aut à prauo patientis regimine, vnà interdũ cũ mala totius corporis habitudine, aut Medici operãtis negligentia, aut ignorantia. Illis ergo, qui ab initio conuocãtur, duę principales occurrunt intentiones, quarũ prima eſt, vt magis ad morbũ, & eius cauſſam incumbãt, quã ad mala accidẽtia; & hæc prę ſeruatio dici poteſt, de qua ſuperius abundè dictũ eſt; & fit, ne morbus augeatur, accidentiũ cauſam tollẽdo ſanguinis miſsione, ventris ſubductione, inedia, & huiuſmodi auxilijs, quibus facilè tale opus celebratur; altera, vulneris eſt curatio, quatenus tale eſt, ſecũdũ eius opportunas indicationes: quòd autem ex vulneris natura, ac ſedis affectæ prę ſtantia, ſymptomata mala prouenire poſsint, docet Galenus [a] his verbis; Vulnus, quod in articulis acceptum eſt, ac vbi tendones, & nerui vulnerantur, dolores, vigilias, ac conuulſiones cauſare ſolet. ideo Auicenna [b] dicebat; Et quando vulnus eſt in loco, in quo oportet, vt vehemens fiat dolor, & apoſtema, ſicut ſunt capita lacertorum, & eorum poſteriora, ac propriè illorum, qui neruoſi ſunt. ex vulneribus enim quædam ſunt, de quibus timendum eſt, ſicuti vulnera in neruos cadentia, & extremitates lacertorum, & multoties ea ſequuntur accidentia mala de caloris alteratione, & caſu pulſus poſt ſpiſsitudinem & paruitatem, & perducunt ad ſyncopem, & caſum virtutis, & quandoque ſequitur ſpaſmus; & ſimiliter ea, quæ cadunt ante genu apud rotulam, quoniam ſequuntur ea accidentia mala, à quibus pauci liberantur. Quòd autem mala temperatura totius praua accidentia inducere potens ſit, dictum eſt à Galeno; [c] nam ex ſola acus punctura in corpore ſucco prauo ſcatente, ſuperuenire ſolita ſunt: quòd etiam [d] à malo Medico id fiat, quotidiana demonſtrat experientia, præſertim in Athletis, & qui crapulæ dediti ſunt, ac prauo ſucco nutriuntur; Et multi (dicebat Auicẽna) pro

a ¶ 3. meth. c. 9.

b ¶ 4. 4. c. 2. & 3

c ¶ 3. meth. c. 9. 4. meth. 1. & 5.

d ¶ Gal. 3. de cõpo. med. in gen.

pe ſalutem,dum frigido aeri ſe expoſuerint,atrociſsimo dolore correpti,ad deteriorem diſpoſitionem deuenere.quod Galeno euenit,dum vni medelam pręſtaret,qui,cum bene ſe haberet,ex frigore repenti nè conuulſus eſt: Vſus etiam malorum medicaminum id facit,vt in empiricis operationibus videtur,nec dubium eſt,ex malo victus regimine,vt omnes atteſtantur medici,in vulneribus compoſitis, aut membrorum nobilium euenire:à malo etiam medendi modo,aut medicamentorum incompetentia id occur rit,teſte Galeno [a] in caſu pueri,qui cum in ludo literario ab altero in domeſtica brachij parte ſtylo vul neratus eſſet,ac Empiricorum quidam medicamēto emplaſtico eum curare aggreſſus fuiſſet, puer ipſe inflammatione correptus,repentè ſexto die conuulſus perijt:de altero adhuc mentionem fecit Galenus, & Auicenna,qui in manu ab acuto telo vulneratus,lęſo neruo,ac ab empirica manu ex Theſſali ſecta curatus,ſuperpoſito emplaſtro ex farina triticea,oleo,& humidis rebus putredinem inducentibus, maximam inflammationem incurrit.Sed quia varia ſunt accidentia,quæ his vulneribus ſuperuenire ſolent,qui bus omnibus,niſi conſultum fuerit,vulnus ſanari nequit,ea potiſsimum deſcribere intendimus, quæ ſecum maiorem adducunt timorem,veluti eſt triſtis ſenſus dolor vocitatus,inflammatio,putredo,conuulſio,& arbitrarij motus impedimentum.

a ¶ 3.Katageni.

DE DOLORE.

SI alicui particulę vulneratæ dolor(pathos ſiquidem eſt)præter naturam violenter, & affatim incidens,ſuperuenerit,cauſa illicò perquiratur,quę cognita,quamprimùm dimoueatur; verùm ſi coniuncta,aut extranea fuerit, ablata quippe,ceſſabit dolor. extranea appellamus non tantùm quæ extrinſecus adueniunt,ſed quæcunque noſtræ naturæ contraria aliquo modo ſunt,nec ab ipſa ſerua ri poſſunt:ſi autem alicuius medicamenti acuitas,aut acredo hoc fecerit,ſæpiùs diem ac noctem vulnus curetur,medicamentis omni nempe mordicatione expoliatis. Si verò ſuccus aliquis prauus,aut acutus mordicauerit,aliqua plenitudine apparente,medicamento bilem ducente,corpus denuò euacuare oportet;nam ſic præcipit Hippocrates;Inedia inſtituatur, & victus frigidus & humidus ſit,mala ſedis affectæ temperatura alteretur roſaceo,myrtino,& violaceo,aut vnguēto roſaceo ipſo adhibito,aut cataplaſmate inflammationes arcente ſuperpoſito:at ſi ex anguſtia vulneris cruciatus apparuerit,virus,aut ichor alter malus in eo retentus,ſic cutis Ferro amplietur,aut ignito cauterio,aut,more Galeni tertio de comp. med. in genere, orificio duabus ſectionibus rectis diuiſo,vt prauus ille ſuccus abſumi poſsit,& melius ſanies effluat, & commodiùs medicamentorum vires ad profundum perueniant;ſic enim egit Galenus [b] in iuuene illo effœminato.cùmque cauſa abdita,ac abſcondita fuerit,calorem ſedis vulneratæ corroborare oportet,vnctionibus,fomentis,ac emplaſtris exſiccantibus,diſcutientibus,ac putredinem ſiſtentibus,donec dolor ex toto tollatur.nam ſi is vehemens fuerit,et iam in corpore ab excremētis puro, fluxiones irritat,particula omnis,quę dolore affligitur,ſuccum copioſiorem,quàm illi ſit ex vſu,trahere ſolet, vnde frequenter inflammationes excitantur. Tolluntur huiuſcemodi dolores,aut ſaltem mitigantur,adhibito ad particulam fomento,vt iubet Galenus,[c] & Auicenna,ex pannis calidis,aut ex roſaceo, vel communi oleo calido,diu nempe,vt doloris cauſa euaporetur,aut diſcutiatur;vetus autem ſit tale oleum, aut ſaltem cùm radice liliorum alborum,aut lumbricibus terreſtribus bullitum: porrò ex methodo eſt,vt cutis vulnus perpetuò apertum,inglutinatumque cuſtodiatur,quò per id ex neruo vulnerato ſanies effluat, & totum corpus à ſuperuacuis humoribus liberetur;deinde, ne quis dolor vulneratam partem vrgeat,elaborandum eſt. medicamenta igitur excogitare oportet,quæ vulneri impoſita, vtrunque mirum in modum reſpiciant,tum vt dolorem mitigent,tum etiam vt exitum ſaniei patefaciant.eligatur itaque oleum vetus trium,aut quatuor annorum,cuius generis ſabinum eſt,id quippe quod recens magis per halitum digerit;quodque magis eſt antiquum,magis digerere potens eſt,verùm dolores minùs ſedat; quod crudum eſt,reprobatur,vt omphacinum,& quod denique aſtringendi vim habet,vt myrtinum,& quod craſſam obtinet naturam,vt hiſpanum.nam talia neruos vulneratos nihil iuuant,qui ſubtilia medicamenta re quirunt:at quia ſabino oleo,quod in regione Romana exprimitur,caremus, eo vtimur,quod ex roſis,& oleo maturo fit,aut completo vocato,aut camomellino,aut liliaceo, aut ex ſemine lini,aut eo mirabili, quod ex terreſtribus lumbricis,& oleo antiquo paratur:atque omnia, quæcunque applicanda ſunt, calida eſſe debent, non tamen, vt mordeant: quæ frigida enim ſunt,neruis vti ſunt inimica, ita & quæ calida valde ſunt,eis non proſunt; ob id dicebat Princeps; Noli dolores locorum neruoſorum calida aqua remittere,ſed oleis ſubtilium partium calidis,vſque ad terminum non ſuperfluæ caliditatis:nam ca lidum aut frigidum in ſummo non conueniunt:calidum ſiquidem actu diſcuſſorium,ait Hippocrates,[d] dolores ſedat,ac conuulſiones remouet:in hoc affectu duplici de cauſa oleo vti conamur, nempe vt medicamenta attenuētur,& vt dolores demulceantur;ſecus verò [e] aqua,& oleum his vulneribus aduerſantur. poſſunt hæc longo vſu halitum prohibere,& putredines inducere:hac [f] ratione emollientia omnia ſectis neruis aduerſantur; verùm vrgente neceſsitate,quia oleum dolores ſedat,ac mineralium medicamentorum mordicationem minuit, vſui ſeruatur;In oleo, dicebat Galenus,[g] duę ſimul conſiſtunt facultates,mitigatoria videlicet,& quę valida pharmaca obtundunt, ſiue acri,ſiue auſtera ſint virtute prædita: ergo [h] his,quæ iuuāt,bis,terue in die locū fouere cōpetit,quin etiam in nocte,interim, ſi expedit, abſtergatur quàm leuiſsimè vulnus bombice,aut lana ſapa tepida infuſa,& expreſſa,inde aliquod opportunum me dica-

b ¶ 6.meth. c.3.

c ¶ 3. Katageni. vbi de medicamēto diabotū, & vbi de medicamento ex rebus humidis.

d ¶ 5. Aph.23.
e ¶ Gal. 6. meth. c.3. Auic. 2. 3.diſt.3.c.1.
f ¶ Gal. 6. meth.c.2.3.& 1.ad Glau.diſt.3.c.6.
g 5.Katageni
h ¶ 3. de comp. med in gen. vbi de neruis ſectis in deſcriptione medicamēti ex metallicis.

dicamentum imponatur,ac deſuper alterum,quod non tantùm ipſum vulnus cõtegat,ſed ſanas quoque partes apprehendat,nempe illud celebre barbarum,aut illud probatum diaphinicone,aut argideum,aut de gummi elhemi,aut noſtrum ſanctum:verùm,ſi ab his non quieuerit æger, aliquod cataplaſma præparare oportet ex his,quæ ſedare dolores poſſunt,anodyna vocata,ex floribus camomillæ,ſertulæ campanę,maluarum,farina hordeacea,ac ſemine lini,decoctis omnibus in brodio capitis veruecis,additis ouorum luteis cum roſaceo,& ſapa;nos verò ſæpè experti ſumus,& vtiliſsimum adinuenimus, linimentum ex vitellis ouorum, vnguento roſato Meſue, & croco ; pariter medullam panis in maluarum decocto ebullitam,ac tritam,addito oui luteo,roſaceo,& aliquantiſper vnguenti marciaton:à multis [a] probatur vnguentum de ranis,aut tale paretur.Reci.radicum althææ,liliorum,foliorum meliloti,maluarum an.m.j.bulliant in brodio capitis veruecis,piſtentur omnia,ac per cribrum tranſmittantur,& addita bdelij vino ſoluti vnc.s.vermium terreſtrium,vnguenti roſati an.vnc.j.rob.q.s. pro emplaſtro:poſtremò his non conferentibus,lęſum membrum,antequàm ſuperueniat dolor,in calenti oleo communi immergatur, & collum,& nucha,& ſpina,& axillares partes camomellino, ac liliaceo oleo calido inungantur. Si verò inſuperabilis,ac timorem incutiat dolor,tale paretur cataplaſma.Recip.foliorũ ioſciami albi,ſolani hortenſis an.ſcrup.j.fiat faſciculus,& decoquantur omnia ſub prunis,& piſtentur ſubtiliſsimè,& Recip.lactis pinguiſsimi vaccini vnc.vj.medullæ panis triticei tritæ vnc.iiij.olei roſati vnc.ij.bulliãt ſimul vſque ad aliqualem ſpiſsitudinem,& adde ic... prędicta,& fiat cataplaſma,quod eſt mirabile.

a ¶ Actuarius lib. de comme. Nicolaus Flor. cap.de cura dolor. iuncturarũ. Petrus de Tuſignano c. de podagra,& ſciatica.

DE INFLAMMATIONE.

INTER accidentia,quæ,ſecto neruo,Medico magnum negotium faceſſunt,ac ægrotanti periculum afferunt,ſunt inflammationes, [b] quas ſequuntur febres,dolores,putredines,& cõuulſiones; nec vna tantùm,aut propè vulnus ſolum apparere ſolet,ſed quàmplurimæ, ac varijs in locis,& vt plurimum de calidorum genere producuntur;hæ, vt cæteræ phlegmones, in principio non curantur apocruſticis medicamentis;nam frigidum [c] neruis,ac cerebro aduerſatur,& conuulſiones, ac rigores febriles mouet: nec minus emplaſtrum ex aqua,oleo,& triticea farina conſtructum,quod triapharmacum vocant,ab antiquis probatur,quod alijs phlegmonibus prodeſſe ſolet. multi enim, Galeno teſte, [d] huius medicamenti applicatione,manu nempè empirica, in ſpaſmum inciderunt.ob id de hac curatiua methodo agens Auicenna,inquit;Cum ex dolore oritur inflammatio,tutò operatur,ſi quis vulnus latius reddiderit,ac totũ corpus ſanguinis miſsione inanierit,vtique ſi valida fuerit virtus:at ſi vitioſis ſuccis ſcatuerit,protinus purgetur,victus tenuis inſtituatur, ſtare, aut deambulare alienum ſit, affectum membrum commodè locetur,aer temperatus eligatur,& mane,aut veſpere plaga curetur; ſedes verò phlegmone laborans bis,terue in die;in nocte etiam,ſi longa fuerit,ſoluatur,ac roſaceo calente, verùm ita,ne vulneratam partem offendat,foueatur;eo etiam moderatè calefacto,addito liliaceo,ceruix,collum totũ,vniuerſa ſpina dorſi,ac emunctoria omnia inungãtur,& lana molli roſaceo imbuta tota tumida pars coopëriatur:& quia antiqui ſedem vulneri per quatuor digitos ſuperiorem lana quàm molliſsima,oleo,ac aceto madefacta circunuoluebant,ac ſi pro inhibitiuo præſidio haberetur, recentiores, hoc ſpreto auxilio, partem iecori propinquiorem tali linimento fouere ſolent.Recip.Olei roſati,ſucci plantaginis an. vnc.j.ouorum vitellos nume.ij.boliarmeni,ſanguinis draconis an.drag.iij.croci ſcrup.s. miſce, & fiat linimentum.Vulnus curetur,vt occaſio præcipit,ſumpta indicatione ab eius eſſentia, & ſymptomatum natura: inflammatio regatur,prout eius tempus expoſcit,nempe ſi ad incrementum tendit,duas requirit indicationes,remeare quod perpetuò fluit,& quod iam fluxum eſt,diſcutere:hac ratione ab antiquis quàmplurima comprobantur medicamenta,veluti fabacea farina,orobi, cicerum, hordei, amarorum lupinorum cum oxyrhodino,aut oxymellite;ſed quod magis venit in vſu,Recip.Granatorum inter dulcem,& acrẽ,ſaporis medij numero.ij.decoquantur in vino nigro,ſubtiliſsimè terãtur,ac per cribrum tranſmittantur,& adde farinæ hordei vnc.ij.pulueris foliorum roſarũ,camomillę an.vnc.j.olei roſati,rob.q.s.pro emplaſtro.aut Recip.foliorum roſarum,betonicæ,camomillę an.m.j.decoquantur in vino nigro, & piſtentur,& adde farinæ fabarum vnc.ij.hordei vnc.j olei maſticini,roſati completi an.vnc.ij. miſce & fiat emplaſtrum;pars quidem affecta ſic corroboratur,ne inde nouas recipiat fluxiones:ſi verò inflammatio in cõſiſtentia fuerit conſtituta,quanquàm Chirurgus nihil omiſerit,non modò quę ad proprij affectus curationem ſpectant,ſed etiam ad ſymptomatum præuiſionem,alterum duorũ ſpectare oportet,aut diſcuſſionem,ſi tenuis fuerit materia,aut ſuppurationem,ſi craſſa.Si igitur tenuis,Recip.foliorum maluarum,violarum,florum roſarum,meliloti an.m.j.hordei,fabarũ,detractis corticibus an.m.j.medullæ panis opiri vnc.x.bulliant in ſufficienti aquę quantitate,donec hordeum aperiatur,inde ſubtiliſsimè terantur, ac per cribrum tranſmittantur,& adde olei roſati completi,camomellini an.vnc.ij.rob.q. s. pro emplaſtro. Si autem materia eterogenea fuerit,Recip.florum camomillæ,meliloti,ſtœchados,pulegij an.m.j.farinæ fabarum,hordei an.vnc.iij.decoquantur in brodio capitis caſtrati,piſtẽtur,& adde olei camomellini,rob.an.q.s.pro emplaſtro.cùm autem phlegmon diſcuſſorijs præſidijs non tollitur,ſuppurationem expectare oportet,ob id tunc temporis à medicamentis pus mouentibus auxilium quæratur;ea quippe ſunt,quę calefaciendi,addita temperata humectatione,vi pollent,glutinandi potentia non expoliata, & glutinis inſtar cutis poros obſtruentia.fiat igitur cataplaſma ex farina triticea,communi oleo,& aqua:aut ex farina

c ¶ Oribaſius Paulus. Auicenna.

d ¶ Hipp. lib. 4. de articulis. lib. de humid. vſu. 3.reg. acut. 41. & 5.Aphor.18. Gal.6.meth.c.3 Auic.cap.de Apoſt.ner.

d ¶ 6.meth.c.2. & 3.katageni in caſu à Principe citato.

triticea, ſapa, & oleo roſato. & ſi hoc, quod triapharmacum vocant, non iuuerit, illud paretur, quod tetra pharmacum, aut eneapharmacum à Græcis nuncupatur: ſanie iam collecta, vbi cutis tenuiſsima ſe oſtenderit, tumor aperiatur, poſtmodum quod reſidet, præparetur, & ſinus, vt decet, curetur: ſi verò dolor affectam ſedem occupauerit, anodynis vti expedit, non in vulnere, ſed in eius conſortio, veluti emplaſtro, quod paratur ex medulla panis, & lacte, aut ex maluis decoctis, & butyro, aut ex vitellis ouorum & roſaceo, aut ex his omnibus, aut aliquibus: ea verò, quæ ex metallis, & aceto conficiuntur, probantur ab antiquis, at non in vulnere, quod medicamenta omni mordicatione expoliata expoſcit, ſed circa ipſum vulnus: hoc interim negligendum non eſt, ſed requiſitis indicationibus curandum. Vnum adhuc aduertendum omnino eſt, in dignoſcendo loco ſuppurante, prǽſertim in ſedibus cartilagineis, chordis, neruis, & ligamentis ſcatentibus; nam Medici in his locis ad ſectionem venientes ſæpe errant, isq; error interdū duplex eſt, & quòd nullo modo ibi pus inueniatur, cùm hæc loca multò craſsiora ſint, quàm opinentur, & ea videantur ſuppurare, quæ mucoſum humorem in ſe continēt; quod euenire ſolet, quoniā huiuſmodi humor, vbi tangitur, citò elabitur, ac inundare videtur.

DE PVTREDINE.

Non rarò in ſauciatis neruis, occęcato cutis vulnere, ac humiditatum prohibita tranſpiratione, praua ſymptomata oriuntur, quod etiam medicorum ignorantia, aut inſcitia euenire ſolet, nimia nempè producta putredine; quod facilè euenit: nam [a] nerui ex humida materia geniti ſunt à frigido coagulata, eoquè magis, ſi affectus calidis, ac humidis medicinis curatur, à quibus [b] putredines gignuntur, quæ, dum apparent, ſedem ipſam læſam, aut phlegmone laborare, aut in via corruptionis eſſe oſtendunt; & tunc humiditates in tanta copia à vulnere effluunt, vt ferè incredibile ſit, aquoſa nempè, ac ſubtilis à Græcis ichor, & vulgo virulentia nuncupatur. multoties etiam talis materia craſſior, ac glutinoſior eſt, ſubalbida, melliquè albo ſubſimilis; fertur hęc ex vulneribus, vbi nerui circa articulos lęſi ſunt, & inter hęc loca, maximè ex genibus, meliceria vocatur, & ſapit pituitæ naturam; ſiquidem [c] nerui à frigidis, & glutinoſis humoribus replentur, ex quibus etiam nutriuntur; porrò ſoluta eorum vnitate, imbecilles redduntur, & ſimile nutrimentum non concoquunt; quod inde ſub tali forma per vulnus expurgatur, & vehementiſsimis eget exſiccationibus: hac ratione dicebat Auicenna; Si in vulnere multa humiditas apparuerit, tenuis, & virulenta, non ab re erit vſus trochiſcorum colchotar, aut Andronij, aut praſsium vino decoctum: quod etiam Galeni præceptum eſt, [d] qui dubitare nequit, etiam detectis neruis, nimia apparente humiditate, celebres illos Andronij, aut Polijdę, aut Paſsionis trochiſchos applicare, præſertim vino ſolutos vſque ad mellis ſpiſsitudinem: aſſerens Polijdę paſtillos quia temperatiori natura prędití ſunt, tenuioribus corporibus magis conuenire; Andronij verò ſiccioribus. nihilominus in hoc ſymptomate medicamentorum quatuor formas probare videtur. quarum Prima ex aridis mineralibus confecta ſub triplici modo deſcribitur, quorum alter altero validior eſt; nam imbecillior ſic ſit, Miſi, chalcitidis aduſti, nitri an. drag. j. ſquammę æris drag. iij. miſce; validior ſic paratur, Miſi, chalcitidis, ęruginis an. drag. j. comburantur omnia, ac piſtentur, & additis ſquammę æris drag. ij. ceræ drag. iiij. fiat medicamentum; magis valida recipit chalcitidis crudi drag. j. miſi crudi drag. ij. ſquammæ ęris drag. iij. fiat puluis ſubtiliſsimus. Secūda ex liquidis medicamentis fabricatur, ac pariter ſub duplici compoſitura congeritur: prima continet opoponacis drag. iij. picis drag. xij. aceti vnc. iij. bulliant ſimul aliquantiſper, & eſt opportunum meſſoribus, ac militibus; tenuioribus verò, aceti loco, oleum antiquum imponatur: ſecunda, medicamentum diaeuphorbium eſt, ſic fit, Euphorbij recentis vnc. s. ceræ vnc. j. s. olei antiqui vnč. vj. bulliant parum. Tertia, antidotum eſt ex agreſtium columborum fimo, interdum aceto, interdum oleo antiquo ſoluto. Quarta, medicamentum eſt mite, quod neruis denudatis, ac corporibus effœminatis ſaluberrimum eſt, ſic conficitur, Reſinę, terebinthinę vnc. iij. calcis viuę pluries lotę drag. j. olei maſticini lumbricati q. s. at ſi materiæ quàmplurimę craſſę, ac à putredine non alienæ apparuerint, ab Auicenna commendatur, & valet ſerapinum cum orobi farina: verùm ſi fœtor aliquis percipitur, iſide medicamento vtendum eſt; & ſi putredo dignoſcitur, nō eſt excuſatio ab ægyptiaco, aut per ſe, aut alteri admixto, nempe regali, aut baſilicone, quod mirificè locorum neruoſorum vlcera corroſiua, aut putrida corrigit. probat tamen Galenus, & Aetius in hac putredine farinam orobi, fabarum, ac eruinam cum lixiuio ſtillaticio cum oxymellite, aut ſyrupo acetoſo decoctam. ſi autem ſubſtantia nerui detecta, ac putrida exierit, tunc expedit, ait Princeps, eam omni diligētia amputare, inde vulnus, ac ſi recens eſſet, curare.

[a] Gal. com. 2. de artic. in fine. Auic. cap. de vulner.

[b] Gal. 2. meth. c. 5. 6. meth. cap. 2. & 4. de cap. m. c. 3.

[c] Gal. 2. Aph. com. 26. & cō. 2. de articulis.

[d] 3. de comp. med. in gen vbi de medicinis ex metallis, & 6. meth. cap. 3.

De

De conuulſione. Cap. XII.

INTER affectus prɇternaturales, qui in ſoluta continuitate conſiſtunt, & dolorũ, inflammationum, vigiliarum, delirij, ac conuulſionum periculum afferunt, ſunt neruorum, ac locorum neruoſorum vulnera; ſi quidem hæc ferè ſemper huiuſcemodi comitantur ſymptomata, atque illud præſertim, quod Græci ſpaſmon, & Latini conuulſionem appellant. vulnera igitur neruorum, & ſi minima fuerint, in magnum ſæpe conuertuntur morbum, ac longè timendum. Hac ratione de ſpaſmo ſermonem habituri, quid ſit ſpaſmus, quæ eius differentiæ, quibus modis producatur, quæ ſint eius propria accidentia, qualis prædictio, & quot modis curari poſsit, declarare primò tenemur, quamuis [a] curatiua methodus ab aliquo ſymptomate ſumēda non eſt, ſed à morbi propria eſſentia; ſymptoma nanque interdum curationem peruertit, non tamen vt tale, ſed in eo, quòd morbus, aut cauſa fuerit. dicimus [b] igitur, ꝙ ſpaſmus motus deprauatus eſt, voluntariæ facultati motrici accidens, & eſt neruoſa ægritudo, qua mouētur lacerti ad ſuum principium, vnde poſtea extenſioni fiunt inobedientes, & eſt principalis affectio eorum neruorum, qui voluntatis imperio obediunt: hac ratione dicamus, quòd conuulſio motus eſt neque voluntarius, ideſt ſecundùm hominis voluntatem, & arbitrium factus, neque naturalis, ideſt à natura productus, ad hominis videlicet vtilitatem & cō ſeruationem; ſed motus eſt non voluntarius, ac præter omnem hominis intentionem, ac eius deſtructiuus: Sed, vt magis hæc deſcriptio intelligatur, videndum eſt, quid ex anatome apprehenditur; motus omnes iubente anima facti, qui à muſculis, ac tendonibus, tanquam ab eorum inſtrumentis, exercentur, fiunt, dum muſculi verſus eorum extremitatem, ac principium, & radicem contrahuntur, ſecū nimirum omnia membra illis annexa, & vnita ducentes, vt ſunt nerui, tendones, & ligamenta. nam motus nullus vtiq; fieri poſſet animalibus voluntarius abſque muſculis; ſiquidem muſculi propria ipſius inſtrumenta ſunt ob virtutem eis à cerebro delegatam per neruos, qua etiam ſenſu prɇditi ſunt. Cum igitur ab affectu aliquo præternaturali lacerti, tendones, aut nerui punguntur, inflammantur, aut altero modò læduntur ſecundùm motum naturæ præter hominis voluntatem cerebrum verſus, tanquam eorum primam radicem, & ortum remeant, ac inde motus contractiuus ſequitur non voluntarius earũ partium, quæ voluntatis imperio parent, & ſpaſmus vocitatur: hac [c] ratione paſsio hæc nec oſsibus, nec ligamentis attribuitur, ſed muſculis, tendonibus, ac neruis, veluti proprijs inſtrumentis arbitrarij motus, quidam deprauatur, fit non voluntarius, immobilis, ac tenſus; Neruorum diſtentiones, ait Gal. [d] ſic fiunt, quum ipſi muſculi primò, ac præcipuè ſe ipſos, deinde partes, ad quas perueniunt, ad ſuum initium contrahunt, per hunc [e] enim affectum actio nequaquam ablata eſt, vt in paralyſi, ſed ſolùm immutata, ac vitiata.

a Gal. 4. meth. c. 3. & 13. meth cap. 1.
b ¶ Celſ. libr. 4. c. 3. Gal. 5. Aph com. 5. 6. Apho comm. 39. 5. de cauſ. ſymp. c. 2 com. 4. de fract Hipp. lib. de tre rig. & ſpaſmo Raſis lib. de ægrit. ner. c. 24 Auci. 2. 3. c. 5.
c ¶ Gal 3. de lo aff. cap. 5.
d ¶ Galen. 5. de ſympto. cauſis Auic. 2. 3. cap. proprio.
e ¶ 3. comm. de fract.

CONVVLSIONVM DIFFERENTIAE.

TRES ſunt [f] conuulſionum differentiæ, ſeu ſpecies, quarum vnaquæque à ſede affecta, in qua nerui, ac lacerti extenſioni inobedientes facti ſunt, nomen ſibi ſortitur. porrò ſi in anteriori hic affectus oritur, conuulſio hæc Grɇca voce emproſthotonos vocatur, ab hac dictione grɇca, emproſthen, quæ, ante, ſignificat; tunc ſiquidem ante, & ſupra pectus ſuum inclinatur conuulſus. a Latinis conuulſio conſueta, aut domeſtica dicitur, ſi poſteriorem occupauerit. opiſthotonos dicetur ab ea grɇca dictione, epiſthen, quɇ retrò denotat, ac ſi conuulſus in collum, & partem poſteriorem pendeat, à Latinis conuulſio ſcapuloſa, aut ſilueſtris vocatur. cumq; nec hanc, neque illam læſerit, ſed tenſus, ac rectus permanet conuulſus, Græcè tetanos, ideſt totum extenſum, & Latinè tenſio, ſiue diſtentio vocitatur, & eſt conuulſio [g] compoſita ex anteriori, ac poſteriori motu non voluntario, in quo [h] nequit videri, in qua parte conuulſio orta fuerit; ſed tantùm rectus, ac immobilis remanet conuulſus; Nullus morbus (inquit Celſus) [i] importunior, acutiorq; eſt, quàm is, qui quodam rigore neruorum, ac lacertorũ modò caput ſcapulis, modò mentum pectori annectit, modò rectam & immobilem ceruicem intendit; Princeps [k] verò, cum diſtinctè has conuulſionum differentias declaraſſet, ait; Si conuulſus ad poſteriorem inclinauerit, tunc paſsio in lacertis dorſi gignitur, & cum ad anteriora declinat, thoracis muſculi conuulſi ſunt; & ſi rectus, ac immobilis permanet, tunc vtrobique & anteriores, & poſteriores muſculi æqualiter tenſi facti ſunt: cæterum ex prɇfatis conuulſionibus quædam vniuerſales ſunt, quædam verò particulares. vniuerſales, dùm noxa ipſi cerebro cōmunicatur, & ad ipſum peruenit, quod tāquam moleſtū, & iniurioſum aliquid percipiens vehementi conatu eam expellere nititur, in quo motu, & neruos, & alia neruoſa corpora ad ſe contrahit, & conuellit, & tunc aut anterior, aut poſterior pars, aut æqualiter totum corpus fit tenſum, & conuulſum: particularis verò fit, quandò cerebrum non affligitur, nec vllam noxam percipit, ſed particula aliqua læſa, aut tenſa, aut recuruata remanet: circa faciem morbus talis innaſcitur, quem Græci cynicum ſpaſmum, ideſt caninum, nominant: lingua pariter interdum aut per ſe, aut alterius morbi conſortio conuellitur, vt vel nullo modo, vel corruptè loquatur: ſɇpe manus vna, interdum ambæ conuelluntur, vt Antonomo [l] euenit, qui ex capitis ſumma parte vulnerata,

f ¶ Hipp. lib.. de dieb iudic. & li. de inter. affec. Gal. 4. Aphoriſ. com. 57. & libr. de rig. & ſpaſmo.
g ¶ Gal. 5. Aph. com. 6.
h ¶ Gal. 4. Aph. com. 57.
i ¶ Lib. 4. ca. 3.
k ¶ 2. 3. doctr. 2. cap. 5.
l ¶ Hipp 5. Epi. demiarum.

ambarum manuum conuulſione affectus eſt. Dantur adhuc aliæ conuulſionum differentię quàm plurimę, nonnullæ nimirū à cauſis denominatæ; nā aliquæ materiales, aliquæ ſine materia producuntur, aliquę proportionatæ, & aliquæ non proportionatæ vocantur; aliæ humidę, aliæ ſiccę ſunt, multæ per ſe, & multę conſortij lege, vel ex affinitate producūtur, de quibus omnibus inferius multa dicturi ſumus.

CONVVLSIONVM CAVSAE.

OMNES[a] conuulſionum cauſę potiſsimæ, ſeu affectus omnes, qui conuulſiones pariunt, ſub dupli ci ratione à medicis collocantur, nempè ſub diuerſarum humiditatum nimia copia, & plenitudine, qua inſtrumenta arbitrarij motus replētur, & occupantur, vt à magnis inflammationibus eue niſſe compertum eſt, aut earum defectu & inanitione, vt ab ardentiſsimis febribus, aut nimio ſanguinis fluxu: à plenitudine quidem ita fit conuulſio, nerueum genus craſſis, & glutinoſis materiebus nutritur, ac repletur, repletum verò intenditur, & extenſione trahitur ac abbreuiatur, non ſecus quàm fidiculis, ideſt citharar ū chordis, euenire contingit, quum in loco humido ſeruantur; quapropter repletis neruis, aut neruoſis partibus aliena humiditate, conuulſio è repletione procreatur: ex inanitione verò quando ex humidi penuria exſiccantur, & breuiores fiunt: verùm & ſi tertiam nō inueniri cauſam confitetur Galenus,[b] ſecus tamen credit [c] ad mētem Hippocratis, & Platonis; nam & tertia videri ſolet, nō primò in cerebro, aut mēbris cōuulſionibus deſtinatis, ſed per affinitatem, aut horum membrorum conſortij lege cum alijs membris aliquo morbo affectis, vt à læſo [d] ventriculo euenire ſolet, dum acuto aliquo humore, aut acri medicamento, aut veneno pungitur, aut mordicatur, aut dùm altera corporis pars veneno affligitur, & inde conuulſiones ſubſequuntur, noxa ſi quidem cerebro contriſtanti iam communicata, & hæc conuulſio non proportionata vocatur.

CONVVLSIONVM PRODVCTIONES.

IAM dictum eſt,[e] quòd hoc ſymptoma in virtute motiua, aut ex repletione, aut compatiendi ſocietate, hoc eſt cerebro, lege commercij patiente, produci ſolet, præſertim in ſingulari aliqua parte, dum fortis quis morbus, vt maxima inflammatio eſt, eam occupauerit; nam ſi illius ſedis lacerti, aut tendones, aut nerui, nimia humiditate aliena repleti fuerint, contrahuntur, & conuulſi fiunt; quod ſectis neruis, aut tēdonibus ſæpiſſimè occurrere ſolet, occæcato nempe vulnere, nulla ve aut diſcuſſa, aut euacuata virulenta humiditate, qua facillimè nerui ipſi, aut tendones, replentur; quo fit, vt tumeāt; & breuiores fiant, ac nucham verſus, aut cerebrum, à quibus originem ducunt, contrahantur, ducentes nimirum ſecum imbibitas ſuperfluitates, vnde nobilia hęc membra noxam euitantia contrahuntur, & ad ſuam recurrunt originem, quærentes interturbantem cauſam expellere; vnde ex tali motu expulſiuo cerebrum in ſe contrahitur, & hic motus [f] epileptico aſſimilatur. cerebrum quippe [g] in ſe ipſo corrugatum, neruos omnes, ac neruoſa omnia illi annexa, & alligata, aut ſecundùm eorum originem, aut nucha mediante, contrahit, & vniuerſalis conuulſio producitur, ſiquidem [h] ob cerebri nocumentum & nerui, qui ab ipſo oriuntur, de neceſſitate affliguntur: ob id ſequitur,[i] quòd conuulſiones, quæ ſauciatis neruis occurrunt, præcedente aliqua inflammatione, perpetuò fiant, in genere quidem ſic neruorum diſtenſiones, cum ipſi muſculi primò ac præcipuè ſeipſos, deinde partes, ad quas perueniunt, ad ſuum initium contrahunt: porrò ea membra primò intenduntur, quę è directo inflammatis opponuntur; inde, quamprimum affectus cerebro communicatur, per totum corpus conuulſio extenditur: ſic enim producitur illud ſymptoma in vulneratis, quod conuulſio ex repletione nuncupatur. Nimius [k] vini vſus neruos pariter replet, & conuulſionem facit. dictum eſt enim; Si ebrius quiſpiam repentè obmutuerit, conuulſus moritur, niſi febre corripiatur. Conuulſio ex inanitione, ideſt ob humiditatis penuriam, generatur neruis exſiccatis, exſiccātur nempe, dum proprio alimento priuantur, interdum ex nimio æſtu ſub ardentiſſimo cœlo; porrò dictum eſt [l]; Ab æſtibus fortibus conuulſio, aut diſtenſio, malum: verùm pro æſtibus fortibus aliqui ardentes febres exponunt. nam [m] febrem conuulſioni ſuperuenire melius eſt, quàm febri conuulſionem. alij ambientis aeris feruorem, & multi cauteria intellexere, & omnes verum dicūt. frigus vehemens & intenſum, conuulſos reddit homines. ſumnatim enim dictum eſt;[n] Frigus conuulſiones, diſtenſiones, liuores, ac rigores febriles facit: ſicuti enim non decet neruorum ſubſtantiam à nimio calore diſſolui, ſic nec vltra modum conuenientem, refrigerari: poſt febres etiam combuſtiuas, nerui exſiccantur. nam dictum eſt;[o] In acutis febribus conuulſiones, & circa viſcera dolores fortes, malum. febres enim vehementes, veluti ignis, neruos exſiccant, atque conuellunt, & propter hoc, malas afferunt conuulſiones: conuelluntur nerui, dùm propria humiditate priuantur; nam dictum eſt;[p] Vbi ſanguis plurimus effluxerit, ſingultus, atque conuulſio, malum. nec ſolum in hac, ſed in alijs euacuationibus verificatur hic aphoriſmus; ex ſuperflua [q] enim euacuatione conuulſio, aut ſingultus ſuperueniēs, malum. idem facere ſolent longæ inediç, ſuperfluę vigiliæ, copioſi ſudores, multi vomitus, ac quæcunque naturales neruorum humiditates attenuare, ac diſſoluere poſſunt. nam [r] fames corpora ſiccat, & in vigilia conuulſio mala: multæ vigilię ex his ſunt, quæ vehementer corpora ſiccant: ſicut [ſ] enim lora ab igne exſiccata, contrahi videmus, ſic & in neruis, aut tēdonibus occurrere poteſt: in exterioribus lora, aut cithararum chordas extenſas inſpicimus, vbi vehementius exſiccantur, aut multa madent humiditate;

a ¶ Hippo. 6. Aphor. 39. Gal. 6. Aph. cōm. 29. 4. Aph. co. 57. 5. Aph. com. 1. 3. inter c. 5. 6 inter. c. 5. Aet. li. 6. cap. 38. Paul. li. 3. cap. 19. Auic. 1. tr. 5. ca. 8. & 23 cap. 5.

b ¶ 3. de comp. m. ſecundū loc. cap. 7.

c ¶ 5. Aph. com. 1. & 5.

d ¶ Gal. 5. Aph. com. 1.

e ¶ Gal. 3. de no. loc. aff. c. 5. 5 de ſymp. cau. ca. 4. 5. Aph cō. 2. & lib. de rig. & ſpaſmo. 11. de vſu. par. c. 2. 2. de art. com. 2. & 3. de art. com. 100.

f ¶ Gal. com. 3. lib. de art. Hip. 3. de not. loc. af. c. 10. Auic. 1. 3. tr. 5. cap. 8.

g ¶ Galen. 5 de ſymp. cau. ca. 8. & com. 3. lib. de art. Hipp.

h ¶ Gal. 3. Aph. com. 24.

i ¶ 5. Aph. cō. 2.

k ¶ Hippo. 5. Aphor. 5. & 2. de morbis.

l ¶ 7. Aph. 13.

m ¶ 2. Aph. 26. 4. Aph. 57. li. 1. de mor. lib. de locis in homine. lib. de Coac. prænot.

n ¶ 5. Aph. 47. 3. reg acut. 4. & lib. de humid. vſu.

o ¶ 4. Aph 66. & lib. de Coac. prænot.

p ¶ 5. Aph. 3. & 56. 7. Aph. 9. & libro de Coac. prænot

q 5. Apho. 4. 7. Aph. 3. & 25. li. de Coac. prȩno. & lib. de vſu veratri.

r ¶ 7. Apho. 18. Galen. 3. de no. loc. aff. c. 5.

ſ ¶ Gal. 5. Apho. com. 8. 6. Apho com. 39 2. de loc. aff. c. 2. 3 de loc aff. c. 5. 6. de loc aff. c. 5. com. 2. de art.

ditate; ſic & in corporibus animalium fieri par eſt, & conuelluntur. Fiunt etiam conuulſiones propter compatiendi ſocietatem, quæ tamen veræ conuulſiones non ſunt, ſed accidentia conuulſiua, cum ex [a] acerrimo dolore, vt in Harpali filio ex liberta Telephone, compertum eſt. qui cum luxationem in magno pedis digito acceperit, inflammatus eſt, & dolore plenus, & vbi repoſitus eſt, dolor remiſit, rediēs poſtea lumbis doluit, maxillæ ad noctē conſerebantur, & epiſthotonos aderat, ſaliua ſpumoſa per dentes vix foras prodibat, & tertia die mortuus eſt: aut [b] acri medicamento, vt Trinoni Damonis filio occurrit, cui, dum haberet circa tibiæ malleolum vlcus iuxta neruum ſanè iam purum, à pharmaco corroſiuo, contigit, vt epiſthotono moreretur: aut ſucco acuto, [c] aut veneno, aut cauſa ſimili, quæ noxam neruoſis partibus primò, inde cerebro, inferre ſolet, contingere poteſt, non tamen illicò, aut immediatè, vt in materiali ſpaſmo occurrit; nam in conuulſione conſortij lege cerebrum aliorum membrorum participatione patitur; aut ab aliqua euaporatione, & mala temperie, & non à ſucco diuerſo; attamen in hac etiam contrahitur cerebrum, & fiunt motus aliqui conuulſiui, qui ab Arabibus ſpaſmi non proportionati, & à Latinis per conſenſum vocantur. Sed quia inſtituti noſtri non eſt de his ſermonem habere, ſed de ea tantùm, quæ vulneratis neruis interdum occurrit, hæc nunc ſint ſatis.

a ¶Hipp. 6. Epidemiarum.
b ¶Hipp. ibidē.
c ¶Gal. 5. part. Aph. com. 1.

CONVVLSIONVM NOTAE.

NONNVLLAE notę in aliquibus conuulſis ita dignoſcuntur, quòd clarè conuulſionem à plenitudine productam eſſe, indicium præſtant, nempè [d] cum violenter ac repentinè apparuerit: præſertim in morbi initio, & diu perdurat; aut cum tremor, aut contractio, aut ægra, ſeu difficilis membri dimotio inchoauerit. nam corporis [e] motus, & vires in neruis, muſculis, & oſsibus conſiſtere videntur: portendit pariter conuulſionem aliqua colli tenſio, dum magna cum difficultate ceruices agitantur, & partes (quæ tranſglutiendi, ac expuendi operationibus inſeruiunt) affliguntur: ſępe labra contrahuntur, aut perpetuò patientes ridere videntur, aut vnà cum dentibus ita coeunt, vt cum patiens nutrimentum recipere nequeat, neceſſariò vitam cum morte commutare cogatur: ait Hippocrates [f]; ſi ex vulnere tetanus, aut diſtenſio neruorum introrſum, ac retrorſum fiat, æger hęc patitur, maxillæ cōgelantur, ac rigent, veluti ligna, os interdùm aperire non poteſt, oculi frequenter lacrymantur, ac diſtrahuntur, dorſum induratur, & crura flectere non poteſt, neque manum, neque ſpinam: cùm verò lethalis fuerit, potus, & cibus, quos prius accepit, per nares quandoque redduntur, ſitis multa hominē opprimit, quem neceſſe eſt febre corripi, lingua exaſperatur, & ſicca fit, color totius primum pallidus eſt, progreſſu verò temporis nigreſcit: dicunt vulneratos interdum nullum verbum proferre poſſe, vt illi euenit [g] magnæ nauis Gubernatori, cui Anchora digitum indicem, & infernum os dextræ manus confregit, inflammatio ſucceſsit & febris, poſt ſeptimum diem ſanies exibat lenis, poſtea maxima cum difficultate, lingua dixit ſe non omnia poſſe enuntiare, prædictum eſt epiſthotonum ſuperuenire, & tertia die totus conuulſus in poſteriorem partem, ſexta à prædictione cum ſudore mortuus eſt: peruertitur nonnunquam facies, aut os, & oculi ſtrabi fiunt, perpetui adſunt dolores; ſingultus, & alienationes: at ſi noxa membris anhelitus communicatur, & ſeptum patitur, cordis temperamentum corrumpitur, febris oritur, pulſus diuerſus extenſus & durus percipitur, vrinæ turbidæ, & magna cum difficultate, aut inuoluntariè redduntur, vltimò vulnerati magno cruciatu ſuffocantur. Potiſsimum indicium conuulſionis humidæ ab Hippocrate [h] ſub hoc ſeparato ſermone denotatur; Quibus tumores in vulneribus apparent, non conuelluntur maximè, neque inſaniunt, verùm his euaneſcentibus, repètè quibusſdam à tergo conuulſiones, & diſtenſiones fiunt; quibuſdam autem inſania, vel dolor lateris acutus, vel ſuppuratio, vel difficultas inteſtinorum, ſi tumores ſunt rubicundi: hac ratione ſi humor ille, qui tumorem faciebat, ad aliquod principale inteſtinum remeauerit, in poſterioribus neruoſis conuulſiones, in anterioribus venenoſis inſaniam, ſi fertur ad caput; ſi ad thoracem, lateris dolorem (pleureſin vocant) generare ſolet. ſæpiſsimè verò hi ſuppurantur non diſcuſſo humore. Adhuc dictum eſt; [i] Si in vulneribus prauis, & fortibus exiſtentibus tumor non apparet, ingens malum; ea nempe vulnera praua dicuntur, quæ in capitibus, aut finibus muſculorum, & maximè neruoſorum occurrunt, nam in eorū initio nerui, & in fine tendones multi oriuntur, ob id ſequitur [k], quòd qui vulnere affliguntur propè genu in fine coxæ, repentè moriuntur; ibi nanque in partibus genu anterioribus magnam videmus chordam, in qua per compatiendi rationem, rationabile eſt magis fieri conuulſionem, quàm alibi in poſterioribus, vbi partes ferè omnes carnoſæ ſunt. Huius ſymptomatis rationes aſsignat Galenus, [l] dum inquit; Vulnera, quæ conuulſiones afferunt, non ſuppurantur omninò, ſiquidem nihil mali poteſt aduenire vlceri pus generanti; nam [m] laxa vulnera bona ſunt, ſicca verò mala, & bonitas hæc penes naturam concoctionis, ſiccitas penes quantitatem conſideratur. nam ſuſpicandum eſt, ne humores ad vulnera defluentes ad partes principaliores tranſmittātur, præſertim vbi dolor aliquis apparet. maximè autem patiuntur dolores partes neruoſę. cumque igitur in vulneratis neruis tumor apparet, ideſt optimæ ſaniei copia; ſecus de inflammatione credendum eſt, neque conuulſio, nec aliud ſymptoma verendum eſt. Notę autem, quæ ſiccam conuulſionem eſſe affirmant, interdum à morbi longitudine ſumuntur, [n] talis repente non fit, ſed poſt chronicas paſsiones, aut ardentes & ſiccas ęgritudines, quæ tandem patientem tabidum reddere poſſunt, ſubſtantificam humiditatem corporis abſumentes, vnde alicuius ſe-

d ¶Gal. 2. aph. com. 26. 4. aph. com. 50. Paul. li. 3. c. 19.
e ¶Ariſt. 1. Ethicorum Gale. 6. de vtil. par.
f ¶Lib. de dieb. iudicat. li. de inter. affec. Celſ. lib. 4. c. de ſpaſmo cynico.
g ¶Hipp. lib. 5. de morb. popu.
h ¶2. Epidemiarum. & 5. Aph. 65.
i ¶2. Epidemiarum, & 5. aph. 66.
k ¶Gal. 5 aph. com. 65. Auic. 4. 4. cap. de vlc.
l ¶5. aphoriſ. com. 22.
m ¶5. apho. 67.
n ¶Gal. 5. aph. com. 1. Paul. li. 3. cap. 19.

dis ſiccus ſpaſmus, aut membri ariditas ſubſequitur, qui crudelis & acutus, ſicut humidus, non eſt, interdum ab exquiſita euacuatione (nempe copioſo ſudore, nimia alui expurgatione, larga ſanguinis hęmorrhagia, immodico vomitu, longa inedia, multis vigilijs, & perpetuis laboribus, ab arida æſtuoſaq; febre, aut ambientis calidi actione, aut ignito, & non ignito cauterio, aut ſimilibus cauſis maximas ariditates inducentibus) produci ſolet: potiſsimum verò indicium eius eſſentię eſt, ſiccitas membri, quod iuſtam non ſeruat naturam, aut illorum ancyloſitas, quibus motus ſecundùm electionem perficitur. Indicia conuulſionis ex affinitate, & conſortio in vulneratis deprehendentur à cauſis procatarcticis, nempe atroci dolore, qui crudeliter laborantem excruciat, à medicamento rodente, ab acri frigiditate, à nimio æſtu, ab epoto veneno, aut exterius adhibito, aut ſimili, vt ſupra explicauimus.

CONVVLSIONVM PRAESAGIA.

a ¶ Li. 3. de morbis. & 5. Aph. 6. Celſ. lib. 4. ca. 3.

b ¶ Hipp. lib. de flatib. lib. de natu. hum. 2. Aph. 22.

c ¶ Hipp. 2. Aphor. 26. & Apho 57. & lib. 1. de morbis.

d ¶ Lib. de loc. in homine lib. de Coac. prænot. lib. de Iudicationibus. 4. Aphor. 57.

e ¶ Gal. 5. Aph. com. 26. lib. de Tabe. 7. & 12. meth.

f ¶ Gal. 5. Aph. com. 70.

g ¶ Gal. 4. Aph. com. 68.

h ¶ Gal. 7. met.

i ¶ Hipp. li. 1. de morbis. 5. Aph. 30. & 3. Apo. 25.

k ¶ Hipp. 5. Apho. 2. li. de Coac. prænot.

QVICVNQVE à diſtenſione corripiuntur, ait Hippocrates, [a] in quatuor diebus pereunt; ſi verò has effugerint, ſani fiunt: diſtenſio, ſiue tetanus, conuulſio eſt ex illa, quam Græci emproſthotonon, id eſt anteriorem contractionem, & ex illa, quam epiſthotonon, id eſt poſteriorem diſtenſionem, vocant, compoſita, & morbus peracutus eſt, in quo citius fit iudicatio: non tolerante natura longius ſpacium, in primo circuitu dierum criticorum paſsio iudicatur: ſi ergo validior natura morbus fuerit, patiens ante quartam peribit, ſecus verò tranſacta quarta, aliqua apparente ſignificatione, ac conſumpta materia. ſiquidem morbos, quicunque [b] ex repletione fiunt, curat euacuatio, & quicunque ex euacuatione, repletio, & aliorum contrarietas, quod experimento, & ſcriptorum teſtimonijs comprobatur. nam febris, [c] quæ conuulſioni ſuperuenit, eam ſoluit; quia humores frigidos, & glutinoſos partibus neruoſis inſertos, ex quibus frequenter conuulſio producitur, calfacit, attenuat, & diſſoluit: hac ratione dicebat Hippocrates; [d] Qui à conuulſione, aut diſtenſione neruorum tenentur, febre ſuperueniente, liberantur; porrò omnis conuulſio talis de repletione cenſetur, quia euacuatione ſanari poteſt, præſertim ſi ſecum optimæ conditiones adfuerint, vt in ſequētibus dicemus: ſecus vero de ſpaſmo ſicco credendum eſt; ſiquidem ſpaſmus diſproportionatus ſanari nequit, atque minus, ſi maraſmus, ideſt vltima ſiccitas, membrum occupauerit. non enim ſicca & arida membra nouas humiditates recipiunt, neq; [e] opportuni ſpiritus ad ea tranſeunt, igitur repleri minimè poſſunt. hac de re [f] conuulſio ex inanitione acutiſsima & pernicioſiſsima eſt; ſi verò noxa [g] muſculis thoracē mouentibus cōmunicatur, mors imminet; nā plures lædit partes reſpirationi obſeruiētes: deplorata [h] eſt illa conuulſio, quæ maxillas occupat, & dentes conſtringit, ita vt os aperiri nō poſsit, & fame perire neceſſe ſit: adhuc [i] quę in vtero gerentes, pueros lactantes, & decrepitos detinet: ſpaſmus abſolutus, ſiue confirmatus vtroque modo curationem non admittit, & ille mortalis eſt, [k] qui ſauciatis partibus membrorum neruoſorum ſuperuenerit. nam dictum eſt à Galeno; Nerui, aut chordę punctura, aut vulnus, propter eorum ſenſus vehementiam, & quoniam hæ partes principio continuantur, promptæ ſunt ad neruorum conuulſionem excitandam, præſertim cum nihil extrorſum reſpirat; adde præterea, ſi tumor apparuerit, ac repentè euanuerit: correlariè ſpaſmus abſolutus & confirmatus, aut humidus, aut ſiccus, prorſus incurabilis eſt; qui ex ſiccitate non adhuc completa, raró, & non facilè, curationem admittit; qui verò ex repletione fit, interdum, ſed multis requiſitis indicationibus, ſanari poteſt.

De Conuulſionum curationibus. Cap. XIII.

HAs duas dubitationes diffusè pertractare decreueramus, quæ nam facilius, an humida, an ſicca conuulſio, neruoſis partibus vulneratis occurrat, & quale vulnus id ſit, quod patientibus maiorem noxam inferat, & varia excitet ſymptomata; ſed quia ad curationis methodum nihil facere videntur, & longo egent ſermone, eas ſicco pede (vt aiunt) tranſire decreuimus: ſat ſit igitur, quòd vniuerſalis opinio, humidam conuulſionem poſt aliquam inflāmationem, ſectis neruis ſuperuenire concedit, quæ multoties poſt pituitoſorum humorum copiam, qua nerui, aut tendones nutriri, ac repleri ſolent, generatur, & puncturam (præſertim occęcatam & anguſtam) deteriorem eſſe, & maiorem afferre moleſtiam: quare humidæ, ſiue materialis conuulſionis curationem aggrediamur, cum & faciliorem curationem admittat.

CONVVLSIONIS EX PLENITVDINE CVRATIO.

QVEMADMODVM cęteræ paſsiones, quæ à copia humiditatū produci ſolent, opportunis euacuationibus curantur; ſic & humida conuulſio interdum ſanari poteſt, adhibito nempè in ſex rebus non naturalibus optimo victus regimine, & cōuenienti topicorum medicaminum applicatione, quibus vis inſita ſit, non tantùm in vulnere, ſed in tota ſede affecta, omnem ſuccum noxium exſiccare, ac diſcutere. Eſto igitur illud primū, vulneratum in habitatione, & aere calido & ſicco, ac molli culcitra collocare, qui ſi talis non fuerit, arte alteretur, igne ex Lauro, iunipero, ac cypreſſo perpetuò accenſo: aer omnis frigidus, præſertim tempore antelucano, quo præcipuè frigus intenditur, aut

intem-

intemperie, ſiue malo odore affectus euitetur; longus ſomnus malus, longæ vigiliæ peſsimæ, ille nam que valdè humectat,& caput multis vaporibus replet, hæ verò corpora exſiccant,& vires imbecillas reddunt: at exercitij loco leues frictiones extremis partibus,ac locis vulneri oppoſitis adhibeantur:partes verò,quæ contrahuntur, aut conuulſæ ſunt, immobiles contineantur;ſiquidem inordinatis motibus reſiſtere oportet. victus ratio tenuis ſit, nam [a] fames corpora ſiccat; & ſi virtus debilis fuerit,aut ſymptoma aliquod inediam nō admiſerit, eſca ſicca ſit, videlicet panis opirus,& bene coctus; mōtanæ auiculæ, ſylueſtres palumbi,lepores,capreoli, & carnes eiuſdem naturæ magis aſſatæ,quàm elixatæ, probantur à Galeno vndecimo de ſimpl.m.facul. vbi de carne Viperina,quãuis ſecus crediderit Ariſtot. quarto Meteororum: ſi verò mandendi facultas opprimitur, alimentum ſit ex condro, panico, pane loto, aut ex ouis ſorbilibus; nam cibus quiuis mandendus, vitandus eſt. ſorbitionibus vtendum, & ius aliquod aſſumendum, vinum album antiquum, & non vaporoſum in quantitate decenti ab antiquis [b] commendatur; nam tale eadem ratione & potentia,qua febris conuulſionem ſanat,eam iuuare poterit. nos autem in vulneratis aliter ſentimus,cum caput,& neruos facillimè repleat, Celſi [c] auctoritate moti, qui dicit; Celerius panis mandendus, quàm vinum guſtandū. ſiquidem huius vſus periculoſus,ideo in longum tempus diſtrahendus,aliter interdum concedi poteſt: vinum tamen omnibus, dum febris, aut inflammatio adeſt, interdicendum. vrgente verò neceſsitate, & in morbi deliteſcentia, illud iam deſcriptum concedatur; aliter aqua cocta potus eſto, pauca ſaluia, aut iua,aut calamenti, aut acori radice, aut cinnamomi, aut nucis myriſticæ quantitate addita: breuis cæna imperetur, nam optimum medicamentum eſt opportunè cibus datus: porrò à morbi eſſentia ſumpta indicatione, euacuatio conuenit, morbo è repletione exiſtente. igitur euacuare oportet, nempè à toto corpore, & ab ea parte, quæ conuulſa eſt, à toto corpore bifariam corpore pleno exiſtente, aut ſanguinis miſsione, aut pharmaco pituitam educente: ſanguis mittendus eſt, vbi plurimum abundat, aut inflammationis initium apparuerit, quę conuulſionem excitare ſolet; tunc enim ſi vulneratus ſanguinis redundantię expers non fuerit, modò nihil obſtiterit,ſecta vena è directò vulneri contraria, & ſitu longinquiori, ſanguis mittatur, præterquam in morbi conſiſtentia,dum ſęuiora accidentia apparuerint. tunc enim phlebotomia euacuatiua eſſe debet à ſede propinquiori, & ſemel tantùm; nec in magna copia ſanguis mittendus eſt,ne vires langueſcant,ſed validè contra morbi cauſam agere poſsint. dictum eſt enim à Galeno [d]; Si quis ſimul cum febre diſtentione neruorum laborauerit, & ſanguinis miſsione eguerit, neq; huic tantum mittere oportet, quantum exigit morbus, ſed etiam aliquid accidenti eſt relinquendum, cuius cauſa ſæpe ſudores eueniunt, & vigilię moleſtant,& vires debilitantur: ita etiam ſi vehemẽtiſsimæ vigiliæ,aut dolor intenſus ęgrotū infeſtauerint, cauendæ ſunt ſubitę, ac multę euacuationes. quod à Celſo ex antiquorum teſtimonijs affirmatur, iubentium ſanguinis miſsionem vitandam eſſe, eo quòd maximè tunc corpus calore egeat, isq; ſit in ſanguine: attamen hoc aliqui falſum eſſe credunt, neq; enim natura ſanguinis eſt,vt vtiq; caleat,ſed ex his, quæ in corpore ſunt,hic celerrimè vel caleſcit, vel frigeſcit: attamen Aſclepiades,mittendum eſſe ſanguinem,credidit, quod etiam conceſsit Galenus, & Celſus in ſpaſmo cynico, ſub his verbis; Sanguinem mittere optimum eſt: eius verò quantitas ſumẽda eſt ex redundãtiæ modo,& reliquis,quę in venæ ſectione cōſiderantur, nempè ex virtute,ætate, cōſuetudine,regione,ſexu,& anni tempore.nam dicebat Galenus; [e] Ambientis aeris temperatura loco cuiuſdam accidentis habenda eſt, quando exquiſitè calida,ac ſicca fuerit, qualis eſt tempore medio inter Canis ortum, & Arcturi; atque ideò omnes, quibus, nihil omnino de temporum ſtatu cogitãtes, cum ſanguinem abſtulerint, interierunt: ſi etiam valdè frigida fuerit tempeſtas, ſanguinem mittere eſt formidandum; verūtamen vbi plurimus ſanguis abundauerit, mittatur: ſi aliqua plethora,aut cacochymia apparuerit,& corpus aut pituita,aut ſeroſis humoribus refertum fuerit, per aluum purgatio emollienda eſt; ſolent nimirum conuulſiones magna ex parte,à pituitoſis,craſsis, & viſcoſis humoribus prouenire,ergo frequenti pharmaco educantur, quale eſt Hierapicra, electuarium Diaſenes, de dactylis, agaricum, pilulæ cochiæ,de Agarico,de Hiera,& de Euphorbio,& acrium clyſteriorū vſus ſummoperè probatur; nã [f] aluus ſæpè educta ſuperiores partes reſoluit:ſic huiuſcemodi clyſteres parentur, Rec. Camomillæ,ſaluiæ,ſtæchados,centaureæ maioris & minoris,althææ,parietariæ an. m. ij. fiat decoctum in aqua maris,aut addito ſale,& adde Agarici puluerizati drag. ij. Colocynthidis in petia alligatæ drag.j. iterum bulliant, & Recip. prædicti decocti vnc.x. Hierępicræ,electuarij lenitiui an.vnc.s.olei camomillini,mellis crudi an.vnc.ij.ouorum vitellos num. 2.miſce & fiat clyſtere: aut Recip. Stœchades, origani,betonicę, ſaluiæ, radicum pœoniæ,calami aromatici an.m.i.folliculorum ſenæ,epithimi, cubebarū an.m.s.pulpæ colocyntidis, agarici, turbith an.drag.i.fœnugræci.vnc.i.ſeminū cartami vnc.s. fiat decoctum in aqua maris,& facta colatura,Recip. prædictæ decoctionis vnc. x. electuarij diaſenes, hieræpicræ an.vnc.s.mellis crudi,olei ſiſamini,coſtini an.vnc.1. ſalis gemmę drag.iij.ouorum vitellos nu.ij. miſce, & fiat enema; hoc interim die,nóctuque(interpoſitis tamen quibuſdam horis)ceruices,axillæ, ſpina, inguina,& tota conuulſa ſedes calenti oleo communi inungatur, aut liliaceo, aut coſtino, aut ſpicato,aut laurino: quibus interdum addimus,aut caſtorei, aut Euphorbij parum: probatur etiam oleum vulpinum, de lateribus, ſeu Philoſophorum,ac ſuperpoſita lana molli ac ſuccida,membrum faſcia auoluatur; & omnia quouis modo applicanda qualitatibus ſint calida: ſi verò hoc ſymptoma perſeuerãdo

a ¶Hipp. 7. Aphor. com 60.

b ¶Gal. 5. Aph. com. 5. Auic. 2. 3. cap. de cura ſpaſmi.

c ¶Lib. 4. ca. 3. in fine

d ¶ 1. ad Glauc. vbi de cura febr. continuarū.

e ¶ 1. ad Glauconem,& 9. meth.

f ¶Cel. li. 4. c. 3

procedit,inter infirmi dentes aliquid ſeruetur , ne ex toto os claudatur,aut lingua à dentibus laceretur:
neque inutile erit,capillos omnes tondere,caputque irino, aut cyprio calido madefacere , & ſuperpo-
ſito pileo ipſum operire : aliqui vulneratum nudum inter duos ignes diu ſeruare , ſic tamen ne ferueat,
bonum eſſe opinantur:alij ſub ardenti ſole eum continent,multi in balneo ſicco(ſtupham id vocant)aut
in magno corio nuper excoriato patientem tamdiu inuolutum tenent, aut in ſacculo calidis furfuribus
pleno,quandiu ſudores copioſi fuerint excitati , & inde extracto medullam ſpinalem,aut ipſum totum
oleo irino completo,aut liliorum alborum cum aromatibus , aut oleo terebenthinæ ſtillaticio , aut vn-
guento alabaſtrino completo,aut martiaton,aut arragon inungunt : quod opus ab Auicenna ſimilibus
præſidijs celebratur,nempè pinguedine Lupi,aut Vulpis,aut parui Canis,bulliant hæc animalia à pelle
denudata,donec caro ab oſsibus ſegregetur; pinguendo verò , quæ ſupernatat,colligatur,& addita pau
ca cera , ferueetur : huic decocto addunt nonnulli anethum , betonicam,terreſtrem hederam , abrota-
num , folia Lauri , calamum aromaticum , & radices iunci odorati marini, aut Recip . Olei muſcellini
vnc. j. petrolei vnc.s.ſtyracis , calamitæ , ſerapini an. drag.ii. maſticis,olibani, gummi hederæ an.vnc.s.
butyri recentis vnc.iij. ceræ vnc. i.s.liqueſcant quę liquari poſſunt, igne lento, & quæ piſtanda ſunt , pi-
ſtentur,& ſecundùm artem fiat vnguentum,quo conuulſæ partes actu calido die noctequè vngantur.
Ait Celſus;Nonnunquàm etiam in calidum oleum totum deſcendere licet , vel in calidam aquam,quę
vnà cum fœnugræco bullierit ,tertia olei parte adiecta,quod herclè idoneum,ac pręſtantiſsimum reme
dium eſt,à medicis vbique obſeruatum. parantur & apophlegmatiſmata,& quę caput à pituitæ copia li-
berare poſſunt,quæ ſub multis formis conduntur , nempè aut gargariſmatis, aut ſternutatorij,aut odo-
ramenti,aut maſticatorij . Gargariſmata fiunt ex decocto hyſſopi,ſanſuci,pulegíj, calamenti , origani,&
ſimilium , addito ſyrupo de ſtæcade,aut oxymelle ſcilitico: aut fiant cum vino, in quo ebullierit ſinapis,
ſtaphiſagria,aut pyretrũ,addito melle.Sternutatoria componuntur ex pipere , caſtoreo , veratro , py-
retro,aut euphorbio in minutũ puluerem redactis . Odoramenta parantur ex caſtoreo , doronicis, ben
albo & rubeo , condiſis , opopanace , abrengi , ſpica,& ſale, ex quibus fiat puluis ſubtiliſsimus, & mu
ſcho aromatizetur,& fiat pomum odoriferum . Maſticatoria verò formantur ex pipere, pyretro,& ma
ſtice. non ab re etiam datur ſummo mane patientibus Theriacæ antiquæ drag.j.cum aqua betonicæ:cõ-
mendatur pariter Mitridatum,aurea Alexandrina , diamuſchũ dulce , confectio diaanthos, & anacardi
na,& quæcunque ventriculum,& caput corroborare poſſunt,ac neruos calfacere, & humiditates in eis
congeſtas abſumere; ſolent nimirum huiuſcemodi medicamenta febrem inducere,quæ in his affectibus
ab Hippocrate probatur, ait.[a] quippe;Febrem connulſioni ſuperuenire melius eſt,quàm febri conuulſio
nem.& alibi ; Qui à conuulſione, aut neruorum diſtentione tenentur,febre ſuperueniente liberantur, ob
id quia febris calor pituitoſas humiditates , quæ conuulſionem accerſunt, diſcutit,ac exſiccat,ſed ea fe
bris eſt expectanda, quæ diaria eſt, & non putrida, & ex ſe oritur , & medicamentis non accenditur,ca-
ſtoreo nempe, laſerpitio,aut opopanace, addito melle ad duplum : Nos verò nunquam neruorum vul-
nera conuulſa ſine febre inſpeximus , nec poteſt Medicus ad ſuum arbitrium diariam febrem accende-
re, nec datur,talem morbum hac methodo curari poſſe,ſiquidem inducias ob ſymptomatum fortitudi
nem non admittit . Datur[b] alia via , qua conuulſiones tolluntur, nempè multa aquę frigidæ profuſio-
ne, ob id quia talis calorem reuocat , & calor cauſam diſcutit; ſed quia conditiones quam plurimæ in
hac curandi ratione deſiderantur,vt in Aphoriſmo legitur; Eſt autem, vbi in diſtenſione ſine vlceratio-
ne,iuuene bene carnoſo,æſtate media,aquæ frigidæ multa perfuſio calorem reuocat, calor autem hęc
ſoluit,quæ ſemper in omnibus non reperiuntur : hac ratione non obſeruatur in vulneratis ; nam à Gale
no dictum eſt in commento; excipit Hippocrates eas,quę ſunt cum vlcere,conuulſiones,vt quæ nunquã
ab aqua frigida ſanari queant,nec febrem inducere . plures enim morbos eodem tempore in ſingulari
ſubiecto vnire non decet, nec febrem vnius diei conuulſionis cauſas attenuare, ac diſcutere poſſe, cre
dibile eſt. talis enim calor extraneus eſt,non naturalis,ac naturæ inimicus; cumque huiuſmodi auxiliorũ
copia, ſymptoma non quieuerit, ad illud recurrendum eſt,quod extremum eſſe affirmant medici, [c] di-
centes,iam neruum punctum ſæpe cogimur tranſuerſum præcidere.& ſapientis Medici officiũ eſt,quo-
ties vel conuulſiones, vel deliria, vel ambo hæc magna, ægrequè ſanabilia perſeuerare in vulneratione
cernimus,neruum incidere ; nam ſi totus pręciſus neruus ſit , motus præterea nullus inſtat,debilis tamẽ
particula manebit: pariter ſi puncto muſculi capite, conuulſio , quæ nulla conuenientium medicamen
torum vi remittitur , ſuperueniat , quippe præciſo per tranſuerſum toto muſculo , conuulſionem
quidem ſanabis,aliquem tamen ex particulæ motibus vitiabis : opus hoc veteres ignito ferro perficie-
bant. inde tali medicamento vulnus curabant . Recip.olei hypericonis , maſticini an. vnc.j. s. Terebin-
thinæ claræ, reſinæ pini an. vnc. iij. ſulphuris viui vnc.j.croci ſcr.s. parum bulliant, nec tale cataplaſma
ſuperponere inconuenit . Recip. florum camomillę , fertulæ campanę , foliorum betonicæ , baccarum
lauri an.vnc.j.fiat puluis , ſicut alcohol , farinæ fabarum vnc. ij.hordei vnc.i.s. olei liliorum alborum,
ſeminũ lini an. vnc.j.s.rob.q.s. pro cataplaſmate:exſiccata omni humiditate,ac quietis ſymptomatibus,
abſtergatur vulnus,aut ſi decet, carne repleatur:ſi verò ex occęcata nerui punctura conuulſio ſubſequi-
tur, accommodata inciſione aperiatur,aut ſecundùm lineam rectam,aut orthogonaliter,aut tetragona-
liter , ad hoc vt medicamenta topica ad imum vulneris peruenire poſsint,quod inde tali medicamento

curare

a ¶ Libro. 1. de morbis.libr. de Coac. præno.li. de iudicationibus.2.Aph.26. & 4. Aph. 57.

b ¶ Hipp.lib.de humid.vſu,& 5 Apho 21. Auic. 2.3.diſt.2.c.7.

c ¶ Lib. de motu muſc.3.meth.c.9.& 6.meth.c.3.Aet. lib. 14.ca.29. Paul. lib.4.c.54.Aui. 3.4 c.27.&4.4. cap.30. Raſis 7.ad Alm. c.3. Auer.7.col. cap.35.

curare oportet. Recip. Terebinthinę claræ vnc.ij. euphorbij recentis clari,& triti drag.ij.ceræ vnc.ſ.miſce, & aliquantiſper bulliant. ex hoc vulnus repleatur, ac deſuper vnguentum noſtrum ſanctum applicetur, cuius deſcriptio in ſequenti libro, Deo fauente, videri poterit: celebre etiam medicamentum eſt ceratum Philagrij, ex decem rebus paratum. Recip. Ceræ citrinæ vnc. ij. olei irini, coſtini, de ben, de cinamomo an. vnc. iij. ſtyracis liquidæ vnc.j. euphorbij, caſtorei an. vnc.ſ.hyſſopi humidę vnc.i. pinguedinis vulpinæ vn.i.ſ. & ſecundùm artem fiat ceratum. aut Recip. Cocleas numero ſex, lumbricorũ terreſtrium vino lotorum vnc. iij. fermenti vnc.j, mirrhæ,olibani, ſarcocollæ an. vnc.ſ. farinæ volatilis vnc.ij. mellis, quod ſufficit pro emplaſtro: probatur pariter emplaſtrum, vocatum vulgo gratia Dei, & illud de gummi elhemi,aut palmeum, aut illud celebre barbarum; reſiduum verò curæ perficitur, ac ſi vulnus recens eſſet, ſecundùm communem intentionem, hoc perpetuò ſeruato, quòd cuneo ligneo dentes adinuicem diſtent,ne ſuperior maxilla ita inferiori annectatur, vt tandē conuulſus fame pereat, quare decet maxillarum articulos ſæpe euphorbio ardenti aqua ſoluto fouere.

CONVVLSIONIS SICCAE CVRA.

CONVVLSIO ſicca, ideſt ſine materia, rarò admodum, niſi poſt copioſam ſanguinis effuſionem, aut poſt longam, aſsiduam,& ardentem febrem,aut à cauſa veneno prædita, vulneratis partibus euenire ſolet: acutiſsima paſsio eſt, curationem rarò admittens,iccircò pauca de ea ſumus dicturi. Eius curatio humectatio eſt,ac exſiccatarum partium humectatio,& repletio: hac ratione nulla competit euacuatio, nulla inedia,nulla ſanguinis miſsio, nec localium medicamentorum exſiccatio,ac diſcuſſio.Porrò ſi ex ſanguinis hæmorrhagia ſicca conuulſio oritur, lautè patiens alatur,eo nempè nutrimento,quod optimum, & copioſum ſanguinem procreet, veluti ſunt oua ſorbilia, ius capi,vituli, hædi,agni iuuenis, phaſianorum, columbarum,& ſimilium: panis optimus ſit, & vinum album, tenue, & odoratum. tale enim facillimè penetrat, humectat, ac pro corporis nutritione diſtribuitur, fercula ſint ius,aut panis in iure infuſus, aut condrum, aut hordeum in iure decoctum, pauco ſale addito: lac pariter probatur,& quęcunque humectare poſſunt. longus ſomnus, ac quies omnis laudatur;ſiquidem ad virtutis robur, ac totius corporis humectationem conferunt. Euacuationes,quę huic morbo opitulantur,ex lacte,iure,vitellis ouorum,butyro recenti, oleo violaceo,& maluarum decocto parantur, & per clyſtere imponuntur:prodeſt adhuc, ſi patiens in labro prædictis oleis,& humidis decoctis pleno diu permanſerit,aut eum in alueo olei calidi dimittamus. nam ſic præcipit Gal. 2. de ſim. m. fac.cap. 7.exſiccatum etiam membrum decocto extremitatum animaliũ crebrò fouere expedit,additis maluis, violis,nenupharis radicibus,& althææ;adhæc oleo violaceo, amygdalarum dulcium, pinguedine gallinæ,vituli,butyro recenti,ſæpe ipſum irrorare conuenit. pręſtantiſsimum etiam remedium eſt totam ſpinam,& artus omnes,ac emunctoria tali medicamento linire. Recip. Olei violati, amygdalarum dulcium,pinguedinis gallinæ, vituli an.bulliant in decocto maluarum,althęæ,& ſeminum cydoniorum, donec decoctum euanuerit.poſtmodum coletur,& addita pauca cera,fiat linimentum:ſi verò febris aliqua patientem moleſtauerit, nutriatur ptiſana,aut panatella,addito ſeminum melonum lacte: ac in reliquis regatur,quemadmodum in huiuſmodi febrium curatione,regi ſolet.

CONVVLSIONEM EX AFFINITATE CVRANDI METHODVS.

SI conuulſio ex ſympathia, aut compatiendi ſocietate oritur, cauſa ſtatim perquiratur; quæ ſi procatarctica fuerit,remoueatur; ſi acutus quiſpiam dolor,demulceatur;& ſi aliqua alia cauſa vrgeat abdita, tollatur medicamento aliquo narcotico, quod ſedis affectæ ſenſus acumen labefactet. nam maius periculum conuulſio minatur,quàm ſingularis ſtupor: ſi verò, vt contingit, ex ictu, aut veneno extrinſeco conuulſio oborta fuerit, venenum illicò aut cucurbitulis, aut pſilij ore euacuare oportet,inde membrum ad temperiem reducere:at ſi expedit medicamento aliquo citra calefactionem vti,quod vehementius ab alto euocet,ac exterius venenum extrahat,illud nempe experiatur;ſin autem, ignito ferro, vulnus totum aduratur: ſi verò medicamenti acredo, aut acuitas conuulſionem excitauerit, illo dimiſſo, alterũ temperatioris naturæ, quod magis conueniat, adhibeatur: dum autem acris, aut mordax quis humor ventriculi os, aut vterum, aut ſedem aliquam neruoſam mordicando conuulſam reddiderit, ſtatim vomitus citandus eſt,aut totum corpus purgandum,ac victus regimen inſtituendum, vt ſucci illi mali ad benignos permutentur, inde partes languentes corroborentur; caput verò detonſis capillis,nucha,ſpina,& emunctoria oleo camomellino, maſticino, liliorum alborum, roſato completo,additis lumbricis terreſtribus, ac modica Theriaca inungantur: & per os aliquid huius medicamenti ſumatur. Recip. Conſeruæ violarum, bugloſſæ an.vnc.j. phiſticorum recentium vnc.ſ.carnium teſtudinum præparatarum vnc.ij. ſpecierum, electuarii reſumptiui, diamargaritonis frigidi an. drag.ij. ſacchari in aqua violarum ſoluti, quod ſufficit,& paſtilli ad vnciæ medietatem formentur,atque, vt dicam ſummatim, in omni conuulſionum cura,alijs non conferentibus remediis, ad duo confugiendum eſt,vt vel patiens in vaſe oleis pleno diu totus quieſcat, vel vt neruus, aut lacertus vulneratus,ex quo conuulſio orta eſt,tranſuerſim ex toto præcidatur.

DE

De Ancyloſitatis, id eſt diminuti, aut ablati arbitrarij motus curatione. Cap. XIIII.

[a] ¶ Hipp. lib. 2. prædict. Celſ. li. 5. c. 26. Gal lib. de motu muſc. 10. de med. comp. ſecundùm loc. Raſis 7. ad Alm. cap. 2. Auic. 3. 4. tra. 2. ca. 13. & 7. 4. tra. 4. cap. 1.

POST [a] artuum, aut neruoſarum partium vulnera, aut contuſiones, iam contracta cicatrice, membra ſic affecta, aut conuulſa, aut mollia, aut arida & ſicca remanere ſolent, ac eorum peculiaris motus, aut diminutus, aut ablatus ex toto reſidet; diminutus, cum virtus motiua, quę à cerebro, tanquam ab eius fonte & principio, per neruos ad lacertos, tanquã ad organa voluntarij motus, demãdatur, tranſire nequit. ablatus, cũ membrũ ſiccum efficitur ſubſtantificæ humiditatis, ac ſpiritus vitalis penuria, ſectis nimirũ vnà ſecũ neruis, ac arterijs. quare pars lęſa opportunũ alimentũ nõ recipit, aut in ea durities, quæ tactui, ac cõpreſsioni nõ cedit, occalluerit, Græcè poros, Arabicè callus, & Latinè tophus vocitatur, vnde fit, vt inſtrumentum motus patiatur, & imperio patientis non parit; quod euenit plerunque, vbi præceſſerit aliqua inflammatio, diſcuſsis tenuioribus partibus, & craſſioribus, in articulo remorantibus, ac in contumaciſsimam ſcirrhoſitatem permutatis. quod vbi factũ fuerit, articulus in priorem ſtatum exactè reuerti minimè poteſt, & inde ſalutis nulla relinquitur ſpes; indicium eſt, quòd vulnerati membra dura vel flectere, vel extendere, vel extollere, vel demittere, vel conuertere ſtatim nequeunt; eodem modo & frigidi abſceſſus, & contuſiones, & calli, & putrefactiones, durities cicatricum efficiunt, præſertim in cubitu, & genu: interdum etiam partes aliquę ob eorum compoſitionem, & quia nimio ſenſu præditæ ſunt, facillimè tumore aliquo vexantur, & ex nimia humiditatum copia, molles ac laxæ redduntur, & eſt ſymptoma, quod Græci paralyſin, & Latini mollificationem, aut neruorum reſolutionem appellant: Nunc verò de Ancyloſitate, ideſt neruorum contractione, aut articulorum duritie, aliqua dicerę expedit. Ancylas, ſeu Ancyloſes, Græci [b] vocant difficiles artuum motus, & ligationes recenti cicatrice contractas: membra igitur, quæ propriam, ac naturalem humiditatem non ſeruant, magis conueniens eſt, vt ſicca, quàm dura, dicantur. ſicuti dum nimia humiditate pituitoſa replentur, mollia, ac tremula; ſic & tenſio, & ſiccitas à validis exercitijs, à feruenti Sole, ab ingenti inedia, à magnis frigoribus, à febre ardenti, à medicamento ſiccante ſine refrigeratione, ab inflammationibus malè regulatis, à ſcirrhoſis tumoribus, à nimia vaſorum nutritionis obſtructione ortum ducit; porrò in articulis iam contracta cicatrice, motus difficiles redduntur, non tamen vita priuãtur, nec ſenſu deſtituuntur, quod aduenit ex duritie iam contracta, aut in neruis, aut in muſculis, aut in toto articulo; hac ratione ſumpta indicatione à natura ſymptomatis, quod à ſiccitate induratum eſt, humectari expedit. Poſt accepta vulnera, membra ad arbitrarium motũ deſtinata impotentia remanẽt, quia potiſsimum muſculi, aut nerui, aut tendones, qui ab eis oriuntur, ex toto ſecti fuere, aut quia nimio humore pituitoſo repleti ſunt, qui in eis occalluerunt, aut quia proprium alimentum non recipiunt, quo nutriri poſsint, ob duras iam contractas cicatrices: quæ verò à lento, craſſoq; humore indurata ſunt, calida & ſicca medicamenta expoſcunt, non tamen quæ valida ſint, ac violenta, ſed ea probantur, quæ ſecundum, aut tertium ordinem calefaciendi, & primum ſiccandi non tranſgrediuntur: quæ verò valde indurata ſunt, malactica medicamenta, ideſt quæ valde molliunt, requirunt; malagmata, ſiue malactica medicamenta medici Græci [c] vocant, quæ partes ſupra modum induratas emolliunt; calido omnia temperamento mediocri prædita, non tamen exſiccantia, quemadmodum nec manifeſtò humectantia; nam cum medium quendam ordinem inter has qualitates ſeruant, emolliunt: ſiccitas verò ægritudinem adauget, & humiditas vnà cum caliditate putredinem inducit: ſeruetur igitur ordo quidã in his mediocris, calefaciendo, & humectando, nec talia adhiberi debent, vbi humorum multitudo adeſt, quę obnoxia putredini fuerit, ſed ea iuuare videntur, quę eorum caliditate occluſos meatus aperiũt, & temperata humectatione ſiccitatem adæquant; communiter autem ea, quę ſcirrhoſis tumoribus opitulantur, articulorum contractionibus, aut ligationibus proſunt. Nunc verò tempeſtiuum eſt, habita ſemper conſideratione ætatum, habitudinum, ſexuum, exercitiorum, ac ſedis affectæ natura, vt ſingulatim, quæ ſecundùm varios gradus à medicis probantur, deſcribamus ex Galeno nempè, Paulo, & Raſi. Primò igitur manus hydræleo calido inungantur, ac diu membrum tenſum fricetur, aut perpetuò de eo guttatim per vas anguſtum ſuper tenſum membrum percoletur, deinde emplaſtretur medicamento ex adipe anatina, oleo liliorum alborum, medulla crurum vituli, & cera citrina: ſecundò talis deſtillatio fiat ex decocto radicum althææ, brioniæ, acanthi, & cucumerũ agreſtium in oleo antiquo, aut fiat decoctum in hydræleo ex ſeminibus lini, fœnugręci, radicibus althææ, branchæ vrſinæ, & foliorum maluę, & facta longa fomentatione, aliquod ex Acopis [d] medicamentis applicetur, ex his præſertim, quæ ad infarctas articulorum durities conferũt, Acopa Azanita vocata, ex Galeno adipis ſuilli vnc. xxiiii. ſepi taurini, reſinæ colophoniæ, hyſſopi humidę, ceræ recentis an. vnc. xii. galbani vnc. iii. Aliud ex Aetio, bdelii iudaici aqua ſoluti vnc. iiii. radicum maluauiſci decocti vnc. ii. liliorum alborum cæpas nume. ii. rob q. s. Aliud ex Raſi, immergatur membrum tenſum per horam in decocto, ſiue iure capitis, pedum, ac inteſtinorum veruecis, aut agni, corticum mediorum vlmi, radicum althææ, ſertulę campanæ, fœnugræci & maluarum, inde linteo abſtergatur, & inungatur vnguento dialthæę, aut agrippæ oleo cyprino,

[b] ¶ Gal. 7. de cõpo. med. in genere. Paul. li. 4. c. 55.

[c] ¶ Gal. 7. Katageni in princip. Paul. li. 7. c. 19. & li. 3. c. 78.

[d] ¶ Gal. 7. Katageni.

quod

quod liguſtrinum, aut de alchana vocant, ſoluto. huic addunt aliqui butyrum recens, vrſinam adipem, & medullam crurum vituli; Tertiò ex Scribonio fæcis olei liliorum alborum, ſeminum lini an. vnc. ij. pinguedinis vrſi, cerui, anſeris an. vnc. j. bdelij, ſtyracis, galbani, opopanacis, ammoniaci an. vn. s. gummæ vino ſoluantur, inde in mortario deducantur, & ad lentum ignem ſecundùm artem fiat vnguentum ſub tenui forma. Ex Galeno, ceræ, ammoniaci an. vnc. v j. terebinthinæ, bdelij, galbani an. vnc. ij. olibani, myrrhæ an. vnc. s. gummę vino ſoluantur, & ammoniacum aceto, medullæ crurium vituli, pinguedinis Vrſi, Taxi, Anſeris an. vnc. j. olei cyprini q. s. pro molli vnguento, quod in mortario marmoreo fieri debet piſtillo dicto oleo inuncto, deinde ad lentum ignem fiat medicamentum in bona forma, quo membrum tenſum ſæpe inungatur, & lana œſipi ſuperpoſita opportuna faſcia obuolutum quieſcat. Poſtremò inter approbata ab antiquis [a] medicamenta ſunt emplaſtrum ex vaccino caſeo, acri, & antiquo, in iure ſuillæ carnis ſalitæ decocto, donec emollierit: aut illud vſui ſeruetur, quod ex pyritide paratur, & diapyrites vocatur, aut illud, quod coracon, corax, & coruus dicitur: aut illud celebre, quod diaſmyrnon nuncupatur; Galenus [b] tamen in tendonibus, ac ligamentis duris ſic agebat, & ait; In aceto acerrimo lapidem candentem extinguo, cumque pyriten, ſi haberi poteſt, qui certè in magnis vrbibus rarus non eſt. ſin eius copia non datur, molarem accipio, Græci myliten vocant, ex quo molas, quibus molimus, faciunt, deinde aſcendente poſt infuſum lapidi acetum vapore calido, in hoc dimoueri ſcirrhoſum ligamentum, vel tendonem cogo, atq; exindè rurſus medicamen, quod molliat, impono, ac oleo quotidie laborantem particulam perfundo; eſto autem id oleum haudquaquam aſtringens, ſed planè tenuium partium, cuiuſmodi ſabinum eſt: incoquimus autem interdum in oleo althææ radices, ac ſylueſtris cucumeris, & ſiqua ſunt huius generis alia, & hoc vtor quotidiè: vitio iam adulto, & cum præparata iam ſub mollientibus pars affecta fuerit, ſiquidem aceti vis, modò quis modicè, & debito tempore vtatur, ſalutaris eiuſmodi affectibus eſt. ſin vel immoderatius, vel in tempore non idoneo, tenuiores partes violenter abſumens, id quod reliquum eſt, lapideſcere ſinit; ob id igitur nec ſæpè, ac inter initia, nec longo tempore medicamentis, quæ ex aceto componuntur, ad ligamenta, & tendones eſt vtendum. Nos verò ad inueteratam artuũ, aut muſculorum duritiem hæc experti ſumus præſidia, & eſt noſtra praxis. Recip. vnguenti dialthææ, agrippæ, martiani an. vnc. ij. diachilonis compoſiti, butyri recentis, hyſſopi humidæ, pinguedinis caſtrati, vrſi, cerui an. vnc. j. olei liliorum alborum, coſtini, de ſpica an. vnc. s. ſpecierum diamoſchi, ſcrup. ij. certæ q. s. pro molli vnguento. aut Recip. emplaſtri diachilonis maioris vnc. iiij. mucillaginum althęæ, fœnugræci, ſeminum lini an. vnc. j. s. pinguedinis cerui, medullæ crurum vituli, ſebi hircini an. vnc. ij. olei de alchanna, amygdalarum dulcium an. vnc. s. propolidis q. s. pro emplaſtro ſub bona forma: membrum affectum diu detineatur in decocto radicum althææ, cucumerum agreſtium, & foliorum maluæ, parato in vino albo potenti; & poſtquàm caluerit, pannis ſiccis abſtergatur, & oleo de cera pingui inungatur, ac ſuperpoſito ſupradicto emplaſtro ſuper corium hædinum extenſo, faſcia opportuna auoluatur: inſuper ſummoperè aduertendum eſt, quòd ſi patiens antea morbo gallico laborauerit, primò adhibitis prędictis inunctionibus, tale ceratum applicetur, quod nobis ſæpe benè ſucceſsit. Recip. emplaſtri diachilonis maioris vnc. ij. ammoniaci aceto ſoluti, pinguedinis cerui an. vnc. s. hydrargirij ſaliua optimè extincti, ac per panis medullam tranſmiſsi, ac depurati vnc. j. miſce ad ignem lentum, & fiat ſecundùm artem emplaſtrum ſub bona forma, & extenſum ſuper corium hædinũ adhibeatur, & diu conſeruetur. His peractis, ſi ægri conualuerint, ſat erit; ſin minus, in vinaceis, ſi datur modus, vbi vinum recens, & potens bullierit, membrum affectum diu detineatur, ac illico extractũ aliquo ex prædictis linimentis inuoluatur: probatur adhuc affectam ſedem inter inteſtina veruecis, aut vituli, aut bouis nuper occiſi, aut in eorum vētriculis multum continere, & cum fuerit calfacta, extrahi debet, & illicò inungi: eodem modo plurimum valet membrũ duritie affectum in luto Thermarum Patauinę Diœceſis quotidiè immergere, & ibi diu conſeruare, inde aliquo linimento inungere, præſertim in luto diui Bartholomęi, qui bituminoſus eſt, & mirificè emollit. ille verò, qui ſancti Petri nuncupatur, multum in diſcutiendo probatur. alij autem, quia aut ſulphurei, aut ferrei ſunt, reprobantur. Quare indicatione ſumpta à maiori noxa, interdum operationes diuerſas adhibere oportet, nempè interdùm magis mollire, interdum magis diſcutere, præmiſſa ſemper vniuerſali euacuatione, ac adhibito vitæ conuenienti regimine: at ſi pars affecta vehementi dolore moleſtetur, inungatur oleo roſato completo, aut vnguento roſato Meſue, ſi aliqua apparuerit inflammatio; ſecus verò, oleo illo mirabili de hypericone magiſtrali, quod ſic paratur. Recip. Terebinthinæ claræ vnc. ij. olei de terebinthina drag. vj. olei roſati odorati, vermium terreſtrium vino lotorum an. vnc. j. s. rubeę tinctorum, quam eritrodanum vocant, ſeminum hypericonis an. m. j. roriſmarini, centaureæ maioris, millefolij an. m. s. contundantur omnia ſimul, præter lumbricos, & bulliant cum pauco vino albo odorifero, & aqua betonicæ, donec vinum, & aqua delituerint. coletur, & adde florum hypericonis m. ij. & ad Solem ſub Cane per menſem quieſcat, flores ſemper immutãdo, donec reperiuntur, & ſerua: cumque aliqua hemiparalyſis, ſiue debilis quædam mollificatio membrum aliquod occupauerit, eo vtemur præſidio, quod ſummoperè à Meſue [c] cõmendatur, erat ſanè ſecretum magni Guidonis de Cauliaco, ſomatur hoc modo, Recip. Myrrhæ, aloes, ſpicę, ſanguinis draconis, olibani, mumiæ, opobalſami, bde

lij,

[a] ¶ Gal. 7. katageni. Aet. li. 12. cap. 45. Paul. li. 3. c 78.

[b] ¶ 14. meth. c. 5. & 2. ad Glau.

[c] ¶ Vbi de paſſionibus ordis.

lij,carpobalſami, ammoniaci, ſarcocollæ, croci, maſticis, gummi Arabici, ſtoracis liquidæ an. drag.ij. laudani, ſucci caſtorei an. vnc.ij. s. muſchi odorati drag.s. Terebinthinæ claræ vnc.iiij.puluis fiant, quæ pulverizanda ſunt, & vnà cum terebinthina fiat mixtio, ac in vaſe vitreo lento igne ſecundùm artem fiat diſtillatio, & quod diſtillauerit, ſeruetur ſic, ne euaneſcat inſenſibiliter. Aliud medicamentum incōparabile cunctis,quo diu vſus eſt Ioſephus à Cruce, honeſtiſsimus genitor noſter, vir iuſtus, & pius, qui Venetijs non ſine ſumma laude ad annum ſeptuageſimum ſecundum vſque vixit, & in hac Medicinæ parte diligentiſsimus experimentator ſemper habitus eſt. Recip. Terebinthinæ claræ vnc. xij. olei laurini vnc. ij.miſce, & iterum Recip. galbani, gummi elhemi an. drag. vj. gummi hederæ, thuris albi,ligni aloes an. drag.ij. maſticis drag. j. myrrhæ, aloes, caſtorei, laudani an.drag. iij. piſtentur omnia ſubtiliſsimè, ac additis alijs rebus, fiat optima compoſitio,quæ per triduum ſic marceſcat.inde Recip. galangæ, gariophillorum, cinnamomi,nucis myriſticæ, zedoariæ, cubebarum an. drag.iij. aquę ardentis,aqua vitę nuncupatur, vnc.iiij.ac denuò per triduum fiat noua infuſio,poſtea per vitreum alēbicum paulatim oleum ſub triplici colore extrahatur; ſiquidem primum colorem album ſeruabit, ſecūdum citrinum, tertium nigrum,ſingulatim in vaſculis tribus vitreis colligantur,ac in eis optimè obturatis diligenter conſeruentur. nam Deum teſtamur, quòd exſiccando, diſcutiendo, & corroborando mirabiliter operantur. nigrum verò, & citrino, & albo vehementius auxilium præſtare ſolet,præſertim in doloribus frigidis, tremore, paralyſi, & conuulſione: ſi autem euenerit, quòd membrum aliquod extenuetur (quod dignoſcitur ex iuſta natura,ſi alteri comparetur) cauſa inquiratur, & cognita tollatur: nam ſi ex vitioſo nutrimento euenerit, illud permutetur ad bonū, nempe quod nutriat perfectè, & nihil ſuperflui contineat: ſi ex viarum obſtructione, illæ quidem ſunt aperiendæ medicinis attenuantibus, & diſcutientibus,vt motiua virtus permeare poſsit: ſi ex profunda conſolidatione, aut concreta cicatrice, qua ferè callum contraxerit, vt in oſsibus fractis contingit, illa quidem molliatur præſidijs ſuperius enarratis; & ſic ad laudem magni Dei, qui perpetuò ſit benedictus, huic tertio libro finem imponimus.

CHIRVRGIAE

IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI,

Tractatus Secundus.

De vulneribus.

LIBER QVARTVS.

De thoracis vulneribus, ac eorum differentijs. Cap. Primum.

PARTIVM,[a] ex quibus humanum consiſtit corpus, aliæ quidem eam conſecutæ
ſunt nobilitatem, vt, cum munere ſuo fungi nequeant, mortem ſubſequi neceſſa
rium ſit, quæ vel citò ſequitur, vel ad aliquod breue tem poris ſpatium proroga
tur: aliæ verò maximum negotium medicis faceſſunt, ægreque ſanitati reſti-
tuuntur: quædam etiam, & ſi timendæ ſunt, non vehemens tamen periculum
ſecum afferunt: id euenit, cùm illę aliquo morborum genere corripiuntur, ſolu-
ta præcipuè vnitate, quæ[b] cùm ipſis accidit, indicationes ob locorum diuer-
ſitatem variari contingit, rationalique methodo ad eius agglutinationem pro-
gredi oportet: conſeruantur autem partes hæ cum à ſupremo, tum à medio, nec
non infimo ventre. Verùm cum ſuperius ſermo à nobis de vulneribus capitis, & de ſoluta cranij vni-
tate abundè habitus ſit, nunc de pectore, ſeu thorace, vel medio ventre, aut clybano vulnerato, ac in eo
contentis ſecundùm antiquorum opinionem, qui de partibus his ictu ſectis parcè locuti ſunt, agere inten
dimus, ac inſtar[c] artificis ſcientifici, qui ſubiectum tanquam prius natura paſsionibus circa ipſum ver-
ſantibus mente concipit, deinde ad eas noſcendas tranſit; ſic nobis thoracem, tanquàm ſubiectum, agno
ſcere, poſtmodum illius ſectiones in vniuerſum, & ſingulatim perquirere, par eſt: porrò[d] per thoracem,
ſeu medium ventrem totam illam accipimus partem, quæ à coſtis vtrinque circunuoluitur, ac à ſuperio
ri furcula & iugulis, vſque ad ſepti tranſuerſi, ſiue diaphragmatis circunferentiam continetur: eius verò
extremitas infimi ſitus anterioris ſedis, bifurcalis illa cartilago eſt, quàm Gręci xiphoidem, Latini enſi-
formem, & vulgares malum granatum, aut inferiorem furculam appellant. Altiſſimus ergo thoracis ter
minus claues ſunt, quemadmodum humillimus præcordia, quæ interſeptum vocantur, & ſi per thora-
cem Ariſtoteles[e] eam partem accipiat, quæ à collo ad pudenda vſque extenditur. Pars,[f] quæ in medio
locata eſt, ſeptem oſſibus fabricatur, ſeptem veras coſtas excipientibus, à Græcis thorax, & ſthernon, à
Latinis pectus, ab Arabibus ſetaſiſu vocitatur, cuius fini cartilago illa triangulata adhæret, quæ in mu-
cronem gladij modo exacuitur: adſunt & ſpatia, intercoſtalia vocata, quorum ſingula diſſeminatam ha-
bent arteriam, & venam. Diuiditur[g] autem interius ſecundùm mediam ſui longitudinem in duas par-
tes à validis quibuſdam membranis, quæ anteriori parte oſsi pectoris, poſteriori, ſpinæ vertebris inſerun
tur, à Græcis diaphratondes, à Latinis mediaſtinum nuncupantur; vt ſi fortè magno vulnere in alterutrã
eius partem accepto, reſpirationis munus illius partis perierit, reliquus venter incolumis dimidium ſal-

a ¶ Hipp. lib. 2 prædic. Gale. 3 meth. c. 10.

b ¶ Ariſto. 2. de part. anim.

c ¶ Ariſto. 1. de anima com. 3. Auerr. 1. Coll. cap. 2.

d ¶ Gal. 8. de ag gr. anat. & 6. de vſu par.

e ¶ 1. de nat. animal cap. 5.

f ¶ Gal. 7. de ag gr. anat. & 7. de vſu par.

g ¶ Gal. 6. de vſu par.

a ¶ Gal. 4. meth. cap. 6.

tem actionis retineat, nèc propter hoc duo ventres, ſed vnus tantùm eſt. nam [a] locus, qui inter collum, & crura eſt, in duas maximas capacitates diuiditur, prior ſub thorace, ſecunda ſub membrana, quæ abdomini ſubtenditur (peritoneon Græci, Syphac Arabes nominant) continetur; in eo medio ventre ſpiritualia membra conſeruantur, C O R aliorum rex, eius capſula, pulmones, phrenon ſiue diaphragma, panniculus, pleura, mediaſtinum, vena caua aſcendens chilis dicta, arteria ahorti, trachea, aſpera arteria vocitata, eſophagus, ſiuè meri, ac ſuſpenſoria multa. Membra hæc, aut quia primaria ſunt, aut primis deſeruientia, læſa nempè mortis periculum minantur, præcipuę verò ſi intimè offenduntur: quę etiam cauitatem non attigerint, potiſsimùm verenda ſunt; nam [b] ſedes dorſum conſtituentes, admodum neruoſæ, & quę thoracem componunt, mammis, lacertis, multis neruis, arterijſque quàmplurimis ſunt contextæ, maximeque [c] circa thoracem ſenſus exiſtit. Affliguntur hę partes diuerſimodè, nempè à cauſa externa, quam Gręci procatarcticam, & Latini primitiuam appellant, quales [d] cenſentur, quæ poſſunt vulnerando perforare, incidere, abrumpere, contundere, ac diſtendere, veluti ab enſe incidente, ſagitta perforante, lapide contundente, globulo abrumpente, & fune diſtendente: ex vulneribus ad intima penetrantibus nonnulla nil aliud, niſi penetrationem, demonſtrant, plurima autem internis, ac nobilibus membris noxam inferunt; porrò ex penetrantibus ea magis timenda ſunt, quę dorſum offendũt. nam ibi nucha, ſpinalis medulla, & nerui motiui multi ab ea producti locantur: videntur [e] etiam pulmones eam magis replere partem, quàm anteriorem, & venæ, ac arteriæ magnæ in eius fundo pertranſeũt: variantur etiam hę lęſiones locorum diuerſitate, cum aut anteriores, aut poſteriores, aut laterales ſitus occupent; aut rectè, aut obliquè, aut ſurſum, aut deorſum tendant, alięque veneno præditæ, multæque ſine veneno reperiantur. Sed quia dictum eſt, [f] nullam externarum cauſarum curationis indicem eſſe, cũ à nulla earum, quæ adhuc non permanet, indicatio ſumi poſsit, nec accidentia, aut morbi forma, eius eſſentiam, quam iſti naturam dicunt, minimè inſtituere, ſed indicationem ab ipſo affectu, & eius eſſentia initium habere: igitur dicere operę pretium eſt, primariam [g] horum vulnerum differentiam, quę eis eſſentiam conſtituit, à qua curatiuę indicationes ſumuntur, ſimplicitatem, ac compoſitionem fore. Verùm [h] quia potiſsima indicatio in his ſumitur à penetratione, & ab ijs, quæ non penetrauerint, cum ferè omnia non penetrantia pro ſimplicibus, & penetrantia pro compoſitis habeantur, ideo de his, quæ totum non penetrant pectus, veluti de ſimplicioribus, in primis oratio habenda eſt.

b ¶ Gal. 5. Aph. com. 65.
c ¶ Hipp. lib. de natu. hu.
d ¶ Gale. lib. ar. par. med. ca. 80. 5. meth. 2. & 2. de ſympt. cauſ.
e ¶ Gal. 8. de a- nat. admin.
f ¶ Gal. 4. meth. cap. 3.
g ¶ Gal. 3. meth. cap. 3. Auic. 4. 1 cap. 28.
h ¶ Gal. 3. meth. cap. 4.

De Thoracis leui, ac Simplici vulneris notitia & cura. Cap. II.

i ¶ Gal. 3. meth. c. 4.

THORACIS vulnera [i] ſola, ac ſimplicia sũt, ſi nec affectus vllus ſimul adſit, nec ſymptoma, nec propria cauſa vna fuerit, ſed per ſe ſtant, nec poſſunt, niſi ſeipſa demõſtrare, ac vna, & communi tantùm indicatione reguntur: erũt nempe talia continui ſolutiones non tantùm ſummæ cuticulę, quam epidermidan Græci vocant, ſiue cutis totius, ſed carnoſæ particulæ etiam citra vllius portionis amiſsionem, poſtulanteſq́; tantũ agglutinari, ſicut & illæ, quæ acuto aliquo telo ſunt perforatæ. cũ igitur pectoris vulnera huius fuerint naturæ, nihil proprij in eorum curatione habere medici [k] omnes confitentur, ſed maximè communem fore eorum curam affirmant, quæ à duobus perficitur, nempe à natura, tanquam à præcipuo agente, & cauſa effectrice adiuta ſuis viribus, & conuenienti alimento, ac medico ipſius naturæ miniſtro, quatuor intentiones in animo habente, easq́ue ſubalternatim, dum opus ſuum exercet, obſeruante, vt tandem curationis propoſitum finem aſſequatur; quarum prima eſt, ſi quę extrinſecus inciderint, amouere; ſecunda ſeparatarum partiũ labra ſimul coire; tertia partis lęſæ ſubſtantiam tueri, cauereq́ue, ne quid labris vulneris intercidat; quoniã ſępius euenit, vt pilus, aut oleum, aut humiditas alia interueniens, earum, quę copulandę ſunt, partium, vnitatem impediant; quarta, ſi qua accidentia ſuccedant, ea propulſare. Extranea diuelluntur, aut manibus tantùm, aut opportuno inſtrumento, aut aliquo medicamento attrahente, ſed rarò: committuntur partes adinuicẽ aut vinculo ex duobus initijs circundato, aut ſutura, aut fibulis, quas Gręci ancteras vocant: porrò bifariam ſimul manent quę commiſſa ſunt, aut per ſe, aut aliorum ope: per ſe omnia mollia & viſcoſa, etiam quæ concreſcunt, ac coaleſcere poſſunt; talia ſanè ſunt tum caro ipſa, tum quęcũque ex carne conſiſtunt: ope verò aliorum, omnia ſicca, duraq́ue, vt oſſa. Carnoſæ igitur pectoris partes ſi vulnerantur, & vulnus ſolum fuerit citra ſuccum vitioſum, aut externam fluxionem, aut intemperiem, aut inflammationem, aut quodlibet aliud vitium, proculdubio rore proprio, ac elementari, & ſine medio eterogeneo coibunt. nã in corpore boni ſanguinis, ac optimæ temperaturæ, coaleſcere facit ea, quæ inuicem diſtant, ac priſtinam reſtituit vnitatem ipſa natura: veruntamen & ſi communiter hę indicationes, ſimplici, vel potius ſimpliciſſimo cuidam vulneri opitulantur, nonnunquàm tamen læſo pectore non ſufficiunt, cum ſępe corporibus repletis, & prauis ſuccis ſcatentibus occurrant, & huic ſedi lacerti multi continuis motibus dedicati inſint, qui ad ſanguinis fluxum, & tardam vulneris agglutinationem faciunt; quare mirum non eſt, ſi interdum bono victus regimine, ac topicorum varietate egeant: iccircò dum nulla agnoſcitur penetratio, ſanguinem oui albumine, aut pulueribus ad hoc deſtinatis, ſiſtere oportet, nempè ſi nimis effundatur immoderatè, tunc admouendus eſt puluis ex aloe, maſtice, boloarmeno, thure, draconis ſanguine, additis

k Hipp. 5. Epidemiarum. Cel. lib. 5. ca. de glut. vul. Gal. lib. ar. par. med. ca. 90. 3. met. c. 4. 4. meth. c. 1. 9. meth. c. vlt. Aet. lib. 14. c. 26. Paul. lib. 4. cap. 36. Raſis. 7. ad Alm. ca. 3. & lib. diuin. c. 136. Auic. 4. 1. ca. 28. & 3. 4. cap. 3.

leporum pilis,deſuper verò oui candidum aliquantulum agitatum,& leui ſtupa exceptum admoueatur. deinde faſcia membrum circunuoluatur.expedit autem,ne mollis nimiũ ſit,quo videlicet tutò cõtineat, nec dilabatur,neque ita vehemens,vt premendo dolorem excitet:porrò eiuſmodi medicamenta ante ter tium diem amoueri non debent; nam parua vulnera his medijs duorum aut trium dierum ſpatio , ſanari ſolent:at,ſi hoc pacto agglutinari nequeunt,curanda erunt ad quartam,aut quintam vſque medicaturã, glutine albotin,id eſt reſina terebinthina.expedit enim hanc claram,mollem,& odoriferam eſſe; ſiquidẽ ad omnes requiſitas intentiones de melioribus medicinis apud antiquos [a] enumeratur : lichinia,ſeu linamenta,aut penicilla,vel turundæ,quas Greci taemmata,& vulgares tentas appellant,quibus medicamẽta imponuntur,ita mollia,& accommodata ſint,vt nullum inferant dolorem : partes verò coadiacentes roſaceo,camomillino,ac maſticino oleo tepido inũgantur.quibus interdum addi poteſt boluſarmenus, aut terra ſamia,& non ab re,cùm & ſanguinis profluuium ſupprimat,dolorem ſedet,& phlegmonas fieri prohibeat:cumquè in vulnere optima apparuerit concoctio,ſiccum applicetur medicamentum, quod Græci Sarcoticon,& Latini carnis productiuum vocant,quale eſt emplaſtrum barbarum Galeni, aut baſilicon Meſue , aut citrinum vſuale, vel aliquod ſiccius,donec vulnus ex toto repletum fuerit.poſtremò cicatrix inducatur emplaſtro diaſinicone,quod palmulatum,diapalma,diachalciteos,& diacolcothar vocitatur,aut quod de minio,aut triapharmacum dicitur:ſi verò vulnus tale fuerit, quod eam exigat curationem,quę per conſuitionẽ fit,& partium agglutinationẽ,fiat:ſed in his cauere oportet , quod plerique chirurgorum faciunt,cũ non rectè anatomen calleant,quodcunque thoracis vulnus dilatare, penetrationem ſine indicijs,& ratione verentes.

a ¶ Gal.3 .dec po.me.katag. & 6. meth. cap. 2. Aet. lib 4.c. 27. Paul.lib.4.c 54. Auic.4.4. tra. 2. cap.2. Albuc. libro. 2. cap.85.

Hactenus de ſimplici vulnere dictum ſit,cui addere non grauati ſumus nonnulla , quæ etiam his,quæ dicenda veniunt,conferre poſſunt.

De thoracis vulnere penetrante, & de eius dignotione, & prognoſtico. Cap. III.

PENETRATIONES vulnerum pectoris,quas ſyntreſin Gręci vocant,varijs ſenſibus dignoſci ſolent,tactu præcipuè,veluti ex digiti,aut ſpecilli,ſiue radioli,quod inſtrumentum huius ætatis Chirurgi ſtylum,aut exploratorium vocant,impoſitione; ob id in obliquis,aut anguſtis penetrationibus,vt magis flecti poſsit,ex plumbo fabricatur:idque pariter cerea candelula interdum facere ſolita eſt,& tutò,ſed digitus verus eſt iudex:in amplis verò viſus id præſtat:ſæpe etiam auditus,dum [b] efflatus aer ſufflando per vulnus exierit,& crepitus quidam ſentitur, & ampullæ multæ efformantur,præſertim ſi per lineam rectam ad centrum vulnus peruenerit;ſi autem obliquè,aut tortuosè inceſſerit,aut anguſtum fuerit,aut coſta aliqua fracta,aut depreſſa apparuerit , vel panniculus coſtas intus ſubcingens,pleura vocitatus,aut vocati intercoſtales muſculi,ſiue illi,qui exterius pectus circunſcribunt, intumuerint,aut coierint,quod medicorum negligentia crebrò euenire ſolet,dum vulnus diu abſque lichinis permanſerit,talem notitiam non ita facilè admittunt,nec plumbeus radius,aut cerea candela quietè ingredi valet,& in hoc operatores ſæpè decipiuntur:quapropter,vt eam penetrationem agnoſcant, te lo inſpecto,à quo veritas interdum ſumitur, varijs vtuntur experimentis, & [c] primò xyli, ſiue bombacis optimè carpinati, aut lanæ flocculorum portiunculam accipiunt,illamque quàm leuiſsimè ſuper vulnus apponunt,& retento aere iam inſpirato,ore & naribus clauſis,ſi patiens ſufflare voluerit,aer per vulnus aggrediens,quæ illi oppoſita ſunt,mouere ſolet;hoc idem candela parua accenſa , & ex obiecto vulneri applicita facit. nam exeunte aere,flamma ventilat,& mouetur. ſpeculum etiam lucidum,ac ab omni immundicie purgatum,ſi anguſto vulneri obijcitur,proculdubio,ſi minimus exierit aer,tingitur:verùm,quia hæc interdum medicos decipere ſolent,tutius eſt aut à digito,aut à ſpecillo tale auxilium expectare; ſin minus aliquantiſper vulnus dilatare,inde omnia experiri . Prohibetur [d] inſpiratio interdum in amplis vulneribus thoracis, & ſine voce remanet homo,ſtatimq; obturato vulnere, illicò & reſpiratio,& vox redire ſolet:quod [e] etiam euenit,ſpinali medulla inciſa; & ſi vtrunque latus confoſſum fuerit,voce ſimul tota,ac reſpiratione planè deſtituetur animal.Hæc omnia prima die diligenter examinare conſentaneum eſt. ſiquidem paulò poſt quàmplurima vera indicia manifeſtantur , nempe dum pus , aut ſanguis in pectoris cauitate coaceruatur,indubiam,quòd ſit ibi vera penetratio,fidem præſtat.nam laterum dolor & grauitas,pondus iuxta falſas coſtas,ſputum purulentum,fœtens anhelitus, tuſsis moleſta, & febris aſsidua patientem infeſtant.idque[f] potiſsimum agnoſcitur,ſi ab vno latere in aliud patiens ſe conuertens, commeare aliquid ſentiat ſaniei multitudinis ibi contentæ:hi [g] verè in pręcipiti ſunt,quibus vſque ad cauitatem membrorum intus conditorum læſiones peruenerint , tum [h] quia aer externus, & nos ambiens, non pręparatus,per eas ingrediens,internas partes valdè offendit,cum etiam internus per eaſdem admodum exhalat.quo ſic expirante,& euaneſcente,virtutis robur inſigniter læditur,diſſoluitur,multoque imbecillius redditur. Accedit huc,quòd huiuſmodi vulnera haud commodè detergi poſſunt, eaque tandẽ in fiſtulas degenerant,ac empimata,ideſt purulentas collectiones,excitant, vnde & mors ipſis vulneratis

b ¶ Gal. com.2. 1.com. li. Hipp. de off. med. in fine.

c ¶ Galen. 1. de not.loc. aff. c.1.

d ¶ Gal 8.de aggr.anat.

e ¶ Gal.8.de vſu part.

f ¶ Galen. 4. de not.loc. aff c.9. Pau.lib. 3. c. 32.

g ¶ Albuc. lib. 2. cap.86.

h ¶ Gal. 8.de aggr.anat.

demum accedit.& vt plurimũ [a] ille,cui accidit vulnus in ventre,& apparet nauſea,aut ſingultus, aut ventris ſolutio,moritur; & [b] illi,à quibus,dum concutiuntur,pus cœnoſum & graue olens prodit,plerunque pereunt; & quibus à ſanie ſpecillum coloratur,velut ab igne,moriuntur.Interiora verò,ac nobilia membra cum læduntur, de eorum affectibus haud dubiam coniecturam præbent; principalium particularum vulneratarum agnitio difficilis non eſt, vt quæ ex accidentium proprietate,excrementis,& particularum ſede,ac operationibus intueantur, quorum aliqua inferius percurrere conabimur.

a ¶ Auic. 4. 4. c. 0.2
b ¶ Hipp. lib. de Coac. prænot.

PLEVRAE VVLNERVM NOTAE.

OMNE [c] thoracis vulnus, ſi ad cauitatem peruenerit,ſubcingentem membranam, quæ toti interno thoracis ſinui ſubtenditur,neceſſariò lacerat. Hæc [d],& ſi inſtar telæ araneorum quaſi prætenuis ſit,attamen,quia cordi propinqua,valida,neruoſa,diuidi contumax,ac maximè ſenſibilis eſt,dolores,inflammationes,febres,& cõuulſiones facillimè excitat.&,quia coſtarum oſſa ſubcingit,pulmoni loco propugnaculi eſt , ne,dum reſpirat,nudis oſsibus incidat:tuſsis [e] neceſſariò frequentiſsimá ad eius læſionem occurrit,quæ huius partis conſolidationem prohibet: febris continua apparet , & [f] efflatus inter reſpirandum ſpiritus,per vulnus exhalat;hæc in magnis,aut alteratis pleuræ vulneribus dignoſcuntur:porrò ſæpè vidimus caſſalia vulnera pre nobilium partium nocumentis,abſque vllo ſymptomate ſanitati reſtituta , vidimus etiam,conglutinatis exterius aliquibus cruentis vulneribus ,in ſputo notas quaſdam fluentis ex interno vulnere cruoris ad ſpatium, quod eſt inter pulmones & thoracem, vnde poſtea empymatica ſucceſsit diſpoſitio:ſi verò [g] tunicula hæc inflammatione tentatur,tunc pleuritidis ſigna omnia apparent nempè febris aſsidua,acuta,& ardens,dolor lateralis pungitiuus, ſpirandi difficultas, tuſsis magna,ac pulſus paruus & durus .

c ¶ Galen. 1. de not. loc. aff. c. 1.
d ¶ Galen. 5. de not. loc. aff. c. 2. & 7. de agg. ana.
e ¶ Galen. 5. de not. loc aff. c. 2. 7. de vſu part.
f ¶ Galen. 1. de not. loc. aff. c. 1. & 8. de aggr. a nat.
g ¶ Galen. 5. de not. loc. aff. c. 2.

PERICARDII SECTI INDICIA.

PANNICVLVS cor ambiens,quem Græci pericardian,& Latini,tunicam, aut inuolucrum,& vulgares cordis capſulam vocant , quomodocunque affectus ſit, niſi inflammatione infeſtetur , ex Galeni ſententia , [h] quia inter ignobiles partes reputatur,cum ipſe ſolus afficitur, exemplo reliquarum omnium partium,quæ ad cuſtodiam,& tegmentum cæterarum nobilium factæ ſunt, nullum affert periculum;admirabatur tamen Galenus [i] Marulum Mimographi filium, qui, quamuis cor denudatũ haberet,& pericardium corruptum, ſanatus eſſet:nam,vt atteſtatur Ariſtoteles , [k] maximè inter membranas robuſtiſsimæ ſunt,quæ cor & cerebrum ambiunt,idque maxima ratione,nam hæc præcipuam tutelã deſiderant.Hæc tunica tantò oſſe mollior eſt,quantò pulmone durior; & quia neruoſa eſt , oſsi pectoris adnexa,ex baſi & vaſis ipſius cordis,non tamen ex corde,exorta,necnon paulatim coarctans ſeſe, ita vt cor ipſum in quodam marſupio conſeruet,interdum ſæua adducit accidentia,veluti febrem,ſyncopam,cardialgiam,ideſt cordis palpitationem, & non rarò mortem,quæ ad cordis læſionem conſortij lege conſequitur. Plurimum [l] humoris,vrinæ ſpeciem referentis,in hoc domicilio,ſiue marſupio cumulari legitur, vnde cor humectatur,ac in humore continuo mouetur,qui dum abſumitur,animal mori neceſſe eſt,vt de Simia,& Gallo mortuo dictum eſt:attamen de hoc humore nihil in libris de vſu partiũ , aut de anatomicis adminiſtrationibus,aut alibi hactenus videre potuimus.

h ¶ 5. de not. loc. aff. cap. 1.
i ¶ 7. de aggr. anat.
K ¶ 3. de part. ani cap. 2.
l ¶ 5. de not. loc aff cap. 1. circa. finem.
m ¶ Celſ. libr. 5 cap. 26. Gal. 5. intern. cap. 1. Pau. lib 6 cap. 88 Albuc. lib 2 ca. 96.
n ¶ Hipp. lib 1. de morbis li de Coac. prænot. & 6. Aphoriſ. 18. Gal. 2. vir. na. & 7. de aggr. anat. Auic. 2. 1. cap. 4. & 4. 4 cap. 2.

CORDIS LAESI SIGNA.

ORDE [m] percuſſo,quod cardian Græci vocãt,ſanguis multus,ater, & craſſus, præcipuè ſi dexter locus fuerit vulneratus, florentiſsimus verò & clarus,ſi ſiniſter,effertur:venę æqualiter omnes lãgueſcunt,faciei color pallidus fit,ſudores frigidi,malique odoris tanquã in rorato corpore oriũtur, iuxta mammillam ſiniſtram vulnus infigitur,telũ rei duræ pulſatili & mobili impactum eſſe videtur,pulſus variant,extrema frigida fiunt,animus deficit,& ſine mora exitium ſequitur.Cor [n] ob eius nobilitatem [o] diuortium non patitur,ſed moritur.eſt [p] enim totius vitæ principium,& inſtrumentum[q] virtutis vitalis,ac princeps omnium membrorum, & [r] naturalis caliditatis initium . ob id [ſ] eo patiente cætera languent : quòd [t] autem cor vulneratum neceſſariò mortem afferat, vnum ex his eſt, quæ in confeſſo habentur, quippe, [u] ſi ad ventrem cordis vulnus peruenerit, protinus magno cum ſanguinis fluxu hominem mori neceſſe eſt,id prçcipuè ſiniſtro læſo, tunc quidẽ totus ſanguis ita operãte natura,affatim ad ipſum, veluti ad primariam vitę arcem,confugit,ac ex omnibus partibus,vt læſæ ſedi ſuppetias afferat,tranſmittitur.vnde maxima ſtatim fit ſanguinis profuſio,quam & ſpirituum reſolutio mox conſequitur, aut tanta fit ſanguinis collectio, ac inſignis obſtructio,vt vitalis ſpiritus in corpus vniuerſum, vt oporteret, amplius diffundi non poſsit, vnde citò homo moritur : porrò [x] ſi ab extrinſeco aere inquinato cor læditur, ſæpè mors fit; multò magis verò offendetur, & mors conſequetur, ſi propè id,aut in eo,vulnus occurret:ſi verò ad ventrem vſque non penetret,ſed in cordis ſubſtantia conſiſtat,ex ita affectis aliqui non ſolum ea die,qua vulnerati ſunt,ſed ſequenti quoque,ac nocte viuere poterunt . Continui ergo ſolutionẽ diu,nec apoſtema,vſque ad incrementũ,vita permanente,perferre cor poteſt,idq́,[y] recta ratione.cũ enim principium corrumpitur,quæ ab eo initium contraxerunt,de neceſsitate, ſi vnà ſunt, deſtruuntur. Cor [z] omnium venarum,ac arteriarum principium & radix eſt,quamuis aliter de venis ſentiant medici [a] in vi-

uentibus

o ¶ Galen 5. de not. loc. aff. ca. 1.
p ¶ Gal. 13. de vſu part cap. 10.
q ¶ Gal. libr. de iuuamen. pulſ.
r ¶ Lib. de compag. mẽbr. ca. 8.
ſ ¶ De aggr. anat. & li. de dogmat. Hipp. & Plato. 5. de not. loc. aff. cap. 1.
t ¶ Gal. 6. Aphoriſ. comm. 18.
u ¶ Gal. 5. ĩtern. cap. 1.
x ¶ Hipp. lib. de aere & aqua.
y ¶ Ariſto. 2. de gen. & corrupt. 3. de part. anim. cap. 4.
z ¶ Ariſt. 3. de par. an. cap 4.
a ¶ Galen. 6. de aggr. anat. & 4. de vſu part.

uentibus [a] anterius, ac in medio poſitum, in quo principium vitæ, omniſque motus, & ſenſus eſſe cenſetur: natura quidem nobiliter eum collocauit, & conſeruat. Cor ſolum (dicebat Ariſtoteles) inter omnia viſcera vitium nullum patitur, cum vitæ principium exiſtat, ac membrum tribuens, & non recipiens, omnibusve alijs partibus ſuarum operationum principia donãs, & ad virtutes proprias diſponens: in eo etiã iraſcibilis animæ vis inſita eſt.

a ¶ Ariſto. 3. de part. ani. c. 3. & 4

VENAE CAVAE, AC ARTERIAE AHORTAE PERFORATAE NOTIONES.

EX GIBBA, iecoris parte, omnium totius corporis venarum maxima: illa prodit, quæ ob eius magnitudinem caua dicitur, per totam animalis longitudinem excurrit, ſurſum ad cor tendit, deorſum ad ſpinam progreditur, in qua ſanguis purus colligitur, cumque hæc vena, quæ etiam magna, & chilim nuncupatur, læſa fuerit, ſanguinis nigri & craſsi maximum profluuium expectare oportet, vulnus in dextero latere vergit, venæ langueſcunt, facies decoloratur, extrema frigeſcunt, vires deficiunt, & non multum poſt æger moritur. ſi autem arteria ahorta, quæ omnium maxima eſt, ex ſiniſtro cordis ventriculo exoriens, ſpiritum vitalem in totum animantis corpus deferens, natiuumque calorem per diaſtolem, & ſiſtolem temperans, vulnerata fuerit, ſanguinis floridi, ac tenuis copia effunditur, vulnus in ſiniſtrum tendit ſitum, arteriarum motus variant, & concidunt, extrema frigida fiunt, animi deliquia crebrò ſuccedũt, poſtea febris aſsidua, cordis palpitatio, & mors ſtatim ſubſequitur: occurrit interdum, quòd arteriæ ramus aliquis vulneretur; & quamprimum vulneris partes coierint, ac ſanguis ille ſpirituoſus fuerit retentus, circumiacentes ſedes tumore expanſo vexantur, qui ad tactũ arenulis, aut vitris in minimas partes reductis plenus eſſe videtur, quod ſymptoma futuram mortem pręſagire ſolet. de eo tamen adhuc vllum verbum legere potuimus, & multos vidimus vulneratos, potiſsimũ circa iugulos, quorum plerique tandem vitam cum morte permutarunt.

SECTORVM PVLMONVM SYMPTOMATA.

PVLMONES icti [b] quia [c] ſpirandi officio delegati ſunt, ſpirandi difficultas oritur, ſanguis ex plaga ſpumans, clarus, rubeus, ſine dolore, & non valde calidus, effunditur, ex ore [d] interdum tuſſiendo, ſubitò multus, ſpumoſus, & rarus emittitur: ſæpe etiam ex vulnere ſpiritus, cum ſono fertur, in vulnus inclinari iuuat. quidam ſine ratione ſurgunt: multi, ſi in ipſum vulnus inclinantur, loquuntur; ſi in aliam partem, obmuteſcunt; ceruices conuelluntur; facies modò inflammatur, modò dealbeſcit; interdum accedit color, denuo recedit. vltimò pallida remanet, ſi intimè pulmones vulnerentur; lingua alium colorem aſſumit, ægri [e] crebrò inſpirant, frequenter tuſsiunt, vulnus tenue, ſed copioſum pus, ex purgat: non dolẽt [f] qui ſic affecti ſunt; ſiquidem pulmones ſenſu priuantur: diu [g] interdum viuunt, ſed rarò conualeſcunt; promptiſsimè [h] quidem ſecti pulmones malas temperaturas ac inflammationes excitant. quæ [i] ſi ſemel eos occupauerit, vulneris glutinandi exigua ſpes remanere ſolet: præterea dum expiratur, aut inſpiratur, perpetuò aliquid aeris, qualiſcunque ille fuerit, recipiunt, à quo ſectæ eorum partes læduntur: adde quòd ea, que ſanandis vulneribus idonea medicamenta ſunt, attingere pulmones integris viribus non poſſunt: accedit [k] inſuper, quòd reſpirando mouentur, & tuſsiendo lacerantur; cumque igitur cum ſpirandi difficultate, ac tuſsi ſicca, aut cum ſputo ſanguinis non multum reſonans anguſtia, & pectoris grauitas coniuncta fuerit, acuta quoque febris acceſſerit, pulmonũ, aut ligamenti alicuius, à quibus thoraci connectuntur, inflammationem declarat, aut in eis profundiſsimum vulnus ineſſe manifeſtat, ex vulnere penetrante lateris ſiniſtri. interdum pulmones nocumenta euadere ſolent, ob id quia à coſtis illius partis aliquantiſper diſtant, quod ſecus ſe habet, ex affectu ſedis oppoſitæ.

b ¶ Celſ. libr. 5. cap. 26. Gal. inter. cap. 6. Paul. lib. 6 cap. 88. Albuc. lib. 2. c. 96

c ¶ Ariſt. 3. de par. ani. cap. 6. Galen. 6. de vſu part.

d ¶ Hipp. de Coac. prænot. 5. Aphoriſ. 13. Gale. 2. Aphor. com. 24. Aet. libr. 8. cap. 59. Pau. lib. 3. cap. 31.

e ¶ Gal. 4. de no. loc. aff. cap. 9.

f ¶ Gal. 2. de loc. aff. ca. 1. & 5. de not. loc. aff. c 9.

g ¶ Hipp. li. de inter. affect.

h ¶ Gal. 5. meth. cap 8.

i ¶ Galen. 4. de not. loc aff ca. 7. & 5. meth. ca. 8.

k ¶ Gal. 5. meth. cap. 11.

TRACHEAE VVLNERATAE ACCIDENTIA.

MAGNA arteria, quam Græci [l] tracheam, ideſt aſperam, & Latini bronchum, & guttur vocant, pars eſt ipſius pulmonis ad inſpirationem, & reſpirationem neceſſaria, ac tertium eius vas, & propriũ inſtrumentum vocis, à pharinga profectum, exterius cartilaginoſum & rotundũ, ne facilè ab extrinſecis lædatur; qua verò parte interius æſophagum tangit, carnoſum & membranoſum eſt, ne ipſum cõprimendo, cibum ingredi prohibeat. Hæc arteria, dum vulneratur, interdum ſenſibus dignoſcitur, ſępe verò occultatur; Sed quomodocunque ſit, [m] nunquam ab ea aut calidus, aut ruber, aut multus effunditur ſanguis: interdum dolor, ſed paucus, iuxta exulceratum locum percipitur, acutus verò ex pectore ad dorſum: fauces latenter ſanguine, aut ſanie replentur: nonnunquam [n] etiam fœtidus oris odor, vocis raucedo, & faucium ſiccitas cauſatur: huiuſcemodi accidentia rarò pulmone vulnerato videri ſolent; inde ad paucum tempus per ſputum purulenta quædam, ac cruenta reijciuntur, & febris fortior ſit, & in pulmones deſinunt excrementa, & patiens empycus ſit; talia vulnera, cum exteriorem & carnoſam lędunt tunicam, potiſsimum quę ſummę eius parti eſt vicina, ſanari non inconuenit; & nos, dicunt medici, [o] nõ paucos eorum, qui ita affecti ſunt, ſanauimus: cum verò effatu digna ſunt vulnera, præſertim, quæ cartilaginem occupant, perrarò ſanitati reſtituuntur, ob id quia ſedes hæc dura & exanguis eſt, cõtinuò mouetur, ac humiditates frequenter ad eam defluunt, quæ ſanè vnà cum aſsidua eius reſpiratione, impedimento

l ¶ Hipp. lib. 2 de morb. Ariſt. 3. de part ani. c. 3. Celſ. lib. 4. ca. 1. Gal. libr. art. part. med. ca. 8c. 7. de cõp. med. ſecundùm loc. in princ. & 7. de vſu part.

m ¶ Hipp. lib. 2. de morbis Gal. 5. meth. ca. 8. & 5. de loc. aff. c. 7. Auic. 10. 3. trac. 4. cap. 16.

n ¶ Hipp. lib. de inter. affect. Gal 7 Meyrmir. circa prin.

o ¶ Gal. 5. meth. cap 12. Aet. lib. 8. cap. 64.

ſunt, quominus labra vulneris coaleſcant; & ſi caſu aliquo tumore afficitur, meatus clauditur, & patiens ſuffocatur, aut æſophagus ita comprimitur, quòd homo deglutire non poteſt.

SEPTI TRANSVERSI OFFENSI INDICIA.

HOC [a] membrum à Platone, & ſenioribus Philoſophis phrenas, ſiue phrenun, id eſt mens, vocabatur, à Latinis verò, [b] & his, qui Platoni ſucceſſere, ſeptum dicitur, ab Ariſtotele [c] epiriſma, ideſt ſuccinctura, à Galeno [d] diaphragma, & pręcordia; muſculus magnus eſt, ac rotundus, qui ſubtenditur interno toti ſpatio thoracis; & terminus, quo inferior thoracis pars finitur, ſeptum dicitur, quaſi ſepes aut paries, nobiliores partes ab ignobilioribus ſegregans, & animam concupiſcibilē, quam Plato in Hepate permanere dicit, ab iraſcibili, quam in corde ponebat, ſeparans, & vt animæ ſentientis origo inoffenſa ſeruetur, nec exhalatione cibi, & caloris aduentitij copia, facilè occupetur. Annectitur hoc ſeptum ſeu cingulum coſtis, parte ſui altiore, carnoſiore, ac validiore inferna ſummitati peritonæę tunicæ: media autem membrana exiliori conſtat. Ergo cum circa ſpurias coſtas penetratio occurrerit, aut ſi pauló altius ſit, & deſcendendo procedat, huius particulæ læſionem timere oportet: & quia [e] ſpirationis inſtrumentum eſt, ſanguis ſpumoſus fertur, ſpiritus rarus eſt, ſpina dolet, & præcordia ſurſum contrahuntur: at ſi ingens vulnus fuerit, aut membrum inflammatione affligatur, vehemēs apparet inſpiratio cum gemitu, & dolore per totam humeri partium compagem, magnaque tuſsis reſonans cum dolore, & ſtrepitu, ac liuidum ſputum, & vomitus, & ſanguis ſpumans per os fertur, & qui ſic laborant, difficulter comedunt. vbi [f] enim à vicinis partibus excrementitij ſucci, ac varię humiditates attractæ fuerint, continuò mentem perturbant, vnde delirium ſequitur, & vulnerati incompoſitè loquuntur, ob id nullius [g] partis, pręterquam cerebri, aut ſepti vitio delirium continuum homines infeſtat: iccircò veteres [h], hac parte inflammatione affecta, homines phreneticos deuenire putarunt. ob id phrena, ideſt mentem eam vocarunt, tanquàm ſapienti parti quidpiam acciderit: febris etiam acuta ex maximo cordis conſenſu oritur, & ſi quid cibi aſſumptum eſt, id redditur, pręſertim media eius parte ſecta. Huius [i] viſceris vulnera, niſi intimè peruenerint, interdum, ſed magna cum difficultate, ſolidantur, eius motu non obſtante. ſi autem neruoſis, & exanguibus hęrent partibus, res abſque vlla ſpe iudicatur: difficilis ſanè, grauiſque curatio eorū etiam eſt, quę carnoſis inſunt partibus, atque magis, ſi has iā phlegmon occupauerit; porrò non in ipſo modò diaphragmate, verùm etiam omnibus, quę intra peritoneum ſunt contenta: adde etiam hanc curandi difficultatem ob eam rem, quòd in his vulneribus ſanies perpetuò defluit, quæ ſedem vulneratam agglutinari non ſinit, nec ad ea loca medicamenta, niſi tardè, trāſire valent. Hæc ferè ſigna, in ſubcingentis membranę, & mediaſtini magnis læſionibus apparere ſolēt.

a ¶ Galen. 7. de vſu part.
b ¶ Celſ. li. 4. c. 1.
c ¶ 3. de par. ani. cap. 10.
d ¶ 5 de not. loc. aff. ccp. 5. 5. de vſu par. in fine 8. de aggr. anat. & lib. de voce, & anhel.
e ¶ Celſ. lib. 5. cap. 26. Pau. lib. 6. cap. 88.
f ¶ Gal. lib. 4. de præcog. & pulſ.
g ¶ Galen 5. de loc. aff. cap. 3.
h ¶ Ariſto. 3. de part. anima. cap. 10. Galen. 5. de not. loc. aff.
i ¶ Gal. 5. meth. cap. 9.

NVCHAE AC SPINAE INCISAE NOTIONES.

QVEMADMODVM [k] à corde magna arteria, quæ ahorti, & ab hepate caua vena, quæ chilis vocitatur, ortum ducit; ita à cerebro truncus magnus producitur per totam ſpinam extenſus, qui ſpinalis, dorſalis, ceruicalis, & lumbaris medulla nuncupatur, à vulgo verò nucha dicitur. Hic validorum neruorum principium eſt, ſenſum, ac motum omnibus partibus ſub ceruice conſtitutis, præterquàm viſceribus, præſtans. Hac ratione [l] cum nucha, quæ cerebri vicaria eſt, aut medulla, quæ in ſpina conſeruatur, diſciſſa fuerit, vulnus in media dorſi regione infigitur, nerui reſoluuntur, aut diſtenduntur, ſenſus intercidit, ac vis ſentiendi interdum digitis non influit, dolores, qui affectam particulam comitantur, intenſi admodum ſunt: interpoſito tempore aliquo, inferiores partes ſine voluntate vel ſemen, vel lotium, vel aluum excernunt. Alienant [m] interdum, qui ſic affecti ſunt ex cerebri conſortio, & [n] ſæpè aliqua mollificātur parte. Talia vulnera, vt plurimum ſeruari nequeunt; nam his ſimilia ſunt, quæ cerebro occurrunt: porrò [o] huic imbecillitas accidere ſolet interdum cerebri vitio, vtpote à quo & ſentiendi, & mouendi facultatem recipit, interdum ipſa duntaxat ſpina primario affectu laborante, veluti cum eius ſoluitur continuitas, quæ [p] ſi profunda fuerit, ſæua adducit accidentia, & tandem vulneratum perimit. verùm [q], ſi ſpinæ principium lædatur, ſolæ partes capitis, quoad vixerit animans, & ſentire, & moueri poſſunt: quòd ſi cerebro quoque noxa acciderit, qui ſic afficiuntur, omnium partium & motum, & ſenſum illicò deperdunt.

k ¶ Ariſt. 3. de part. ani. cap. 4. Gal. 8. de aggr. anat.
l ¶ Celſ. libr. 5. cap. 26.
m ¶ Hipp. lib. 1. de morbis, & 5. de Coac. præno.
n ¶ 12. de vſu part. & 8. de aggre. anat.
o ¶ Gal. 4. inter. cap. 5.
p ¶ Hipp. lib. de Coac. pręno. & lib. 2. prædictionum.
q ¶ Galen. 4. de ſympt. cauſis. 8. de aggr. anat.

MERI APERTI NOTAE.

IAM [r] partem, quæ inter fauces, & os ventriculi media eſt, Græci Eſophagon, Arabes meri, & Latini gulam vocant; gula [ſ] enim eſt, qua cibus & potus deuoratur, conſtat ex neruoſa & carnoſa parte. ex neruoſa, vt extendi poſsit, cùm cibus ingreditur. ex carnoſa, vt mollis ſit, & cedat, ne lædatur aſperitate cibi deſcendentis. Exitialia ſunt eius vulnera tum quòd cibus, ac potus per eam tranſit, qui agglutinationem impedit, tum quòd eiuſmodi vulnera contactu medicamentorum in tranſitu tantùm fruuntur, ſicuti & quæ in ore, ſeu ventriculi orificio conſiſtunt. Dignoſcuntur hæc vulnera à ſitu, interdum ſenſu tactus, ſed vt plurimum ab exeuntibus. defertur enim per lineam rectam membrum hoc ad ſpinę longitudinem ſub aſpera arteria. molle eſt, rotundum, & paucíſsimis venulis à meſereo ortis contextum: cumque vulnere tentatur, ſanguis, aut pus vomitur, ac per

r ¶ Galen. 5. de loc. aff. cap. 4. 4. de vſu part.
ſ ¶ Ariſt. 3. de part. anim. ca. 3

ac per eum nutrimentum aſſumptum crudum redditur: at cum ſupinus æger decumbit, dolor[a] ibi augetur, & poſterius inter duas ſpatulas, ac in collo vſque ad pectoris initia ſentitur: erecta verò ceruice mitigatur, neque vllus accedit anguſtiæ ſenſus: vbi verò tumor aliquis oritur, hanc ſedem anguſtiorē reddit, & cibus per eam ſerius pertranſit, febris augetur, ac ſitis, & multi caloris ſenſus irritatur. Porrò Medicus prudens diligenter agnoſcat, quæ omnium horum vulnerum inſanabilia ſunt, quę difficilem curationem habeant, & quę promptiorem. nam, vt Celſus dicebat, prudentis Medici eſt, primum eum, qui ſeruari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem vt occiſi, quem ſors ipſius peremit. deinde vbi grauis metus, ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare amicis, & familiaribus in difficili rem eſſe, ne ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur. Quàmplurima alia ſymptomata his viſceribus vulneratis ſupernaſcuntur, nempe inquietudines, cibi faſtidium, conuulſiones, ſiderationes, & ſimilia, quæ eo quia medicis exercitatę cognitionis innoteſcunt, nihil de eis amplius dicere decreuimus. Sed prędictarum lęſionum in vniuerſum, & ſingulatim curationes aggrediamur.

a ¶ Galen. 5. de loc. affect. cap. 4. Auic. 1. 3. 3. tr. 4. cap. 13.

De Thoracis penetrantium vulnerum curatione. Cap. IIII.

INDICATIONES, ſiue media, aut, vt dicunt, intentiones, quibus ſecundùm temporis opportunitatem thoracis vulnera ſanitati reſtituuntur, à rationali medico ſex communiter enumerātur: quarum prima eſt, prohibere, ne ſanguis, aut alia humiditas ad pectus delabatur, ac ibi detineatur; ſecunda obſtare, ne ab vniuerſo corpore ad affectam ſedem ſucci alieni defluant; tertia extra venas exiſtentes humores in pectoris cauo coaceruatos, commodè euacuare; quarta vulnus optimè abſtergere, ſiccare, ac topicis medicamentis, vt tempus exigit, opportunè regere; quinta internorum membrorum affectus regulatè pertractare; ſexta accidētia ſęua, ſi adſunt, profligare.

DE PRIMA INDICATIONE, QVAE, NE SANGVIS, AVT alia humiditas in pectore cadat, & retineatur, prohibere docet.

SANGVIS[b] quiſquis ille fuerit, qui à proprio vaſe in aliam cauitatem peruenerit, vt ſub eā forma permaneat, omnino fieri nequit: quare ſanguinem omnem extra venas exiſtentem, ac in aliquem ventrem, aut thoracis ſpatium effuſum, neceſſe eſt ſuppurari, id eſt, in ſaniem verti, cum[c] ex toto diuerſam naturam, & ſubſtantiam acquiſierit. interdum fit pus, vt in abſceſsibus, quos Græci apoſtemata, Latini exituras, & Arabes dubelet vocant. Quandoquidem per minimas partes diſperſus ſanguis ad ea, quæ vaſis circuniacent, ac ſub cute reſident, ſpatia, ſæpe concreſcit, præſertim accedente calore extraneo, & ſuppuratur: adhuc cum in cauitatem aliquam, aut ventrem deſtillauerit, tandem in pus vertitur: per ventrem verò omnem cauitatem, & ſinum, ait Galenus, intelligere oportet, aſſerens manifeſtum[d] eſſe, pectore vulnus perforatum patiente, ſanguinem ex vulnere ad ſpatium, quod eſt inter pulmones, & thoracem, fluxum, tandem ſuppurari, ac in eo loco pus contineri: iccircò indicatio[e] in ſimilibus vulneribus, dum ſcimus ſciſſuram interius penetrare, eſt, vt incarnetur vulnus, & non dimittatur ſanguis coagulari in interioribus, & prohibeatur eius fluxio. ſic enim iubet diuinus Hippocrates,[f] cum dicit; Recenti cuiuis vulneri, niſi fuerit in uentre, ſanguinem fluere conducit. nam & ipſum vulnus, & quę iuxta ſunt, minus inflammatione premuntur. Methodus hæc verificatur in caſu Billi[g] in dorſo vulnerati, cum ſpiritus multus cum ſtrepitu per vulnus exiret, & ſanguis flueret, qui, vbi medicamentum protinus cruentis vulneribus accommodatum, adhibitum, ac deligatum fuiſſet, ſanatus eſt. Reijciatur ergo vulgaris illa dubitatio, nunquid cruenta pectoris vulnera ſtatim agglutinari, aut diu aperta conſeruari iuſtum ſit. quippe conſentaneum eſt in eximia ſectione, intactis magnis venis, aut arterijs, & dum nulla ſanguinis copia apparuerit, illicò conglutinationem tentare, præſertim ſine medio eterogeneo, ſed rore proprio, ac elementari, aut ſi decet, ſutura, aut ligatura, vel alio ingenio; ſiquidē hoc modo partes coeunt, innatus calor conſeruatur, qui poſtea vehemētius in alicuius collecti ſanguinis præparatione operatur, vt facilius per ſputum, aut lotium expurgari poſsit, nec ſic pulmones à frigido aere per vulnus attracto afficiuntur, ex quo etiam conſolidatio vulneris prohibetur. Verùm ſi de coagulato ſanguine aliqua datur ſuſpicio, vulneris os[h] alicuius Pſilli ore, & labris apprehendatur, & tota extrahatur materia, quod etiam in venenatis vulneribus fieri ſolet; aut[i] cucurbitula ad hoc accommodata applicetur; inde ſi hęc non iuuant, ad cannulum deuenire opus eſt, quod inſtrumentum Græci[k] Pyulcum, & Latini ſanierum eductorem vocant, cuius imaginem eam eſſe opinamur, quæ in officina delineata eſt.

EVACVATA materia vulneris, partes vniantur, & ſiccis, vt decet, medicinis regantur, ex his pręſertim, quæ cruentis vulneribus protinus inijciuntur, veluti illud celebre Barbarum, aut ex bitumine, aut Cizicenicum, aut noſtrum Sanctum. Atſi[l] de conglobato ſanguine verendum ſit, vulnus coire nō expedit, ſed vſquequo adamuſsim pectus ab omni ſucco diuerſo fuerit exinanitum, turundis, quas Græci taemmata, & vulgares tentas appellant, vulnus apertum ſeruari debet: ſi verò ita anguſtum extiterit, vt penetratio inueniri nequeat, cutem aliquantulum ſecare par eſt, ita tamen vt nobilia, aut vicina mem-

b ¶ Hipp. libr. 1 de morbis, & 6 Apho. 20. Celſ. li. 2. cap. 7. Gal. lib. de tum. cap. 2. & 1. prædict. com. vlt.

c ¶ Galen. 2. de Criſi. cap. 2. de diff feb. cap. 9.

d ¶ 5. de not. loc. aff cap. 2.

e Auic. 4. 4. tra. 1. cap. 7.

f ¶ lib. de vlceribus. Celſ. lib. 5 cap. 26.

g ¶ Hipp. 5. & 7. Epidemiarū. 62. e. comm. 1. lib. Hipp. de off. Medici com. 2.

h ¶ Dioſc. lib 8. cap. 16. Cel. lib. 5. cap. 2. Auic. 6. 4 tra. 3. cap. 1.

i ¶ Gal. 4. meth. cap. 4.

K ¶ Galen. 2. ad Glau. c. de ſinu.

l ¶ Albuc. libr. 2. c. 86.

na membra ab omni noxa defendantur : inde [a] ægrotus pedibus ſuſpendatur, vel hincinde concutiatur, donec, quod in eo congregatum eſt, exeat: dormiat ſuper vulnus, ac in die quieſcat. interdum à pulmonibus clauditur vulnus, quod ſpecillo, aut obtuſa fiſtula aliquando patefacere auſi fuimus, ſic pulmones propellendo, vt materia liberè exeat; peractis aliquibus diebus, ſi nec creber apparuerit anhelitus, aut cordis tremor, aut febris intenſa, aut aliquod malum accidens, & reliquas eius bonas nouerimus diſpoſitiones, vulnus illud ſaluum eſſe opinamur. præſtantis igitur medici officium eſt, ſedem vulneratam illicò diligenter conſiderare(quod ex anatome deprehenditur) an ibi magnæ, vel paruæ inſitæ ſint venæ, & arteriæ. nam ſtatim à magnis multus, à paruis paucus emanare ſanguis ſolitus eſt. qui, ſi minimus fuerit, ab innato regulatur colore, & inſenſibiliter diſcutitur, aut per porarios meatus, ſiue per communes canales expurgatur; venæ ſiquidem quàmplurimæ, ac arteriæ, per apicem inferiorem muſculorum intercoſtalium, percurrunt. Suppreſſo igitur ſanguine, vulneris partes [b] aut faſcia duplici modo inuoluta, aut vinculo [c] Soſtrati, aut Amynthæ, aut ad formam literæ X (quod maximè conuenit, vbi pectus, vel dorſum, aut latera deuincire voluerimus)aut ſuturis, vel fibulis vniantur, & ſiccis, ac glutinantibus medicinis regantur.

a Gal. 5. de loc. aff. c. 2.
b Gal. 3. meth. cap. 4.
c Gal. lib. de faſcijs c. 81. 82.

DE SECVNDA INDICATIONE,

Quæ, ne à toto corpore ad ſectum locum ſucci alieni defluant, inhibere inſinuat.

IN magnis, & profundis vulneribus, licèt viſcera ſana fuerint, medendi ratio eſt, vt primò ſanguis cohibeatur, deinde, ne à toto corpore ad ipſum vulnus alienæ defluant humiditates, prohibere, quod multis celebratur ingenijs, nempè afflictæ partis ſubſtantiam, & habitudinē conſeruando, eamque à dolore, inflammatione, & ab omni alio ſymptomate prauo, quod his vulneribus accidere ſolet, præcuſtodiendo, quippè ſic fluxiones prohibentur. Igitur primis diebus admotis in vulnere linamentis ex oui albumine ſolo, aut luteo addito, extra verò ex roſaceo, vino nigro, aut roſacea aqua admixto, frequenter immutando ſanguis comprimitur; altera die à ſede vulneri oppoſita ſanguis mittatur à Iecoraria vena, quam nigram, axillarem, & baſilicam vocant, quæ bis, terque vulnerari ſolet: porrò Chirurgi in recentibus, & nuper acceptis vulneribus ſanguinem detrahunt, nec ſolum, ne pars ſauciata, aut circumpoſita loca phlegmone tententur, ſed vt impetus quoque ruentis ſanguinis cohibeatur; iccircò in ſecunda viſitatione præmiſſo enemate leniente, ac deiecta aluo, ſummo mane, virtute, ac ætate conſentiente, vena aperiatur. interdum ēt [d] quàm citius poteſt, & [e] ſanguinis copia pro robore, ætate, conſuetudine, ac anni conſtitutionibus metiri conuenit. perſæpe quidem, aut ſaltem bis in die extremarum ligaturis, frictionibus, aut cucurbitularū admotione fluxiones reuellantur: at ſi aluus aſtricta fuerit, ea alternis diebus indita glande, aut clyſtere iniecto, ſubducenda eſt: cum his tenue regimen, ac probam victus rationem inſtituere oportet, atque magis in iuuenibus, aut ſi vitioſus in toto corpore ſuccus(cacochymiam vocant) vel ſuccorum æqualiter ſe habentium exuberantia, quam plethoram dicunt, apparuerit; quare ſeptem primis diebus, quibus vt plurimum à febre, & inflammatione vulnerati tuti eſſe ſolent, aer puriſsimus eligatur, qui confoſſo thorace, magis, quàm in alijs vulneribus, ob eius inſpirationem conſiderandus eſt. tenuiſsima ſeruetur diæta. hoc tamen ſeruato, quòd ſicuti victus ratio in capite vulnerato talis eſſe debet, vt caput vaporibus, & malis humoribus non repleatur, ita in thorace affecto agendum eſt: quare à principio, ſi virium imbecillitas non obſtiterit, tenui victu ſemper vtendum eſt. ſin autem, virtuti ante omnia conſulendum: attamen in thoracis læſionibus ob nimiam ſpirituum reſolutionem liberalius eſt agendum, præſertim in bilioſa habitudine, & virtutem concoctricem validam habentibus: perpetuò tamen tutius eſt, vulnere magno: exiſtente, patientes ſine vino, carnibus, ouis, caſeo, piſcibus, oleribus, fructibus, & ſimilibus nutrire. ſed ſat ſit illis panem lotum iure paruę pullæ infuſum cōcedere, aut hordeaceam ptiſanam, addito ſaccharo, parare. cibaria verò ſalſa, acuta, pinguia, acerba, aromatica, aut ſanguinem augentia ſunt vitanda. vtendum quippe eſt amygdalato, hordeato, paſſulis; & quæ thoraci conueniunt: cibi aſtringentes in initio dimittantur, ne difficilem reddant anhelitum, & ſanguinē, ſi quis in cauitatem delapſus fuerit, aſtringāt: aqua hordeacea his potus eſto, addito zulapio violato, aut ſaccharo candido, aut decoquatur cum iuiubis, & glicirrhiza. & ſi tuſsis patientē moleſtat, addatur ſyrupus de glycirrhiza, quæ ſi augetur, melicratum probatur; vt quieſcat, iubendum. optimum [f] quidem medicamentum, quies eſt; nec valde anhelet, ſed ſileat, ac dormiat ſuper latus diuiſum, niſi multus emanauerit ſanguis; in cubiculo iaceat, aeris temperati, malorum vaporum immuni; venerem deuitet, [g] ac nimium colloquium. & pariter iram, clamores, ac omnes vehementes animi motus: ceterùm vbi vulneratus à phlegmone, febre, tuſsi, & malis accidentibus fuerit tutus, pleniore victu vti poterit, ac ad priſtinam conſuetudinem paulatim redire: ſi verò vitioſi ſucci abūdantia in corpore ſubſit, vel vulnus præualidum ſit, ea quidem lenientibus medicinis tollenda eſt, ſic iubent medici [h] ſub his verbis; Purgatio ventris deorsū plurimis vlceribus confert, & in vulneribus, quæ in capite, in ventre, & in articulis fiunt, & in quibus corruptio-

d ¶ Gal. 5. meth. cap 6.
e ¶ Gal. libr. de cura per ſang. miſsionem, & 1. ad Glauc.
f ¶ Celſ. lib. 5. ca. de cur. artic.
g ¶ Hipp. lib. de inter. aff.
h ¶ Hipp. lib. de vlceribus. Celſ. lib. 5. ca. 26. Gale. 4. meth. ca. 6.

ruptionis periculum imminet,& in his,quę cõſuta ſunt,ideſt,valde magnis vulneribus futura egentibus. valde magna ac prævalida vulnera ſunt,vel propter afflictæ partis præſtantiam,vel propter affectus magnitudinem,vel propter ſæua accidentia,quæ ea ſequuntur.ægri interdum has euacuationes expoſcunt, & ſi corpus ab excrementis purum fuerit,& citrà cacochymiam,vt nõ ſolum quod noxium educant,ſed etiam,vt ad diuerſum trahant.expedit [a] in hoc,peccantium humorum qualitates conſiderare, ac opportunè eos expurgare:qui verò noxij,ac timendi ſunt,tenues & calidi eſſe ſolent:igitur pro eorum euacuatione & Caſsia,& Manna,& ſyrupus violatus ſolutiuus,& electuarium diaſebeſtẽ ſimplex,aut diacatholicon laudatur.quæ ferè omnia medicamenta antiquis non innotuerunt,qui has purgationes per valida medicamenta moliebantur:nos tamen eiuſmodi valentibus in recenti vulnere nec vti conſueuimus, nec cuiquam vtendum eſſe conſulimus,dum viſcus aliquod læſum fuerit: Principis tamen [b] auctoritate his addunt iuniores & Reubarbarum, & Mumiam, & Rubiam, vſque ad dr.j.& ſi nulla,aut mitis aderit febris,ac craſsi humoris copia abundauerit,electuarium lenitiuum,aut de ſebeſten ſine Scammonio,interdum & agaricum probatur:per vomitum etiam euacuationem molimur,prædicta medicamenta patientibus in forma boli cum ſaccharo,aut cum aqua bugloſſæ,hyſſopi,capilli veneris,aut aliquo pectorali decocto ſub tenui forma offerentes:porrò ſanguinis fluxu interno apparente, talia pharmaca propinanda non ſunt,ſed quæ ſanguinem cohibent,veluti ſyrupus myrtinus, aut roſaceus ex roſis ſiccis, addito boloarmeno optimo.aut exhibeantur trociſci de ſpodio,aut de terra ſigillata.vltimum verò ſint illi de carabe,aut de ſuccino.dum hæc fiunt,vulnus terebinthina actu calida regatur, & loca, quæ in conſortio ſunt,linimentis moderatè repellentibus foueãtur,nempè oleo roſaceo,myrtino,ac maſticino, cui bolus armenus,aut lutus Dianę addi poteſt:aut paretur medicamentum ex oleo maſticino,linimento ſimplici, & vino nigro.poſtremò optima apparente vulneris concoctione,quæ [c] alba, leuis, æqualis, & ſine malo odore producetur,illud carne repleatur,& vltimò ſigilletur.

DE TERTIA INDICATIONE,

Quæ extra venas exiſtentes humores in pectore coniunctos commodè euacuare docet.

HVMORES omnes extra venas exiſtentes,dum ſub ſaniei,aut ſanguinis alterati forma extiterint, ac in thoracis ſpatio cõtenti,omnino aut per externas,aut per internas regiones euacuãdi ſunt: per [d] externas,ſic ægrum ſituando,vt vulnus infimas ſpectet partes,& ore ſuo circa ſedem inferiorem vergat,aut pedibus ſuſpendatur,vel ita concutiatur,vt tota materia liberè exire valeat,& ſinus à confluentibus humoribus immunis efficiatur, modò lectum ipſum eleuando,modò deprimendo,modò membrum ipſum attollendo,modò demittendo,prout vulneris orificium cõſulet.Si verò hęc non iuuãt, eo ſaltem inſtrumento opus celebretur, quod Græci Argalian, [e] Canatiron,[f] Cathęter,[g] rectum Syphonem,[h] Cotenchitam,[i] & Pyulcũ[k] vocant,Arabes verò Clapſedran, [l] & Catatirus,[m] vel potius Alchartir nominant,Latini[n] Syringam,Clyſtere oricularium,& ſanierum eductorem appellant.nam organum eſt, quo pus extrahitur. Clyſtere oricularium,à Græcis,[o] Cortenchitas,& vteriñum Metrenchitas, vocitatur.Cum verò ſanguis conglobatus,aut materia craſſa,aut quęuis alia humiditas in pectore cõtenta eximi debet,aut ſinus ablutione egeat,hoc ſemper paratum ſit inſtrumẽtum,multis etiam alijs paſsionibus accommodatum; argenteum eſſe debet, aut æneum, ſubimaginibus in officina del ineatum.

NON rarò etiam,& commodè has humiditates extrahit Pyulcũ, in officina delineatum;nam fiſtula, vel cannulus argenteus, aut æneus eſt longitudinis digiti ex dimidio alicuius curuitatis. Sæpe etiam, vt talis materia continuè effluat, quæ febrem,anhelitus difficultatem, & tuſſes cauſare ſolet, cannulum talem in vulnere tenemus, plurimis locis perforatum, teretem, & alis quibuſdam munitum, ac nempe ſub varijs formis paratum, ab aliquibus cuneoli cannulati vocantur, quorum effigies efformantur,vt in officina.

IMPOSITO quàm leuiſsimè cannulo,exterius aliquod applicetur medicamentum, cui exſiccandi potentia aliqua inſita ſit,temperata attractione non expoliatum,quale eſt calcideum Galeni,[p] quod corrupta voce,ſed vera ſignificatione,Gratiadei vocitatur,aut Barbarum,[q] aut illud de gumma Elenij,quæ falsò ellami dicitur,Conciliatoris, [r] aut illud de Centaurea Gentilis, [ſ] aut illud mirabile de fermento Democriti,deſcriptum à Meſue, [t] aut noſtrum Sanctum; vel ſi lubet, Recip. reſinæ Pini, viſci quercini, ſordicierum vaſorum Apum,ammoniaci,galbani,an.vnc.ij.ceræ vnc.vj.liqueſcat cera,poſtea reſinæ, vltimò omnia miſcenda ſunt,& adde pulueris ariſtolochiæ rotundæ,conſolidæ minoris an. vnc.s. & ſecundùm artem fiat vnguentum in bona forma.aut Recip.fermenti acris,axungiæ ſuillæ an.vnc.ij.paſſularum enucleatarum vnc.j.terebinthinæ claræ vnc.iij.ammoniaci,galbani an.vnc.s.ceræ, quantum ſufficit pro vnguento.At ſi cannulus nec intromitti, nec intus ſeruari poteſt,linea tenta,quotidie imponatur ſic, vt ad cauum perueniat,nec propter hoc dolorem inferat,ac filo longitudine palmi,iubente Hippocrate, in cuſpide,vt facilius exeat,alligare expedit,quod pendeat extra, vt ſi in cauitate pectoris demerſerit, facilius

[a] ¶ Hipp. lib. de medic. purgant. lib. de humoribus. libr. de vſu veratri, & 1 Apho. 2. & 13.

[b] ¶ 4. 4. tract. 2. cap. 5.

[c] ¶ Hipp. lib. 6 præſagiorũ vlt. Celſ. lib. 5. c. 26. ca. de curat. art. Gal. 7. Aphoriſ. com. 45. & 1. de diff. feb. cap. 8. Auic. 3. 4. ca. 23.

[d] ¶ Gal. 5. meth. ca. 8. & 5. de no. loc. aff. cap. 2.

[e] ¶ Gal. de loc. aff. cap. 3.

[f] ¶ Aet. lib. 16. cap 78.

[g] ¶ Gal. 5. meth. cap. 11. Aet. lib. 11. cap. 5.

[h] ¶ Gal 5. meth. c. 11. Pau. lib. 6. 6. cap. 59.

[i] ¶ Gal. 5. meth. cap. 11.

[k] ¶ Galen. 2. ad Glau. c. de ſinu. & 5. meth. c. 7. 8 11. Aet. li. 15. c 86 Paul. lib. 6. c. 59.

[l] ¶ Albuc. lib. 2. cap. 59.

[m] ¶ Auic. 13. 3. tr. 1. cap. 5. & tr. 2. cap 9.

[n] ¶ Celſ. lib. 6. cap. de col mot. lib. 5. cap. de fiſtula. & lib. 7. c. 26. & 27.

[o] ¶ Gal. 5. meth. cap. 7. & 11.

[p] ¶ 5. Katag. circa med.

[q] ¶ 2. Katag. circa finem


[r] ¶ Differen. 181

[ſ] ¶ In Antidot. cap. de medic. in carnan.

[t] ¶ Diſt. 11. vbi de emplaſtris.

b ¶Hipp.5.Aph. 22.Gal.4.Katageni.
b ¶Hipp. lib. de Vlceribus.

lius extrahi poſsit,& hęc prius in terebinthina calida infundatur.nam dictum eſt;[a] Medicamenta omnia qualitercunque applices,calida actu,& qualitatibus afferas:nec audiendi ſunt,qui roſaceo, aut humido alio medicamento vtuntur.nam [b] oleum,& quæcunque medicamenta lenia ſunt,aut olei vim habent,ab his vulneribus ſũt aliena:nos verò in ſimilibus,& alijs pforatis vulneribus,tale probamus medicamentũ ſine cannulo,aut turundarum aliqua forma,ſed exterius tantùm adhibitum:quod(Deum teſtor)incomparabile eſt,& ob eius ſanctã operationẽ, ſanctum vocitatur,anguſta & penetrantia vulnera mirabiliter digerit,& partes,quæ in conſortio ſunt,viriliter corroborat, tutò ab intimis locis immunditiẽ euacuat, & tandem vulnera omnia ab acuto telo impreſſa,quietè abſtergit,exſiccat,& conſolidat :hoc erat de ſecretis honeſtiſsimi Patris noſtri,qui in hac Medicinæ parte diu magnus vixit experimentator.Medicamẽtum ſic paratur.Recip. reſinæ pini recentis,claræ,& odoratæ vnc.xij.olei laurini puri,terebinthinæ optimæ an.vnc.ij. gummi elemi tranſparentis,grauis,ac boni odoris vnc.iiij.ponatur primò reſina & gumma in caciola ænea nitida ſuper ignem debilem,& clarum,perpetuò rudicula arundinea aut ſpatula ænea agitetur,donec liqueſcant:iude addatur laurinum,& terebinthina,ac iterum parum bulliant,ſemper mouendo.cum verò medicamẽtum craſsitiem acquiſierit,per ſtamineam,aut tamiſium percoletur ,& quod ſtillauerit,ac percolatum eſt,in terreo vaſe intus vitreato , ac bene cooperto conſeruetur ; cumq́ue ipſo vti volueris,ſuper nerueam hędini corij partem,qua chyrothecæ parantur(quia admodum tenax eſt)extendatur;ſitq́ue corium ita amplum,vt vulnus non ſolum, ſed vulneris proximas partes trium digitorũ latitudine contegat:prius verò ex panno lineo ſubtili,ac duplicato oualis formetur figura,cuius medium inane ſit,ad vulneris latitudinem,quę in propatulo eſt. reliquum verò auricularis digiti magnitudinem ſequatur, vt in hac figura videri poteſt .



in primis petia applicetur, ac deſuper medicamẽtum , quod hyeme ſemel, Aeſtate bis mutari debet, donec vulnus cicatricem contraxerit . Porrò euenire ſolet , quòd conglobatus ſanguis , aut materia diuerſa craſſa in pectore contenta per anguſtum callem exire nequeat.quare expedit,vt attenuetur,& præparetur,aliquod inijciẽdo decoctum,quod nempe dupliciter fit , à natura per eliquationem,& à medicamento per attenuationem,quale eſt illud , quod Græci anomeli, & melicraton vocant,& à Galeno[c] ſummoperè commendatum,fit ex duabus partibus, aquæ fluuiatilis clarę , & vna melis,decoquendo,donec tertia pars euanuerit:cum verò nulla,aut exigua aderit febris , mulſum, quod Latini vinum mellite dicunt,ex vino non admodum potenti,opportunum eſt,paratur [d] ex vino veteri non multum auſtero,& optimo melle ſine ſale,& differt à Mulſa multorum,quę ex recenti vino, ſale,& melle conficitur:ſed quia aſtrictione opus non eſt,prima deſcriptio vſui magis ſeruatur . Noſtrates verò Chirurgi,quia in rhodomelle ea non reperitur acrimonia,eo libentius vtuntur , & magis , aut cum vino,aut aqua conſolidæ,aut agrimoniæ,dimiſſa fluuiali,aut fiat decoctum tale.Recip.hordei mundi,lentiuman.vnc.ij.ęquiſeti,conſolidę maioris,glycirrhizæ,hyſſopi an.m.s.aquę clarę dulcis q.s.pro decocto, cui adde mellis roſati,aut violati vnc.iiij.iterum parum bulliant,& coletur:verùm ſi viſcida,aut tenax fuerit materia contenta,pulmonesq́ue incolumes,prædicto decocto oxymelliten , aut ſyrupum acetoſum addere expedit,& cum iniectorio [e] bis,terque lauamentum tepidum,ac donec clarum exierit,in pectus per vulnus inijciatur:ſi verò tale defuerit iniectorium,veſica cannulo alligata,quæ in finibus,& cuniculoſis vlceribus à medicis [f] probatur, vti decet:vel ſi hęc non habentur,ore vino prius diluto per fiſtulam, aut cannulum,quod ſyringam vocant, imponatur:poſtmodum ęger ſe inclinet ſuper latus vulneratum, & tuſsiat,& pedibus erigatur,ac leuiter cõcutiatur:cum verò decoctũ clarum exierit,pectus iam inanitũ eſſe declarat:vulnus exterius abſtergentibus,& exſiccantibus mederi oportet:& tempeſtiuũ medicamentum iſis,epigonos,aut ceraſeos,aut damaſcenũ eſt,ne in fiſtulã,quam coriadan Græci,& ſyringam Latini appellant,tranſeat,hoc ſeruato,ne cõſtringatur materia; quia illico febris, inflammatio,creber anhelitus, & phtiſis ſubſequi poſſet:loca verò,quę vulneri in conſortio habentur,extrinſecus irrorẽtur,æſtate roſaceo & violaceo oleo,hyeme verò nardino,ideſt,de ſpica nardi,quod Græci hydreleon vocant;aut mellino,nam ſic iubet Galenus.Recentiores verò,vt pectus molliant,oleo camomellino,violaceo, amygdalarum dulcium,ac pinguedine gallinæ inungunt.Confert etiam ſummo mane ſerapium aliquod patienti exhibere,quale eſt violaceum,iuiubinum,de capillo veneris, de glycirrhiza , de bugloſſa , & huiuſmodi, additis aquis proportionatis,nempe violarum,farfaræ,capilli veneris,ſcabioſæ,& ſimili,aut decocto pectorali,cui,tranſactis aliquibus diebus,addi poteſt ſcrup.j.Mumiæ,& eritrodani,vt exſiccentur ſuperfluitates.aut ſaltem,ſi aliqua inchoauerit corruptio, corrigatur : vulnus hyeme ſemel, & æſtate bis curetur, diligentia adhibita,ne ſpirituum ingens copia diſcutiatur . quare ſtudere oportet, vt curationis tempus perbreue ſit,ne frigidus aer vulnus ſubintret,aut interni ſpiritus reſoluantur.& hæc potiſsima ratio eſt, qua moti nonnulli futuræ neceſsitatem approbant,præſertim in amplis ſectionibus, imis partibus orificium dimittendo,vt perpetuò materiæ extrauenatæ percolari poſsint.Accepto vulnere,ſi nullus effluxerit ſanguis,ſed in pectore,ne conglobetur,timor adſit,ac inde laborioſè expurgari valeat , ponatur ſub lingua patientis granum vnum muſchi odorati ; nam illicò à vulnere ſanguis emanare inchoabit , & hoc ſecretum mirabile eſt.Ab omni immunditie exinanito thorace,ac vulnere bene expurgato,nulloq́ue prauo apparente ſymptomate,vulnus carne repleatur,& cicatrice includatur .

c ¶ 5.de loc. aff. ca.2.& 5.meth. cap. 8
d ¶Dioſc.lib.5. cap.9.
e ¶Auic.4. 4.tr. 3.cap.5.
f ¶ Hipp. lib.de fiſtulis.Galen.5. meth.ca.7.2. ad Glauc.cap.de ſinu. 2. katageni, vbi de abſter. Paul.li.4.ca.48. Albuc.li.2.c.59.

D E

DE QVARTA INDICATIONE,

Quæ quomodo thoracis vulnera internis medicinis regi debeant, apertiſsimè demonſtrat.

CASSALIA [a] vulnera, ideſt quæ pectus perforant, ſepę numero ante eorum conuenientem abſterſionem, & optimam exſiccationem exterius vniũtur, intus verò aliqua reſidente humiditate, aut nuper producta, ægri empici, ſiue ſuppurati, fiunt. nam dicebat Hippocrates; [b] Quicunque vulnerati in thorace externa vulneris parte ſanati, interna verò non periclitantur, aut verendum eſt, ne ſuppurati fiant; & quibus debilis inducta intus cicatrix eſt, facilè frangitur. ſuppuratos præcipuè conſueuit Hippocrates [c] nominare, qui pus habent in ſpatio inter thoracem, & pulmones. Dignoſcitur verò [d] hæc paſſio ex tuſsi continua, quæ eam de neceſsitate conſequitur, febre ardenti, pectoris ac dorſi grauedine, ſputu purulento, & fœtenti anhelitu. Qui ſic laborant, aut nunquam, aut rarò ſanitati reſtituũtur, niſi humor ille diuerſus, qui in thoracis ſpatio continetur, abſumatur; quod fieri ſolet aut per internas regiones, veluti per ſputum, & aſperam arteriam, aut lotij copiam, vel alui multam eductionem, aut per loca externa; ſi vulneris orificium in ſuperficiem venerit, hic pyulcis, & collyrijs, ſuctu, & ſuppuratione exorberi poteſt, cum alia nulla ſpes relinquatur, vt aliter expurgari poſsit. Quòd verò [e] tuſsiendo ex thoracis ſpatio aliquid interdum expuatur, facilè intelliget is, qui eas diſpoſitiones conſiderauerit, quibus ab exterioribus ad intima pectoris vulnus penetrauerit, ſiue id ob vulnus non conglutinatum eueniat, ſiue ob aliquem magnum abſceſſum vtrinque eruptum: quo pacto autem hoc fieri poſsit, atque per quos thoracis canales materia in aſperam arteriam ingrediatur, hoc modo ad Eraſiſtrati mentem deſcribitur. Ab ea arteria, quę ſpinæ adiacet, vaſa quædam iuxta latus tam dextrum, quàm ſiniſtrum, ſimiliter procedunt, deinde ad loca vicina multiplici diuiſione diſperſa, tandem adeò exigua euadunt, vt ſenſum lateant: cum itaque ſanguis in huiuſmodi arterias inciderit, nonnunquam per concauam arteriam ad loca, quæ circa pulmones ſunt, atque ad eos nexus, per quos pulmo apud ſpinam arterię coniungitur, aſcendit; quippe ea, quæ hunc incident, hac via ad pulmones aſcendere ſolent: Galenus verò hanc aſcendendi, ac penetrandi viam redarguit, aſſerens ſaniem eo modo per ipſas membranas ad pulmonum canales penetrare, ſicuti mulſam in thorace iniectam, quæ illicò tuſsiendo expui ſolet, atque laborans ipſe, aquam mulſam eſſe ex ſapore deprehendit: vulnerato pulmone, ac eius tunicis inciſis, per eas ſanies ad magnos canales aſcendere poteſt; verùm citra vulnus conſtitutus thorax humorem, qui in eo ſpatio, quod inter ipſum & pulmones eſt, continetur, vehementer in aſperas eius arterias comprimendo cogit, ſpongiarum exemplo, quas manibus exprimimus, inde poſtea laborantes naturali eo accidente adiuti, quod tuſsim vocant, quò robuſtior fieret expreſsio, materias purulentas per os expellunt. Pulmonum quoq; vulnera, [f] ac ſuppuratorum ſanies per lotium ſæpe mundificari ſolent, ac interdum per egeſtiones; nec dubium eſt pectoris ſaniem ad renes poſſe deferri, eo quòd furcula de caua vena ad renes deſcendit, & alia magna arteria ad eos deducitur. proinde nihil mirum, nec impoſsibile eſt, ex partibus ſepto tranſuerſo ſuperioribus pus in ventrem defluere, & ex his, quę eiſdem ſupponuntur, ipſum per renes in veſicam peruenire, cum vrina gibbæ hepatis partes expurgantur, atque omnes, quotquot ſunt his ſuperiores: per aluum verò pars iecinoris ſima, inteſtina, ventriculus, lien. præter hæc ſunt quoque nonnulla, quæ licèt rarò, per aluum expurgantur, vt partes thoracis, atque pulmones; Et nos (dicebat Galenus) vomicam per vrinam, thoracis autem per inteſtina, & aluum expurgari vidimus. porrò hi effectus, & accidentia ex his ſunt, quæ rarò contingunt; attamen, dum occurrunt, Hippocratis [g] methodus ſeruanda eſt, quæ ducere iubet, quò maximè natura vergit per loca conferentia: Expedit igitur, dum talis materia per ſputum mouetur, primò ſaniei coctionem adiuuare fomentis per ſpongias ex decocto althææ, violarum, hordei, farfaræ, fœnugræci, & ſimilium, aut emplaſtris ex caricis pinguibus, farina hordeacea, fœnugręci, ſeminum lini, butyro recenti, & oleo amygdalarum dulcium: ſi autem ad vrinarios meatus, quos Græci vreteres vocant, purulenta profuſio dirigatur, diuretica medicamenta, id eſt quæ vrinam cient, exhibere conuenit, qualis radix illa eſt, quam Arabes rauedſeni, & Gręci rhabarbarum dicunt, coſtus, eritrodanum, mumia, centaurea, oriſta, lochia, polytricum, radices petroſelini, ſemina carui, dauci, & ſimilia, ex quibus aut decoctum vſque ad vnc. iiij. addito oximellite, aut in ſubtiliſsimum puluerem redactis exhibeatur ſummo mane drag. j. cum mulſo, aut in ſyrupo biſantino: nulla verò apparente febre Recip. cinamomi electi, corticum caſsiæ, ſauinæ an. drag. j. croci ſcrup. j. miſce & fiat puluis, ſicut alchohol, eius doſis ſit drag. j. cum iure cicerum, aut cum decocto capilli Veneris: defluente verò materia per aluum (quod rariſsimè aduenit) adhibitis ſuppoſitorijs, aut enematibus, educatur: at ſi nullibi mouetur, aut quia craſſa, aut quia multa, aut quia illius ſedis potentia imbecilla eſt, & ſæua apparent accidentia, & morbus inter extremos enumeratur, pectus ab extra, vbi magis apparet opportunitas, phlebotomo myrtino, aut alio inſtrumento accommodato, aut ignito, aut frigido ſecetur, veluti, illud eſt, quod Celſus [h] manubriolum, & Paulus [i] cultellum hydrocelicum vocant, aut eo, quod Auicenna [k] bezel gradatum, & Albucaſis [l] ſpatumen latum, & ſpatumen acutum, aut ſpinoſum appellat, cuius effigies intueri poſſunt in officina.

a ¶ Gal. 5. de interi. cap. 2.
b ¶ Lib. de Coac. præno.
c ¶ Gal. 6. Aph. com. 27. 7. Aph. com. 45. Aet. lib. 8. cap. 65.
d ¶ Hipp. lib. 2. de morbis, vbi de ſuppuratis, & lib. 2. de inter. affe. in principio Gal. 7. Apho. cõ. 8. Paul. lib. 3. ca. 32. Auic. 10. 3. tr. 4. cap. 7. & 17.
e ¶ Gal. 5. de loc. aff. cap. 2.
f ¶ Gal. 6. de loc. aff. cap. 4. Auic 10. 3. tr. 4. ca. 17
g ¶ Lib. de humoribus in principio. & 1. Aphoriſ. 22.
h ¶ Lib. 7. c. 15 & 19.
i ¶ Lib. 6. ca. 62
k ¶ 22. 3. trac. 1 cap. 6.
l ¶ Lib. 2. ca. 54. & 62.

VARIANT hæc inſtrumenta,ſiquidem pectoris partes in craſsitie & tenuitate ſunt diuerſæ:ſic enim facere ſoliti erant antiqui. [a] locus verò ſectioni opportunus ſit,inter quartam & quintam, aut quintam & ſextam coſtam aſcendendo,diligentia adhibita,ne ſecando aut venæ,aut arteriæ magnæ in ſpatijs intercoſtalibus per apicem inferiorem diſſeminatæ,diuidantur;nam [b] arteriæ multæ per ea loca extendun tur. ob id aliqui excellentiſsimi operatores ex Hippocratis ſententia libro de internis affectibus, vbi de aqua inter cutem,vt coſta terebro perforetur,magis approbant,ad quod opus talia inſtrumenta opportuna ſunt,& à multis parata ſeruantur,vt in officina.

d ¶ Hip.4.Epid. in Ariſtemone Phillidis filio.li. de ſuppuratis.li. prædictionum. 6.Aph 45. Leonidas. Antilus. Call li.3. c. 22. Gal.6.Apho.cõ. 27. Aet.li.10 ca. 36. Pau. lib 6.c. 44. Auic. 10.3. t. 5.c.5.
b ¶ Gal. 2. de interio.c.1.
c ¶ 6. Apho.27.
d ¶ 7.Apho.45.

CVMQVE igitur materia alibi expurgari nequit,ætate ac virtute conſentiente,ſic vt rectè ſaniéi locus dignoſcatur,ibique ſignum imprimatur,& fiat ſectio,ac talis ſit,vt cum ea purulenta cõgeries egrediatur,de qua quotidie parum educatur abſque alia ſectione ſubitò.nam dictũ eſt ab Hippocrate;[c]Si pus vniuerſum effluxerit,omnes moriuntur:verùm [d] ſi purum,ſiue parum deſtillauerit, ac album extiterit, euadere poſſunt:ſi autem ſubcruentum, fœculentum,ac fœtidum,peribunt: Igitur, poſtquam materiam extraxeris,linamentum crudi lini immittito,& poſtridie rurſus exempto,paulatim pus exhaurito, deinde rurſus linamentum indito,& rurſus tertia die,& alijs deinceps bis per diem extrahito, donec reſiccatum pus fuerit:at cum perforaueris,ſtude,vt virtutis robur temperatis cibarijs conſeruetur:nec confide res febrem,quoniam non eradicabitur,ſanie in pectore reſidente,præſertim cum orta non ſit ex naturalium membrorum inflammatione,aut ex materia in eis contenta, nec ex obſtructionibus putruerit, ſed ex ſuppurato ſanguine in loco amplo cum aliqua deſtillatione admixto.Et ſi ſuperius diximus inter quin tam & ſextam coſtam ſectionem faciendam,id quidem non temerè,ſi vulnus ſpinam verſus vergat:ſed ſi anterius inflictum fuerit,ea nempe facienda eſt inter tertiam & quartam,aut quartam & quintam: quod nonnulli recentiorum diligentes Chirurgi [e] annotarunt,& ex anatome ſenſatè dignoſcitur:nec obſtat,ſi huiuſcemodi ſectiones,aut cauteria interdum in fiſtulas degenerent,ſiquidem iuuamentum, nocumentũ excedit.Expurgata materia,ſi decet,mellicrato,aut vino mellite cauitas abluatur;& ſi maiori eget exſiccatione,decoquatur agrimonium,centaurium,equiſetum,& betonica in vino nigro,& addito rhodomelle fiat lauacrum. Et quia ſolent hæ læſiones cacoethes, ſiue cacoethicæ, id eſt difficilis conſolidationis,fieri,vel quia pulmones læſi ſunt,vel materiæ diuerſæ ad pectus perpetuò concurrunt,aut labrorum oſtracoſitas iam contracta eſt,aut coſta fracta,vel carie affecta extiterit,idcircò cuilibet horum ſymptomatum propria remedia,vt ſuo loco dicemus,adhibenda ſunt:Sed ſi fluxionum copia apparuerit,& medicamenta exſiccando imbecilla erint,vel tardè ad ipſum vulnus peruenerint,tempeſtiuum eſſet,potiones,& decocta, quæ à recentioribus pigmenta dicuntur, vulneratis exhibere,eaque magis in diuturnis, fiſtuloſis,& malè morigeratis audacter vtimur;verùm ſi valida apparuerit febris,primis diebus, nec valde calida,nec aſtringentia eſſe debent,nec ante decimamquartam propinanda; aliter poſt ſeptimam interdum ea exhibere non eſt inconueniens. Porrò multa ad hoc probantur ſimplicia,quæ ſiccandi, glutinandi,& aſtringendi vim continent,ſicuti eſt Trinitas, Caryophylata,Stellaria,Piloſella,Hyppuris ſiue equiſetum,caudam equinam multi vocant,eritrodanum ſeu rubiam,quam iſti rubeam maiorem,aut tinctorum vocant,ea geranij ſpecies,quæ vulgo herba Roberti nuncupatur,geranium, quod à noſtris herba ris pes columbinus vocitatur, Symphyton aperta voce Latini conſolidam vocant, Canapes renatę, aut eorum loco ſemina,Rhaponticum,ſi adſit,ſin autem,centaurij magni radices, Centaurea minor, Virga aurea,Braſsica rubea,Tormentilla,Periſterion ſeu Verbena,Fragaria,Pentaphyllon,Cynogloſſa, Extremitates rubi,Pimpinella,Mellifolium,Momordica,Argimonium os mundi ſpecies filicis eſt, Plantago, Saluia,Stœchas,Iua,Artemiſia,Tanacetũ,ſiue Athanaſia,Betonica,Phu ſeu Valeriana,& ſimilia omnia, quæ conſolidandi virtute prædita ſunt:Hæc diuerſimodè parari ſolent,nec ſine medicorum auctoritatibus;ſiquidem Galenus [f] tale probat decoctum.Recip.betonicæ,Agrimoniæ,Fragifolię,Aſſari, Violarũ, Linguæ bouis, Ambroſiæ, Plantaginis minutæ, Pentaphyllonis, Hypericonis, Phillitis, Pimpinellæ an. drag.j. aquæ claræ libras iiij.mellis libram.j.bulliant vſquequò tertia pars abſumatur, & coletur;& adde piperis grana xx. ac iterum parum bulliant,& vtere. A Meſue [g] pariter ad vulnera ſananda mixtura quædam in hunc modum paratur.Recip.Gariophilatæ,radicum Artemiſiæ,Pimpinellæ,Pentaphillonis, herbæ Violarum,herbæ venti,Caulium rubeorum,canapis renatæ an.vnc.j.Rubeæ tinctorum,quantum de omnibus,bulliant ſimul in vino,ſi ſanguis non fluit,vſque ad medietatis conſumptionem.cola, & vtere:Multæ inſuper,ac diuerſæ apud poſteriores [h] vnà cum ſuis orationibus,ac benedictionibus deſcriptiones leguntur,quæ ab excellentiſsimis Medicis [i] huius ætatis commendantur.

e Guido de Cauliaco.& Guilielmus de Saliceto.

f ¶ Lib. maiori de dinamidijs. ad plagatos.
g ¶ Diſt.11. poſt emplaſtrum de meliloto.
h Guido in ſua parua chirurgia par 2.c.9. & ca. de vuln. thora. Theod. li. 1.ſuæ pract.c.29 & Petrus de Argelata li.2.c.12.& cap. de modo operãdi in fractura cranij. Guglielmus de Saliceto.
i ¶ Ioannes Manardus Ferrariẽſis medicus illuſtriſsimus.in ſuis annotationibus in compoſita Meſue Nicolaus Maſſa Venetus medicus Clariſsimus, ac mihi præceptor obſeruandiſsimus in ſecũdo Tomo ſuarũ epiſtolarum,vbi de vulneribus thoracis. Gabriel Fallopius Mutinenſis medicus celeberrimus.

At quia Teutonici quattuor tantùm herbas in his operationibus extollunt, quas ſummoperè Theophraſtus commendauit,ideò vulgus eas teutonicas herbas appellat,nempe ſtellariam montanam, quam ipſi ſanichel,& ſinaul vocant.Nos verò alchimillam,& leonis pedem,aut Teutonica voce corrupta ſaniculã dicimus:ſanicula verè ſtellariæ ſpecies eſt:Gariophilatã benedictum vurtz,& ſeulem nuncupãt,nos verò ſanamundã & diapenſiam vocamus.Clematidẽ,quã ipſi ſingrien,vintegrun & vngrun dicunt, nos hiemalem, Vincam,& prouincam denominamus, quartam, ſpecies Trifolij eſt, Trinitas vocitatur. Hijs Galli addunt Eritrodanium,& nos terreſtrem hederam,ac perariam,quam iſti pirolam vocant.huiuſcemodi ſimplicia ſemper parata Venetijs habentur à diligẽtiſsimo Aromatario ab Angelo Cecchino Mar tinello,qui hac tempeſtate,inter ſimpliciſtas excellentiſsimus iudicatur.decoctum in vino albo montano

paratur

paratur aut aqua, aut vino, indicatione ſumpta à patientis habitudine, & ſymptomatum natura, & addito melle claro ſub auroram tepidum per horas quattuor ante cibum, patienti ſelibram, aut vnc. iiij. exhibere ſoliti ſunt. Herbæ in montanis locis colliguntur ſub Cane, & ſub vmbra exſiccantur. Rurariũ quendam Chirurgum Feltriæ nouimus anno Domini 1545. in quo tempore has inſtitutiones Chirurgicales in vnum redegimus, qui mane, ac veſperi cyathum vini albi optimi cum drag. iij. pulueris caulium rubeorum in vmbra exſiccatorum patientibus propinabat; erat quidem iſte in his vulneribus admodum fortunatus. Alium adhuc cognouimus ſenem empiricum, qui in chronicis & antiquatis vulneribns fiſtuloſis, & cacoethicis omnium locorum, præterquã ſub magnis æſtibus, aut dum ardens apparuiſſet febris, hanc potionem exhibere ſolitus erat. Recip. cinnamomi, Gingiberis, Garyophyllorum, Piperis an. vnc. iij. aliquantiſper frangantur, inde in ſex menſuris optimi vini albi vſque ad tertiæ partis defectum bulliant, coletur, & quod colatũ eſt, ſeruetur. & Recip. Caryophyllatæ, Valerianæ, Piloſellæ, Centaureę maioris, Rubeæ tinctorum, Artemiſiæ, Pimpinellæ an. m. s. exſiccentur, & fiat puluis ſubtiliſſimus. & Recip. pulueris huius drag. ij. decocti prædicti cyathum vnum, aut vnc. vj. & ſummo mane tepidum quotidie, aut alternis diebus dabat, & multi abſque Medicorum opinione ſanabantur. Nos verò hoc puluere ſæpe vſi ſumus, qui profectò mirabiliſsimè eſt operatus. Recip. Caulium rubeorum, ſeminum Canapis, Conſolidæ minoris, Caryophyllatæ, Piloſellę an. m. j. Rubeę tinctorũ m. ij. miſce, & fiat puluis ſubtiliſsimus. doſis eſt drag. j. cum vino albo. Dum hæc fiunt, vulnus, prout eius requirit natura, regatur, ſiquidem præparationem, vt dicitur, digeſtionem, medicamẽto ex Terebinthina, oui luteo, manna thuris, & croco præparetur. ſi abſterſionem, eam adimplebit mundificatiuum de melle, aut de ſucco apij, aut vnguentum Damaſcenum, aut iſis epigonos. ſiqua verò ſubſtantia deperdita fuerit, reſarciatur vnguento Barbaro, aut Aureo, aut Citrino, aut Regali, vel Baſilicone, aut altero eiuſdem generis: poſtmodum cicatricem inducit emplaſtrũ Palmulatum, aut Grecum, aut alterum eiuſdem virtutis.

DE QVINTA INDICATIONE,

Quæ viſcerum, ſiue internorum membrorum affectus, ſanandi modos declarat.

MORBI omnes,[a] qui locis extrinſecis occurrunt, ac ſenſibus ſubijciuntur, ex eorum, quæ ipſis inſunt ſecundum naturam, permutatione, nempe magnitudine, figura, numero, ſitu, colore, leuitate, duritie, calore, & frigiditate dignoſcuntur: qui verò viſum effugiunt, præcipuè in ſoluta continuitate, ex operationum lęſionibus, aut his, quæ excernuntur, aut doloribus, aut tumoribus, aut ſitu, aut horum quibuſdam, aut omnibus comprehenduntur. iccirco cum de interioribus vulneratis, quæ ſub thorace cõſeruãtur, nonnulla dicere decreuerimus, prius de pulmonibus ſectis ſermo habendus eſt, quibus accidit, vt tantum eorum lobes, ſiue fibrę, aut pennulę, vel pinnulæ lædantur: nec ob id eorũ canales vulnus patiuntur, & tunc non multa ſanguinis expuitio, ſed ſolũ ſputũ tinctũ ſine plurima tuſsi apparet. Si verò [b] ſectio ad amplas peruenerit vias, tunc & per vulnus, & per os ſanguis multus fertur, clarus, ſpumoſus, & ſine dolore; quippe conſentaneũ eſt ſanguinem ſubſtantiæ illius membri, à quo educitur, figuram, & colorem præſeferre, ideò conueniens eſt, ſanguinem, qui in pulmone eſt, pulmonis naturam aliquo modo ſapere: eſt autem eius natura, & ſubſtantia ſpumoſa, leuis, rara, mollis, aerea, foraminoſa, vaſisq; quàm plurimis veluti contexta, alimentum [c] purum, vaporoſum, ac tenue, à corde præparatum, recipiens, aerem, ſeu ſpiritum ab aſpera arteria extrinſecus attractum, Cordi immutans: quare neceſſe eſt ſanguinem à Pulmone venientem, clarum, & ſpumoſum eſſe; cùm ſanè talis aliunde prouenire non poſsit: nam [d] ſpuma ex ſpiritus miſcella cum re humida, aut glutinoſa gignitur, aut ex magno & aſsiduo motu, vt in lebete bulliente, aut maritimis vndis inſpicitur: porrò cum Pulmo non ex ſe, ſed à thorace moueatur, nec graue, nec denſum eſſe oportuit; & quia tenuem, aereum, & purum ſanguinem ſuſcipit, ideo ſanguis ab eo effluens leuis, ſpumoſus, & clarus eſſe debet: at cum nihil in Pulmone, aut thoracis cauitate contentum, expui poſsit, niſi per Pulmonis ſubſtantiam tranſierit, igitur tuſsis has ſanguineas expuitiones aſſociat, quæ à Pulmone educuntur; qui busuè [e] citra dolorem ſanguis eſt reiectus, eius proculdubio exitus à Pulmone fit, qui, cum vulneratur, Medico quidem negotium, ægroto verò periculum non minimum affert: nam [f] ſi eius tardatur conſolidatio, raró, aut nunquàm ſanitati poſtea reſtituetur: quod [g] experimento, & ratione confirmatur. experimento, quia nemo expertorum quemquam vnquàm eorum, qui itą ſunt affecti, ſanatum vidit; ratione, quia inter viſcera Pulmo propter anhelitum perpetuò mouetur, cum [h] vtique membra quietem requirant, quæ ſanitati idonea ſunt, ac eam poſcant: præterea Pulmonis vulnera mundari, niſi excreatibus per tuſsim mittendis, minimè poſſunt: ſed ſilere, quieſcere, quàm minimum anhelare, & non loqui, in conſolidandis his vulneribus vtile eſt; ergo huiuſcemodi vulnera ægris tuſsientibus vniri nequeunt: quocirca anhelitus, ac eius continua motio non erit tantùm cauſa vulnerati Pulmonis curationem impediens, ſed & hoc quoque; quoniam putredo, & ſanies, quæ in eo genera-tur,

a ¶ Lib. ar. par. med. cap. 75. & 80. & 1. de loc. aff. cap. 1.

b ¶ Hipp. lib. de Coac. prenot. & 5. Aph. 13. Celſ. li. 2. c. 7. Gal. 4. de not. loc. aff. c. 9 Aet. lib. 8. cap. 59. Paul. libr. 3. cap. 31.

c. ¶ Gal. 4. de vſu part.

d ¶ Gal. 3. reg. acut. com. 12. 2. prædict. co. 47. 2 par. aph. com. 43.

e ¶ Galen. 4. de loc. aff. cap. 9. & 5. metho. cap. 8. Aet. lib. 8. c. 59. Paul. lib. 3. c. 31.

f ¶ Hipp. li. de inter. aff. Gal. 4. de loc. affect. c. 6. & 5. met. c. 6.

g ¶ Gal. lib. ar. par. med. ca 94. & 5. meth. ca. 8. Aet. li. 8. ca. 67.

h ¶ Hipp. lib. de vlceribus Gale. 6. metho. cap. 3 Celſ. lib. 8. ca. 8.

a ¶ Gale. lib. de loc. aff. cap. 3.
b ¶ Hipp. li. de humorib. & pri. Apho. 21.
c ¶ Gal. 4. de vſu part. Zoar. pri. Theiſir trac. 11. cap. 2.
d ¶ Galen. 1. de loc. aff. cap. 1.
e ¶ Gal. 5. meth. cap. 8.
f ¶ Gal. 5. metho. ca. 8 Auic. 10. 3. tr. 4. ca. 18

tur, potionibus, ac alijs ingenijs mundari non poteſt. & ſi interdum aduenit [a] (quod rarò contingit) vt per lotij copiã expurgetur, hæc regio nõ eſt ei concedẽs, ſi quidẽ [b] quæ ducere oportet, per loca conueniẽtia ducere expedit: inſuper epota medicamẽta ſerò ad affectam ſedem perueniunt, ob id eorum vires minuuntur: præterea [c] nutritur Pulmo ſanguine acuto, & ſubtili: ſiccus eſt, vias amplas, ac venas, & arterias multas habet, citoque [d] ob aduẽtitias humiditates corrumpitur, & ab acutis læditur, vnde [e] facillimè phlegmone occupatur. His igitur de cauſis Pulmonum vulnera, ſi citò ſolidantur, & cicatricem inducunt, ſana euadunt, verùm negligentia adhibita, tumeſcunt, aut dura fiunt, nec vnquam ſanantur. Quæ verò [f] vulnera tantùm pectus offendunt, his, quę Pulmonibus occurrunt, ſalubriora exiſtũt, quamuis aſsiduè moueatur. nam pectoris venæ anguſtiores ſunt eis, quæ in Pulmone, & pectus carnoſius eo eſt, ac ſanies, quę in pectore creatur, ad imum eius deſcendit; & hinc eſt, quòd accidentia mitiora fiunt, & eius ſanatio ſecurior.

De Pulmonum vulneratorum curatione. Cap. V.

g ¶ Gal. 5. meth. ca. 8. & 13. Aet. lib. 8. cap. 26.
h ¶ Gal. 5. meth. cap. 14.
i ¶ Hip. lib. de inter. aff.
K ¶ Gal, de loc. aff. cap. 9. & 5. meth. cap. 8. & 14. Aet. li. 8 ca. 62. Paul. lib. 3. cap. 32.
l ¶ Hipp. lib. 2. de morbis.
m ¶ Lib. de inter. affect.
n ¶ Aet. libr. 8. cap. 63.
o ¶ Celſ. lib. 5. cap. de ratione victus vulneratorum.
p ¶ Gal. 4. meth. c. 7. Aui. 4. 1 c. 28

QVAMPRIMVM ex ſymptomatibus proprijs Pulmonũ vulnera dignoſcuntur, pręmiſsis euacuationibus, vt [g] eſt venæ internę, quæ iuxta cubitum eſt, facta protinus ſectione, à qua bis, terque diuertendi occaſione, paulatim ſanguis eſt detrahẽdus, humorum retractiones cum artuum frictionibus, ac deligationibus fiant, ſed his partibus, quæ longius abſunt à vulnere; &, quę in vijs communibus iam congeſta materia eſt, acri clyſtere euacuetur: crura, manusque calefacienti pharmaco plurimum fricentur: inſuper infirmo iubere licet, vt caueat ab omni cauſa, quæ fluxiones commouere poſsit. nam dictum eſt; Quę ad Pulmones currunt ſuperfluitates, non niſi tuſsiẽdo, expurgari, quas [h] triplici præſidio cauere decet, purgatione, victus regimine, & medicamentorum vſu, illius pręſertim, quod Diaſpermaton dicitur, aut eius loco Diacodion, & ipſi capiti prouidendo: iccirco ſtare [i] oportet in tenuiſsimo victus regimine. nam ſi pulmo ex mala nutritione, inflammatione affligatur, nulla [k] inde curationis ſpes relinquitur: porrò in curationis initio de nulla re æquè eſſe ſolicitum, opus eſt, quàm ꝙ neque patiens tuſsiat, & nequid ex capite in Pulmones defluat, neque magna vtatur reſpiratione, ſed ſemper ſilentium agat; nam huic conducit, vt quàm maximè quietem intus habeat: parcè [l] nutriatur, abſtinendo ab acidis, acribus, ſalſis, aromaticis, & pinguibus: vulnere iam inueterato, montanę volucres (veluti perdices, turtures, palumbi, & paruę auiculæ) concedantur. ex terreſtribus, Capreoli, ac Lepores aſſati, aut ſine ſale elixati, præſertim in aqua chalybeata, aut in qua bullierint mala cotonea, aut pyra, aut folia palmarum, vel ſymphyti, aut minoris plantaginis: ex piſcibus dabat Hippocrates [m] ſquatinam, pagrum, & galeum magnum album, rhoe, aut origano conditum; ex ferculis [n] oriza, alica, & chondrum probatur: panis ſit opirus, pauco ſale admixus, & bene coctus: potus, eſto fluuialis aqua, in qua chalybs ignitus extinguatur, addito ſirupo roſato, aut myrtino: verùm imbecilla apparente virtute, vinum exhibeatur nigrum, clarum, & pauciferum: nec dubium eſt de vini vſu, quòd cauendum ſit, pariter & carnes, oua, & ſimilia, vbi aliqua phlegmonis ſuſpicio adeſt, aliàs vinũ dari nihil vetat. nam illud concedit Hippocrates, nigrum nimirum, vetus, clarum, ſed iucundiſsimum, idquè magis aliqua apparente indigentia; multi [o] enim ex profluuio ſanguinis intermorientes ante vllam curationem vino reficiendi ſunt, quod alioquin inimiciſsimum vulneri eſt. Topica verò, ſiue localia medicamẽta, tũ per ea, quæ interius aſſumuntur, tũ per ea, quæ exterius applicantur, fortis exſiccationis eſſe debent: deglutienda [p] eligantur, veluti alimenta, ſiquidem ad cicatricem perducere, aut glutinare vulnus ſtudeamus, tum auſtera, tum glutinoſa, ſed quæ minimè mordeant; ob id metallica omnia, aut ſal habentia, & ſi extrinſecus vulneribus opitulantur, internis opportuna non ſunt, cum difficillimè ab innato regantur calore, atque minus, ſi aliquo fuerint veneno prędita, ſicut ęrugo, ęs vſtum, plumbũ crematum, cadmia, ceruſſa, lithargyrium, chalcitis, pompholix, & alia eiuſdem naturæ: ſi autẽ emundare volueris, quæ modicè abſtergant, vtaris, quod munus mel non coctum præter cætera præſtat: quæ verò medicamenta tutò introrſus ſumuntur, ac vulneribus opitulantur, ſunt, veluti hipociſtis, balauſtium, malicorium, gallæ, citini punicorum, rhois, acacia, ſigillum lemnium, bolus armenus, maſtix, dragagantum, gummi arabicum, rhabarbarum, maius centaurium, & alia id genus, quæ nullam viſceribus noxam inferunt: danda verò hæc ſunt ex aliquo aſtringentium decocto, vel mali cidonei, vel lentiſci, vel ſummarum rubi, vel mirti virentium ramorum, vel denique ex vino aliquo auſtero. Infirmus ſupinus iaceat, & medicamentum in ore teneat, ac gulę lacertos latos dimittat; nã aliqua pars ipſius medicinæ ad canales Pulmonum defluit. Nec [q] obliuiſcaris in omnibus pectoris, ac Pulmonis medicamentis mel admiſcere. nam ſi hæc ſola ſtiptica dabis, moram in via facient, nec penetrare poterunt, prodeſtque mel, eo quòd eſt dilectus naturæ cibus, pectus mundificat, ſputum facilitat, & nullo modo viſceribus noxam præbet: guttatim, ac lambendo talia aſſumuntur medicamenta, ne nodũ, aut tuſsim procreent. Verùm quia huiuſmodi medicamenta per os ſumpta patientibus iniucunda, ac odioſa eſſe ſolent, non ab re qui huius ætatis has aggrediuntur curationes, eorum loco diadraganto albo, aut rubeo, addito boloarmeno, aut trochiſcis de terra ſigillata, vti ſoliti ſunt, vel per ſe, vel cum deco-

q ¶ Hipp. lib. 1. de morbis, & li. de inter. af Gal. 4. meth. c. 7. 5. metho. ca. 8. 7. Meimir. ca. 2. & 2. de rat. vict. in mor. acut. c. 11. Auic. 10. 3. tr. 5. cap. 6.

cto

cto equiſeti, tormentillæ, piloſellæ, conſolidæ vtriuſque, Cariophyllatæ, ſaniculæ, extremarum rubi, pimpinellæ, & ſimilium plantarum, aut omnium, aut aliquarum, aut ſaltem cum ſirupo myrtino, aut roſato de roſis ſiccis: vel trochleæ ipſę frequenter in ore ſeruentur. nam emplaſtica, & quę vi aſtringendi prædita ſunt, ſummè in his affectibus celebrantur, inter quæ apprimè opportuna ac idonea eſſe creduntur, quæ propterea, quòd ex ſeminibus fiunt, Diaſpermaton Grçcè dicuntur. Hoc medicamentum apud Galenum[a] celebre ſemper fuit, ac in pectore vulnerato perpetuò vſus eſt; ſed quale id eſſet medicamentum, aut vbi eius reperiatur deſcriptio, fatemur, nos nunquam hactenus nouiſſe, prçſertim quòd illius exſiccatiuæ virtutis, ac potentię exiſteret: quamplurimę tamen apud antiquos[b] medicamenti ex ſeminibus deſcriptiones adſunt, quæ pulmonibus ſectis, nullius valoris eſſe iudicantur; vnam tamen in quodam antiquiſsimo Nicolai manuſcripto codice reperimus, quæ fortaſsis his vulneribns prçſidium opportunum eſſe poſſet, & tale ſic formatur medicamentum. Recip. ameos, hyoſcyami, ſeminum aniſi, fœniculi, apij an. drag. vj. opii drag. ij. radicum conſolidæ maioris, malicorij, balauſtiorum an. drag. iiij s. maceris, ligni aloes an. drag. iij. boli orientalis, boli armeni an. drag. ij. mirtillorum drag. viij. mellis quantum ſufficit pro electuario; datur ad pondus drag. iiij. mane, ſeroque tribus horis ante cibi aſſumptionem: ſed, vt Galeni ac Pauli medicamentum diaſpermaton pernoſcatur, ſic reperitur reſcriptum. Recip. ſeminum apij, ameos an. drag. viij. aniſi, maratri an. drag. iiij. caſsię nigrę, opij an. drag. ij. fiat mixtura cum aqua ad pondus drag. j. ſub trochiſcorum, ſiue paſtillorum forma; formatur hoc medicamentum, quemadmodum quamplurima alia, quę ab antiquis parari ſolita erant, veluti trochiſci dia coralliũ, aphrodiſiaſti tripherici, & ſimiles, qui eo quia guſtui ſatis ingrati ſunt, nullibi ſunt in vſu, ſed illi frequentius, qui ex terra ſigillata, ex diadraganto, aut ex duplici papauere conduntur, quippe à diacodione non multum variant, nec ſine ratione probantur. nam dabat Galenus[c] in pulmone affecto medicamentum ex ſeminibus, quod diaſpermaton dicitur, & ſecunda, & tertia die, vt ſomnum conciliaret, & ſenſum doloris leuaret, ac ſiccandi poteſtate polleret. quæ actiones, ac potentiæ non immeritò in diacodione reperiuntur. nõ ab re igitur loco electuarij de ſeminibus diacodione vtebatur magnus Guido de Cauiliaco, Iamerius, & alij, qui hac tempeſtate Chirurgiam exercent: nam dicebat Galenus[d]; Vſus medicamenti diacodion eſt in his, qui ſomno indigent, & potiſsimum his, quibus à capite in aſperam arteriam facilis eſt defluxus, non permittens dormire: quare non minoris vtilitatis aſſerunt aliqui diacodion fore in hoc affectu, quàm diaſpermaton, prçſertim[e] cùm papauer tenues deſtillationes à capite inſpiſſet, mel autem humores ad pectus iam delapſos, reiectu faciles facit. Sed quia diacodiones ex veterum ſententijs diuerſimodè parantur, & varij à Galeno deſcribuntur, quorum aliqui ſimpliciores, aliqui verò copioſiores componuntur, & horum omnium quàm plurimi nullibi parantur, hac de re experimento ducti, hunc magis probamus. Recip. papaueris albi capita num. 20. nigri num. 10. iuiubarum, ſebeſten an. num. 6. ſeminum lactucæ, maluæ an. drag. ij. ſcariolæ drag. iiij. cytoniorũ drag. iij. contundantur omnia, & infundantur in ſextarijs quinque, videlicet in lib. xij. s. aquæ pluuialis per diem naturalem, deinde bulliant, donec tertia pars conſumpta fuerit, & adde myrrhæ, croci, hypociſtis, ſucci acaciæ an. drag. j. omnia hæc in petia claudantur, ac in lebete ſuſpendantur, & iterum bulliant, donec tertia pars abſumatur, & adde diadraganti albi vnc. 6. glycirrhizæ raſæ drag. ij. mellis lib. j. iterumq; bulliant uſque ad mellis conſiſtentiam, & coletur; cui adde ſacchari albi quantum ſufficit, & fiat confectio in rotulis, quarum una aut in forma ſolida, aut ex poſca diluta patienti mane, ſeroq; exhibeatur: cum uerò tale deeſt medicamentum, eius locò diadragantum album, aut rubeum, uel trochiſcos de terra ſamia, aut diarrhodion, aut diacoralliũ, aut ex cornu ceruino, aut aliquos ex his, qui à Paulo[f] celebrantur, patientibus dare conuenit: citra mordicationem[g] etiam præclarè omnino deſiccat bolus armenus, ut nihil eo magis hac parte præſtet. datur ex eo drag. j. cõfidenter cum aqua hyppuris aut ſymphyti. Diuerſis etiam alijs prçſidijs recentiores utuntur, inter quæ rhabarbarum celebratur, varijs modis præparatũ, uéluti Recip. Reubarbari electi, erytrodani, mumiæ an. drag. j. terræ ſigillatę drag. s. fiat puluis ſubtiliſsimus, de quo datur uulneratis quotidie ſummo mane, cum decocto radicis ponticæ, aut maioris conſolidæ drag. j. ſi autem oportuerit exterius lotiones in uulnere inijcere, hæc præſtantiſsima iudicatur: Recip. radicum tormentillæ, ſymphyti, Cariophyllatæ, Centaureæ maioris, roſarum an. m. s. myrtillorum, foliorum oliuę an. drag. ij. Myrrhæ, aloes, ſarcocollæ an. drag. j. aquę hordeaceę quantum ſufficit pro decocto, & Recip. prædicti decocti lib. j. ſyrupi myrtini, roſati de roſis ſiccis an. vnc. j. mellis roſati vnc. ij. miſce, & ſemel tepidum cum iniectorio imponatur, ac ſæpe inuerſo ęgro educatur. denuò inijciatur, ac pariter euacuetur, ſed ex ipſo aliquid intus relinquatur, & vulnus claudatur linamẽto imbuto aliquo medicamento abſtergente, & filo ſic deligato, ne introcedat. deſuper verò petia ſatis lata medicamento barbaro cooperta, aut argideo, aut de gummi ellami, aut palmulato, aut noſtro ſancto incomparabili applicetur. Hic curationis modus ſeruetur, donec à prauis ſymptomatibus tuti euaſerimus, ac viſcera cicatricem contraxerint, & thorax penitus fuerit mundificatum. Hic[h] vbi ſanus fuerit, neque celeriter ad ventum currat, neque equum, aut currum conſcendat; atque etiam vociferationes, iracundiam, coitum, ac victus prauum regimen fugiat; periculũ enim eſt ex praua diæta, ne reuertatur morbus: abſtineat[i] ſimiliter per annum ab ebrietate, & ne nimium impleatur, neque manibus laborioſe labo

a ¶ 5. meth. cap. 8. & 13.

b ¶ Galen. 7. de cõp. med. ſecũdum loc. cap. 2. vbi ad ſang. ex puit. Aet. li. 10. c. 9. & li. 9. c. 34. Paul. li. 7. c. 12. de paſt. Auic. li. 5. tra. 8. ſumma 1. vbi de Trochiſcis de ſeminib. Nicol. Alex. de ſcr. 207. 316. 316.

c ¶ 5. meth. ca. 13. in fine.

d ¶ 7. de comp. med. ſecundum loc. vbi de vſu medicamẽti Diacodionis ſecundum propriam opin.

e ¶ Aet. libr. 14. cap. 25.

f ¶ Lib. 7. vbi de paſtillis.

g ¶ Aet. libr. 8. cap. 62.

h ¶ Hipp. lib. de in e[illegible]aſt.

i ¶ Hipp lib. 2. de morbis.

a¶Hipp. de ſup puratis.
b¶Galen. 5. de loc aff.cap.2.
c¶Libr. 5. cap. quomodo vul. nus ligare conueniat.
d¶6.Aph.com. 18.
e ¶Libr. 3. ſuæ pract.cap 24.
f¶Libr.2.c. 17.
g ¶ Hipp.lib. 1. de morbis.& 6. Aph.Gal. 18. 6. Apho. com. 18. Auic.4. 4. tra.1. cap. 1. Auer. 7. coll.cap.32.
h¶Hipp. lib. de Coac.pno.Cel. lib.5.ca. de vul. inſanab.
i ¶ 7. Apho.15. 16.

ret.hic[a] enim morbus,qui curatione multa eget,difficilis admodū eſt; & ſi quis curatus,ac ſanus factus, ſe ipſum non cuſtodierit,plerunque illi reuerſus morbus,cauſa fit interitus:porrò[b] ſi occurrerit, vt pulmonum aliqua pennula è vulnere exierit,& ab extrinſeco aere alterationem acquiſierit,illicò pars malè affecta leui ſectione tollatur,ſtatimque quod de ſecto remanſerit,bis,terq; ignito cauterio aduratur, ac quamprimum intromittatur;quippe Celſus dicebat;[c] In viſceribus nihil mouendum eſt, niſi aut ſi quid ex iecinore,aut liene,aut pulmone duntaxat extremo pendeat,præcidatur;ſeruari enim non poteſt (ait ipſe)cui pulmo medius percuſſus eſt.De iecinore dicebat Galenus,[d] non ſolum profundū vulnus in eius fibris factum, ſed etiam fibram abſciſſam,aiunt,fuiſſe ſanatam,& verum dicere videntur Rolandus Parmenſis,[e] ac Theodoricus,qui[f] affirmant,Vgonem Bononiæ Pulmonis fibram vulneratam ſanitati reſtituiſſe,poſtquam exierit,& eam reſecaſſet.Hoc etiam feciſſe confitetur egregius noſtrę ætatis,ac huius inclitæ ciuitatis Venetiarum Chirurgus Franciſcus Strata de Burano,Aloyſium de Burano,eius Socerum. nec mirum eſt;nam pręclari medici antiqui,[g] dum affecta membra,quæ mortis magnum afferunt periculum,enumeraſſent,nullum quidem verbum de Pulmone fecerunt;aſſeruerunt tamen,quòd ſi Pulmo me dius fuerit ſectus,aut vulnus amplum,aut inflammatione affectum,qui ſic afflicti ſunt,de neceſsitate moriuntur.Decet igitur ex leui vulnere Pulmonis,cum præſertim rationabilis adhibita fuerit curatio,ſalutē interdum promittere. verùm[h] cum intimè fuerit vulneratus,maximā ſanguinis copiam effundit,& inde vulnus lethale iudicatur : dictum eſt[i] enim,poſt ſanguinis ſputum,puris ſputum;poſt puris ſputum, phtiſis : veruntamen quia multi ſine vlla ſpe ab his,& ſimilibus vulneribus ſuperſtites permanſere, igitur & qui Pulmonis vulnere cruciantur,à curatione deſtituendi non ſunt.nam interdum magni Dei auxilio ſanitati reſtituuntur.

De tracheæ inciſæ cura. Cap. VI.

k¶Ariſto 3. de part.anim.ca.3. Galen.7.de vſu par.in fine.

Qvia Trachea,ſiue aſpera arteria pars[k] eſt ipſorum Pulmonum ad reſpirationem, & inſpirationē neceſſaria, iccirco de ſectionibus huic parti occurrentibus hic ſermo fit. vulnera huiuſcemodi periculo non vacant, & quia diu quieta permanere non poſsunt,curatu difficillima ſunt; & ſi inflammatione moleſtantur, patiens nec commodè deglutire,nec opportunè reſpirare poteſt,ob id ſæpe ſuffocatur:Tunica eius interior acutiſsimi ſenſus eſt,& eius ſubſtantia,dura,ac chartilaginea exiſtit.Earum curationis modus ſic fit;vniuerſalibus indicationibus (vt de ſectis pulmonibus dictum eſt)præmiſsis,infirmo iubendum eſt,vt vitam ſilentiò agat,nec tuſsiat,nec moueatur, diuq;eum in hac quiete conſeruari oportet, ſupinum tamen reclinatum,ſed quæ eius capiti ſubijciuntur, ſublimius ſint inſtrata:Medicus[l] omnibus modis operam det,vt quàm citiſsimè vulnus ad cicatricem perueniat , foris loco affecto agglutinantia medicamenta imponendo,arteriacas Greci vocant,quale eſt illud celebre barbarum,aut illud ex ſalicibus,ſiue lolijs appellatum, vel ex altero ei ſimili:vulnerato cubanti ſupino, aut reclinato,humidum aliquod ex his medicamentis idoneum,quæ ad huiuſmodi vulnera faciunt,exhibeto, iubendo id in ore aliquantulum conſeruare,paulatimq;permittere,vt in aſperam arteriam defluat. nonnunquā etiam[m] illud ſub lingua conſeruare, quod hypoglotti Græcè vocatur, vt paulatim liquefactū in tracheā ipſam delabatur,ac ſenſim,& ſenſim deſtillet,dū detinetur in faucibus:cauēdo,ne largius influat, vtpotè quòd tuſsim excitabit.nam quoad humor vndique iuxta tunicas arteriæ, ceu iuxta murum aqua deſcendit,tuſsim vtique non ciet,ſi quidem per mediam ſpiritus viam incidit,tuſsim ſtatim excitabit.Talia igitur tenuia eſſe debent,qualia ſunt rhodomel,ac lac nuper mulctum,ſiue aliquod magiſtrale decoctum in aqua chalybeata,nempe equiſeti,conſolidę maioris,vel centaurij,aut centinodij, vel morſus gallinæ.in quod colliquatur,aut diadragantum,aut diaſymphyton,aut diacodion,aut quid ſimile ex iam dictis;aut ſi opus fuerit,tenuiori ac liquidiori præſidio.Eclegma aliquod , ideſt lambitiuum,ſub hac forma præparare oportet,radicum conſolidæ maioris,ſub prunis coctarum vnc.iij.pulueris tragaganti,gummi arabici an.drag.ij.boliarmeni Orientalis drag.j.ſpecierum dragaganti frigidi drag.j.s.ſyrupi roſati de roſis ſiccis,mirthini an.quantum ſat eſt,miſce,& decoquantur ad conſumptionem tertiæ partis;deinde colentur.& ex hoc lambitiuo crebrò abluat ęger ſibi fauces;ſiquidem ex his,quæ bibuntur, aut in ore detinentur,ſemper aliquid in aſperam arteriam labitur.porrò ſi ſectio ampla fuerit,ſutura anguſta,& profunda vniatur; &, vt partes coeant,vnà conſeruētur,adhibito barbaro ſimplicioris temperaturæ. verum , ſi opus fuerit,præparentur medicamenta ex therebinthina clara,aqua conſolidæ lota,vitello oui,maſtice, thuris cortice,& croco;& optimo pure iam confecto, vulneri impoſito ſarcotico puluere, ideſt carnem productiuo,vulnus carne repleatur . &[n] ſciendum,quòd inter ea,quæ interius aſſumuntur, maiori centaureo,& terræ ſigillatæ ineſt curatio magna:vltimò cerato diachalciteos, aut miniato ad ſigillationem perducatur.Si autem tota trachea ſecta fuerit,cum ſit membrum ad hominis vitam valdè commodum, vnde ſpiritus aereus ad pulmones,& cor deducitur,ex quo vitales refocillētur,aut difficulter,aut tardè, aut vt plurimum nunquam ad ſanitatem peruenire poteſt,ſed qui ſic affecti ſunt, moriuntur, præſertim vbi circa fauces venæ,vel arteriæ magnæ præciſæ fuerint.

l¶Gal.4.meth. cap.7.Aet.li. 8. capt. 64. Auic. io.3.tr.5.cap.6.
m¶Galen. 7.de com. med. ſecū dum loc. circa. princ.
n¶Hipp. lib. de inter. aff. Auic. 4.4.cap.7.

De meri ſecto, & eius curatione. Cap. VII.

VLNERATVR interdum Meri, [a] ſiue Aeſophagus, aut gula, & eſt paſſio lethalis, eoque magis, ſi aut tranſuerſale, aut alicuius magnitudinis fuerit vulnus, tum quòd cibus, ac potus per eum tranſit, qui ſanè agglutinationem prohibet, tum quòd eiuſmodi vulnera tantùm contactu medicamentorum in tranſitu fruuntur, ſicut & quæ in ore, & in ventriculi orificio conſiſtunt: iccirco iubent Medici, [b] vt medicamentum nec ſemel, nec totum ſimul aſſumatur, ſed paulatim, & aſsiduè, quando ex tranſitu, ac contactu vulneribus, quæ in meri ſunt, vtilitas accedit, non ex continendo, & diutius adhærendo, ſicut ijs, quæ in ventriculo ſunt: hac igitur de cauſa, quia gula tranſitus quidam comeſtorum, bibitorumq; eſt, remediorum qualitate eget, quæ adhærere, & vndique quaſi concreſcere, ac agglutinari poſsint, non autem quæ elui, ac defluere ſint prompta: at circa partes eius concreſcunt quæ craſſa ſunt, agglutinantur quæ lenta exiſtunt. Quare, vt patiens ſupinus iaceat, & quàm diutiſsimè medicamentum in ore teneat, ac lacertos, qui illic ſunt, omnes relaxet, remittatque, ſummè cõuenit; influit enim paulatim de medicamento aliquid in ipſa gula, & reſidet. Veruntamen ſi per initia ſanguinem ſiſtere opus fuerit, trochiſci de ſpodio, aut de ſigillo Dianæ, aqua portulacæ, aut centinodiæ attenuati, interius paulatim exhibeantur; & ſi non adfuerint, aqua chalybeata, aut decocto radicis conſolidæ, aut equiſeti cum diadraganto rubeo vtendum eſt: ſi verò abſterſione aliqua opus fuerit, hydromeliten, aut zulapium roſatum, aut vinum de granatis, aut de cydonijs, aut lac acetoſum butyro extracto, adminiſtrabimus, aut paretur decoctum tale, Recip. hordei mundi m.ij. paſſularum, iuiubarum, glicirrhizæ an. drag. vj. centaureæ minoris, equiſeti an. dra. iij. bulliãt omnia in aqua chalybeata, & vino, donec consũpta fuerit tertia pars. & adde ſyrupi roſati drag. iij. mellis roſati vnc. ij. iterũ parũ bulliant, & coletur. & ſcias (ait Auicenna) quòd ſi ſordes tota non mundificatur, non ſuccedit iuuamentum alterius curę, neque adminiſtrationis conſolidatiuorum, ac ſi vis tota curæ in optima mundificatione conſiſtat, quod munus (ait Galenus) mel nõ coctum præter cætera præſtat, & quia rarò tracheæ arteria, aut æſophagus vulneratur, quin prius vulnus collum offendat, vbi lacerti quamplurimi notabiles, interni & externi ſituantur, ac nerui multi à ſexto pari orti, & arteriæ magnæ, carotides & ſoporariæ dictæ, in quibus magna pars vitæ conſiſtere videtur, hac ratione ſedes hæc facillimè inflammatione vexatur; ſiquidem laxa ac mollis eſt, & fluxiones recipit. ob id exterius ea auxilia adhibeantur, quæ repellant, & corroborent, prout ſplenia ſunt, vino nigro auſtero, & roſaceo, aut mirthino oleo imbuta & madefacta, ſaltim vſque ad quartam, aut ſeptimam diem, aut quouſque ab inflammatione tuti fuerimus. Cum verò in partibus meri, aut oris ſtomachi medicamenta carnem facientia adminiſtrare voluerimus, tũc in eis glutinantia imponemus, ſicut gummi, dragagantum, & maſtix. extra verò eadem adhibebimus medicamenta, quæ tracheæ diſſectæ opitulantur, quorum omnium virtutes, Deum teſtamur, in medicamento noſtro ſancto reperiri, præſertim dum vulnus anguſtum fuerit. aut Recip. Terebinthinæ claræ, aqua ardenti, aut conſolidæ lotæ vnc. iij. pulueris ſubtiliſsimi, mirrhæ, thuris, aloes, boli armeni. an. drag. s. miſce & fiat vnguentum. aut Recip. thuris optimi, myrrhæ, mali terræ, galbani an. drag. iij. chalcitidis, aluminis rotũdi, ſpumæ argenti an. drag. ij. reſinæ terebinthinę drag. x. olei myrtini vnc. j. cerę q. s. & fiat vnguentum ſecundum artem: ſi enim in his turundæ, ſiue lychinia non imponuntur, ſanatio magis tuta, aut ſaltem breuior fuerit, quæ ſummopere quærenda eſt, & ab omnibus probatur. igitur multi emplaſtro tantùm barbaro minori, aut palmulato, vti auſi ſunt exterius.

> a ¶ Galen. 5. de not. loc. aff. cap. 4. in fine. Auic. 13. 3. tr. 4. ca. 13.
>
> b ¶ Gal. 4. metho. cap. 7. & 6. metho. cap. 4. Auic. 13. 3. tr. 1 cap. 14.

De Spinæ vulneratæ curatione. Cap. VIII.

CVM [c] nucha, aut ſpina, ſiue ſpinalis medulla ſecta fuerit, vulnus his ſimile eſt, quę cerebro occurrunt: nec ſeruari poſſunt, niſi rarò, quibus cerebrum, aut ſpinæ medulla percuſſa eſt, aut ſaltim vox perit, quibus ea ſpinæ pars, quæ in ceruice eſt, fuerit affecta. ipſa verò ex tranſuerſo inciſa, ſi tota fuerit diſſecta, omnes, quæ ſub ipſa ſunt corporis partes, ſenſu motuq; priuari neceſſe eſt, vtpote ſuſcipiente ſpina à cerebro vim tum ſentiendi, tum etiam mouendi pro arbitrio, & tandem ſic affecti moriuntur. puncta verò, aut perforata interdum ſanari poteſt: nonnunquã etiam relaxantur partes lateris vulnerati. mederi tamen debemus, cum ſic afficitur, prima die vitello oui admixto thure, mumia, & maſtice, vt ſanguis quieſcat, & dolor ſedetur: tenuiſsimè patiens nutriatur, & corpus nullo modo agitetur: altera die ſanguis, ſi decet, à communi vena mittatur. Aluus fluida ſit, & omnia vſque ad inflammationis, aut conuulſionis ſecuritatem, vt de cerebro læſo dictum eſt, canonicè regantur. Si autem ſpina fuerit vulnerata, abluatur terebinthina, aqua betonicę, aut vino albo, & addatur recentis oui luteum ſpermate emundatum, parum thuris minutiſsimè puluerizati, & croci, & vulnus tali regatur medicamento vſque ad diem quartam; partes verò circumiacentes, & emunctoria omnia, ac tota ſpina ſæpe roſaceo, maſticino, ac camomellino oleo, addita axungia, inungantur; &

> c ¶ Hipp. libr. 2. prædict. & li. de Coac. prænot. Celſ. li. 5. cap. vul. mor. Ga. 12 de vſu part.

cum quarta pertranſierit dies, nec ſæua apparuerint accidentia, prædicto medicamẽto addatur aliquid rhodomellis, aut ſyrupi roſati, myrrhæ & aloes, & quàm leuiſsimè adhibeatur ſic, quòd nullo modo dolorem, aut moleſtiam inferat. qui, ſi ſupernatus fuerit, remittatur oleo de terebinthina, aut de vitellis ouorum, & Hypericonis pauco; &, ſi res poſtulat, vtimini polenta Hippocratis, ex farina hordei, & oleo roſato, aut maſticino; vel fiat emplaſtrum, & Recip. florũ camomillæ, ſertulæ campanæ, roſarum, ſtichados, betonicæ an. m.s. farinæ hordei, ſeminum lini, lentium an. vnc. j. fiat puluis ſubtiliſsimus, olei roſati, maſticini an. vnc. ij. croci ſcrup. s. rob quantum ſufficit, & ſecundùm artem fiat emplaſtrum ſub bona forma. Sedato dolore, vulnus medicamento aureo, aut baſilicone minori, ad ſanitatem perducatur; ſigilletur poſtmodum cerato de betonica, aut palmulato. ſcire tamen oportet, quòd modernorum opinio eſt, vt regio ſpinæ ſupra duodecimum ſpondile vulnerata, eandem requirat curationẽ, quæ cerebro vulnerato competere videtur: quæ verò infra eam ſituantur, ſimilem expoſcunt, quæ neruis ſauciatis adminiculo ſunt: etenim ſublimior cerebro multum aſsimilari videtur; ſi quidem mollis, & alba eſt, à qua nerui multi ſenſibus deſtinati originem ducunt. Inferior verò neruoſa, & dura exiſtit, & multam neruorum mouentium propaginem producit.

De Nucha ſecta, aut perforata, & ſanandi ratione. Cap. IX.

SI NVCHA ſecta, aut perforata fuerit, ea in vniuerſum ſeruanda ſunt, quæ paulò ante de ſpina lęſa diximus. ſingulatim poſtea, ſuppreſſo ſanguine, Recip. terebinthinę clarę, aut eius loco olei de terebinthina vnc ij. olei roſati omphacini vnc. j. aquæ ardentis vnc. s. miſce, & guttatim in vulnus tepidum imponatur; deſuper verò petia lata, ſiue linteolum ita amplum, vt vulnus non ſolùm, ſed vulneri proximas partes in trium digitorum latitudine contegat, cum vnguento diaphinicone, aut de betonica applicetur. Si verò vulneris diſpoſitio ſarcoticis, & cephalicis eguerit medicinis, ea quidem ſecundùm indigentiam adminiſtranda ſunt. Aliqui calcem aqua dulci ſæpè elotam hiſce vulneribus applicare auſi ſunt, quod fortaſſe in morbis extremis, ac omni ſpe deſtitutis felici ſucceſſu euenire poſſet.

ADDITIO.

a ¶ Lib. 1. prædict.

b ¶ 3. de loc. aff. cap. 10.

MEDVLLA ſpinę, ait Hippocrates, a ſi aliquo modo malè affecta fuerit, homo ſæpe cruribus impotens fit, vt neque, ſi tangatur, percipiat, & ventre, & veſica, vt circa prima tẽpora neq; ſtercus, neque vrinã egerat: cum autẽ vetuſtior factus fuerit morbus, & ſtercus, & vrinã prodit: moritur autem poſtea non multo interpoſito tempore. præterea, ait Galenus; b Vbi per tranſuerſas ſpinæ inciſiones ad medium vſque ſecundum longitudinem ſecaretur, non omnes ſuppoſitas corporis partes, ſed eas duntaxat, quæ e regione ſectionis erant, reſolui, dexteras quidem, dextera ſpinę parte diſſecta, ſiniſtras verò, vbi reliqua pars eſſet inciſa: vbi verò media eius proceſſus pars, fuerit affecta, non omnes inferiores partes reſoluuntur, ſed vel ſiniſtra duntaxat, uel dextera. ſi uerò ex toto diſſecta fuerit ſpina, aut moritur ęger, aut omnes inferiores partes reſoluuntur.

DE SEXTA INDICATIONE,

Quæ módum corrigendi accidentia manifeſtat. Cap. X.

VARIA ſunt ea ſymptomata, quæ thoraci poſt accepta vulnera euenire ſolẽt, quibus ſecundùm temporis inſtitutum ſubuenire oportet: quare hanc ſextam indicationem, quę eſt accidentium correctio, ſeu profligatio, aſſequimur, remedia cuique propria, prout res deſiderat, admouendo. Porrò hæc fieri ſolent vel ratione ſedis affectæ, vel vulneris magnitudine, vel patientis inobedientia, & prauo victus regimine, ſiue medici imperitia. Sunt hæc denique, copioſa ſanguinis emanatio, vulneris anguſtia, ſputum ſanguinolentum, conglobatus in pectore ſanguis, tuſsis aſsidua, deſtillatio, dolor crudelis, loci manifeſta inflãmatio, & vulneris oſtracoſa diſpoſitio. Et ſciẽdum, c quòd ille, cui occurrit vulnus in vẽtre ſuo, & accidit ei nauſea, aut ſingultus, aut ventris ſolutio, aut aliqua conuulſionis ſpecies, moritur. Et d quia nihil adeo omnẽ manuum operationem in corpore hominis turbare ſolet, ſicut ſanguiuis fluxus, ideo de hoc ſymptomate, tanquam de eo, quod inducias non admittit, nonnulla in primis dicere aggrediamur.

c ¶ Auic. 4. 4. tra.

d ¶ Celſ. libr. 5. cap. de flu. ſang. Gal. 7. de aggr. anat.

De

De Copioſo ſanguinis fluxu. Cap. XI.

COPIOSVM ſanguinis profluuium contingit aut à vena ſecta, aut ab arteria diuiſa, aut ab vtroq; vaſe ſimul vulnerato, nonnunquã verò ex pluribus, aut maioribus aut minoribus. ſanguinis eruptio etiã interdum accidit ex eo vulnere, quod cũ amiſſione ſubſtantiæ fit; ſæpe etiã ex eo, in quo nihil ſubſtantiæ deperditum eſt, ſed ſolum in eis anguſtum quoddam vulnus occurrit. adhuc vnuſquiſq; fluxus, aut à cauſa interna, quam Græci proigumenam, aut ab externa, quam procatarcticam vocant, prouenire ſolet; ſi ab extrinſeca, aut apparens eſt, & vnà cum vulnere reſidet, vt ſagitta, telum, globulus, aut quid ſimile, vnde maior profluuij abundãtia ſequi ſolet; aut non apparens, vt vulnus, contuſio, eroſio, ſphacelum, & huiuſmodi. Hæ quidem ſanguinis fluentis cauſæ, ac præcipuæ differentiæ ſunt, à quibus curandi indicationes ſumi debent: porrò [a] de interna, ſiue antecedenti (veluti ruptura illa, quam Græci anaſtomoſin vocant, cùm ſcilicet vaſa imbecilla ſint, aut ſanguis impetu quodam ruerit, vel aliqua acri qualitate præditus ſit, aut illa, quæ ab eiſdem diapedeſis dicitur, cum ſanguis ſudoris vice tranſcolatur, tunica venæ rarefacta, aut ſanguine attenuato, aut gracilibus vaſis adapertis) hic nihil ſumus dicturi, cum alibi copioſè omnia conſcripſerimus, ſed de exteriori, quæ neceſſariò in his affectibus occurrit, ſermocinari inſtituimus. Exit interdum ſanguis multus à ſpatijs intercoſtalibus, in quibus ſingulatim diſſeminata eſt vena, & arteria, interdumuè talis ad cauitatem deſcendit, & ſæuorum cauſa eſt accidentium: multoties effluit à venis internis magnis, & cauſam mortis producit. Supprimitur ſanguinis fluxus, obturato orificio, à quo emanat, quod ſit euulſa primò, ſi qua ibi cauſa coniuncta aderit, quam Græci ſynecticam vocant. ſecundò ſi vaſis orificium adeò vnitur, vt inde diduci nequeat: porrò [b] ſcire licet, quòd ſi à vena defluxerit, interdum ſupprimitur, præſertim ſi ex magnis venis non fluxerit; ſi verò amplæ fuerint venæ, & maximũ profluuium apparuerit, glutinari eas difficile quidem eſt. in arteria verò non ſolum difficile, ſed etiam quòd fieri omninò fortaſſe non poſsit, à multis iudicatum eſt; nam arteria de illis eſt, quorum conſolidatio non creditur; & ſi eius partes interdum vnitæ videntur, non ob id verè coeunt, ſed caro eam circundans, & continens, ſolidatur, vnde ſanguinis hęmoraggia prohibetur. ex duplici tunica componitur arteria, quarum vna cartilaginis naturam quoquomodo ſapit, ob id curationi rebellis redditur; in pueris tamen, mulieribus, ac tenuibus corporibus experimento, ac ratione cõprobatũ eſt, vulneratam arteriam conſolidationem contraxiſſe, eius duritie, motu perpetuo, ac ſanguinis ſpirituoſi repletione non obſtante; experimento, nam id eueniſſe in fronte, malleolo, brachij articulo, & ſummæ manus medio compertũ habetur: ratione, ſiquidem arteriæ natura difficultatem quidem durioris naturæ ſuæ conglutinandæ prorſus indicat, non tamen eiuſmodi, quę euinci omninò nequeat, neque etiam ita ſicca eſt, duraque, vt os vel cartilago, immo longè his mollior, ac magis carnoſa, quo vtique minus de vnienda eius ſectione eſt deſperandum, vbi tum ipſa ſit parua, nec admodum lacerata, tum infirmi corpus natura molle, & boni habitus. Dignoſcitur arteria adaperta ex ſanguinis fluentis colore, ſubſtantia, & modo fluendi; ſiquidẽ ſanguis arterialis in colore, rubicundus, aut floridus, & clarus eſt; in ſubſtãtia feruens, ſubtilis, rarus, & ſpumoſus: in modo fluendi, quia cum ſaltu, impetu, & pulſu effluit, interdumuè per circuitũ, ac interpollatè mouetur; qui verò à vena emanat, quietus, craſſus, ac nigredinem declinans, & multus eſt. Omnis [c] ſanguinis euacuatio, præſertim arterialis, verenda eſt, & magis ſi delirium, ſingultus, aut conuulſio aliqua ſubſequitur: vbi verò fluentis ſanguinis effectrix cauſa deſierit, primùm ſiſtere ſanguinem expedit, poſtea laceratum vulnus ſecundùm eius opportunitatem regere. Siſtitur ſanguis (ait Hippocrates) [d] animi deliquio, figura alterata, interceptione, linamentis intortis, oppoſitione, & deligationibus; quod etiam innuit Galenus [e] ſub duplici modo, & primus localis dicitur, nempe obturato, ſcilicet quod perruptum erat, & clauſo vulnere, aut eius labris, quæ diſsident, in idem adductis, præſertim opera, manu medici, vbi vulnus admanum ſe exhibet, aut conuenienti deligatione, aut ijs remedijs, quę refrigerant, & aſtringunt, aut oſculo vulneris obturato & obſtructo, ſanguine ipſo concreto, qui thrombos Græcè dicitur, aut ijs, quæ foris illi imponuntur; veluti carnoſæ partes circa vulnus ortæ, aut in nonnullis ipſa cutis, vel his medicamentis, quæ comminiſcimur, ſicuti linamenta, aut medicamenti emplaſtica, quæ ex lenta, craſſaquè ſubſtantia conſiſtunt; quare meatus obſtruunt, aut cruſtam faciunt, quam Græci eſcharam dicunt, ſicuti ignis, aut ea medicamenta, quibus ignea vis ineſt; porrò his præſidijs, ac ingenijs vti ſoliti ſumus in contuſis, ac laceratis venis, aut arterijs, præſertim carne attrita, ac diuiſa exiſtente: ſecundus modus diuerſiuus vocitatur, & hic duplex eſt. nam auertunt nonnulla, & ad contrarium trahunt, citra vllam extra corpus euacuationem, vt ſunt cucurbitulæ ſiccæ, aut cum flamma admotæ, frictiones, & ligaturę, primum in propinquioribus partibus factæ, deinde in remotioribus, balnea denique, & oppoſitus vulneratæ ſedis ſitus. Auertunt quippe alia cum manifeſta euacuatione, atque ad alia membra conuertunt, tum ad proxima deriuando, tum ad contraria reuellendo, vt venæ inciſæ, quæ profluuij è directo reſpondent, ac ipſis partibus ſanguinẽ fundentibus coniunctę ſunt: cucurbitulæ pariter ſcarificatæ, ſcarificationes interdum leues, interdum profundæ, vomitus etiam, ac

a ¶Gal. 5. met. cap. 2.

b ¶Galen. 5. meth. ca. 7. Auic. 4. 4. tr 1. cap. 1. & tr. 2. cap. 16.

c ¶Hipp. 5. Apho. 3. & 4.

d ¶6. de morb. pop. ſec. 7. Gal. 5 meth. cap. 5.

e ¶5. meth. c. 3.

a ¶ Ga. 5. meth. cap. 3.
b ¶ Galen. 4. de loc. aff. ca. 6. Auic. 10. 3. tra. 3. cap. 4.
c ¶ Gale. 5. metho. cap. 4. & li. de ſang. miſſ.
d ¶ Aet. lib. 8. c. 63. Paul. libr. 5. cap. 31.
e ¶ Auicen. 4. 4. cap. 7.
f ¶ Galen. 7. de comp. med. ſecundum loc.

alui copioſum profluuium: deriuatio [a] ad latus,& ad proxima loca fit,reuulſio ad contraria,& remotiora, illam parocheteuſin, hanc antiſpaſin Gręci vocant: iccirco non eſt inconueniens interdum pectore vulnerato, ſaphenam aperire, tenuiſsimo victus regimine vti, & ſemper ſilere. nam [b] thoracis diſrupta vaſa, à quibus ſanguis expuitur, magna ex parte glutinantur: cohibetur [c] verò extrinſeca effuſio ſola oui parte candida contuſa, applicata; aut addito aloe, maſtice, boloarmeno, farina volatili, ac leporũ pilis minutiſsimè inciſis; aut fiat puluis ex minuto thure, aloe, gipſo, & colcothar, additis leporinis pilis, quàm molliſsimis cum oui albumine contuſo vſque ad mellis conſiſtentiam. Si verò [d] interius ex thorace manauerit, patiẽti exhibeatur lapidis hęmatitis ſcrup. j. cum ſucco portulacæ, aut [e] de ſemine hyoſcyami albi ad pondus granorum duorum hordei cum aqua mellis, aut [f] fiant trochiſci ex acacia, roſis ſiccis, balauſtijs, gummi, tragacantha cum aqua pluuiali. aut Recip. radicum conſolidę vn. 6. balauſtiorum drag. ij. aquę ſextarium vnum, coquito ad tertias, expreſſoquè ſucco, adiicito amili drag. j. gummi ſplẽdidi dra. ij. datoquè potui cũ aqua plantaginis, aut portulacæ ad põdus duarũ dragmarũ: laudãtur trochiſci de Karabe, de terra ſigillata, & diadragantũ cum bolo armeno. Probatur ſummopere portulaca, cẽtinodia, & ſuper omnia ſaccharum roſatum antiquum: foris autem pectori irrigatio adhibenda eſt, ex vino nigro aſtringente, aut ex oleo roſato, & myrtino, addito bolo armeno. de ligatura, digiti ad motione, ſutura, venę præciſione; de laqueatione, & vſtione, ſi in profundo deliteſcunt venę, nihil dicere expedit, ſed ea tantum ſufficiunt, quę ore ſumuntur: exterius verò, quæ loco affecto applicantur.

De Vulneris anguſtia. Cap. XII.

SAEPE accidit, vt vulnus anguſtum fiat, aut quia telum lædens acutum & ſubtile fuerit, aut quia coſta aliqua depreſſa aut fracta reperitur, vel muſculi intercoſtales, aut panniculus ille, qui pectus interius circumſcribit, pleura vocatus, intumuerit, aut vulnus obliquè inceſſerit, aut caro aliqua ſupernata fuerit, ſpecillum, aut cerea candelula, aut penicillum, ſiue aliud inſtrumẽtum in vulnus ingredi nequit; igitur, vt extra uenas exiſtens ſanguis, aut materia alia diuerſa in pectoris clibano coaceruata commodè extrahi, & medicamenta inijci poſsint, anguſtum vulneris orificium aut incidente ferro frigido, vel ignito, ſi decet, aut turundis, ſiue penicillis, ſi expedit; aut corroſiuis medicinis, ſi conuenit, ampliare neceſſe eſt; atque magis ſi alicuius viſceris pars aliqua exierit, nec in propriam ſedem remitti poſsit, & ſęua ſuperuenerint accidentia. Porrò accommodatum inſtrumentum ad has ſectiones illud eſt, quod Gręci ſyringothomum, Arabes embula, & Latini manubriolum vocant; idquè pariter quia curuum eſt, ac lunæ effigiem imitatur, ſcolopomacherion Gręci, gamedin Arabes, & ſpatumen curuum Latini dicunt, quorũ effigies, capite ſeptimo libri primi diximus in officina delineatas. ſitq; nobis memorię, dũ hiſce inſtrumẽtis ſecare voluerimus, ne alicui nobiliũ viſcerũ nocumenta præſtemus. ob id in eorum cuſpide acuta ceræ albæ parum applicemus. Turundę fiunt ex marina ſpongia filo circumuoluta, & adeò ſtricta, vt in turundę formam fuerit redacta. aut ex radice gentianæ, aut ariſtolochiæ longæ, aut ex medulla ſurgi compreſſa, aut alterius rei, quę recepta humiditate tumeat, & vulnus latius reddat. Hæ ſucceſsiuè grandiores fieri poſſunt, ſed prius cerea candedula imponatur, & iter pręparetur, & per diem intus ſeruetur, inde turundæ immittantur. Si verò coſta aliqua aut fracta, aut depreſſa fuerit, omni ingenio ſtudendum eſt, vt eleuetur, aut ita ſituetur, vt callus gigni poſsit. Si autem caro aliqua aut lacerata, aut ſuperaddita penetrationi obſtiterit, aliquo medicamento epirotico, ſiue corrodente, quale eſt alumen liquidum, aut æris ſquamma præparata, tollatur. At ſi patientis timiditas, aut vehemens dolor, aut ſedis affectę natura has non admiſerit operationes, tunc lichinia, ſiue turundæ imponantur cum roſaceo, & oui luteo, donec vulnus ad conuenientem dilatationem deuenerit.

De Sanguine conglobato. Cap. XIII.

g ¶ Aet. lib. 8. a 61. Paul. lib. 3. cap. 45.

SI ſanguis in caua pectoris parte conglobatus fuerit ita, quòd nullo modo inde euelli poſsit, & tuſsis appareat, laterum grauitas, febris, ac ſpirandi difficultas, danda eſt patienti, auctore Galeno, poſca, aut oxymellites cum decocto hyſopi, nec obſtat bis, teruè mane, ac veſperi hanc potionem iterare. aut Recip. ex Guidone, & Almerico radicũ caudæ equinæ vnc. j. oſmundi, ſpecies filicis eſt, drag. iij. draguntij drag. j. coquantur cum vino & melle, & coletur, & da huius decocti, veſperi, patienti cyathum vnum tepidum. fortaſsis enim copioſè ſudabit: ea medicamenta conuenire dictum eſt à medicis, quæ incidunt, & attenuant, & ſudorem, aut lotium cient. Exhibent igitur nonnulli [g] coaguli leporis per ſe ſcrup. j. aut drag. s. cum aqua hyſſopi, aut aceto & melle: probant etiam interdum drag. j. Theriacæ antiquæ cum aqua ſcabioſæ. Noſtræ ætatis Medici laudant rhabarbarum, aut rhaponticum, veluti Recip. reubarbari electi drag. s. erytrodani, mumiæ an. ſcrup. j. terræ ſigillatæ ſcrup. s. aquæ ſcabioſæ vnc. ij. miſce, & fiat potio, quæ ſummo mane accipiatur: exterius verò hordeacea aqua cum oxymel-

lite per ſyringam iniiciatur, aut aliquod decoctum, quod magis incidat, veluti hoc. Recip. radicũ tormentillæ, Caryophyllatæ, conſolidę maioris an.m.s. hordei cum corticibus p.s. bulliant in aqua ſcabioſæ, & coletur, & adde oximellis ſimplicis vnc.ii. ſyrupi roſati s. vn.i. & vtere ſępe cum iniectorio iniiciẽdo, ac vltimò aliquid intus relinquendo, & vulnus claudendo, donec decoctum ab omni immunditie denudatum exierit, & quòd pectus à ſuperfluitatibus exinanitum fuerit, certus eris.

De Sputo ſanguineo. Cap. XIIII.

SEQVITVR interdum, quòd venulæ, quæ in profundo pectoris locantur, vulnerentur, nec perfectè conſolidentur: quare paulatim, ſed perpetuò ſanguinem fundunt, qui poſtea per ſputum tuſsiendo expurgatur, & hinc eſt, quòd ſputum ſanguinolentum apparet. Tollitur [a] hoc ſymptoma medicinis ſtipticis, & aſtringentibus, quæ ob id pectori noxam non inferant, quale eſt diadragantum rubeum, trochiſci de terra ſigillata, aut de Karabe, aut de ſpodio ad pondus drag.j. cum aqua plantaginis, aut portulacæ. aut Recip. thuris, ſanguinis draconis an. drag.iij. terrę ſigillatę, raued ſeni an.drag.ij. Karabe, balauſtiorum an.dra.j. opij drag. s. fiant paſtilli cum ſucco ozymi maioris, aut portulacę, & quotidiè vnus cum vino nigro auſtero ſumatur, aut cum decocto malorum, vel baccarum myrti, aut alterius eiuſdem aſtringentis, quod [b] mirabiliter etiam facit portulaca comeſta, & ſuccus eius bibitus efficacior exiſtit. Si verò hęc non proſunt, ad athanaſiam Nicolai, aut ad philonium perſicum Meſues deuenire oportet; recens etiam theriaca prodeſſe ſolet: mittatur ſanguis non multus ſimul, ſed per interualla, ex iecoraria vena modò dextri, modò ſiniſtri cubiti: diuerſiones à longinquioribus fiant, ac adiutoriorum, & coxarum partes ſublimiores laqueentur: thorax aceto roſato, aqua portulacæ, & oui albumine epithymetur, aut oleo myrtino, roſaceo crudo, & nenupharino inungatur: patiens ſupinus iaceat, ſileat, & omnino quieſcat: victus tenuis ſit: auena, aut hordeum cum ſucco amygdalarum ſit eius cibus, ſuperpoſito puluere aliquo aſtringente, nempè nucleorũ mali punici acidi, vel rhoi, vel fructuum myrti, qui præ alijs ſummoperè laudatur, aut coriandrorum, & maſticis: fugienda tamen ſunt quæ ingrata ſunt guſtui, ne tuſsim, aut vomitũ irritent, verùm, ſi aliqua adfuerit indigentia, nam vt dictum eſt; [c] Primum periculum in ſanguinis ſputo eſt, ne vltra modũ eius fiat euacuatio. magna enim pulmonum, ac pectoris vaſa exiſtunt, ac arteriarum ſpeciem habentia: pedes, ac extrema animalium in chalybeata aqua decocta concedantur; in eaque & priſana, & pultes ex amyli farina, aut hordeacea parentur. pariter & condrum, ſiue oriza, & cucurbita exhiberi poteſt. Potus eſto aqua chalybeata, aut in qua aurum fuerit extinctum, addito zulapio, aut ſaccharo roſato, aut ſyrupo myrtino; aut, vrgente neceſsitate, vinum nigrum, & pauciferum concedatur, pręſertim ſi ſanguis ab aliqua thoracis venula prodierit, qui & nigrior, & iam in cumulos coactus cum tuſsi, & dolore, nec abſque fœtido aliquo odore, educitur: ſi verò clarus, ſpumoſus, ac ſine dolore tusſiendo eijcitur, eius eductio à pulmone fit.

[a] ¶ Galen.7.de comp.med.ſecũdum loc.4. de not.loc.aff.cap. 6.5.meth. ca.3. Aet.lib.8.ca.59. 62.Paul.lib.3.c. 31.Auicẽ.10.3. tra.3.cap.4.

[b] ¶ Dioſc.lib.2. cap.138. Gal.6. de ſimp.med.c. de Andrachne.

[c] ¶ Galen.7.de comp.med.ſecũdum loc.

De Deſtillatione, ſeu catarrhali defluxu. Cap. XV.

DESCENDIT interdum à capite ad pectus materia aliqua ſubtilis aut baurachina, quæ pulmonum vulneris ſanationem impedire ſolet. nã deſtillatio, ſiue catarrhus, vt Græci dicunt, tuſsim cõmouet, quæ vulnus dilaniat, ſomnum impedit, & digeſtionem corrumpit. ob id, vt catarrhus ſiſtaturꝰ, & ne amplius defluat, diligentem animaduerſionem habere conuenit, eoque magis, ſi aut ſuffocationem, aut viſcerum læſionem timuerimus. Rectè igitur firmabitur, ſi prius & cauſa, & humoris natura cognita fuerit; ſed quia in his vt plurimum fluxio calida exiſtit, præmiſſo victus regimine, quod tenue eſſe debet, ad quandam tenuitatem vergente, ac cephalica vena aperta, niſi acris admodum deſtillatio fuerit, adhibitiſque clyſteribus acribus, ac omnibus partibus corporis, capite tantùm excepto, confrictis oleo veteri, aut cicionio manibus inunctis, omnique induſtria retractis fluxionibus extremorum ligaturis, cucurbitulis, & caputpurgijs, veluti eſt violarũ, aut hordei aqua, quæ nares dilatet, & viam liberam det, vt materia per has effluere poſsit, aut butyrum intra nares dato, cui octaua pars elacterij ſit adiecta. poſtmodum deſtillationem ſiſtere oportet his præcipuè, quæ retinent & craſſum faciunt, nec vulneri noxam ferant, ſicuti eſt bolus armenus, ſpica, thus, maſtix, ſuccus glyzyrrhizæ, gummi, tragacantha, diapenidion, diadragantum, & trochleæ bechichæ in ore retentæ, confert etiam ad hoc ſyrupus de glycyrrhiza, myrtinus, violaceus, & papauerinus: vltimò verò huic diſpoſitioni ſuffragantur pilulæ de cynogloſſa vſque ad drag.j.s. quę non frequenter, ſed raro, exhiberi debẽt: vbi verò copioſa ex capite in pulmones defluxio fuerit, præſtat medicamentũ diacodion, quod ex melle conficitur. Si autem ex his deſtillatio non ſiſtatur, deraſis ſupra coronalem ſuturã capillis, ſpargatur puluis & ſandaracha, Arabum maſtice, balauſtijs, & bolo armeno; &, ſi hęc nõ iuuant, capiti emplaſtrũ applicetur ex thapſia, aut ex fimo colũbino ſylueſtri, aut fiat cauterium ſupra ipſam cõmiſſurã coronalẽ.

[d] ¶ Galen.7.de cõp.med. ſecũdum locos. Aet. lib.8.c.60. Paul. lib.3.cap.31.

De tuſsi moleſta. Cap. XVI.

a ¶ Galen. 7. de comp.med.ſecũdum locos,& 2. de ſympt. cau. Aet.lib.8.ca.54 Paul.lib. 3. cap. 28.Auicẽ.10. 3. tra.3.cap.1.

TVssis a vehementiſsima efflatio eſt,& motus,quo natura cum plurimo ſpiritu celerrimè foras erumpente,impetu ſuo excrementa à pectore, & pulmonibus expellit: Tuſsis eſt motus pectoris, ſicut ſternutatio cerebri, ad profligandum nociua: perficitur pectoris dilatatione, & conſtrictione,ac ſuorum velaminum motu, fitque aut propter materiam pulmonum propriam, aut ex deſtillatione, vel affinitate, & conſortio alterius partis: quare cùm vtroque modo potens cauſa ſit vulneris pectoris ſanationes prohibendi, illi accuratiſsimè incumbere licet: quocirca præmiſſo regimine in ſex rebus non naturalibus, vt de catarrho dictum eſt, inungatur pectus, ſi aliqua repletio adeſt, oleo violarum, amygdalarum dulcium, butyro recenti, pinguedine gallinæ, & mucillagine althææ, aut vſitato vnguento pectori conferente. Exhibeatur ſummo mane ſyrupus de glycyrrhiza, capillo Veneris, violaceus compoſitus,aut ſimilis: ſæpe in ore ſaponeam teneat, diadragantum,diapenidion, aut loch de pino, aut de pulmone vulpis. Si autem humorum copia apparuerit, ea euacuanda eſt,aut per internas, aut per externas regiones, vt ſupra explicauimus. ſed cùm ab aliqua frigida intemperie originem traxerit,regatur medicinis prædictis, quę breuiori tempore,quo poteſt,dimittantur, & vulnus hoc interim opportunè,vt decet, regatur.

De dolore. Cap. XVII.

a ¶ Galen.2.de loc.aff.cap.1. 2. de cõp.med.ſecundum loc.Auic.4.1 cap. 30.

MOlestissimvm accidens triſtis ſenſus eſt,qui à Medicis dolor vocitatur; ſiquidem, cùm acutus eſt, inducias non expectat: proinde ſumma cura protinus adhibenda eſt,vt tale accidẽs demulceatur,aut in totum,ſi fieri poteſt,abſumatur,quod b opus tribus ingenijs celebrari ſolet, nempe medicinis anodynis,id eſt, dolores ſedantibus, & temperaturam inæqualem permutantibus, aut doloris cauſam diſcutientibus,ac diſsipantibus,aut membrum ſtupidum, & ſine ſenſu reddentibus.Iccircò ſi cauſa nota fuerit,veluti illa,quam iſti coniunctam vocant,tollatur tutò, & ſine dolore; ſi autem occulta fuerit,pręmiſſa,vt decet,euacuatione,anodynis vti primò opus eſt, ſub forma inunctionis,aut fomenti, aut cataplaſmatis; Ergo hyeme,auctore Galeno, locum in orbem oleo nardino,aut mellino,aut camomellino madefacito,æſtate verò violaceo,aut roſaceo: fomenta fiunt adhibita lana oleo communi, aut camomellino calido infuſa, aut ſpongia in decocto acanthi, althææ, violarum, meliloti,& fœnugræci madefacta: porrò ex his,aut ſimilibus plantis pariter cataplaſmata parantur,addito oleo maſticino,roſaceo,ſapa,farina hordeacea,ſemine lini,ouorum luteis,& croco. Narcotica verò,ſeu ſtuporem inducentia, nullo modo probantur: verùm, ſi aliqua de cauſa fuerint opportuna, non excedant oleum ex nimphea,aut de papauere, aut triturentur folia hyoſcyami cum oleo violato, farina hordei & croco. Si autem dolor diu perſeuerauerit, ad nouas corporis euacuationes redire expedit, ſanguinem,ſi nihil obſtat,mittendo,aut aluum ducendo aut agarico, aut reubarbaro. vulnus verò ſecundùm indigentiam regatur, & bis,aut ter in die,mederi oportet.

De inflammatioue, Cap. XVIII.

DImensiones præternaturales in longo,lato,& profundo,quas Græci apoſtemata,Arabes dubelet,& aldubelati, & Latini tumores non naturales,aut abſceſſus, ſiue inflammationes appellant,cum thoracis vulneribus occurrunt, plerunque à materia calida producuntur, & maximum ſecum afferunt timorem, præſertim ſi oſſa, vel nerui, vel venæ, vel arteriæ, vel lacertorum capita affliguntur,aut vbi parum ſanguinis pro vulneris modo fluxerit,aut cum interna,ac primaria membra patiuntur. Ex his,quæ exterius naſcuntur, ſenſu viſus, ac tactus dignoſcuntur; ſi verò intimè oriuntur, aliquibus proprijs ſymptomatibus declarantur. quippe dolores interni in principio debiles, deinde fortiores apparent,horripilationes,febres ardentes,viſcerum grauitas,pulſuum durities, difficultates anhelitus,inquietudo maxima,tuſsis ſicca,& vt plurimum vulneratorum pernicies. Quoties ergo de aliqua inflammatione occulta dubitatur, ſtatim ſanguis è brachio mitti debet,vtique ſi corpus iuuenile & robuſtum, ac exercitatum fuerit,multoque magis ſi ebrietas præceſſerit; diæta inſtituatur tenuiſsima, diuerſionum omni genere vtendum, corpus caſsia,aut manna,aut ſyrupo roſato ſolutiuo purgetur, ac tandem ea omnia, quæ in initio inflammationum ſunt opportuna,obſeruentur.Si autem inflammatio externas occupauerit partes, & cauſa humorillioſus fuerit, eryſipelas, aut herpes procreabitur, & tunc pariter tenuiſsimo victu vtendum eſt,frigiditatem quandam præ ſe ferẽte:ſanguinem ex talo,aut oppoſita parte mittere conuenit. Si autem corpus cacochymum fuerit,aut prauis ſcateat humoribus, medicamento colagogo, id eſt, bilem educente, euacuetur: rubor verò ipſe violaco, aut nenupharino oleo,

oleo, aut roſaceo vnguento ſæpius inungatur. Porrò ſi phlegmon, id eſt ſanguinea inflammatio, incæperit, mittatur ſanguis, & fluxio temperatè inhibeatur roſaceo, myrtino, & maſticino oleo, addita boli armeni portiuncula. Si ad ſtatum deuenerit tumor, ſuppurationi præparetur, ſuperpoſito emplaſtro macedonico, quod triapharmacum vocant, ex rodeolo, farina triticea, & decocto radicum altheæ, & caricarum pinguium. Sanie concocta, in loco opportuno fiat ſectio, inde præparetur, poſtea noua carne repleatur, vltimò ſigilletur ſemper vulnere non neglecto, ſed diligenter curato.

De Duritie labrorum vulneris. Cap. XIX.

CVM diu permanſerit vulnus, neque ad cicatricem deuenerit, eius labra duritiem quandam obducunt, inde remanet affectus, quem Græci coriadan, & Latini fiſtulã vocant. Sinus quidem eſt profundus, anguſtus, cuius labra rotunda, & dura fiſtulæ arundineæ formam præſeferunt: Indicia ſunt labra decolorata, saniei penuria, nullus ſenſus, & durities manifeſta: Quare tunc fiſtularum more curari debent, duritiem primò, aut calloſitatem remouendo, quæ vlcus tale cacoethes, id eſt difficilis curationis, reddunt, & eſt ſymptoma, ſine quo non celebratur hoc opus, ſumpta indicatione à calli natura, & quantitate, & nunquid in labris, an circa ea conſiſtat, vnguentis, pulueribus, humidis liquoribus, interdum etiam ſcarificatione, & cauterijs. Verùm in hoc ægri animus conſulendus eſt. Sed à leuioribus initium capiendo, ſi durities mediocris fuerit, vnguenta, quæ magis probantur, & vſui ſeruantur, ſunt damaſcenum, apoſtolorum, ceraſeos, & Iſis, quæ omnia cognata ſunt; fortius verò in duriori eſt vnguentum ægyptiacum, aut cauterij: pulueres parantur ex radice maioris centaurij, aſfodelli, ſpondilij, nigri veratri, hydrargyro præparato, quod præcipitatum vocant, ex calcanto vſto, aut ſquamma æris præparata, & rebus ſimilibus: trochiſci etiam de minio, qui celebres admodum ſunt, vel radices ipſæ, imponantur, quę mirificè operantur. Si hæc non iuuant, poſtquã partes circũ iacentes proprijs defenſiuis fuerint munitę, alicuius cauterij potentialis portiunculam cum fermẽto miſce, aut ſublimati granum cum butyro, aut vnguento ceruſſato compone, & fiat opus: ex liquidis liquoribus acida muria, aqua aluminis, aqua plantaginis cum pauco arſenico, aqua, qua aurum ab argento ſeparatur, fortis nuncupata, addita aqua roſacea, aut vino maluatico: hęc adminiſtranda ſunt, prout calli conſulit durities. Abſumpto callo, patienti aliquod decoctum, aut pigmentum, vt in capite quarto de ſcripſimus, exhibeatur, vt aduentitiæ humiditates, quæ perpetuò ad ſedem affectam defluunt, exſiccentur, & partes internę rectificentur, & patiens ad ſanitatem perducatur, quod nobis multoties cum auxilio Dei omnipotentis, & Mariæ ſemper virginis, cum honore, & patientis vtilitate, bene ſucceſsit.

ADDITIO.

SOLENT nonnunquam inter coſtas fiſtulę ſubterexire; quod vbi accidit, eo loco coſta ab vtraque parte decidenda, & eximenda eſt, ne quid intus corruptum relinquatur. Solent hę, vbi coſtas pertranſierint, ſeptum id, quod tranſuerſum à ſuperioribus viſceribus inteſtina diſcernit, violare, quod intelligi, & ex loco, & ex magnitudine doloris poteſt, & quia interdum ſpiritus eo cũ humore quaſi bullante prorumpit, maximeque ſi hunc ore ille continuit, in eò medicaminum locus nullus eſt, & pinguia omnia inimica ſunt; probantur tamen manuum operationes, coſtas, & oſſa omnia corrupta extrahendo, cæteris poſtmodum, quę vulneribus accõmodantur, inde vti licet.

¶Hipp. lib. de fiſtulis Celſ. li. 7. cap. 4. Gal. 5. de loc. aff. cap. 2. & 5. meth. ca. 8. & 7. de aggr. anat. Auic. 4. 4. tr. 3. cap. 10.

Occurrit etiam interdum, vt ab acuto telo, coſta aliqua vtrobique perforetur, & ob id materiæ extra venas egreſſæ magna cum difficultate euacuari poſsint, quare non ab re eſt terebris ad hoc paratis, orificium in oſſe ampliare, quę ſub formis conſtruuntur in officina delineatis, inde omnia habentur, quę pariter in alijs penetrantibus vulneribus adimpleri ſolent.

Hipp. lib. de internis affectib.

CHIRVR-

CHIRVRGIAE

IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI,

Tractatus Secundus.

De vulneribus.

LIBER QVINTVS.

De Curatione vulnerum infimi ventris, & ſuarum partium. Cap. Primum.

a ¶ Hipp. lib. de loc. in homine. Plato ī Thimęo Gale. 1. de not. loc. aff. cap. 1. & 1. de cōp. med. ſecundū locos.
b ¶ Gal. lib. art. par. med. ca. 75. & de loc. affec. cap. 1. Auic. 2. 1. tr. 3. ſu. 1. c. 11.
c ¶ Ariſt. 1. de hiſt. animal. c. 8. Gal. 2. Aphor. cō. 35. & 7. aph. com. 56.
d ¶ Gal. 6. met. cap. 4. 5. de loc. aff. ca 6. & 5. de vſu part.

HVMANI corporis partes antiqui [a] locos appellabant, & quàm diligentiſsimè affectus illis euenire ſolitos, per propria ſigna noſcere ſtuduerunt; quippe pro locorum differentia, affectuum curationem variari contingit: iccirco [b] quia partes in ſuperficie ſitæ, vnà cum ſuarum paſsionum natura, quam iſti eſſentiam vocant, facilè ſenſibus deprehenduntur, nec multa egent perſcrutatione; quæ verò in imo corporis deliteſcunt, ac viſum effugiunt, exercitatæ cognitionis virum deſiderant, cum in partis naturæ, ſubſtantiæ, actionis, ſitus, ac exeūtium cognitione, quæ ex anatome apprehenduntur, tum medendo opportunis indicationibus, & manuū operatione conſiſtūt. Hac de re cū infimi ventris, & ſuorum locorū vulnera, ac eorum curationes explicare propoſuimus, primò quid per ventrē, ac in eo contenta intelligendum ſit, enarrare decreuimus. Per hanc [c] igitur partem, eam totam accipimus regionem, in qua à diaphragmate infra, vſque ad pubis os, naturalia, ſiue genitalia, aut nutririua membra, ac his ſeruientia, conſeruantur, nempe Iecur, Ventriculus, Lien, Renes, Inteſtina, Vterus, Veſica, Pori Vritides, Seminis Vaſa, Meſenterium, Omentum, Venæ, ac Arterię multæ, magnæ, ac profundæ, adde & Teſtes. Membrum, quod hæc omnia continet, cooperit, & conſeruat, à Græcis epigaſtrion, à Latinis abdomen, ab Arabibus mirach vocatur: cōponitur [d] ex duplici cute, exteriori pinguedine copioſa, membraneo muſculo, quem iſti panniculum carnoſum, & inuolucrum totius appellant, ac lacertis octo diuerſimodè procedentibus. huic ſubijcitur membrana quædam pertenuis, veluti aranea, totum ſubcingens ventrem, & interiora omnia continens, ac ſi eorum eſſet marſupium, aut indumentum, à Grę cis peritoneon, à Latinis abdominis membrana, ab Arabibus Siphac dicitur: ob id affectus in ſoluta continuitate, qui huic occurrunt ventri, non minorem in curatione afferunt difficultatē ac timorem, quàm qui thoracem offendunt, & Soſtratus eos inſanabiles credidit. attamen id non ex toto ita ſe habere vſus oſtendit: porrò abdominis continuum ſoluitur tripliciter, cum vel nulla adſit penetratio, & vulnus ferè ſimplex ſit, vel cum vſque ad cauitatem, ſiue viſcerum læſionem peruenerit, vel cum interna membra ex accepto vulnere lædantur. Harum læſionem prima ſenſibus facilè dignoſcitur, & eam alijs comparando, leuis admodum paſsio iudicatur, & niſi timidus æger ſit, aut valdè imbecillus, aut Chirurgus imprudens, nullum, aut paruum poteſt inferre timorem. quæ penetrant, ac cauitatem at-

tingunt,

tingunt, ob ſanguinis maximam copiam, aut internorum alterationem, aut ictum, non niſi vehemens incommodum, ac periculum adducunt. Et quia hæ læſiones ſenſibus non dignoſcuntur, opus eſt, vt aliquibus proprijs ſymptomatibus manifeſtentur. Prius ergo ſigna deſcribenda veniunt, quæ penetrans vulnus oſtendere poſſunt. poſtea neceſſarium eſt, notas ſubijcere, per quas quid intus factum ſit, ſcire poſsimus, & quę viſcera patiantur, dignoſcamus: quorum paſsiones vt rectè pernotentur, eorum ſitus, magnitudinis, coniunctionis, operationum, ac excrementorum cognitio, admodum neceſſaria eſt, ex quibus etiam vel ſpes vitæ, vel deſperatio, oritur.

De Infimi ventris vulnerum penetrantium, ſignis. Cap. II.

LAESIONES, quę ventris cauitatem non attingunt, inter ſimplicia vulnera numerantur, & ſenſibus deprehenduntur, aut minima quadam inquiſitione rectè dignoſcuntur, ſed quæ ad cauitatem perueniunt, quattuor medijs dijudicãtur, nempè viſu, cum ſectio ſatis ampla fuerit, aut ſi omentum, vel inteſtina exierint: interdũ tactu, dum digitus, aut ſpecillus, aut candelula cerea facillimè intus penetrauerit: ſæpenumerò coniecturam ab inſtrumento lædente accipimus, ſi telum longum, ſubtile, & acutum fuerit: ac à brachio valido, in detecto corpore, & tenui abdomine, infixum fuerit: vt plurimum verò ex ſymptomatum natura, penetratio manifeſtatur, cum alicuius internæ lęſionis nutrientium membrorum aliquod proprium ſymptoma apparuerit, vt infra ſingulatim clarè demonſtrabimus, quæ interdum citò, interdum ſerò manifeſtari ſolent.

De Ventriculi læſi Indicijs. Cap. III.

VBI [a] ventriculus, ſiue ſtomachus, percuſſus eſt, ſingultus, & bilis vomitus inſequitur; & ſi quid cibi, vel potionis aſſumptum eſt, id citò redditur. nam ad cibum deſtinatus locus cum vulneratur, illum nec conficit, nec continet. eſt [b] enim promptuarium alimenta vniuerſa excipiens, & neceſſarium cibi conceptaculum: ab eo non magna ſanguinis eruptio emanat, graciles enim ſunt ſtomachi venę: dolet, & agitatur, ex quo facilè inflammari poteſt. venarum motus elangueſcunt, ſudores tenues oriuntur, per quos extremę partes frigeſcunt: interdum [c] chilus, ſiue incoctus cibus, per vulnus emittitur, ſputum [d] ſanguineum, & dolor crudelis apparet, ita vt cor ſibi mordicari videatur, præcordia indureſcunt, & vulnus ſub ſternone, ſiue bifurcali cartilagine, ac in media regione, imprimitur. hoc diſciſſo, mors citò ſubſequitur, nam inſtrumentum primæ concoctionis eſt. vniuerſum cibum recipit, & illum accuratè elaborat, & quid in eo inutile reperitur, atque excremẽtitium, deorſum pellit; quod verò benignum, ac vtile, ad corporis nutritionem conſeruat. rotundus, ac ferè oblongus, & cauus eſt, duabus tunicis contextus, ęſophagi tunicis ſimilibus, internis mèmbranoſior eſt, villis rectis quamplurimis deorſum tendentibus intertexta externis carnoſior, & villos tranſuerſos habet: quare ſylueſtris pars vulnerata, redimi poteſt: domeſtica verò, quia neruoſa, aut rarò, aut nunquam conſolidatur, idq́; magis, quia [e] varijs perpetuò repletur humoribus, vnde poſtea febris, vertigines, ſyncopa, id eſt, animi defectus, ſingultus, nauſea, & ea praua accidentia, quæ in cordis affectibus apparere ſolent, oriuntur. Hæc ventriculo grauiter, ac intimè vulnerato ſupernaſcuntur.

a ¶ Celſ. lib. 5. cap. 261.

b ¶ Ariſt. 3. de par. ani. ca. 10. Galen. 4. de vſu par. circa principium.

c ¶ Ariſto. 3. de par. ani. c. 3. Gal. 1. de lo. aff. cap. 1. Paul. li. 6. cap. 88.

d ¶ Gal. 5. de lo. aff. cap. 6.

e ¶ Gal. 5 de no loc. aff. cap. 6.

De Hepatis offenſi notis. Cap. IIII.

LAESO [f] hepate, vt dicunt Græci, ſeu iecinore, vt Latini, multus ſub dextera parte præcordiorum effunditur ſanguis craſſus; nam magna huius membri portio dexterã ſedem occupat: interdum etiam bilioſus accedit vomitus, ructus fœtidi conſequuntur, & à ciborum acceptione pręcordiorum grauitas ſubſequitur: pulſus depreſsi ſunt, ac denſi, fiuntq́ue ægri triſtes, & iracundi; punctorij dolores vſque ad iugulum extenduntur: vulneratorum color [g] cineritius eſt; tuſsiunt, ac febre maximè intenſa cruciantur, lotium [h] ſæpe ſanguineum emittunt: interdum ſeceſſus plurimus apparet, & quæ excernuntur, cruenta, putrefacta, ac ſanioſa exiſtunt: vulnus in hypochondrio dextero, & ſub ſpurias coſtas in parte ſumma occurrit. Hoc [i] membrum omnium venarum (quamuis ſecus credat Ariſtoteles) [k] initium, ac nutricis facultatis principium eſt: ad [l] cuius defectum cor patitur: eſt etiã primi ſanguinis generandi inſtrumentum, ac facultatis concupiſcibilis (ait Plato) principium, cumque extrinſecus læditur, & ſi gibba eius pars ſana fuerit, maximum ſanguinis profluuium expectare oportet: & ille, qui cadit ſuper hepar, aut ſplenem (ait Auicenna) [m] deinde currit ex eo ſanguis plurimus, tunc neceſſarium eſt, vt apoſtemetur, & moriatur: cum verò aliqua in eo oritur inflammatio [n], tunc febris aſsidua, & ſingultus patientem inuadit, vrinæ conturbatę fiunt, & fœces corruptę, ac variæ apparent.

f ¶ Celſ. lib. 5. c. 26. Aet lib. 10. cap. 5.

g ¶ Hipp. 5. de morb. popul

h ¶ Auic. 14. 3. tra. 3. c. 20.

i ¶ Gale. 4. & 5. de vſu par.

K ¶ 5. de part. ani. cap 4.

l ¶ Ga. 5 de no. loc. aff.

m ¶ 4. 4. tra. 2. c. 4.

n ¶ Hip. 5. Aph. 58. 7. Apho. 17 Aet. li. 10. ca. 3 Paul. li. 3. c. 46.

De Vulnerati lienis accidentibus. Cap. V.

a ¶Cel.lib.5.c.26. Aet.lib.8.c.59.

b ¶Gal.4. & 5. de vſu par.

SPLENE ([a] vt dicunt Greci) aut liene, vt Latini, icto, ſanguis niger à ſiniſtra parte, ſub hypochondrijs prorumpit, qui & fœculentus, & craſſus eſſe ſolet: precordia ab eadem parte indureſcunt, ſitis ingens oritur, dolor tenuis ad iugulum, ſicut iecinore vulnerato, extenditur. Huius viſceris vulnus verendum eſt. nam [b] eius corpus multis arterijs plenum eſt, ac laxum, inſtar cuiuſdam ſpongiæ, quæ ex ſanguine limoſo, craſſo, & melancholico, in hepate genito, nutritur. Sima eius pars, arteriarum multarum, ac magnarum venarum plantationes continet: ob id, cum læditur, facilè inflammatur. veruntamen, cùm leuiter vulneratur, non tanti eſt momenti, vt ſunt alię modò dictæ partes. attamen nec ita leue eſt in eo collatum vulnus, vt nec vllum incommodum, neque laborem afferre poſsit. Tardè quidem ad hoc viſcus affectum, medicamenta intus ſumpta perueniunt.

De Inteſtini ſecti ſymptomatibus. Cap. VI.

c ¶Celſ libr. 5. ca.26. Gal.1.de not.loc.aff. c.1.

d ¶Hipp.lib. 1. de morbis li. de Coac.prænot.6 Apho.18.& 24. Celſ.li.7. c. 16. Gal. 6. meth.c. 4.

e ¶Gal.5.de lo. aff.c.3.4.& 5.de vſu par.6.de anat.adm.

f ¶Gal.6.meth. c.4.Pau.li.6. ca. 52. Albu.lib.2. cap.87.

g ¶Hipp. lib. de corp.ſect.lib.de Coac. prænot.

h ¶Hipp.5. Aphor.58.

CVM [c] inteſtina vulnerantur, ſtercus attenuatum, aut eius fœtor exire contingit. nonnunquam bilis per os redditur. interdum cibus, aut potus per vulnus emittitur, præcordia denſa fiunt, & febris accedit: communes verò ieiuni inteſtini, & ventriculi vulnerati, notæ ſunt. Scire tamen licet, [d] quòd ſi ex gracilibus fuerint, ſalutis ſpes nulla relinquitur, ea [e] quippe tria ſunt, & ſuperiora, quorum primum deſcendendo, pyloro coniunctum, per duodecim digitorum ſpatium, ad ſpinæ longitudinem rectè protendit, ab Herophilo dodecadactilon, & a vulgo duodenũ vocitatur: ſecundum, eo quòd ſemper inane ſit, ieiunum dicitur: tertium illud tenue eſt, quod Græci ileon appellant: maximè [f] verò inter hæc ieiunum vulneratum inſanabile creditur, tum quia exangue eſt, tùm propter vaſorum magnitudinem, quæ in eo locata ſunt, tum etiam ꝙ eius tunica prætenuis, neruoſaquè exiſtit. adde, quòd & bilis ſynceræ ex fellis poris recipit portionem, & omnium maximè iecinori vicinum eſſe videtur. Inferiora verò, quæ pariter tria ſunt, craſſam, ac ſatis carnoſam habent ſubſtantiam, ſicut cæcum, quod vulgus ſaccum, & monoculum vocant. eſt enim, veluti venter craſſus, ac ad excrementa recipienda idoneus. hoc in dextro ilio locum tenet. Colon ſequitur alijs carnoſius, à dextra ad ſiniſtram, ilium attingens, ventriculi fundum ſuperequitat. Vltimum, quia ſpinæ è directo incumbit, rectum appellatur, à vulgo Longanũ dicitur. Spatioſum excrementi receptaculum eſt, & ad ſedem vſque porrectum, ac valde carnoſum. Hæc ìgitur, quæ in imo ſitu locantur, quia craſſa, ac carne prædita ſunt, & quia medicamenta per ſedem impoſita diu in ipſis retinentur, nonnunquam ſanitati reſtituuntur: veruntamen, [g] ſi in eis aut magna, aut per tranſuerſum fiat plaga, magnũ mortis imminet periculũ; ſi verò parua, aut recta, ſeruari poſſunt: cum autem [h] inflammatione affliguntur, vrinę ſtillicidium apparet, dolor crudelis oritur, febris augetur, & patiens moritur.

De Veſicæ inciſæ cognitionibus. Cap. VII.

i ¶ Hipp.4. Apho.80.81.Cel. li.5.ca.26. Aet. lib. 11. cap. 29. Paul.li.6.c.68.

k ¶Paul.lib. 3. cap. 45.

l ¶Hippo.lib.1. de morbis.li.de Coac. prænot. & 6.Apho.18.

m ¶Ga.6.Aph. com.18.

n ¶Hipp. lib. de corp.reſec.

o ¶Gal.1.de facul.anat. 5. de vſu par.

VESICA [i] inciſa, vrina interdum ſupprimitur, aut pro vrina ſanguis, vel ex vulnere vrina deſcendit; dolent inguina, & quod ſuper pubem eſt, intenditur; ſtomachus afficitur ita, vt bilem vomat, aut ſingultiat: vehemens [k] autem dolor pecten, hypogaſtriumque impedit, vrina magna cum anxietate ſæpe redditur, & poſt mictũ, pus in fundo matulæ reſidet, ſquammulæque in ipſa tetri coloris, aut lamineæ circunferuntur; frigus, conuulſio, & ex ea mors ſubſequitur, præcipuè [l] ſi tota eius ſubſtantia ſecari contingit: porrò [m] in eius collo nõ pauca ſalutis relinquitur ſpes; eſt enim [n] veſica vrinæ receptaculum, duabus tunicis contexta: quarum [o] exterior à peritoneo orta, multum neruoſa, ac ſenſu prædita eſt: interior verò craſsior, & omni fibrarum ſpecie contecta, præſertim obliqua, ne continua vrinæ, intempeſtiuaque excretio fiat. eius collum muſculis plenum, ac carnoſum eſt; quare vulnera in illud illata, ſæpe ſanantur, cum profectò quotidie ſanari videamus, cum lapides à veſica, ſecto collo, extrahuntur.

DeRenum lęſionis cognitione. Cap. VIII.

SI vulnus [a] in renes penetrauerit,vrina cruenta,aut eius loco cruor fertur, nonnunquam penitus ſupprimitur:inde patientes tumidi facti moriuntur: dolor ad inguina,teſticulosque deſcendit; ſed vnum ſignum potiſsimum erit nobis,hoc indicãs, locus ipſe. nam vulnus in dorſo,raro verò alibi,ſub ſpondylis, & infra coſtas veras, paulùlum ſupra ſpurias infigitur. cum verò eorum ſubſtantia, quæ denſa eſt, ac ex ſolida carne procreatur, ſolum vulnus patiatur,interdum ſanari poreſt, ſed vulnere altius penetrante non niſi laborioſè, ac magno cum diſcrimine ad ſanitatem perducitur.ipſis enim [b] vreteres pori, qui meatus vrinarij, & pori vritides vocantur,firmè alligantur, ac venæ cauę bini rami,ac inſignes, pariter magnæ arteriæ duo vaſa,quę emulgentia dicuntur, illis annexa ſunt, per quæ renes [c] vrinam à ſanguine ſecernunt. ſanguine aquoſo nutriuntur, & ferè continuò,aut ſaltem aliquando mouentur.quę omnia, aut nullam, aut tardam curationem faciunt. & quia prope cauam venam ſiti ſunt, paululum ſub iecinore,vulnera penetrantia ac valdè anguſta,quæ in dorſo,& in eorum regione occurrunt,admodum timenda ſunt.

a ¶Hipp. 4. Apho.75 Cel.li. 5.c.26.Aet. lib. 11.ca.16. 18.

b ¶Gale.16. de vſu part. 6. de aggr.anat.

c ¶Hipp. lib.de oſsium nat.Ari. 3. de par. ani.c. 3.Gal.6.de aggr.anat.

DeLæſi vteri cognitionibus. Cap. IX.

CVMd vterus, ſiue matrix percuſſa eſt, dolor in inguinibus, coxis, & fœmoribus [d] ſuboritur, ſanguinis pars per naturalia deſcendit; febris [e] & vomitus bilioſus inſequitur: quædam obmuteſcunt, quædam mente labuntur, & quædam ſui compotes ſunt, neruorum, oculorumque dolore vrgeri ſe confitentur; vulnus in fundo ventris exiſtit, morientesquè tandem eo modo, quo quæ corde patiente,moriuntur.

d ¶Cel.5.c.2.26

e ¶Hipp. lib.de mór. mulier.

De cauæ venæ,ac arteriæ magnæ vulneratæ prædictionib. Cap. X.

SANGVIS, qui à magna,ſiue caua vena, quam Græci chilin vocant, per quam totum corpus nutritur, cum vulneratur, effluit, non valdè purus, ſed ſatis niger & copioſus, cum extremorum frigiditate, & ſudore glaciei modo, pulſuum imbecillitas, animi defectus, & ſubita mors ſubſequitur. Sed, cum magna ſecatur arteria, ſanguis ſpirituoſus, floridus, aut ruber, & copioſus emanat, quem de neceſſitate ſubita iam ſequitur pernicies. Has ſæpe iudicamus læſiones, ſi vulnus aut in dorſo,aut alibi profundè, his apparentibus ſymptomatibus, penetrauerit.

ADDITIO.

PRAEDICTIONES, quę thorace, ac infimo ventre vulnerato, occurrunt, diuerſimodè ſumi poſſunt,nempe à ſede affecta, vt ſupra explicauimus; interdum [f] à virium robore animalium, vitalium, & naturalium. nam mente conſtare, ac hilari animo ſe habere in omni morbo, bonum, vbi verò virium apparet inopia, laborandum non eſt; ſiquidem natura [g] omnium opifex eſt, medicus verò miniſter.excrementa autem omnia in quali & quanto bene diſpoſita, futuram præſagiunt ſalutem, [h] pręcipuè verò pus ipſum: quæ verò [i] contrario modo ſe habent, peſsima iudicantur. In vniuerſum [i] dictum eſt; Morbi tempore breuiſsimo finem attingentes, facillimè dignoſcuntur, vtpotè infirmi, qui ad ſanitatem tendunt, facilè ſpirant, dolore non affliguntur, dormiunt noctu, quietè viuunt,cibum appetunt, ſiti nõ moleſtantur, ſi qua febricula eſt,quieſcit, & eorum facies ſibi propriam effigiem ſeruat:atque etiam ſcire licet, quòd ille medicus plures ſanat,in quo plures confidunt; & ſanitas tutius, ac citius euenit, ſi medici,rationales,experti,patientes,& beneuoli fuerint.

f ¶Hipp.2.aph. 16.Gal. lib. ar. par.med.ca.87. & 9.meth. Aui. 1.4.tra.2.c 8.

g ¶Hippo.1.de morbis pop. 2. aphor.33.

h ¶Hipp.1.præſag. c. vlt. Celſ. lib.2.ca.8. Gal. 1.de diff. feb. c. 8.Auic.3.4. tra. 1.cap.23. tra.3. cap.1.

i ¶Hip.2. præſagiorum.

k ¶Hipp.1. præſag.ca.10. Celſ. lib.7.ca.3. Gal. 1.de criſi c. 14. Pau.lib. 2.ca.3.

De Infimi ventris ſimplicium vulnerum curatione. Cap. XI.

AFFECTVS [l] in ſoluta continuitate,qui infimo ventri occurrũt, vel alteri morbo,aut diuerſo ſymptomati,vel propriæ cauſæ minimè aſſociantur;vel quia ad viſcera, & cauitatem non pertingunt, ſub ſimplicium vulnerum latitudine à medicis numerantur, vnaquè ſola,ac ſimplici in eorum curatione egent indicatione; dictum [m] ſane eſt, quòd in omni vulnere diligenter attendere oportet, & ſimplices affectus à compoſitis diſcernere, cũ ſimplici morbo ſimplex adhibẽda curatio ſit,compoſito verò non ſimplex. Continuitatis ergo ſimplex ſolutio, quæ huic loco contingit,intentionem quidem vnam tantùm requirit,partium videlicet vnionem, quæ in paruis faſcia tantùm duplici modo conuoluta fieri ſolet; in magnis verò vt hæc firma,ac ſtabilis exiſtat,& alligatio cogens in vnum, quæ diſtant, & futu-

l ¶ Celſ. lib.7. cap.4. Galen.3. meth cap.4.

m ¶Gal. lib. art par.med.ca.92. 1.aphо. cõ. 16. & 4.meth. ca.1.

rę,& fibulæ vtiles ſunt;ac prius ſuppreſſo ſanguine ſic vniantur, ac vnitæ conſeruentur. inde barbaro [a] medicamento, aut aniceto, vel nigro adhibito, conglutinationi ſtudere oportet. Solent enim huiſcemodi vulnera, ſi rectè tractantur, rore proprio, ac elementari ſaneſcere: verùm ſi in corpore mali habitus, aut vbi vitium confluentis ſanguinis abundat, tale vulnus acciderit, non ſimplex vulnus, ſed cacoethes, & difficilis conſolidationis iudicabitur, quod [b] etiam ratione lęſi ſitus aduenire ſolet. nam locus iliorum ſectus minùs timendus eſt, quàm ſitus albhere, ſiue aluourati, vt Arabes dicunt, aut ſuminis, vt Latini, quod medium corporis eſt, vtriuſque lateris menſura quatuor digitorum ab alborati, id eſt vmblico: ibi enim lacerti, tendones, & venæ, ac arteriæ multę notabiles locantur: communiter verò ex non penetrante vulnere, nec leue, nec timidũ præſagiũ adducendũ eſt. non graue, quia nullũ mortis periculũ ſequitur, niſi æger, aut puer, aut decrepitus, aut valde timidus fuerit, vel praua medici curatio ſubſequatur: nõ leue, quia abdominis muſculi, qui octo ſunt, ad [c] thoracis motum, ac ad [d] fœces expellendas continuò mouentur; vnde conglutinationis aliqua ſequitur difficultas, & inflammationis ſuſpicio, præſertim cum homines crebrò à fœcibus expurgandis ſtimulentur, & illorum muſculorum prætenſiones ſequantur. Siquidem dictum eſt, [e] eas ſectiones timendas fore, quę lacertorum capita offendunt, à quibus tendones originem trahunt; quare dolores, febres, inflammationes, & conuulſiones ſubſequuntur. At vulnera, quę alicuius magnitudinis ſunt, eodem modo regenda ſunt, quo & alia carnoſa, & ſimplicia regi debent, nempè ſutura, ſi decet. nam ventris partes ligaturam vix admittunt, in ima parte orificio dimiſſo, in quo ſuppreſſo ſanguine, per quatuor dies lichinia mollia medicamento ex terebinthina, thuris cortice, maſtice, & oui luteo parato imponantur, & puluis ſuper ſuturam inſpergatur ex maſtice, bolo armeno, dragantis, & myrrha; & ſuperpoſito emplaſtro barbaro, faſcia membrum commodè auoluatur. & ſi vulnus hoc pacto non agglutinetur, curandum erit, vt in ſequentibus paulò poſt dicemus.

a ¶ Scribon. de ſcr. 207. Gal. 2. Katageni in fine Pau. lib. 7. c. 17.
b ¶ Gal. 4. meth. cap. 4. Aui. 4. 4. cap. 7.
c ¶ Gal. 5. de anat. admin.
d ¶ Galen. 2. de motu muſc.
e ¶ Gal. 5. aphoriſ. cõ. 60. Auic. 4. 4. cap. 2.

De Infimi ventris compoſiti vulneris cura. Cap. XII.

CVM de vulneribus ſimplicibus, ac eorum curatione, ſatis abundè dictum ſit, nunc de eis, quæ compoſita ſunt, tractare inſtituamus; & hæc talia iudicantur, quæ ſecundùm variam eorum compoſitionem varijs etiam egent indicationibus ſanatiuis: quippe ſi cum alio morbo, veluti inflammatione, coniungantur, ab inflammatione ipſa, vulnere non neglecto, indicatio curatiua primò ſumi debet: agnoſces [g] verò inflammationis naturam partim colore, partim tactu, & partim laborantis ſenſu. partium [h] enim, quæ cum aliquo inflammationis genere vulneratæ ſunt, eorum prius ſananda inflammatio eſt: ſi autem [i] cum prauo aliquo ſymptomate complicantur, prout loci intemperie, aut dolore, ſymptomati prius diligentiam adhibeto, dyſcraſiam ad contrarias qualitates alterando, calidiorem, quam pars ſit carnis, habitum refrigerabis, & frigidiorem calefacies. nam quæ per intemperiem aliquam à naturali habitu receſſerunt, eorum ſanationem per ea, quæ contraria viribus ſunt, fieri omnino eſt neceſſe. vbi ergo intemperiei affectum iam ſanaueris, deinde vulnus ipſum ſanabis. Si verò cum propria cauſa complicatur, procatarctica nempe, & quæ extrinſecus venit, ſicut ſagitta, gladius, aut globulus, ſiue plumbea glans, quæ ſtat ſub cauſa coniuncta, & morbum ponit in actu, tunc quamuis [k] à nullo eorum, quæ adhuc non permanent, indicatio ſumi poſſit, prima medici actio eſt illicò eam tollere, ſi tolli poteſt, & id prima die vt efficiat, ſuademus. quòd ſi vel imperitia, vel alia ratione fuerit omiſſum, non ita facilis deinde illam tollendi dabitur occaſio; ſiquidem iam erit vulnus ſenſibilius redditum, & anguſtius effectum, & inflammationis initium aliquod apparebit. Si verò difficultatis cauſa fuerit ſanguinis fluxus, aut mali ſucci deſcenſus, huic reſiſtere oportet euacuationibus, remeationibus, ac topicis medicinis. Sic enim ad hunc modum caro, aliauè carnoſa quępiã pars, quæ fluxu humoris ob imbecillitatem aliquam affligitur, ſanari poterit: ad eundem modum, ſi aut alterius cuiuslibet particulæ occaſione, aut etiam totius corporis, cum in eo ſanguis, maliuè ſucci redundant, vitioſum aliquod vulneratis partibus influxerit, medendum prius eſt vel ei, quod fluxus eſt cauſa, vel etiam toti corpori, deinde non aliter planè vulnus curari debet, quàm ſi citra accidentia incidiſſet. porrò [l] dolores, cum ſub duplici genere cauſarum contineantur, videlicet ſubita temperaturæ mutatione, ſolutioneque continuitatis, tolluntur, malam temperaturam immutando, doloris cauſam euacuando, aut ſenſum ſtupidum reddendo, vt ſuperius copioſè explicauimus; dictum eſt enim; [m] Si ſimul duo concurrant morbi, ab eo incipiendum eſt, qui vnum horum trium propriorum habet, vbi non poſsit ſecundus curari, niſi curetur ipſemet, vt apoſtema & vulnus, vbi alter alterius fuerit cauſa, vt febris & oppilatio; vbi alter altero affectu periculoſior fuerit, vt febris, quæ continens dicitur, & reſolutio. Et quia de his indicationibus alibi ſermo ſatis abundè factus eſt, hæc ſuffi ciant. cum verò vulnus ob eius penetrationem inter compoſitos morbos enumeratur, ſolertis medici eſt, quamprimum indagare, nunquid aliquod viſcerum prolapſum appareat, aut ſectum fuerit, propterea quòd [n] ad eum effectum noſcendũ, qui omninò tum rationem, tum ſenſum lateat, ſæpe cogimur de affecta ſede, & externa cauſa aliquid inueſtigare, aut eorum propria accidentia animaduertere.

f ¶ Gal. 4. met. cap. 2.
g ¶ Gal. 14. meth. cap. 4.
h ¶ Hipp. lib. de Vlceribus. Gal. 4. meth. c. 2. 8. 9. Auic. 4. 1. c. 6.
i ¶ Hipp. lib. de Vlceribus. Gal. 3. meth. cap. 8. Auic. 4. 1. ca. 28. 1. 4. ca. 26. 4. 4. cap. 6.
k ¶ Gal. 4. meth. cap. 3.
l ¶ Gal. lib. art. par. med. c. 80. 2. de not. loc. affec. 5. 12. met. ca. 7. 2. Meymir cap. 9. 12. 2. prognoſt. com. 1.
m ¶ Galen. 1. ad Glauc. cap. 1. 2. ad Glau. cap. 5. 10. meth. cap. 1. 11. meth. cap. 3. 1. de morb. cap. 7. 1. Aphor. cõ. 365. aphor. cõ. 19. Auic. 4. 1. c. 1. & vlt.
n ¶ Gal. 4. meth. cap. 3.

De

De Egreſſo omento. Cap. XIII.

INTIME abdomine vulnerato, ſi omentum læditur, quia [a] membrana eſt ſepoſa, & adipis naturam continet, nullum habet proprium ſymptoma, quo dignoſci poſſit: nam nec dolore afficitur, nec ſanguinis copia ab eo emanari ſolet. ſępe [b] tamē vulnerato peritoneo, ſubindę excidit Zirbus, quod membrū Græci epipleon, Latini omentum, Arabes Zirbum, & vulgus reticellam vocat, ex duabus tunicis à peritoneo ortis, denſis, & tenuibus ſibi ipſis incumbentibus, ac quàm plurimis venis & arterijs paruis, ac pinguedine non pauca conflatum eſt, à ventriculi fundo originem ducit, & ſuper omnia inteſtina extenſum longiſsimè protenditur. cùm verò tale membrum è vulnere exierit, album, pingue, venoſum, ac prætenue, expedit indagare, nunquid aliqua eius portiuncula ferro reſecanda ſit. nam dictum eſt; [c] Si omentum excidit, neceſſariò putreſcit. ergo ſi nudatum extra peritoneum fuerit, non contingit ipſum ſanum in propriam ſedem reponi, & ſaluum fieri; quia [d] ſi minimo nudetur tempore, putreſcit: quare omnes medici [e] partem illam, quæ nudata eſt, ac alterata, reſecare iubent; quippe membrana hæc nec primaria, nec ad vitam neceſſaria eſt, nec poteſt ex ſanguinis vaſorum, quæ in eo continentur, profuſione hominem interimere, atque minus ſi rectè ante ſectionem laqueo præcingitur, nam dicebat Galenus; [f] Nos verò, quoniam ſcimus Zirbi ſubſtantiam compoſitā eſſe ex pelliculis, ſiue tenuibus membranis, ac arterijs, venisquè quamplurimis, quorum initia ex maximis orta ſunt, ſanguinis quidem profluuia cauebimus; proinde id, quod ſupra nigricans poſitum eſt, vinculo excipiemus; quod poſt vinculum eſt, amputabimus, curantes, vt vinculi fines extra vulnus pendeant, quo nimirum facilè eos, cùm ex vulnere ſuppurante euomentur, accipiamus: ergo cùm denigratum, aut liuidum factum ſit, tunc nulla ratione reponendum eſt, ſed fuſcam partem totam vſque ad albam, & ſynceram amputare decet, ſed prius pars ſyncera & ſana, quæ in confinio eſt alterius denigratę, laqueò, aut lineo, aut ſerico obducatur, diligentia prius adhibita, an parum temporis, vel multum ſit, quo omentum egreſſum fuerit. & ſi nullam acceperit mutationem, & album apparuerit, illicò ipſum in propriam ſedem reponemus, leuiter ac blandè manibus propellendo, ac ſucceſsiuè paulatim impellendo, donec ingreſſum fuiſſe percipiatur. id celeriter fiat, & ſi manibus fieri nequit, ob vulneris anguſtiā, cerea candela vti neceſſe eſt; verùm, ſi aliquantiſper refrigeratum omentum nouerimus, vino tepido, aut aqua decoctionis camomillæ, & betonicę foueatur, donec caleſcat, & molle fiat, tenui ſpongia ſæpius decocto prædicto madefacta; aut ſyringotomo ad fiſtulas ſecandas accommodato, vulnus parumper dilatetur, cautè tamen, ne inteſtina lædantur. multi verò delaqueatam partem prauo colore affectam, reſecare ſolent ferro, aut auro ignito, & ſic id, quod de ſano remanſerit, cauterizant, vt tota abſumatur corruptio, ac ſanguis ſupprimatur, & affectum membrum corroboretur. alij, Galenum ſequentes, cauterium ſpernunt, aſſerentes Galenum nullum quidem verbum de eo dixiſſe, & nos nunquàm cauterio vtimur, ob id, quia quod corruptum eſt vnà cum filo, temporis tractu commodè educi poteſt: attamen quomodocunque intro ducto omento, vulnus, ſi amplum fuerit, ſuatur, parum foraminis relinquendo, per quod filum extra pendeat, & materiæ continuò expurgentur: vulnus verò perpetuò terebinthina actu calida regatur, donec laqueum putrefactum exierit; inde glutinantia, ac abſtergentia applicare oportet, quouſque vulnus perfectè coierit, & cicatricem induxerit. Quibus verò [g] viſcus hoc extractum fuerit, omnes infeliciter concoquunt, & plurimis egent fomitibus. Nec de abdominis futura vereri oportet, ne ſanguis, aut alter ichor intus ſeruetur, ex quo poſtea praua ſubſequantur ſymptomata; quemadmodum ſuperius de thorace dubitauimus. nam ſi in infimo ventre materia aliqua recluditur, ea quidem ad bubones, & inguina, tanquam ad proprium emunctorium, tranſmittitur, & ibi tumorem excitabit, qui poſtea in abſceſſum conuertetur, & talis materia poſtmodum ſub ſaniei latitudine commodè euacuari poteſt.

a ¶ Ariſt. 4. de par. animal. c. 3. Gal. 6. de aggr. anat
b ¶ Gal. 6. meth. cap. 4.
c ¶ Hipp. lib. 1. de morbis lib. de Coac. præn. & 6. aphor. 58.
d ¶ Gal. 6. aph. com 58.
e ¶ Celſ. lib. 7. c. 16. 21. Gal. 6. meth. cap. 4. Paul lib. 6. cap. 52 Raſis. 7. ad Al. cap. 3. Auic. 4. 4. cap. 7. Albuc. li. 2. ca. 87.
f ¶ Gal. 6. meth. cap. 4. in fine.
g ¶ Galen. 4. de vſu par.

De Prolapſis inteſtinis. Cap. XIIII.

PLERVNQVE [h] accidit, vt profundè abdomen vulneretur, inteſtinis illæſis, ſed exterius prolapſis: ob id quamprimum manifeſtantur: ſi valida fuerint, ſtatim [i] vino albo tepido abluantur, & intus locentur. nam ſi tumeſcunt, non facilis eorum erit intromiſsio: id pariter euenit, ſi multa fuerint, aut diuerſo modo alterata, aut vulnus valdè anguſtum. Cum ergo exierint, niſi illis citò auxilium præſtetur, & intus reducantur, verendum eſt, ne inflammatione infeſtentur, aut ſubortis in eis flatibus tumida reddantur, & per anguſtum callem ingredi nequeant: ſi etiam maius vulnus fuerit, tum plura neceſſe eſt inteſtina excidere, ac difficilius intro mitti: parua quoque vulnera tractatu ſunt difficilia; nam niſi quod præcidit, illicò in locum ſuum reponas, inflammatur, ſurgitque in tumorem. Minùs igitur graue in huiuſmodi vulneribus mediocre foramen eſt, quo [k] euenit, vt pro huius effectus curatione quattuor requirantur indicationes; Prima, vt inteſtina, quę exciderint, in ſuam ſedem repo-

h ¶ Celſ. lib. 7. cap. 4.
i ¶ Gal. 6. meth. c. 4. Paul. lib. 6. c. 52. Raſis ad Alm c. 3. Auic. 4. 4. c. 7.
k ¶ Gal. 6. meth. c. 4. Auic. 4. 4. c. 7.

reponantur: Secunda, vt vulnus, aut ſutura, aut fibulis, aut glutine, aut vinculo duobus capitibus inuoluto, aut alio ingenio vniatur. Tertia, vt vulneri opportuna applicentur medicamenta: Quarta, vt quæ pręſtantior pars eſt, ſimul cum vulnere minimè afficiatur, aut ſi affecta eſt, diligentiſsimè ei ſuccurratur.

De prima indicatione, quæ, quomodo inteſtina, quæ exciderint, collocari debeant, declarat. Cap. XV.

a ¶ Gal. 6. meth. cap. 4.

EX vulnere prolapſis inteſtinis, id primò agendum eſt, vt quæ egreſſa ſunt, in ſuum locum recondantur: iccircò inquirendum eſt, ſi manibus leuiter ac blandè intromitti poſſunt. quæ ſi non poſſunt, cauſa perquiratur: & ſi tumore aliquo id fieri nequeat, alterū[a] ex duobus eſt neceſſum, vel vt flatus diſcutiatur, vel vt vulnus amplietur: porrò operatio, quę per cauſæ remotionē fit, magis ab Hippocrate, & Galeno laudatur, ea quippe eſt ambientis aeris refrigeratio, vnde quamprimū inteſtina frigiditate alterātur, intumeſcunt, & ingredi non poſſunt; igitur eorū ſanatio calefaciēdo paratur, medicamentis ſcilicet carminātibus, ac flatū diſcutientibus; Ergo (dicebat Galenus) ſpongia molli, & ex feruenti aqua madenti, ac mox expreſſa calefacere conuenit: præparetur interea vinū potens calidum, quod magis calefacit, quàm aqua, & robur inteſtinis acquirit: quòd ſi neutrum iuuerit, fiat decoctum in aqua, aut vino, & aqua; aut mero tantùm, vt magis expedit, & fomententur inteſtina, donec ad naturalem diſpoſitionem redeant: confert verò ad hoc camomilla, ſertula campana, anethum, abſynthij coma, lauri baccæ, ſemina cimini, aniſorum, fœniculi, carui, dauci, ameos, & ſimilia; quæ ſi nō adſunt, fiat ſicuti & nos facere ſoliti ſumus, & fecimus, cum Feltriæ ad medicum officium exercendum, publico ſtipendio mereremus. decoquantur caudæ veteris allij cum folijs lauri, & camomilla in vino albo optimo: nam ad vota hoc nobis ſemper ſucceſsit. Iubent aliqui practici, [b]vt paruum aliquod animal ſcindatur, & ſtatim viſceribus proprijs inteſtino applicetur, donec flatus diſcutiatur, & inteſtinum detumeſcat: ſed, quia vnguibus poſſet patientem illud animal offendere, hoc ſecretum communiter non probatur; ſed potius columba, aut gallina per medium diuidatur, & inteſtino tumenti admoueatur, prius aliquo puluere ex diſcutientibus inſperſo: cumque inteſtinum ad naturalem formam redierit, inungatur oleo maſticino, & camomillino calido, & infirmo commodè ſituato introponatur: & ſic repoſito, leuiter homo concutiendus eſt. quod fit, vt per ſe ſingula inteſtina in ſedem propriam quieſcant: ſi verò[c] locus frigidus, aut tempus hyemale fuerit, æger in balneo calido imponatur, ac manibus, & pedibus ita ſuſpēdatur, quatenus eius dorſum curuetur, & venter arcuetur; quippe ſitu tali inteſtina leuius in proprium locum reducuntur, aut expreſſo chylo vnum poſt aliud intromittatur: manibus nempè leuiter comprimendo ſic hoc ſeruato, vt quæ vulnerata eſt pars, ſemper eminentiorem locum occupet, atque hoc tum in magnis, tum etiam in mediocribus vulneribus maximè conueniet. porrò ſi his pręſidijs inteſtina non reponuntur, incidendum tantum peritonei eſt, quantum ad reponendum quod excidit, ſit ſatis. Inſtrumentum verò ad hanc ſectionem idoneum illud eſt, quod ad fiſtulas ſecādas ſummopere à medicis[d] probatur, à Græcis[e] ſyringotomon, ab Arabibus[f] embula & caiada, & à Latinis[g] manubriolū, aut ſpatumē ſpinoſum nuncupatur: aut ſaltem illo vti poſſumus, quod Græci[h] ſcolopomacherion, Arabes[i] agamedin, aut agameut, & Latini curuatum enſem, aciculam, aut cultellum fiſtularem appellant. in quorū acuta extremitate ne operando aliquod viſcus lædatur, ceræ albæ parum apponimus: ſcalpelli verò, quibus acies vtrinque habetur, aut quibus cuſpis valdè acuta eſt, omnino fugiendi ſunt. poſtquam ſecaueris, candela cerea imponatur: quæ extrahenda non eſt, donec inteſtina introierint; ſectio accommodata ſit abſque vllo diſcrimine, & ad ventris muſculorum longitudinem. hoc igitur modo ſectionem molimur; ſecus verò nullo modo eam laudamus; ſiquidem nullius erit vtilitatis, ſed potius damni. nam quò maius oſculum redditur ab extrinſeco aere, viſcera magis læduntur: rectior verò figurarum in patiente eſt, vt ſi vulnus humiliorem ſpectauerit partem, figura, & præparatio ſit ad eminentiorem, & è contra; ſi autem vulnus fuerit in parte dextera, declinet æger ad ſiniſtram, ſit què medici intentio, vt affecta pars perpetuò ſublimior permaneat. adhuc diligentia adhibenda eſt, vt repoſita inteſtina, & faſcijs, & ſplenijs, ſiue plumaceolis, quos Græci anacratiros vocant, intus conſeruentur, adhibito victus optimo regimine, ne flatus, ac mali vapores denuò producantur; & vulnus eo modo regatur, vt in ſequenti tertia indicatione diffusè explicabimus.

b ¶ Rolandus Rogerius Theodoricus.

c ¶ Raſis. 7. ad Al. cap. 3. Halliabas 5. Theo.

d ¶ Celſ. lib. 7. cap. 19. Gal. 6. meth. c. 4. Paul. lib. 6. c. 52. Aui. 4. 4. ca. 7. Albuc. lib. 2. c. 8?. 87.

e ¶ Gal. 6. meth. c. 4. Paul. lib. 6. cap. 52.

f ¶ Albuc. lib. 2. cap. 87.

g ¶ Celſ. lib. 7. cap. 19.

h ¶ Gal. 14. meth. cap. 17.

i ¶ Auic. 3. 4. tr. 2. cap. 5.

De Suturarum varietate in ſectis inteſtinis Cap. XVI.

k ¶ Celſ. lib. 6. cap. 16.

SI infirmus[k] venter ictu aliquo perforatur, ſequitur interdum, vt inteſtina euoluantur: quod vbi accidit, protinus conſiderandū eſt, an integra ea ſint, deinde an his color ſuus maneat; ſi tenuius inteſtinū perforatū ē, nihil profici poſſe, ſupra explicauimus: latius inteſtinū aſsui poteſt, non quòd certa fiducia ſit, ſed quòd dubia ſpes certa deſperatione ſit potior: interdū enim, ſed rarò, glutinantur. inſuper ſi vtrunlibet inteſtinū liuidum, aut pallidū, aut nigrū fuerit, quibus illud quoq; accedit neceſſariò, vt ſenſu careat, medicina omnis inanis eſt: ſi verò ea adhuc ſui coloris ſunt, magna feſtinatione ſuccurrendum eſt: momento enim corrumpuntur externo, ac inſueto

ſpiritu

ſpiritu circundata. porrò cum ſecta tantùm fuerint, craſsiora nempe, & in conſpectu venerint, expreſsis aliunde fecibus, variis ſuturæ modis vniri ſolent, cum ratione modi, tum ratione materiæ, & inſtrumenti. Ratione modi, nam aliqui duplicatis inteſtini labris per punctum, quod aliud ſequitur, vulnus conſuunt. compaginatio hic ſuendi modus ab aliquibus vocitatur: ab Auicenna vinculum dicitur: miniſter verò vulneris, oras leuiter digitis, vel etiam hamulis membranæ interiori iniectis diducere debet: hic quidem modus, quia difficilis admodum, nec ſine periculo iudicatur, non multum à medicis probatur, quare multi per fibulas eo modo, quo cætera carnoſa vulnera vniuntur, ſuunt, nec etiam hic ſecurus creditur. nam fibulæ, quas Græci ancteras vocant, facilè relaxantur, aut marceſcunt: nonnulli verò, & rectè pellionum ſutura, id eſt pellium artificum more, quo pelles adinuicem iungunt, aut quo ſacci, cæteraquè ſimilia ſuuntur, vulnerata inteſtina conſuunt. Ratione materiæ, qua id agi debet: aliqui ſeniorum [a] filo ſerico vtebantur; ſed quia ſecat, ac dolores inducit, hoc tempore improbatur. Recentiores verò [b] filo lineo molli, & æquali, aut ſimplici, aut duplicato, quod optimum, ac in quotidiano vſu ſeruatur, vti ſoliti erant. tale multum à Galeno probatur, nempe quod mi nimè putreſcibile eſt; & Romæ viliſsimè venditur, & filum Gaietanorum dicitur. quidam verò eorum, qui experti ſunt (vt retulit Albucaſis) [c] labra vulneris magnarum formicarum capitibus inuicem coniungebant, quæ cum proprio roſtro vulneris partes eſſent amplexæ, ac eas perforaſſent, amputabant, credentes tali vinculo eorum contiguitatem permanere poſſe: alij [d] ex tenui alicuius animalis inteſtino rem filo ſimilem formabant, & cum ea inteſtinorum vulnera conſuebant. Iſti profectò ſuturarum modi non ſunt niſi ſecundum fiduciæ, & ſpei viam, abſque vlla operationis certitudine. Formicarum vſus multis non placet, cum nec ſemper, nec vbique reperiantur, ac breuiſsimo tempore putreſcant, & procidant; & cum earum capita amputantur, ſtatim apprehendendi, ac retinendi facultatem amittunt. quare inutilis hic modus eſt, nec animalium inteſtina probantur; ſiquidem, cum ab humido intrinſeco, ac innato calore fibræ illæ aut relaxantur, aut putreſcunt, & rumpuntur, vel ſaltem vulnus putridum reddunt: præclariſsimi verò noſtræ ætatis aliqui medici membranulam hædi præparatam accipiunt, in qua publici ſcriptores, quos notarios vocant, hominum teſtamenta conſcribunt, & ad fili effigiem minutiſſimè incidunt ſic, vt acuum cauitatem ingredi valeat, eamque tepido vino humectant, ac mollem reddunt, & ſic eo modo, quo pelliones pelles, huiuſmodi vulnera conſuunt: quidam, [e] vt inteſtina extenſa maneant, & conſeruentur, ac interius vulnus exſiccetur, & fœces facillimè deſcendant, ſambuci fiſtulam in inteſtino locare excogitarunt, ibique relinquere, & deſuper ſuturam facere: alij animalium inteſtina accipere tentarunt, moderatequè inflare, & exſiccare, vt, cum opus fuerit, aliquam eius partem loco fiſtulæ ſambucinæ imponerent; multi vtriuſque loco anſerum tracheas more dicto præparant, &, vt prædictæ ſubſequantur vtilitates, adminiſtrant: quas omnes operationes, viris doctis, ac in hac medicinæ parte eruditis, conſiderandas relinquimus. hi verò, qui exercitus inſequuntur, ac in maritimis vehũtur claſsibus, valdè negotioſis, & multum in chirurgia exercitati, non tantùm craſsiora, ſed & tenuia inteſtina vulnerata conſuunt, aſſerentes perrarò, niſi in valde latis vulneribus, hoc opus illis feliciter occurriſſe. nam per anguſtum callem craſſa exire nequeunt; iubent tamen vtrunque conſuendum fore: craſſa namque cum craſsioris naturæ ſint, glutinari poſſunt; tenuia demum, & ſi aliter credat Galenus, conſui debent, & omnia experiunda. nam ſi conſuta non conglutinantur, quomodo non conſuta cõglutinabuntur? igitur & gracilia vulnera ſi extiterint, conſuenda ſunt acu ſubtili, breui, & rotunda, & filo lineo, forti, ſubtili, & æquali, non fibulando, ſed eo ordine, quo ſacci, & alia communiter conſui ſolent, ac breuia fiant puncta. filum verò propè inteſtinũ ſecari nõ debet, ſed vtraq; pars eius extra vulnus pendeat, vt cum putruerit, extrahi poſsit: poſtremò vino albo odorato, & tepido inteſtina abluantur, & ſuper vulnus medicamentum aliquod aſtringens & glutinans (veluti puluis ex aloe, maſtice, draconis ſanguine, & mumia) aſpergatur; inde commodè reponantur; & ſi difficilis eorũ fuerit reſtitutio, ea adunguẽ obſeruentur, quæ ſuperius explicauimus: exterius vulnus abſtergatur vino mellitide nigro, & homo in molli culcitra reponatur, vt dorſum æqualiter gibbũ fiat; interdũ etiam coxis erectioribus, vt ſingula inteſtina in ſuum locum deducantur, & reſideant; & animaduertendum eſt, vt nullum reliquorum ſuper læſa, quæ intus redierint; ne comprimantur, incidat. Omentum denique conſideretur, ex quo ſi quid iam nigri, aut emortui fuerit, laqueo præcingatur, & forcipe excidatur.

a ¶ Meges. Antilus. Oribaſius.
b ¶ Celſus. Galenus. Auicenna. Albucaſis.
c ¶ Lib. 2. c. 82.
d ¶ Guilielmus Iamerius.
e ¶ Magnus Guido. Lanfrancus. Iamerius.

DE SECVNDA INDICATIONE.

Quæ quomodo abdominis vulnus aliquo vniri debeat ingenio, demonſtrat. Cap. XVII.

ABDOMINIS futuram, ac rectam eius vnionem, quam Græci gaſtroraphian vocant, multifariam, multiſquè modis veteres medici [f] exercebant: veruntamen ante omnem conſutionem quinque dubia in medium adducebant: nempè ſi diuiſum abdomen tam altè ſit, vt inteſtinum ex eo procidat, & quemadmodum id reponere conueniat: & ſi omentum exciderit, abſcindendum ne id ſit, an non; & an vinculo id excipiendum, an ſecus; & an ſuendum vulnus ſit, necne. & ſi ſuendum ſit, qua ratione ſuendum: poſtmodum per omnem operatio-

f ¶ Celſ. bli. 7. cap. 16. Gal. 6. meth. ca. 4. Paul. li. 6. c. 5. 2. Raſis. 7. ad Al. cap. 3. Auic. 4. 4. ca. 7. Albuc. li. 2. c. 87.

nem quinque media, veluti opportuna inſtrumenta, ſibi præparabant, quorum primum miniſtri conditio eſt, qui operanti medico auxilia præſtet. hic enim prudens, expertus, ac audax eſſe debet: ſecundum eſt acuum qualitas in longitudine, craſsitie, numero, & forma: tertium eſt fili conditio, quo partes vniri debent: quartum eſt ſuturæ profunditas, numerus, & modus: quintum eſt punctorum diſtantia, ac eorũ conſeruatio: Miniſtri nihil agunt, præterquàm ꝙ manibus partes vulneris adiunctas conſeruant, paulatim illud detegentes, donec gradatim conſutio compleatur: quod verò conſuitur, altera manu teneatur, ſtringaturquè perpetuò ſic procedendo, donec opus finiatur. quod faciendum eſt, auctore Hippocrate, [a] citò, tutò, lætè, & ſine dolore. verùm, ſi expedit, in ima parte ſpiraculum dimittatur. Acus verò in affectibus mirach, triangulata eſſe debet. talis enim ad faciliorem penetrationem magis prona à Celſo, & Albucaſi iudicatur, in groſsitie mediocris. nam ſubtiles in re dura franguntur, & craſſæ difficilis introitus, ac laborioſæ penetrationis exiſtunt. in numero, plures ſint, nam operando vna tantum aut amitti, aut frangi poſſet. longitudo ſaltē ſit vnius digiti, & forma aliquantiſper curua. fili ſubſtantia ex lino ſit, ſubtilis, duplicata, & æqualis: quę, ſi plus, quàm deceat, dēſior fuerit, cutim proculdubio ſecabit; ſi mollior, motu ventris frangi poſſet prius, quàm vulneris extremitates coeant. Suturæ profunditas mediocris probatur. nam ſi acus in extremo cutis mittatur, profectò ſcindetur; ſi in profundo, extrema ſolidari nequeunt: interuallum ergo, quod ſingulis acus traiectionibus interuenit, quod ad compeſcēda pertinet ea, quæ ſubſunt, breuiſsimum eſſe poſtulat, quòd verò ad firmitudinem ipſius cutis necubi rumpatur, breuitas parum tuta eſt. Quare vtriuſque vitiato exceſſu, eligenda mediocritas eſt. His omnibus denique præparatis, reſupinato homine coxis erectioribus, vbi aer ad tem periem vergat, ac repoſitis inteſtinis vulnus abdominis conſuendum eſt. Et quia opus tale multipliciter celebratur, primò quid de eo dicat Celſus, audiamus; [b] In duabus acubus fila conijcienda, eaquè duabus manibus tenenda, & prius interiori membranæ ſutura inijcienda eſt ſic, vt ſiniſtra manus in dexteriore ora, dextra in ſiniſteriore à principio vulneris orſa, ab interiori parte in exteriorem acum immittat, quo fit, vt ab inteſtinis ea pars ſemper acuum longè ſit, quæ retuſa eſt, ſemel vtraque parte traiecta. permutandæ acus inter manus ſunt, vt ea ſit in dextra, quæ fuit in ſiniſtra, ea veniat in ſiniſtram, quam dextra continuit; iterumq́ue eodem modo per oras immittendę ſunt, atque ita tertiò, & quartò, deinceps permutatis inter manus acubus includenda plaga eſt. poſt hæc eadem fila, eædemq́ue acus ad cutem transferendæ; ſimiliquè ratione ei quoque parti vtraque ſutura inijcienda, ſemper ab interiori parte acubus venientibus inter manus traiectis. dein glutinantia inijcienda, quibus etiam ſpongiam, aut ſuccidā lanam aceto imbutam accedere debere, manifeſtum eſt; impoſitis his leuiter venter deligari debet. Galenus [c] verò triplicem ſuendi rationem proponit, & cum primam deſcriberet, ait; Quoniam coire, coaleſcereque cum peritoneo oportet abdomen, incipiendum quidem à cute eſt, atque ab externo introrſus acus inijcienda: vbi verò tum cutem, tum rectum muſculum totum trāſierit, præterito, quod ei ſubeſt, peritoneo, per reliquum peritoneum, eam ab interno extrorſus inijcies, atque inde per reliquum abdomen tranſmittes; vbi hoc penitus tranſierit, rurſus ab externo introrſum idē abdomen eſt perforandũ. Mox vbi peritoneũ, quod illi quoque ſubhęret, pręterieris, atque ad contrarium veneris, hoc quoque ab interno extrorſus perpungendum, vnaquè cum eo totum ipſi coniunctum abdomen. Deinde ab hoc rurſus incipiendum, atque id cum contrario peritoneo conſuendum, ac rurſus vicina quoque cute tranſmiſſa, iterum ab ea parte acus introrſus eſt inijcienda, conſuendumquè abdomen id cum contrario peritoneo, etiam inibi vicina cute tranſmiſſa. Atque hæc iterum, iterumquè faciēda, quoad totum vulnus ſimiliter conſuerimus: ſed quia opus hoc difficile admodum eſt, vix enim cum abdomine peritoneum coaleſcere poteſt, vtpote hoc neruoſum, illud verò carnoſum eſt: præterea quomodo, niſi in valde magnis ſectionibus, hoc peregerint antiqui, imaginari non poſſumus. Secunda ſuitionis ratio à Galeno deſcripta illa eſt, quam multi celebrare ſoliti ſunt, qui quæ cognata naturæ ſunt, ea committunt, vtique peritoneo peritoneum, & abdomini abdomen; id in hunc modum fieri oportet, à vicino nobis abdomine incipere, atque ab externo introrſum per id tantùm acum tranſmittere: poſt præteritis vtriſq; peritonei labris, ex aduerſa parte, ab externo introrſus, per vtrunque eius labrum acum reuocare: deinde rurſus hanc reuocare, atque ab interno extrorſum per aduerſum abdomen traijcere. Tertia abdominis ſutura illa eſt, quæ ab omnibus communis, & in promptu iudicatur, & fibulatio dicitur, in qua vno adactu, quatuor margines apprehenduntur, id eſt per quattuor labra acus tranſmittitur; vnde peritoneum intra abdomen prorſus abſconditur, & in hoc tantùm a ſecunda variare ſolet. Tres hi ſuturæ modi deſcribuntur pariter à Paulo, & Auicenna, qui vnà cum Albucaſi, ſecundam ſuendi rationē magis approbant: qui diſsidentium partium coniunctionem, ac orarum adductionem diuerſo quodam modo aſſequi videtur, quem in mirach vulnerato nullibi inuenire adhuc potuimus, ſed bene in labris ſciſsis, quæ iſti leporina vocant. inquit Albucaſis. Accipias acum, aut numerum acuum ſecundùm quātitatem amplitudinis vulneris, deinde dimitte ab extremitate diſruptionis quantitatem digiti anularis, & fige acum vnam, prę̨ter quod intromittas in eam filum in duabus extremitatibus cutis, cum duabus extremitatibus ſiphac, quod eſt ſub cute ab exterioribus, donec facias eam penetrare ad aliam partem, & hoc pacto iam aggregaſti duas extremitates cutis, & duas extremitates ſiphac, & fiũt quattuor ordines: deinde ſtringe cum filo duplo in circuitu acus aliquoties à duabus partibus ſimul, quouſque ſint aggregata

[a] 1. Epidem. ſecti. 2. Gale. 14. meth. cap. 13.

[b] ¶ Lib. 7. c. 16.

[c] ¶ 6. meth. c. 4.

gata duo labra vulneris aggregatione decenti;deinde dimitte craſsitiem digiti etiam,& fige in eis acum aliam: poſtea ſtringe eã cum filo,ſicut feciſti in prima acu,nec ceſſes facere illud cum eo, quo indiges, ex acubus,donec compleas conſtrictionem vulneris totius,& ſint acus mediæ inter craſsitiem,& ſubtilitatem; quoniam ſubtiles valde, carnem velociter ſecant, craſſæ verò ſunt difficilis introitus: nec figatur acus in extremo cutis, ne ſcindatur,& vulnus aperiatur; nec profundè,ne cõſolidatio prohibeatur: deinde incide extremitates acus,ne lædantur infirmi apud ſomnum ſuum, & pone in eis puluillos ex pãnis ab omni parte,qui cooperiant extremitates acuum,& dimitte eos,donec ſcias, quòd vulnus iam cõſolidatum fuerit; & hęc ſpecies ſuturæ (ait Albucaſis) conuenientior eſt in vulneribus paruis, quando ſufficit in eorum ſutura acus vna,aut duæ, aut tres ad ſummum. Alterum ſuturæ modum deſcribit de mente Galeni Albucaſis, qui verè nunquam illum excogitauit,& inquit; Rectificatur ſutura ventris cũ duabus acubus, quod eſt, vt intromittas in eis vtriſque filum vnum,& incipe cum intromiſsione ex eo, quod eſt apud te, & fac eam penetrare vſque ad latus aliud ſecundùm eos, qui coria ſuunt ęqualiter. Recentiorum verò aliqui talia vulnera eo modo ſuere conſueuerunt, quo ſutores caligas,aut alia indumenta conſuunt, & ſimul adiungunt. Alij eo communi vtuntur modo,quo omnia, vt ſacci, & ſimilia ſuuntur. Nos autem ea ſutura ſemper vti ſoliti ſumus, quæ ſimul vno tempore quattuor extremitates, duas nẽpè abdominis,& duas peritonei,ſi eas habere poſſumus,aggregat; & is verè modus fibulãdi eſt, & nõ ille,qui hamùlis celebratur:ſeruamusq́, in hac fibulandi ratione,vt inter fibulã, & fibulã vnius minoris digiti diſtantia relinquatur. Talis poſtremò ſit ſuturæ profunditas, vt tota abdominis compoſitio perforetur,& talis vnio conſeruetur, vt dictum eſt, ne ſi rumpatur, inde hernia inteſtinalis ſequatur.

DE TERTIA INDICATIONE,

Quæ quomodo opportuna medicamenta extrinſecus applicanda ſint, manifeſtat. Cap. XVIII.

QVAMPRIMVM abdominis ſectiones æqualiter fuerint aut ſutura,aut fibulis, aut vinculo duobus initijs circundato adiunctæ, medicamenta, ſi opus fuerit, quæ ſanguinis fluxum conſtringant, applicentur; ſi verò non, quæ cruentis vulneribus accommodantur. talia à Græcis enęmata & emplaſtica, & à Latinis glutinantia vocantur. quorum facultas eſt, diuiſas partes coniungere, glutinare,qualia ſunt [a] emplaſtra barbara, aut ea,quę à fuluo colore cirrha, & phæa dicuntur; ea etiam,quę ex bitumine & aceto conſtant,enhæma barbara à medicis etiam vocitantur, valent in exercitatis, & duris corporibus; verum ſi mulieri mederis, pueroue, aut denique corpori, quod mollis ſit carnis, quod ex chalcite fit, noſtri diapalmam vocant, ſatis idoneum medicamentum fuerit: ſi verò hæc medicamenta non adſunt, vſque ad quartam ad minus glutem albotin, ſiue reſina terebinthina ſummopere probatur, præſertim ſi tendines, aut lacertorum extremitates lædantur, expeditquè puluere aliquo fibulationem ſiccando à putredine præſeruare; poſtmodum agglutinantia adhibeantur. Quod verò inter bubones & axillas eſt, id totum primis diebus molli lana oleo mediocriter calido imbuta circundare ſolent; tale verò ſi roſaceum, aut maſticinum fuerit, magis prodeſſe poterit. deligatio etiam in his ſummè eſt neceſſaria, quæ vulneris fundum, & ora æqualiter contineat, ac ſine dolore arctet, ſaniem fluere permittens, prodeſt quippe quod circumijcitur, neque molle nimirum ſit, & algæ ritu fragile, quo videlicet tutò contineat, neque rurſus ita durum, vt premendo offendat,tùm verò ipſa circunductio nec ita laxa ſit, vt nihil efficiat, nec ita vehemens, vt dolorem excitet. Hoc ſi feceris, fueritquè vulnus ſolum ſine vitioſo ſucco,aut aliquo fluxu, aut intemperie,aut inflammatione,aut alio quouis internorum vitio, proculdubio ſanabitur:at ſi ob ſui magnitudinem id fieri nequeat,vt diſiunctæ ipſæ partes exactæ ad imum vſque ſibi coniungantur,videlicet nec ſutura,nec fibulis, nec deligatura pertingere ad eas valente, vel etiam ſanies iam illic fuerit collecta, vel dolor quiſpiam adiunctus; huiuſmodi vulnus ex ſola partium commiſsione,& exſiccantium applicatione agglutinari omnino non poteſt, quare id agendum eſt, quod in compoſito ventris vulnere vtile fore explicauimus.

[a] ¶ Scribon. de fer. 207. Cel. li. 5. ca. 19. Gal. 2. Katageni. Aet. li. 2. c. 24. Paul. lib. 7. ca. 17.

DE QVARTA INDICATIONE,

Quæ viſcera à nocumentis præſeruare, & affecta curare demonſtrat.

De ſectis inteſtinis. Cap. XIX.

SI aliquod inteſtinorum ſectum fuerit,quæ extrinſecus fieri debent,omnia ſimiliter peragẽda ſunt,vt ſupra dictũ eſt; cæterum [b] quod attinet ad ſex res nõ naturales, aer is probatur, qui calidus eſt,& ſiccus; victus tenuis ſit: cibaria pinguia, acuta, & flatu plena dimittantur: abſtineat patiens ab omni motu, vociferatione, ira, & Venere: eligenda verò alimenta ſunt (ſi quidem ad cicatricem perducere,aut glutinare vulnus ſtudeamus) tum auſtera, tũ glutinantia,

[b] ¶ Gal. 4. meth. c. 7. Raſis. 7. ad Alm. cap. 3. Zar. 1. Theo. tr. 4. cap. vlt.

tinantia, tum quę minimè rodant. Sint igitur cibaria paucæ quantitatis, & quæ moderatè nutriant, ne varij augeantur humores, & fœces multæ, ac duræ procreentur. Et quia pharmaca, quæ per alui eductionem corpora euacuant, conferre non videntur, nullum quidem verbum de eis antiqui dixere; quare purgantibus medicamentis nullus hic relictus eſt locus, ne excrementa in ſedes affectas educantur, & ne à bile vulnus lędatur, & inteſtinum imbecillius reddatur: verùm ſanguinis miſsio, cum ſit vera, ac generalis indicatio in omnium vulnerum curatione, ac vniuerſalis [b] humorum euacuatio, ſi à baſilari oppoſiti lateris, ac in morbi initio fuerit celebrata, ſummopere probatur: aliqui tamen per cucurbitulas, frictiones, & extremorum ligaturas reuulſiones laudant; quod opus quantum valere poſsit, ſapiētiori iudicio remittimus. de topicis, ſiue localibus medicamentis non mediocriter conducit [c] ad opus, cognoſcere in qua inteſtinorum parte vulnus conſiſtat; Siquidem in ſuperioribus, & gracilibus, veluti eſt duodenum, ieiunum, & ileon, ab epotis medicamentis pręſidium petendum eſt, ſicuti à reubarbaro infuſo, luto armeno, terra ſamia, dragaganto, diaſpermaton, & ſimilibus, quæ ad glutinationem facere videntur. Si verò in humilioribus & craſsioribus, vt eſt colon, cęcum, & rectum, clyſtere ſubijcere magis conuenit: ergo [d] ſi inferiora patiuntur, in eis medicamenta cum argalia imponi debent, quod inſtrumentum Græci contenchitas, Arabes lapſedram, & Latini clyſterem oricularium vocant, cum altè medicamenta conducant ad ea, quę in recto inteſtino ſunt, vulnera, etiam [e] per veſicam, cui ſit fiſtula ad finem annexa, aut inijcere liquatum medicamentum tepidum licet, idquè magis, quia podici propinquum eſt; at ſi in intermedijs, ab vtraque parte, eo quia à ſuperiori, ac inferiori loco æqualiter ſunt remota. fiat igitur clyſtere ex vino nigro auſtero, & tepido, aut ſolo, aut decoctionis magni cētaurij, aut hyppuris, addito melle crudo, aut roſaceo. nam in affectis interioribus, ſi emundare volueris, quæ modicè abſtergunt, vtaris. quod munus mel non coctum cæteris præſtat; olea verò, ac pinguia, omniaque acuta, & quæ dolorem inferre poſſent, aliena ſunt. Et ſi aliquis dolor apparuerit, clyſter inijciatur ex iure inteſtinorum, ac pedum veruecis, in quo bullierint hordeum, folia oliuarum, minoris centaurij, & mel abſque ſale. Si verò vehementiori exſiccatione opus fuerit, paretur decoctum ex maiori centaurio, tormentilla, piloſella, balauſtijs, aloe, & mirrha lotis. neque enim fas eſt eiuſmodi prædictis inſtrumentis craſsiora medicamenta infundere, quamuis humidiora poſtulent: iccirco mediocriter ſicca medicamenta, plerunque magis ſunt idonea, quàm quæ liquabilia vocantur. huiuſmodi verò ſunt crocum, & pompholix, & aloes, & dragantum, & ea, quæ cephalica Gręcè dicuntur; in fine verò lemnia terra, ariſtolochia, & ireos ſalubre auxilium eſſe ſolent.

a ¶ Hipp. lib. de Vlcerib. Galen. lib. 2. de artic.
b ¶ Gale. lib. de ſang. miſs. Auic. 4. 1. ca. 20.
c ¶ Galen. 6. de not. loc. aff. c. 2. 4. meth. c. 7. & 5. meth. c. 11.
d ¶ Gal. 1. de lo. aff. c. 2. 4. 4. meth cap. 7. 5. meth. cap. 11. 6. meth. ca. 1. 4.
e ¶ Hipp. lib. de fiſtulis Galen. 5. meth. c. 7. 2. ad Glau. cap. de fiſtu. Paul. li. 4. ca. 43. Albuc. lib. 2. cap. 59. & 83.

De ventriculo vulnerato. Cap. XX.

VENTRICVLI [f] ſiue ſtomachi vulnera perpetuò lethalia iudicantur; veruntamen verbum hoc, lethale, interdum dicitur de his, qui ex neceſsitate ſunt morituri, aliquando de his, qui plerunquè ob tale vulnus perire ſolent. ob id de ventriculo vulnerato aliqua datur dubitatio, cum nonnullos in eo ſauciatos euaſiſſe affirmant. [g] igitur cum ventriculus vulneratur, ex proprijs ſignis diligenter inquiratur, an leuiter, an grauiter, an vtroque modo, an circa fundum, an circa os eius vulnus conſiſtat. graue vulnus illud quippe eſt, cùm tota fuerit eius perforata ſubſtantia: leue, cùm vel vna, vel altera tunica ſecta fuerit. porrò affectus primus neceſſariò lethalis eſt, cum viſcus illud neruoſum perpetui motus, & inſtrumētum concoctionis ſit, ſine qua homo viuere nequit. ſi verò exterior tantùm tunica, & ea quidem carnoſa, ſecta fuerit, ſalus interdum ſperanda eſt: interna autem, quia membranoſa eſt, & villis rectis quàm plurimis ſupernè deorſum tendentibus, obliquis verò paucis intertexta, mortis maximum minatur periculū: externa carnoſior villos tranſuerſos habet, quales continent duæ illæ inteſtinorum tunicæ. igitur, tota [h] eius ſubſtantia diſciſſa perrarò ſanatur: quæ verò infernæ, & carnoſæ ſunt diſciſsiones, curare cum fiducia tentabimus. nam fieri poteſt, vt & bene cedat, non ſolum quòd partes hæ craſsiores ſunt, ſed etiam quòd ſanantia medicamenta facilè hoc loco conſiſtant: at quæ ſunt in ore eius contactu duntaxat medicamentorū in tranſitu fruuntur, ſenſuſquè eius acumen, ſanationi obſtat, ac cum primum, aut à medicamento, aut alimento pungitur, dolor maximus excitatur, ex quo & inflammatio ſequi poteſt. Quomodocunquè [i] igitur ventriculus fuerit vulneratus, ab omnibus acribus, & cibis, & potibus abſtinere oportet, ſed vtatur cibarijs, ac medicinis lenientibus, ac mollibus, vtpòtè ſorbitionibus ſine oleo, aut pinguedine, & his, quæ ex amilo, terra ſamia, lemnia ſphragide, lacte cocto, vel quę melle paucisſimo cōficiūtur: cibi ſint euchymi, & coctu faciles, ſed victus tenuis inſtituatur, & flatuoſa, acuta, & mordicātia omnia tū intrinſecus, tū extrinſecus remoueātur. ob id patientibus chondrū exhiberi ſolet, oriza pariter, & panicū in aqua ſemel chalybeata decoctū, aut vbi radices conſolidæ, aut ſumach, aut myrti, aut rubi ſummitates, aut pimpinella, quæ mirabilis eſt, bullierint. Sed quia hæc & nauſeam, & vomitū concitant, ea exhibere nō audemus, at primis diebus panatellam tantum ex pane loto in iure turturum, aut palumborum decoctam, aut in ſola aqua chalybeata cum ſaccharo: verùm cum inflammationis ſuſpicio præterierit, caro aliqua concedatur, vitulorum nēpe, aut hædorum ventres, vt ait Auicenna, [k] aceto conditi; & hoc forſitan, quia dictum eſt à Galeno,

f ¶ Hipp. lib. 1. de morbis. li. de Coac. præno. 6. Aphori. 18. 24. celſ. lib. 5. c. 26.
g ¶ Gal. 6. aph. com. 18. Albuc. lib. 2. c. 87.
h ¶ Gal. meth. cap. 4.
i ¶ Aet. libro. 9. cap. 17. Paul. li. 3. c. 37.
k ¶ 23. 3. tr. 4. cap. 14.

no; [a] Communis omnium internarũ partium indicatio eſt,vt ea eligantur,quæ animalis naturę maximè ſunt familiaria,ſiue ea cibi ſint,ſiue medicamenta. Siquidem ab eo [b] dictum eſt;Quale eſt vnumquodq́; membrum, tali ipſum nutriri alimento oportet. hinc eſt quòd Raſis, [c] & Auicenna [d] his, qui cerebri vulnere affliguntur, aſſata gallinarum cerebella concedebant: & huius nutrimenti rationem aſsignans Auerroes [e] dicit; Cibaria,& medicinę confortatiuæ illę ſunt,quæ complexioni membri in tota ſubſtantia aſsimilantur;quare quodlibet membrum comeſum comedentis ſimile confortat & nutrit. Princeps tamen de cerebris aliam reperiri opinionem in fracta caluaria confitetur:neque nos auſi ſumus vulnerato cerebro, patientes cerebris, ob nimiam eorum humiditatem, & quia vomitum commouent, nutrire. pariter nec animalium viſcera ventriculo vulnerato exhibemus, ſed bene montanas aues aſſatas, addita cydoniorum mιua. vinum verò, ſi expedit, nulla exiſtente febre, nigrum, ſtipticum, & paucíferum dari poteſt,aut eius loco vino cydoniorum cum aqua chalybeata vti licet: &, ſi corporis plethora aliqua apparuerit,vena ſecanda eſt;ſi autem cacochymia, bilis præſertim,corpus ſola caſia fiſtula, quę ab Auicenna [f] probatur, euacuetur. verùm, quia tale medicamentum, flatum,& tormina gignit,huic nonnulli diacatoliconem, aut radicem barbaram in minutiſsimum puluerem redactam adiungunt: nos verò huiuſmodi corpora,medicinis per os ſumptis,nunquã purgare auſi ſumus,ſed clyſteribus, ſuppoſitorijs, & à longinquis partibus leuibus frictionibus; ſerapium ſummo mane exhibemus, myrtinum quippe,& roſaceum decocto centaurij, conſolidæ,& æquiſeti liquatum,cui ſæpe addimus ſcrup.ij. trochiſcorum de Karabe,aut de ſpodio,aut de reubarbaro, aut terram ipſam ſigillatam. nec ab re eſt ſæpius per diem,aut diacitonitẽ ſine aromatibus,aut diadragantum,aut ſaccharum roſarum aſſumere.maſtix verò ſecundùm omnem modum, his vulneribus ſuſtragatur. Et quia omni ingenio vulneris conglutinatio tentanda eſt,quæ vi agglutinandi prædita ſunt, crebrò aſſumantur; ex quibus electuarium de ſeminibus, ſiue diaſpermaton ad pondus drag. vnius aliquo decocto ſolutum,vel radicis maioris centaurij,quam iſti conſolidã vocant,aut betonicæ,aut pentaphyllonis,à nonnullis excellentiſsimis medicis commendatur; præſertim horas quatuor mane, veſperi, ante cibi aſſumptionem. vulnus verò exterius, ſi amplum fuerit, ſuatur; quod rarò contingit. nam vulnera huiuſcemodi ferè ſemper ab acuto telo cauſari ſolent: aut in principio, ſi expedit, regantur therebinthina lota actu calida, aut perpetuo vnguento noſtro ſancto, cui cætera medicamenta cedere debent. interea totus venter, dorſum,& inguina oleo roſato completo, maſticino,& camomillino inungantur; & ſi occaſio datur, incarnetur vulnus emplaſtro barbaro,aut baſilicone. poſtremò cerato ex chalcitide ſigilletur. Ventriculi verò vulnus naturę dimittatur,&, ſi amplum fuerit,ſi poteſt(vt de inteſtinis dictum eſt)conſuatur; per os autem agglutinantia aſſumantur, & extrinſecus iniectorio imponatur lotio ex vino nigro auſtero decoctionis æquiſeti,roſis,palmulis,minoris centaurij,& melle,aut zulapio roſato.Sed ſententia noſtra affirmamus, melius eſſe potenti naturæ omnia committere,quę id facit interdum,quod Medico impoſsibile eſt.

[a] ¶4.meth.c.7. [b] ¶6.de vſu par. [c] ¶ 6.ad Alm. ca.vlt.& 15.cõtinentis. [d] ¶13.tr.2.ca. 26.4.4.tr. 1.c. vlt. [e] ¶5.collig.c. 19. [f] ¶23.3.tr.4.c. 14.

De Iecore læſo. Cap. XXI.

SEDES [g] quàm plurimæ in humanis corporibus reperiuntur, quæ cũ morbo in ſoluta continuitate affliguntur, earum nocumenta magna ſunt, & pereunt ſecundũ plerunque, interdum verò non, ſed raro. inter quas Iecur, ſiue Hepar enumeratur. fieri enim poteſt, vt cum leue in eo vulnus occurrat, ſaluetur: ſed cum vas aliquod notabile in eo ſectum fuerit, nulla ſalutis ſpes remanet, ſicuti corde affecto, vbi nulla ſperatur ſalus, quòd ex nutritionis defectu languet, & moritur. Hepatis [h] verò non ſolum profundum vulnus in eius fibris factum, ſed etiam fibram abſciſſam ſanatam fuiſſe nonnulli affirmãt: attamen ſi in eo vulnus aliquod illatum alicuius magnitudinis, aut profunditatis extiterit,aut vena,quæ in eius gibbo originem trahit, caua,magna,& chilis dicta ſecatur,aut ea,quæ in eius cauo committitur, vena portæ nuncupata,inciditur,aut ramus eorum quidam, quorum repletur iecur ob largam eorum ſanguinis effuſionem, priuſquàm vulnus agglutinetur, ęger neceſſariò moritur,idque magis quia ob alimenti inopiam cor patitur, & ſic tandem perit animans,ſed non illicò interdum, cum per longa temporum ſpatia in huiuſmodi affectibus vita protrahi poſsit. Sæpius quidem breui temporis interuallo, ex iecoris percuſsione multi occumbunt. nam, vt refert Hippocrates, [i] cuidam Aſtili, percuſſo iecore, ſtatim color cadauerum ſe ſe ſparſit, oculi introceſſerunt, moleſtia,difficultas ferendi,ac æſtuatio conſecuta eſt,& eadem die vitam cum morte cõmutauit. Alter puer à Mulo in Hepate percuſſus, quarta die mortuus eſt. Spiritum denſum habebat,nec quicquam intelligebat,ac febre cruciabatur:ob id cum grauiter iecur læditur, qui ſic affecti ſunt,prognoſticis, ac presbyteris relinquãtur,cum cæterarũ omnium hæc affectio periculoſiſsima ſit,& modica omnino ægris ſit ſpes ſalutis,& morbus hic à Medicis [k] lethalis iudicetur; attamen leui exiſtente lęſionę, ex qua non magna ſanguinis copia egreſſa fuerit,aut aliquis alius ichor non multum effluxerit,eius ſanationem tẽtare oportet:in primis verò tenuiſsima adhibeatur diæta, ne ſanguinis multitudo augeatur,& ea commendantur, quæ agglutinandi vim habent; ob id chondrum,aut oriza,aut hordeum in iure pedum hædi, aut parui vituli decoquantur, additis folijs boraginis, lupulorum,intybi,& plantaginis; aut fiat panatella in iure

[g] ¶Auic. 14. 3. tr.3.2o.4.4.tr. 2.cap.4. [h] ¶Gal.6. aph. com. 18. Paul.lib.6.c.88. Auic.4.4.ca. 2. 10. [i] ¶5.de morbis popul. [k] ¶Hipp. lib. 1. de morb. lib. de Coac prænot. lib.1. Epidemiarũ.6. Apho. 18. Celſ.li.5.ca.26. Aet.lib. 10.c.5. Pau.li.6.c. 88. Auic 14.3.tr.3. c.21.4.4.c.2.

tali

tali: oua verò ,carnes,& lacticinia primis diebus ,aut donec inflammationis omnis ſuſpicio præterierit, dimittantur . vinum pariter; aquam enim potare conuenit,in qua bullierint coriandri, iuiubæ , & cichorium; aut ſaltem ea ſit,in qua ignitus chalybſter, aut quater fuerit extinctus, addito ſerapio roſaceo ex roſis ſiccis, aut ſaccharo roſato . Secetur vena , potiſsimum iecoraria,oppoſiti lateris, à qua , virium robore apparente,bis, terque ſanguis paulatim,& interpolatè detrahendus ; aut fiat leuis euacuatio caſſia, aut diacatolicone,& rhabarbaro , ſyrupus quotidie ſummo mane exhibeatur, veluti ille de roſis ſiccis , de lupulis, aut de cichorio cum radice barbara , liquatus cum decocto hepaticæ,conſolidæ,caudæ equinæ, aut betonicę . Si autem vulneratus, ſaltem alternis diebus,ventris beneficium , & alui expurgationem non nouerit , ei clyſter imponatur,ex decocto maioris centaurij , conſolidæ , & equiſeti, addito ſaccharo roſato,oleo myrtino,& rhodino, & parum quid electuarij diacatoliconis. diuerſiones à longinquis partibus probantur, nempe leuibus frictionibus,cucurbitulis, aut ligaturis : iram , clamores, nimiũ motum,coitum,& vnamquãque cauſam,quæ ſanguinem alterare poſsint , fugiat patiens . verùm, ſi aliqua inſignis apparuerit indigentia , caro auium montanarum , aut hepata paruorum animalium , & vinum nigrum clarum , oligophorum dari poteſt. Et quia ea , quæ confortant , ac huius viſceris ſolutiones agglutinant,per os offerri poſſunt, confectiones in rotulis ex ſpodio, gummi arabico aſſo,rhabarbaro,dragaganto, balauſtijs,terra ſigillata,& boloarmeno cum ſaccharo parari ſolent, quæ mane, & ſero patienti exhiberi poſſunt: rhaponticum pariter,& rhabarbarum in minutum puluerem redactum vſque ad ſcrup.ij. cum decocto arnogloſſę,aut pentaphylonis ſecundum omnem modum, optimum præſidiũ eſt, probantur trochiſci ſummo mane, vſque ad drag.j. de ſpodio, de reubarbaro , & de roſis cum ſpodio ſoluti in decocto centaurij , intybi , & equiſeti: Vulnus verò hypochondrij, aut abdominis , ſi in eo ſanguinis hæmorrhagia apparuerit, primò medicinis ſanguinem ſiſtentibus regatur : deinde aut terebinthina actu calida, aut vnguento noſtro ſancto,ab initio vſque ad vulneris ſigillationem regatur : aut, ſi licet,tranſacta quarta,ipſi terebinthinę addatur bolus armenus , & mumia : poſtremò maſticen,thuris mannam, & dragagantum admiſcere licet . partes verò vulneri coadiacentes, inguinaque,ſubaſcelia,ac ſpina oleo roſaceo , maſticino,ac de citonijs vnà cum ſandalis albis, & rubeis , ac eboris ramentis,& intybi domeſtici ſeminibus minutiſsimè tritis cum pauca cera, ſub linimenti forma inungantur, porrò,ſi expedit, vt medicamentum exterius impoſitum fibras hepatis vulneratas attingat , nec magna ſanguinis quantitas effertur, illud quidem formetur, quod ſectas fibras conſtringat , & agglutinet , quale eſt hoc; Recip. ſucci equiſeti, pentaphylonis,piloſellæ , polygonij an. mannæ thuris, mumiæ electę, reubarbari optimi, radicum maioris centaurij,ſanguinis draconis ex lacryma an.q.s. pro collyrio, quod per ſe, ſi vulnus amplum fuerit,aut per iniectorium vſque ad iecur bis, terque in die inijciatur. Amplum vulnus inſui debet , dimiſſo in decliui ſitu orificio , vt ſuperfluitates perpetuò expurgari poſsint: ſupra vulnus verò aut barbarum, aut calcideum medicamentum, aut illud celebre ex chalcitide adhibeatur.

De liene affecto. Cap. XXII.

SI Lien, ſiue ſplen vulneretur, maiori cum fiducia curationem aggredimur,atque magis, ſi vulnus intimè non tranſierit. nam ſima huius viſceris pars, multarum arteriarum , ac magnarum venarum plantationes continet, ob id ſi vulnere affligitur, nulla redẽptionis ſpes remanere ſolet: cum verò leuiter in ſuperficie læditur, eædẽ requiruntur curatiuæ indicationes tùm in victus regimine,tum in localium medicamentorum applicatione,vt de Iecore expoſitum eſt: verùm vtroque viſcere læſo, diligentia ſumma adhibenda eſt, ne ex calidorum , ac ſtipticorum medicaminum qualitate humidiores ſubſtantiæ diſcutiantur , & craſsiores exſiccentur, cum ambo hæc membra parata ſint, in ſcirrhum facillimè conuerti .

De Renibus inciſis. Cap. XXIII.

a ¶ Celſ li.5.ca. 26. Zoa.2. theo tr.2.ca.7.
b ¶ Auic.18.tr. 2.ca.10.
c ¶ Auic. 18. 3. tr.2.c.22.
d ¶ Aet.li.11.c. 16.
e ¶ Hipp. lib. 2. de morbis. Celſ.li. 4.c. 10.

CVm [a] ferro renes inciduntur , difficilis curatio fit, imò [b] moritur ille , cuius renes diſrumpuntur. verùm minoris timoris ſunt , quàm vulnera Veſicæ , aut locorum neruoſorum . Cum igitur tale vulnus occurrit,exterius curatur indicationibus ſuperius enarratis, ſecundum temporis opportunitatem : interius [c] verò inſtituto victus regimine,potiſsimum quod in hac,& veſicę curatione eſt, requiritur humorũ adæquatio iudicatur, quæ interdum fit per venæ ſectionem copioſam, aut per ſubtilium , ac tenuium humorum ſolutionem , ſine [d] ſubita euacuatione: ob id probatur manna,caſsia, rhabarbarum,& ſyrupus roſatus ſolutiuus . Si verò crudorum humorum copia apparuerit, vomitus melior eſt , quo renum vulnera curantur. nam abſtergit, euacuat , & fluxiones reuellit, cæterę verò humiditates ęquationem quęrunt , ſolo ſeri caprini lactis ſtillaticio liquore, aut decocto iuiubarum , & ſebeſten, vel lacte ſeminum frigidorum maiorum : aliqui trochiſcos de alicacabo aqua hippuris ſolutos probare videntur . poſtremò [e] conſolidationem ſperantes, amilum , dragagantum , & frigidas gummas patientibus exhibent , quos in molliſsimo lecto decumbere iubent , ac tenuiſsima vti

diæta

diæta præcipiunt. non tamen ad multos dies diæta extendatur, nam vrinæ puriores & acriores per inediam redditæ, vehementiſsimos morſus procreant; ob id in morbi initio, ſorbitionibus tenuibus morſus omnes lenientibus vti expedit, inde victus ſit boni chymi, vt puta ex carnibus auium nemoralium aſſatis, ouis ſorbilibus, chondro, oriza, & panatella, atque interim acetoſa, acuta, ſalſa, & dulcia, ac omnia aperientia, & diuretica (id eſt, quę vrinam ciere ſolent) dimittantur: minor faciendus eſt omnis potus, præſertim aquæ, ob lotij copiam, quieſcat patiens, in ſilentioque vitam ducat; nam methodus curandorum vulnerum renum, quies eſt. porrò, ſi decet, per clyſterem decoctum maluæ, & equiſeti cum ptiſana, & rhodomelle infundendum, vt ſaltem alternis diebus materiæ, quæ in vijs communibus reperiuntur, per ſeceſſum expurgentur. cæterum non multa copia infundatur, ne viſceribus nimis repletis renes comprimantur. Si autem ſecti renes ſanguinis profluuio laborabunt, venam cubiti ſecare conuenit, ſanguinis detractione repetita, & medicamenta, quæ ad ſanguinis ſputum, & quæ ad ipſius profluuia deſcribuntur, in renibus, & veſica ſanguinem fundentibus per ſyringam inijciantur; quod præclarè facit ſimphiti radix, & tragacanticum vino macerata, aut polygonij, & plantaginis ſuccus cum poſca, aut ſuccus foliorum porri, & plantaginis, qui omnia ſuperat medicamenta: exterius cataplaſma adhibeatur ex palmulis, pane ſiligineo, acatia, hipociſtide, & vino aſtringente decoctis. concretus interdum in veſica ſanguis adeò deprehenditur, quòd poſt illum vrina ſubitò cohibetur, & fibrę quædā ſanguineæ, aut humiditates quædam cruentę paulatim percolant; quare cum vrina ſuppreſſa eſt, pectinis, ac ſuminis partes oleo è ſcorpionibus, amygdalarum amararum, irino, & è capparibus inungātur; & ſi hęc nō iuuant, fiant decocta ex maluis, parietaria, ſaxifragia, agrimonia, & citrach in vino albo, aut ex his cum paſſo, aut oximellite fiat cataplaſma. Potui etiam datur præſertim renibus, aut poris vreteribus repletis decoctum eritrodani, polytrichi, ſcolopēdrię, & citrach cum ſyrupo capilli Veneris, aut bizantino. veruntamen horum vſum, quoad poſſumus, fugiamus: ſed tantum vrgente neceſsitate vſui ſeruentur; Siquidem vrinam viriliter prouocant, & quæ relaxant, adminiſtranda minimè ſunt, ſed quæ exſiccando corroborant, à medicis probantur. nos verò cuidam militi Feltrenſi vno duntaxat rene vulnerato quotidiè dedimus drag. j. optimæ terræ ſigillatæ cum vnc. j. terebinthi cyprij, & parum poſt cyathum paruum optimi albi vini montani, & ferè ſtatim vinum à vulnere emanabat odoratum, ſed aliquātiſper tinctum, exterius verò continuò vnguentum noſtrum Sanctum applicauimus, cuius compoſitionem, ac operandi modum in tertia indicatione deſcripſimus, capite de Thoracis vulneribus, & breui tēporis ſpatio fuit ille ſanitati reſtitutus.

De ſauciata veſica. Cap. XXIIII.

CVM [a] veſica, quæ vrinę receptaculum eſt, præciditur, eius partes ſectę nequaquā coire poſſunt, ob id quia membrum neruoſum eſt, frigidum, ſiccum, & exangue, & nerui [b] ſecti neque coaleſcunt, neque augētur, & eorum [c] vulnera peſsima, ac omni timore plena eſſe ſolent. Inteſtinum hoc perpetuò mouetur, ac humiditate acuta, acri, baurachina, & mordaci ferè ſemper repletum videtur; quare [d] neceſſariò ille, cui veſica diſrumpitur, moritur. Ergo [e] de veſica funditus ſecta nihil plus dicere expedit, quæ pariter, quamuis nonnulli aliter credant, conſui nequit; na ex acus punctura conuellitur, aut ab aere frigido alterata corrumpitur, vt illi euenit, qui ſuper frigidū lapidem ſedere ſolebat, aut piſcatori, qui in frigidis aquis diu degebat. Si autem eius collum, id eſt, carnoſior pars, quam Latini ceruicem vocant, vulneratur, non ita imminet periculum, nam affectum ſimilem præcipuè in his, quibus calculi extrahuntur, ſanari videmus. In hac igitur curatione indicationes illæ in renibus vulneratis expoſitę ad vnguem ſeruari debent: pharmaca verò purgantia per os ſumpta, item ea, quæ vrinam ciere poſſunt, exhibenda non ſunt, ne materię multę, ac ſucci mali ad renes, & veſicam deducantur. Dięta itaque tenuiſsima ſit, à nimio potu, & humidorum vſu caueatur, vinum dimittatur, ſed aqua coriandrata cum vino, aut miua cidoniorum, vel ſyrupo myrtino, aut ſaccharo roſato vſui ſeruetur. Vulnus exterius regatur terebinthina cum tertia parte olei hypericonis, ac deſuper barbarum, aut argideum, aut illud vſitatum, ex chalcitide, aut noſtrum ſanctum adhibeatur; nam, vt partes ſimul citiſsimè coeant, ſtudere operępreciuin eſt; multum enim vrina ad hoc conducit; ergo ſi abſque lichinij impoſitione opus perfici poſſet, id melius eſſe omnino iudicatur; in cęteris ea opportuna ſunt, quæ in ſupradictis carnoſis vulneribus commemorata fuere. per meatum verò vrinarium decoctum aliquod inijci poteſt, potiſsimùm cum ſyringa, quale eſt hoc. Recip. hordei, roſarum, centaurij minoris an. m. s. vini nigri optimi q. s. pro decocto, cui in fine adduntur rhodomellis vnc. ij. coletur, & vtere. Et ſi maiori eges exſiccatione, Recip. radicum conſolidæ, maioris centaurij, foliorum oliuæ, myrtillorum an. s. amili vnc. j. s. aquæ chalybeatæ q. s. pro decocto, & addito melle roſaceo vſui ſerua. Si verò aliqua aderit mordicatio, tollatur ſero caprino chalybeato, aut pompholige lota, lacte caprino ſoluta, aut trochiſcis de terra ſamia, aut de halicacabo, aqua conſolidæ liquatis. omnia hæc, & quæ in vtero ponuntur, actu tepida eſſe debent, & flatum non gignant; nam frigida quæuis his viſceribus aduerſantur, ac ſunt inimica.

[a] ¶ Hipp. li. 1. de morbis. 6. Aph. 18. Cel. li. 6. cap. de vul. inſa. Auic. 4. 4. c. 2.
[b] ¶ Hipp. lib. 1. de morbis lib. de Coac. pręno. 6. Aph. 15. Ariſt. 1. de hiſt. anim. c. 13. Celſ. li. 5. c. 26. Gal. 1. de ſemi. cap. 8. Auic. 4. 4. c. 2.
[c] ¶ Gal. 5. Aph com. 66.
[d] ¶ Auic. 19. 3. tr. 1. ca. 11.
[e] ¶ Gal. 6. Aph. com. 18.

De vtero perforato. Cap. XXV.

a¶ Gal. 6. de lo. aff. cap. 5.

SI vterus [a] ſiue matrix fuerit vulnerata, quod raro contingit, indicia ſumuntur à loco læſo: nam in fundo ventris inter veſicam, & rectum inteſtinum ſita eſt, & ab exeuntibus. nam per ſinum muliebrem & ſanguis, & ichor emanat; à dolore, qui eam partem, & inguina, & fœmora, & dorſum moleſtat; à ſyncopa ſiue animi de liquio, ob eius cum ventriculo conſortium: à febre, affinitate cordis; ex alienatione ob nimiam cum cerebro inſertam alligationem. vnde dicebat Hippocrates, [b] maximam ſeminis partem à capite procedere; & quòd hi, quorum auriculares venæ ſectæ fuerint, à medicis aliuidegi quidez, ſomni, & apoplecticæ dictæ, infœcundi redduntur. Eius vulnus lethale admodum iudicatur ijſdem rationibus, vt Capite de Veſica dictũ eſt. Curantur hi affectus optimo, ac tenuiſsimo victu, ſanguinis miſs one, præſertim à vena iecoraria, & ſyrupis humorum acuitates contemperantibus, ac alijs ſimilibus indicationibus, vt ſupra in cura diuerſarum internarum paſsionum explicauimus. Abdominis vulnus primis diebus medicamento ex terebinthina, oui luteo, rhodino, & croco regatur: circumuicina verò loca oleo roſaceo completo, è ſemine lini, & è matricaria foueantur. poſtremò huic medicamento parum thuris, maſticis, dragaganti, & ceræ addi ſolet, & ſic ſarcoticum vulnus fit, & carne replebitur: ſitus verò, ac iacendi modus talis ſit, ne inteſtina vterum comprimant: interius, [c] ſi decet, ea imponantur, quæ valde exſiccant, ſicut pompholix, aloes, anethum vſtum, carta combuſta, bolusarmenus, crocus, & ſimilia ſucco pimpinellæ, aut conſolidæ, aut agrimoniæ liquata, in linimenti, ſiue collyrij formã redacta. hæc recto ſyphone, ſiue cathetere, aut vterino clyſtere, quod Græci metrenchitas vocant, imponi poſſunt: ſi verò abſterſio aliqua cõuenerit, fiat cum vino nigro, mellito, aut ſero caprino, aut roſaceo melle: maxima pars curationis omniũ viſcerum vulneratorum ipſi naturæ, quę Dei filia, ac mundi anima eſt, committatur. nam [d] omnium illa opifex eſt, medicus verò eius miniſter; ipſa [e] enim non edocta, & nullo magiſtro vſa, ea, quibus opus eſt, facit, quod præter ſpem mirificè in bonum conuertitur.

Aet. li. 16. c. 88.
b¶ Lib. de genitura.

c¶ Gal. 5. meth. cap. 7.

d¶ Hipp. lib. de lege.
Gal. lib. ar. par med. cap. 87.
Auic. 4. 1. cap.
e¶ Hipp. 6. Epidem. ſect. 2.

De teſtibus vulneratis. Cap. XXVI.

SI teſtes vulnerantur, optimo egent regimine, tum in victus ratione, tum in tòpicorum applicatione, vt in ſimilibus paſsionibus ſuperius ad plenum explicauimus. Et quia hæ partes maximo ſenſu præditæ ſunt, maxima cura adhibenda eſt, ne aut dolore, aut inflammatione vexentur. Igitur præmiſſa vniuerſali euacuatione, nempe ſanguinẽ mittendo, vſus terebinthinæ lotæ, addito hypericonis oleo, ſummopere probatur: & ſi amplum vulnus fuerit, commodè ſuatur, orificium in ima parte dimittendo, vt ſuperfluitates poſsint perpetuò expurgari, partes circunferentes vnguento roſato Meſue inungantur, aut oleo roſato completo, & maſticino; inde vulnus abſtergatur ſyrupo aut melle roſaceo. poſtremò baſilicone, aut regale medicamento incarnetur, & palmulato, aut cerato de minio ad cicatricem perducatur: quę in ſcroto, aut oſeo occurrunt vulnera, his medijs facillimè ad ſanitatem perducuntur. Hæc pauca ad Dei omnipotentis laudem, amicorum ſatisfactionem, & vulneratorum vtilitatem in vnum redegimus, non equidem quòd aliàs à peritioribus dicta nõ ſint, nec ob librorum penuriam, ſed vt ſub breui epilogo, quæ ſparſim, ac in diuerſis voluminibus ab antiquis enarrata fuere, redigantur.

Si quis ergo in poſterum æquè ſtudioſus, ac veritatis vehemens amator, veriorem doctrinam, ac tutius experimẽtum practicando nouerit, vbi bis, teruè vſus, expertuſquè ſit, non temere, ac ſubitò occultè ſuam proferat ſententiam, ſed eam in medium apertè ad laudem omnipotentis Dei, ac languentiũ ſalutem, adducere non pigeat.

CHIRVRGIAE

IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI,

Tractatus Secundus.

De vulneribus.

LIBER SEXTVS.

De Sagittarum extractione. Cap. Primum.

HVMANA corpora, iniurijs exterioribus obnoxia, à telo acuto ſępe affliguntur, nempe ſagitta, gladio, aut lancea. interdum à rotundo, ſeu alterius formæ inſtrumento, nimirum lacerante, aut contundente, veluti à globulo, ſiue plumbea glande, dum à Ferentarijs. & tormento aliquo fulminante, magno impetu, ac fulminis inſtar, eijcitur, & in corpore reſidet; idcirco, quia hi omnes affectus, non leuis momenti ſunt, diligentem, ac expertũ operatorem, & medicum multis alijs pręſtantiorem, potiſſimum his temporibus, & in bello, & extra bellum, expoſcunt. verùm & ſi quamplurima de hac operatione in noſtris chirurgicis enarrationibus explicauimus: hic tamen, Celſo, Paulo, & Albucaſi, fautoribus, in genere, de telis acutis è corpore extrahendis, hęc pauca memoriæ prodire decreuimus. Siquis ergo tela ſimplicia, aut diuerſarum formarũ, ſpiculataſque ſagittas, aut glandes, cęteraq; corpori humano infixa, ac inhęrentia ex arte, & ſolertia quadam, ac ſponte aut inuito detrahere, & reuellere cupit, ſcopi quatuor ab eo præcipuè conſiderandi ſunt. quorum primus, telorum materia, ac forma eſt: Secundus, affectæ ſedis natura, compoſitio, ſitus, & officium: Tertius, inſtrumenta, alia ve ingenia, quibus hæc omnia extrahi poſſunt: Quartus, curandi methodus, ac cætera, quæ ad topica, ideſt localia medicamenta, pertinere vidētur. Tela omnia, quę ventribus illata intus hæſerunt, magno negotio, ac non minimo cum timore ſæpe eijciuntur, ſuntque difficultates quædam ex generibus eorum. quędã ex his ſedibus, in quas illa penetrarunt, & quædam ex forma inſtrumentorum. vnde ſequitur, quòd interdum euulſione, ſeu attractione, interdum propulſione ſit vtendum, ſumpta indicatione ab ipſorum telorum generibus, & differentijs, poſtmodum ab ipſis ſedibus affectis. vltimò à ſymptomatum natura, & quantitate. porrò telorũ differentiæ, Celſo authore, ab eorum materia, figura, magnitudine, numero, habitu, & viribus, ſumũtur. Materia, quatenus ferrea, plũbea, ſtamnea, ænea, lapidea, aut altero metalli genere, aut oſſea, aut cornea, aut arundinea, aut lignea, ſunt: Figura, quatenus acuta, lata, ſphærica, triangulata, anguloſa, axillata, barbulata, ſpiculata, aut cuſpidata, ac cuſpidatarũ, hæ cuſpides poſteriora ſpectantes, habent, quæ, dum extrahuntur, contra defigantur: illa in anteriora, vt propulſata, idem faciant. quędam obuerſas cuſpides tenent, fulminis inſtar, vt dum ipſa trahuntur, propelluntúrq;, in obiecta infigantur; Magnitudine, quatenus alia magna, alia parua, alia longiora, alia breuiora, exiſtunt: Numero, quatenus vnum, aut plura ſunt: Habitu, quatenus aliqua ligno firmiter infixa manent,

aliauè negligentius, vt in extrahendo ſeparata intus reſideant: Viribus, quatenus aliqua veneno tincta, ac delinita, quædā verò quatenus veneno careant. Hæc igitur ſunt telorū diſcrimina, quæ à medico vulnerario, alijs præſtātiore, accuratè perpetuò conſiderantur. Vt verò hæc hiſtoria ſenſatè dignoſcatur, expedit telorū aliquas imagines delineare, ac ſagittarū varias formas deſcribere, quarū aliquæ ſimpliciores ſunt, & caudæ eorum duobus modis parantur: quorum vnus cauus eſt, in quem haſtilis acuitas extrema, ingredi poſsit; Alter cuſpidatus, vt in haſtilis cauitate inſeri valeat. Primus ab Auicenna zugi cānulatū, ſecundus zugi caudatum nuncupatur. & quia hæ imbecilliores, & minoris laboris ſunt, ac vtrobique commodius extrahuntur, alijs præponantur. acutę ſunt, & formari ſolent, vt in officina cōſpici pōt.

In ſecundo ſimplicium ſagittarum genere, latę ſagittæ reponuntur, quę planæ, & ęquales ſunt, & facile in corpus conduntur, ac altiſsimè inſidunt, & ſæpe alia parte, quàm qua veniunt, educendæ ſunt, ſi prope cutem extiterint. earum forma in officina eſt.

In veteri militia, ac his temporibus, Cretæ prętertim, ac apud Scythas, ſagittarum cuſpides triangulati formantur, vt extracti, maius inferant nocumentum. formas eorum ſubiecimus in officina.

Venetiis, ac alibi, non belli ratione, ſed exercitij, & voluptatis, aliquę parantur ſagittæ: quarum extremitas ſine cuſpide, aut acie. breuis, & rotunda eſt, vt videre licet in officina.

Alia ſagittę forma plurimis angulis munita, inter antiqua tela reperitur. quæ, quia plurimis alis circundatur, telum anguloſum dicitur, vt in officina.

Eodem modo nonnullę ſagittæ duobus ſpiculis circundatæ parantur, quæ retro euolutæ, in extrahendo maiorem noxam inferunt. vt per imagines in officina deſcriptas facillimè deprehenditur.

Qvandam ſagittę effigiem ſane proprijs oculis conſpeximus, ſecus verò non credidiſſemus; ſed potius telum excogitatum opinati fuiſſemus. hæc multis retro ſpectantibus alis, ſiue barbulis induitur. & ob id barbulata ſagitta dicitur. eius fabrica in officina poſita eſt.

Apvd Parthos, & Indos quoddam ſagittæ genus reperitur, quod ſpiculis varijs, ac vario modo procedentibus euoluitur; nēpè aut retro, aut anterius, aut vtroque modo ſpectantibus, vt characteribus in officina poſitis facilè demonſtratur.

Alteram adhuc ſagittæ formam vidimus, quæ ob ſui magnitudinem potius balliſtę, quàm arcui conuenire opinamur, Lunæ, aut Falcis imaginem prętefert, vt intueri licet in officina.

Formantvr ſagittæ duarum partium, quarum vna interius torculata eſt, altera verò exterius, vt dum euelluntur, earum cuſpis abſcondita intime, remaneat, imagines eas oſtēdunt in officina poſitę.

Sagittae etiam duarū partium ſine torculo parantur, quarum vna alteram ingreditur. cumquè acuta cuſpis anterior, profundè penetrauerit, poſteriori parte euulſa, eā, quæ remanſerit, in membris reſidere neceſſe eſt. parari ſolent, vt in officina.

Qvamplvrimae aliæ ſagittarum formæ, apud varias nationes, & ſub diuerſo cęlo parantur, quas nunc dimittere intendimus, cum ſatis de eis narratum ſit, cōmuniter tamen eo modo fabricantur, & arcu, aut balliſta eiaculantur, vt in officina.

De affectis ſedibus, modo operandi, ac inſtrumentis ad opus idoneis. Cap. II.

Redevntes ad rem noſtram, dicimus, ſedes etiam, in quas ſagittæ penetrarunt, vario modo ſe habere. nam aut altè telum inſedit, vel in ſummo duntaxat, vel admodum circa medium infixum eſt. Si in ſumma carne impactum fuerit, magnas venas, aut arterias, aut artus, aut oſſa, aut ſpinam nequaquam læſerit. Si verò circa medium, ſæpe affectum formidabilem imprimit. Sed ſi altè conducitur, certe aut aliquod nobilium, & internorum membrorum ſauciauit, aut ſolum penetrans erit: porrò officialia, ac primaria membra aliquo modo ſecta, proprijs indicijs, vt ſupra libro quarto, & quinto explicauimus, dignoſcuntur. Ex quibus denique eorum habitudo, compoſitio, officium, & ſitus pernotatur, ac tandem mors plerūque ſubſequitur. Inſtrumenta quoque ad ſagittarum extractionem idonea, & accommodata, differunt. nam aut manibus tantùm, aut alicuius inſtrumenti auxilio opus perficitur; aut attrahentibus præſidijs, quod rarò in his operationibus videri ſolet, id conſequitur; aut ſignis, verbis, vel incantationibus, quod fieri nunquam vidimus, nec credimus, opus abſoluitur. Modi pariter ad hoc peragendum condecentes variant, prout læſę ſedis ſitus, & compoſitio, ac ſagittæ forma, magnitudouè exigit; idcircò ſi in ſumma pectoris, aut ſuminis parte, ſagitta impacta tantùm fuerit, nil melius quidem, quàm, qua venit, citò manibus eam euellere. Similiter agendum eſt, ſi tantùm in cauam partem peruenerit. Scito tamen, nihil difficilius, periculoſiuſque ad extrahendum, quàm ſagittarum ſpicula, præſertim axillis, aut barbulis, ſiue hamulis vtrinque hiſpidata, & cuſpidata. porrò ſi telum, qualecunque fuerit, in conſpectu venit, & commodè eximi poteſt, protinus extrahatur; Siquidem ea, quæ præter naturam ſunt, confeſtim auferenda eſſe Hippocrates, & Galenus cenſuerunt, ne ægrum in grauius periculum ducant. ſi tamen ſine iactura, & magno dolore, educi valeamus. quo facto, aduertendum, ne ſan-

guinis

guinis fiat non leuis aliqua hæmorrhagia,aut patientis vires tollantur. Siſtatur ergo eo modo, de quo ſæpe ſermo habitus eſt. Si verò oſsium aliqua adſit fractura,aut ſquammæ quamplurimæ diſpergantùr, omnes educantur, ſi ars valere videtur,inſtrumẽtis nempè ad hoc munus idoneis,aliter ſapienti naturæ id omne committatur: pariter ſi ſagitta infixa ſic intus lateat,vt nullo modo reperiri poſsit, aut non ſatis tutò extrahi,tantiſper dimittenda eſt, donec natura ipſam protrudat,& manifeſtet. Operando verò ſumma cura adhibenda eſt,ne neruus,aut vena maior,vel arteria incidatur:ſagitta ex corpore euulſa,nõ alia eſt corporis medicina,quàm quæ eſſet,ſi corpore icto nihil inhæſerit,vnde vulnus ipſum curetur, vt & cætera alia cruenta curari ſolent,hoc vno addito, quòd qui ab infixa ſagitta alteratus eſt ſanguis exprimatur, vt vulnus putredine, & inflammatione vendicetur. Si autem in principem, aut aliquam neceſſariam particulam ſagitta defigitur,cum iam notæ lethales apparuerint,& conuulſio pręſertim multum cruciatum,ac vexationem acceſſitura ſit,nihil in operatione tentandum eſt, ne præterquam quòd nihil ſumus profecturi, etiam conuitiandi occaſionem idiotis præbeamus. verùm,quia ſi telum in his relinquatur, in præſentaneam mortem ægrum pręcipitare ſolet, pręterquàm etiam artem inhumanam oſtendat,qua de re ſi eximatur,fortè etiam ſalus ſubſequitur; igitur præmiſſo prognoſtico de perditione,quæ frequenter occurrit, operationem aggrediamur;nam interdum abſque vlla ſpe miraculosè aliqui ſaluati fuere. Tunc ergo eo modo,quo patiens erat,dum vulnus acceperat,ſituetur,ſi poteſt:ſin minus,in lecto ad meliorem modum, quo vulneratus fuerat, ac manibus potiſsimum,ſi ſagitta ſuo haſtili munita fuerit,tractetur,modò huc,modò illuc agitando,ac leuiter contorquendo,donec tutò exierit. Nihil enim tam facile in corpore conducitur, aut extrahitur, quàm ſimplex ſagitta,quæ extracta,viſcerum vulnus eo modo,quo in ſuperioribus libris explicauimus,regatur. Accedit etiam aliquid difficultatis ſuo omni ictu, ſi ſagitta coſtis,aut oſsi pectoris,aut caluariæ,aut ſpinæ inhæſerit. nam ſi eam attrahendo eximere tutum eſt, quæratur tunc,ſi manibus paulatim eam agitando,donec is locus laxetur,qui mucronem momordit, ne ferrum infixum remaneat, extirpari poſsit: ſin autem ſcalpello, ſi datur locus,os circa ferrum cauare oportet. nonnunquam carnem prius incidamus,ſi vulnus inſtrumentum non recipit. Cum verò ſagitta alte,ac firmiter in oſſe aliquo inſederit(quod ex eius ſoliditate,firmitudine, duritie,ac mẽbri magnitudine inſpicitur)nulla vi cõmoueatur,præſertim eo inſtrumẽto,quod aliqui arcum ſeu balliſtam nominant,ſed carnem ei circunſtantem,aut cultello ſimplici acuto,aut eo inſtrumento hac tempeſtate conſtructo, quod ab eius occulta,ac deceptoria operatione, Forceps deceptoria,aut exciſoria duplicata inuerſa nuncupatur;in primis adimemus,aut diducemus: hoc inſtrumentũ illud eſſe opinamur, quod ad ↓ Græcæ litterę imaginẽ formatur, & ypſiloideum vocatur; dilatatoriũ omnino eſt: attamen eius vtilitatem,aut operationem,quamuis eam memorarũt Celſus,Paulus, & poſteriores, adhuc intelligere non potuimus: Prædictorum inſtrumentorum delineationes in officina cernuntur.

Si autem ſagittæ ferrum, per vulnus aliquod anguſtum,oſsi infixum tantum remanſerit, ac ita firmiter illi adhæſerit,vt nec manibus,nec alio ingenio euelli poſsit: tunc ea inſtrumenta opportuna ſunt,quę ab eorum operatione attractoria dicuntur. & illud celebre iudicatur,quod ab Albucaſi terebrum torculatum,& à Guidone terebrum inuerſum vocatur. Formetur ex optimo chalybe, aut ex ferro indo, & duas ſeruet imagines; alterum enim integrum eſt,ac ima parte torculatum, vt dum in zugi cãnulato auoluitur,ſuo torculari illud amplectatur, & retineat; variè igitur in torculi craſsitiem, & longitudinẽ ob zugi varietatem parentur: alterum diuiſum æqualiter ad ſui longitudinem fabricetur,teres,concauum,per cuius mediũ haſtula ferrea locatur, quæ mobilis eſt, vt deſcendẽdo, torculatam partẽ dilatet:vt vno ſolo terebro,ſingulatim tale opus adimpleatur,omnia ſub duabus figuris,de quibus in officina,conſpici poſſunt.

In lato, & amplo vulnere,vt expedit, aliquo vtimur inſtrumento, quod ab effigie roſtri diuerſarum auium, nomen ſibi ſortitur, nempe à coruino coruinum, ab anſerino anſerinum,à ciconino ciconinum, à gruino gruinum, & communi voce ab attrahendo, omnia attractoria dicuntur, quorum imagines,ac vbi de vulneribus Sclopetorum tractabimus,intueri poſſunt in officina.

Instrvmentvm ad hoc idoneum, celebre, apud antiquos illud obſeruabatur, & ſummopere probabatur, quod quia belli tempore ad ſagittas extrahendas maximo erat vſui, à Græcis belulcum [a] vocatur. Hoc illud eſſe opinamur, quod Hippocrates [b] Eraphiſcum, & Celſus [c] Diocleum, vocãt, à Diocle eius inuentore, qui inter antiquos celebres medicos,à Celſo,& Galeno [d] cõnumeratur. Tale Diocleum à Celſo ſub magna verborum obſcuritate deſcribitur. quare hactenus, & ſi quamplurima alia in noſtra chirurgiæ officina delineauimus, hoc adamuſsim nõ intellexiſſe fatemur. Vos igitur,ſtudioſi iuuenes, obſecramus,vt adinuenta Dioclis veritate,eam ſenſate deſignetis.etiam detracta, vt aliqui dicunt, in Celſi deſcriptione,voce illa, quæ,vbi legitur in parte inclinata,quæ perforata eſt: Nos verò, ſi ferrum in conſpectu venerit, cauda eius lata exiſtente, nec ab alia parte educi expediet,ne maiorem noxam,quam ſagitta fecerit, inferamus.hoc vtimur inſtrumento, quod eo quia accommodatum, ac tutum eſt, Bellulcum,aut Diocleum,appellare ſoliti ſumus.eius effigies eſt in officina.

a ¶ Pau. li. 6. ca. 88.
b ¶ Lib. de telorum extract.
c ¶ Lib. 7. ca. 5.
d ¶ Lib. 3. de loc. aff. not. c. 5. & 2. aphor. com. 24.

Verum ſi ſagitta cuſpidata, aut barbulata, aut ſpiculata fuerit, prædictorum inſtrumentorum vſus non probatur, cum ſagittæ magnitudo, & forma, liberum exitum ſine magno negotio non admittit;ob id ſi cuſpides, aut barbulę, breues, ac tenues fuerint, Forcipe,ſi poteſt,comminui debent, ſe

cus verò dimittantur;&, vt docet Hippocrates, & Celſus, ſcriptorijs calamis ad longitudinem diuiſis contegantur, ne quid remeando lacerent. Hac ratione tenaculæ nonnullæ huic operi ſatis opportunæ adinuentæ fuerunt, omnes quippe cannulatæ, quarum vna quamplurimis dentibus munitur. Alia ſimplicis cannuli diuiſi formam præſefert, ab Auicenna forfex ſemilunaris nuncupatur, omnes ſagittæ partes amplectuntur, & vulneris labra, ac omnem circumferentiam in qualibet noxa incolumem reddunt, ac tuentur; probatiſsima inſtrumenta ſunt. & parantur ſub formis in officina poſitis.

Cvmqve prope oppoſitam partem, aut vlterius, ſagitta peruenerit, nec ea parte, qua venit, extrahi poſsit, diuiſa oppoſita, ſi carnoſa fuerit, & à venis magnis, arterijs, & neruis immunis, per eam ſagittã eximemus, nempe propellendo vlterius, & in oppoſitam infigendo: ſi verò ſagittæ ferrum abſque ſuo haſtili intus remanſerit, & occultè in partibus muſculoſis latuerit, magnum inde medico negotium adducit. quod aut cannulatum, aut caudatum extiterit, ſi cannulo munitur, & illius formæ fuerit, quæ ab vtroque latere eximi poſsit, eo inſtrumento impellatur, quod propulſorium mas, aut impellens ſurdum nuncupatur: à ſagittæ haſtili non multum variat, ſed teres, & acuti capitis eſt, vt in zugi cannulato ingredi valeat. at ſi caudatum fuerit, ad hoc illud opportunum erit, quod propulſorium fœmina, aut cauum dicitur, calami formam retinet, vt in eius cauo, ſagittæ caudam recipiat, ab Auicenna impellens cannulatum dicitur. probantur hæc duo organa tanquam neceſſaria, ob id quia omne telum, quod corpori inſeritur, aut ab ea parte, qua venit, aut ab ea, in qua tetendit, extrahi debet. eſt igitur duplex modus, vnus per attractionem, alter per protuſionem, ſeu per impulſionem, qui adimplentur interdum tuto, & quietè, ſæpe magno labore, longo cruciatu, temporis tractu, & mortis periculo: Hiſce ergo ſagittę propelluntur hoc modo, donec ab altera parte, ſi caro tenuis fuerit, apprehendi, & eximi poſsint. propulſoriorum delineamenta in officina reperies.

In qualibet omnium prædictarum operationum, ſumma diligentia adhibenda eſt, ne maius ab ea ſequatur incommodum, quàm vtilitas, & commodum. Turpe ſiquidem eſt, dum telum aliquod extrahimus, maiorem noxam inferre, quàm telum ipſum effecerit; quare tutius eſt interdum omnia hæc potenti naturæ dimittere, quæ longiori temporis ſpatio, partem affectam abſceſſu occupante, ac diſrupto, per eum tela extramittere ſæpe ſolet: extracto telo, ſanguis exprimatur, vt vulnus ab aliqua praua humiditate immune reddatur, inde niſi multus ſanguis emanauerit, terebinthina calida, hypericonis oleo ad dimidium addito, vulneri infundatur. vicina verò loca, & quę in conſortio ſunt, oleo maſticino, roſaceo, ac de ſemine lini irrorentur. aut vtimini (& eſt medicamentum incomparabilis virtutis) emplaſtro noſtro ſancto ad vulnera anguſta, cuius deſcriptionem in libro quarto, & tertia indicatione videre poteritis. Hæc, nullo ſymptomate apparente, vt de alijs vulneribus dictum eſt, agenda ſunt, nempe ſi recens fuerit, medicamento, quod cruentis vulneribus inijci ſolet, curetur: ſi verò incruduerit, aut dolore afficietur, aut inflammatione vexabitur, aut veneno affligetur; quæ tũc agenda ſunt, in calce ſequentis libri planè videre poteritis: verumtamen ſi plaga inflammatione vacauerit, & ampla fuerit, ſuturis cruentorum more eam curabimus. ſi inflammationem experiatur, fomentis, cataplaſmatibus, & cõſimilibus medebimur, in primis ſemper de toto conſiderationem habentes.

Hactenus methodus tradita eſt ſub quadam breui epithome de ſagittis è corpore extrahendis: Poſt hæc, Deo maximo optimo fauente, quæſtiones nonnullas dilucidare intẽdimus: eamq; præſertim, cur ſagittæ ferrum, aut plumbea glans, ſæpe integra profundè infixa, ac cicatrice obducta, citra vllam noxam per multos annos [a] deliteſcat, & profundè cõſeruatur, quamuis ſubſtantiæ humani corporis admodum diuerſæ exiſtant, atque omnino præter naturam, deinde ſedem ipſam affectam, aut alteram ab illa parum diſtantem, abſceſſu occupante, ac in vomicã conuerſo, exire cogantur. ſecus verò euenit, ſi oſsis aliqua ſquirla, aut particula à ſede ſua fuerit diuulſa, ac ſe parata; ſiquidem niſi, oſſe extracto, vulnus nunquam perfectè conſolidabitur, vt in caluarię curatione, ac alibi, ſæpiſsimè videre ſoliti ſumus,

a ¶Hipp. lib. 5. de morbis propu. Pau. li. 6. c. 88. Alb. li. 2. c. 96. Alexander Bono. lib. 4. c. 14.

CHIRVRGIAE

IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI,

Tractatus Secundus.

De vulneribus.

LIBER SEPTIMVS.

De Sclopetorum vulneribus, & eorum curatione. Cap. I.

TRIA telorum genera, quæ corpori humano aliquando inſedunt, deſcripta ab antiquis [a] reperiuntur, quorum primum (veluti ſagitta) acutum, ac ſubtile eſt, quę in eo facillimè conditur, & altiſsimè penetrat: hæc ſępius ab altera parte, quàm qua venit, recipienda eſt; ſiquidem ſæpiſsimè ſpiculis cingitur, quæ magis laniat, ſi retrò, quàm ſi contra, trahatur. Secundum, ſicuti lancea, latum eſt, quæ dum corpori infigitur, ab altera parte educi non expedit, ne ingenti ipſi vulneri ingentius quoque vulnus adijciamus. Tertium ſphæricum, aut anguloſum eſt, prout plumbea glans, ſiue parua pila, aut parua ſphærula, aut, vt dicunt, globulus, aut plumbeus, aut ſtanneus, aut ferreus, aut lapideus, quod raro, aut alterius ſubſtantię durę, quę perrupta cute, & carne integra intus reſidet, & ea qua venit, extrahenda vt plurimũ eſt. De hoc igitur tertio telorum genere, nonnulla expedit in pręſenti breuiſſimè enarrare, cum non raró hiſce temporibus in pręlijs, ac bello nauali, alibiq́ue à diabolico illo inſtrumento fulminante (quod iſti vulgo Tormentum, Archibugium, & ſclopetum vocant) globuli diuerſi in homines iaciantur, qui quidem & magnam noxam, & ſepè mortem inferre ſolent: & ſi nullam de hoc tormenti genere antiqui cognitionem habuere, attamen Hippocrates, & Celſus in tertio telorum genere, quod homines & lædit, & intimè remanet, glandem plumbeam, aut lapideam connumerarũt, & nullum quidem verbum de inſtrumento protulerunt, quod hęc tela emittere, ac iaculari ſolent. Siquidem inſtrumenta illis non innotuere, ſed ea funes erant, quas iſti fundas, aut fundibulas vocant. præliabantur enim antiqui fundis, & lapidibus, & huiuſmodi inſtrumentis. hac tempeſtate in eorum pugnis vtuntur pueri. & ſimili Dauid Propheta Goliam Gigantem necaſſe, legitur in ſacris litteris. Glandes, ſiue globuli magno impetu in homines proijciuntur, & in eis quamprimum compoſitum vulnus cauſare ſolent, ſaltem cum ea cauſa, quam iſti propriam, ſiue coniunctam appellant. ea quippe eſt, quæ vnà cum vulnere frequenter reſidet, & ægritudinem talem actu producit, non expoliatam carnis attritione, aut laceratione, oſsium fracturis, intemperie, dolore, inflammatione, aduſtione quadam, & aliqua venenoſa qualitate, vnde facillimè ſedes affecta ſphacelo affligitur. Attritio ſenſate dignoſcitur ob id, quia caro contuſa lacerata apparet, & liuidi coloris fit: porrò cauſæ ad hoc potentes exiſtunt, nempè obtuſæ, graues, ac magno impetu tranſmiſſæ, ac impulſę, oſsium fracturæ ex iniuſta natura, & arbitrarij motus detrimento apprehenduntur: de dolore ſauciatos interrogare oportet, nam ſanè eius

[a] ¶Hipp. lib. de telorum extrac. Celſ. li. 7. c. 5. Paul. li. 6. c. 88. Auic. 4. 4. tra. 2. cap. 10.

ambas cauſas ibi perpetuò adeſſe dignoſcitur, veluti continui ſolutio, quæ oculis demonſtratur, & mala temperatura ob igneum impetũ, & accenſam cauſam, quæ nõnunquàm aliqua venenata qualitate tingitur: hac ratione in maximis læſionibus interdũ, patientis corpus, & mens ſtupet, vulnerati attoniti fiunt, eosque frigidus ſudor inuadit, mox æſtuant, vulneris ora liueſcunt, ac denigrantur, ſubſequitur febris, ſiti intenſa conficiuntur, ſomno priuantur, difficulter ſpirant, ſyncope, & vertigo oboritur, tumultuoſis inſomnijs, ſi dormiunt, affliguntur, facies inflammatur, oculi rubent, deſipiunt, atque abſurda loquuntur, poſtremò moriuntur. Tela autem eiuſmodi intus condita eſſe, his notis deprehenduntur, interna aſperitas, aut mollities, aut inæqualitas, aut rotunditas ſubeſſe ſentitur, plaga raro omnino in rectum tendit, caro contuſa, ac liuida cernitur, & dolor, ac grauitas locum infeſtat. Certiſsimum autẽ indicium eſt, glandem intus conditam eſſe, cum ex oppoſito vulnus non appareat, quo exilire potuerit. Porrò hæc vulnera varijs indiſpoſitionibus complicantur, & varijs indicationibus regi debent, ſemper ab eo ſymptomate, quod magis vrget, vulnere non neglecto, initium capiendo. Decet igitur primò ſi vulneri quid pręter naturam inhæſerit, id euellere, veluti cauſam, ſine cuius ablatione vulnus raro ſanari queat. talis quidem pro ſymptomate habetur, quod ad ſe primarias indicationes curatiuas coadducit; Secundò dolores demulcere, qui inducias expectare non ſolent; ſiquidem quod dolet, plus aliquid affluere facit. atque hinc fit, quòd ex dolore, particula proportione confluentis humoris in eam, in tumorem attollitur, qui qualis fuerit, ex colore, calore, dolore, & dimenſione cognoſcitur. Tertiò contuſi, ac lacerati vulneris opportuna præparatio, quam iſti digeſtionem appellant. Quartò ſinuoſi vulneris, ac omnium anfractuum conueniens abſterſio, nouæ carnis productio, & cauitatum repletio, poſtremò æqualis ſigillatio. Quintò accidentium malorum, quæ his affectibus ſolent ſuperuenire, exquiſita correctio, & profligatio.

De Globulis, aut alijs rebus omnino præter naturam è vulnere eijciendis. Cap. II.

CHIRVRGIAE partem hanc, telis extrahendis dicatam, maximè neceſſariam fore, decantabat Homerus; vnde Galenus hanc Medicinę partem, homini & vitam, & mortem inferre poſſe, affirmabat. Hac ratione, cum primum Medicus ad vulneratum acceſſerit, cuiuſque partis affectæ rationem habeat. nam multum intereſt habere lęſæ partis cognitionem, cùm partes inter ſe valde differant, quarum differentiæ curationis methodum variare ſolent; ſecundò indicem digitum, cum nihil eo præſtantius ſit, in vulnus immittat, vt quantum, & quale ſit, certior fiat. Si verò index breuior videatur, aut craſsior, quàm peruenire ad telum poſsit, anfractus omnes, qui in his lęſionibus diuerſi eſſe ſolent, ſpecillo, ſiue radiolo accuratè perquirat, & an vulnus in cauam aliquam partem peruenerit, & viſcus aliquod læſerit, aut telum externam tantùm partem sauciauerit, aut oſſa fregerit, veſtiget: & aut inter artus abſconditum ſteterit, atque vbique cognoſcat ſi globulus quidam, aut armaturę particula, aut indumentorum fragmenta, aut oſſa fracta, aut quid aliud diuerſum, abſconditum detineatur; Siquidem à ſimili re ſummi dolores, ingentes cruciatus, ardentiſsimæ febres, inflammationes, conuulſiones, gangrænæ, & deliria excitantur. quapropter, ſi in huiuſmodi vulneribus humiditatum ingentem copiam effluentem videbimus, aliquid præter naturam detineri iudicabimus. igitur ſumma cura omnia hæc tutò tollantur, vt inde iucundius operando, maximè in his, quæ circa neruoſas partes fiunt, operationibus hanc indicationem adimplere valeamus, & in hoc chirurgus ingenio præditus, experimẽtis comprobatus, ac inſtrumentis varijs munitus requiritur. nam extranea, in cauſa ſunt, quòd vulnera ſanari nequeant. propterea diligentia adhibenda eſt, vt his, tanquam cauſa remotis, eorum pariter remoueatur effectus. porrò ea tantùm extranea nõ ſunt, quæ extrinſecus eueniũt, ſed quæcunque humanæ naturę aduerſantur, nec ab ea conſeruari poſſunt, quamuis prius eius partes extiterint, quemadmodum oſſa fracta, caro attrita, aut ſanguis extra venas exiſtens. Hac ratione qui in his inquirendis methodicè operatur, aduertat, ne decipiatur; quod facile eſt. nam in his fulminatis vulneribus, quæ magna vi inferuntur, per multos, ac diuerſos ſinus læſio tortuosè progreditur, ac pila perſæpè ſecum alia ferre ſolita eſt, ac abſcondita relinquere, nempe partes loricæ, armaturę hamulos, aut indumentorum fragmenta, & alia huiuſmodi, quibus poſtea pars affecta breui temporis ſpatio tam male affligitur, vt pręter naturæ ordinem tumeat, aut ſphacelo occupetur, igitur qui ſic inquirendo prętenui ſtylo vtitur, facilè decipitur, quare nec nimis tenue, nec nimis craſſum eſſe debet. aberrat enim ille facilè ex eius tenuitate, huc atque illuc inter membranas, aut lacertos, aut laceratas venas, aut fracta oſſa ſubintrando, per quæ loca pila frequenter minus tranſitum facit. ob id digitus in hoc verus iudex eſſe creditur. Specilli materia interdum argentea, aut plumbea, aut ex leni, & flexibili metallo, interdum ex cera, vt pro Medici arbitrio flectatur, eſſe debet. Cognito globulo, aut eo, quod intus conſederit, ægri corpus eo modo ſituetur, quo vulnus acceperit; & ſi vires deſunt, in lecto molli, & proximè ad eam figuram, poſtmodum citò, tutò, ac quàm minimo cum dolore globulus, ſi datur occaſio, extrahatur, & prima die; quia qualiſcunque fuerit ictus, commodius pertractabitur:

tur: nam tunc membrum calidum,& cruentum vulnus latius perſentitur,ac ſtupidè ſentit, & globulus, aut digito,aut alio inſtrumento facilius tangitur. cum.n. pars affecta ab aere,aut medicamento frigeſcit, maiori in operatione afficitur dolore: quod ſi aut ex imperitia, aut ex impotentia, aut alia cauſa fuerit omiſſum,nō ita facilè deinde occaſionē dabit,qua id moliamur.fiat igitur prima die,aut ſecūda,ſin autē abſtinere oportet, præſertim ſi ſęua apparuerint accidentia, ne qui artē medicā optimè callere profitetur, dum medetur ægrotis, & aliquid agere videtur, mortem languentibus inferat, neruos,tendones, aut venas magnas rumpendo, ac laniando. hac ratione & ſi vulnera vel lethalia ſunt,vel ita deſperata,vt membri deſtructionem omnimodam nobis polliceantur, non ob id tamen vulneratus abſque auxilijs relinquendus eſt,quin omnia aggredi,ac tentare medicus debeat,nempè quæ ex arte,& ſecundum rationem fieri poſſunt: ſed primò aſsidentibus conſanguineis,& amicis de futuro rei exitu præſagiatur, vt à maleuolis, & inuidis ſe vindicet. multi enim præter omnium ſpem modo quodam mirabili ſuperſtites fuere; quare vrgente neceſsitate, quod euellendum eſt,euellatur,quod duobus modis eximitur,aut per foramen,quo introiuit, aut ex oppoſito ſitu,facta noua ſectione,ſi non longè à cute pila cōſtiterit. Si verò multum ab ea diſtat,& altius inſedit,ac ſpecillo percipitur,per laceratum vulnus, leuiterue, pro viribus extrahatur,omni ſtudio,vt modò celeriter, modò tardiuſcule, vt res poſtulat,& cōmodum apparebit,ac æger tolerare poſsit,opus perficiatur: verùm,ſi decet, vulnus amplietur, non tamen maiori ſectione, quàm glans ipſa requirat,ſed ea forma, & quantitate, qua quod ingreſſum eſt, extrahi poſsit, ne noua diſruptione magis noxium vulnus reddatur. nec prius ſectio facienda eſt, quàm globulus adinuentus fuerit. valde enim turpe eſt,ſi facta noua ſectione,globulus compertus non fuerit, nec aſſequi à Chirurgia quod volueris. vbi autem ſatis inciſum eſt,telum eximatur,eadem cura habita, ne ſub eo, quod eximetur, aliquid eorum lædatur, quæ tuenda eſſe propoſuimus, quæ verò per diabolicum tormentum impelluntur, varias effigies ſeruare ſolent,vt per figuras in officina poſitas apertè dignoſcitur. quæ interdum ex ſolidioris corporis contactu permutantur.

Si pila ſphærica fuerit,ac partibus carnoſis tantùm infixa,ſpecillū in latiori parte conuexū,ſiue flexū, ſub forma,de qua in officina paratū,adminiſtrabimus; ſiquidē accommodatum inſtrumentū iudicatur, præſertim in membris amplioribus,ac vbi aliqua datur cauitas.eius imaginem in officina videbis.

Si verò euenit,quòd tale inſtrumentum incommodum reperiatur, illud experiatur, quod ſpecillū annulare dicitur. virgula argentea eſt,teres,craſsitudine ſpecilli,in cuius extremo annulus quidam efformatur, vt pilam quietè accipiat. eius forma in officina eſt.

Probatur hoc annulare ſpecillum,vbi pectus,aut infimus venter confoſſus fuerit, aut vbi cætera inſtrumenta ingredi nequeant, antequam vicinæ carnes intumeſcant, aut inflammatione vexentur, aut partes vulneris coierint. ſi globulus oſsi adhæſerit,illud opportunum eſt,quod,quia hami effigiem præ ſe fert, hamulus,aut vncus, ſiue vncinus retuſus vocitatur, à Paulo verò cyathiſcus dicitur. ſub duplici modo,nempe ſimplici, aut duplicato,eius formatur imago, vt in officina.

Possent fortaſsis hamuli,ſiue vncini in cathenarum,aut globulorum diuiſorum, aut partis loricæ, aut ſimilium rerum extractione valere,non tamen tutò,ac ſine moleſtia,cum cuſpides adeò acutas contineant,quare à multis reprobantur. Sed illud inſtrumentum magis vſui ſeruatur, quod Alphonſinum,ab Alphonſo eius inuentore, dici ſolet. Inſtrumentum eſt,tribus ramis munitum.qui ab vno ſolido corpore originem ducunt,cannulo ferreo mobili circundantur, qui ſi cuſpidem verſus traxeris, ramos claudit; Si contra, eos aperit,qui intimè denticulati ſunt, vt apprehenſa pila, aut eo, quod in vulnere reſidet, ſtrenuè amplectētur,& teneant: exterius verò lenes,& æquales apparent, vt per figuras facilè cōprehenditur in officina ſuo loco deſcriptas.

Si globus altè inſederit, & ſedes carnoſa fuerit,illud celebre inſtrumentum eſt, quod eò quia roſtri anſeris imaginem præ ſe fert, Anſerinum meritò nuncupatur, præſertim vbi varia telorum fragmēta occultantur, & corpora quam plurima minima extiterint, vbique probatur. Heras fuit huius inuentor, & eius vtilitas per figuras dignoſcitur, in officina ſuo loco depictas.

Non ſine maxima vtilitate parata habemus quædā inſtrumenta, quę quia formā roſtri Gruis, aut Arcadis imitantur, Gruina,aut Arcadina nuncupantur.formantur in officina.

Si locus vulneratus ſinuoſus fuerit, & vulnus anguſtum, Ciconinum inſtrumētum noſtræ inuentionis, quo frequenter vtimur, tutum,ac ſecurum eſſe opinamur, vtpotè quod ad extrahenda quælibet corpori infixa aptiſsimum habetur.quippe ſecurè, velociter, & ſine dolore operatur.quicquid apprehēdit,tenaciter retinet, facillimè ingreditur, & ſine noxa egreditur. duobus tantum dentibus in eius imo munitur, quibus plumbeas glandes capit, & ex omni parte commodè extrahit, vt per figuram in officina compictam videre licet.

Securum, ac quietum in pilis plumbeis educendis Anſerinum, & Ciconinum inſtrumentum iudicatur:attamen apud quaſdam nationes aliqua probantur organa ramificata,quæ varias effigies ſeruare ſolent: & quod primò occurrit, ex tribus partibus fabricatur,nempè ex vno trunco, ex duabus partibus pro quodam torculo vnito, & ex cannulo exteriore, à quo rami quatuor, qui à trunco originē ducunt, clauduntur. Sic.n. apprehenſa pila,opus totum tutò perficitur. videas in officina primò truncū diuiſum,qui per torculum vniri poteſt: ſecundò cannulum,& tertiò inſtrumentū perfectum.

Ad

AD hoc opus etiam ea inſtrumenta opportuna ſunt, ſi globulus ad cauitatem, aut ventrem deuenerit, quæ apud Teutonicos parantur. formoſa ſunt, inſigni artificio fabricata, tribus alis ramificata, ac quam plurimis alijs negotijs vtilia. iſtis ſæpe vtimur illius loco, quod Græci Dioprion, & Dioptera, & Latini ſpeculum vocãt, ad Vteri, aut Ani paſsiones indagandas accommodata. nobis à Clariſsimo Andrea Mattheolo Senenſi Cæſareæ Maieſtatis Medico, donata fuere; ea conſeruamus, & vtimur. Rochetę vocitantur, & ſub formis effingi ſolent, de quibus in officina.

CVMQVE in oſſe aliquo globulus firmiter infixus fuerit, ac ita hæreat, vt nullo ingenio inde dimoueri poſsit, Terebro ſolo, aut cannulo cincto, quemadmodum magis ex vſu iudicabis, vt educatur, terebello globulum perforando, operam dabis; ſiquidem inſtrumenta ſic parata, apud Chirurgos caſtra ſequentes, perpetuò circunferuntur. Cannulum ferreum eſt, teres, longitudine digiti, per medium diuiſum, per quod medium haſtula teres in imo torculata pertranſit, quæ paulatim, & gradatim conuoluitur. ſic enim, dum ſupra plumbeam glandem cannulus firmatur, & terebrum circunducitur, pila ita apprehenditur, quòd amplius dimoueri nequit, & facillimè abſque carnis noxa extrahitur. Alterum ſimile paratur, cuius extremitas torculata exterius apparet. facit nempe ad pilas, ac ſagittas abſque haſtili euellendas, vt per duas figuras videre expedit in officina poſitas.

ALIA cannuli forma integra parari ſolet, quæ huic operi conducere videtur, ac plurimum vſui ſeruatur, & ipſa pariter cũ ſuo terebro fabricatur, vt ex tribus figuris apertiſsimè dignoſcitur, quæ ſunt in officina deſcriptæ.

NON deſunt quàm plurima alia inſtrumenta, his operationibus accommodata, quæ nunc, ne nimis prolixa ſit oratio, dimittere decreuimus, ſequentes nimirum operandi modum. Si ergò euenit, vt partem aduerſam ſecare liceat, vbi caro craſſa non apparuerit, ac propè cutem telum quieuerit, nec neruus, aut vena, aut tale quidpiam obſtiterit, quominus ad globulum vſque ſine periculo vulnus perueniat, ſecetur; & ſi globus ſe oſtenderit, tunc aut digitis, aut hamulis, aut roſtro aliquo, aut terebris, aut alio ingenio, in quo firmari globulus commodè poſsit, aut quicquid continetur, euellatur, ſtatimque ſpecillo, aut digito, ſi intus quid aliud pręter naturam occultum remanſerit, perquiratur. nam, vt dictum eſt, ſolent globuli varia ſecum afferre. igitur, ſi loricæ fragmenta, quia firmiter infixa, aut minima, aut abſcondita, euelli nequeant, nullo modo vi aliqua extrahi debent, ſed naturæ dimittantur, quæ aut vnà cũ puris copia, aut orto aliquo abſceſſu, ſimilia tranſmittere ſolita eſt, ad plenum obſeruatis, quæ ab Hippocrate commemorantur; Siquidem ſi affectum ſummouere non valemus, cauere ſaltem debemus, ne illum augeamus, quare cum rem aliter ſe habere cognoſcimus, quàm quę tutò per nos tractari poſsit, ab opere abſtinere debemus.

De victus inſtitutione, ac dolorum ſedatione. Cap. III.

EVVLSO globulo, ſi ſanguinis profluuium apparuerit (interdum enim in his vulneribus parciſsimè effluere ſolet) eo modo, quo ſæpius dictum eſt, ſiſtatur. quamuis multoties ipſum emanare, præſidium optimum eſt. ſic enim vulnus ſiccius, & ab inflammatione magis tutum redditur. laudatur tamen ad ſanguinem cohibendum, bolus armenus, thus, aloes, & ſal, dimiſſo nempè oui albumine, & poſca, ſi decet, quæ ex aqua, & aceto componitur. ſin minus, eo vti conuenit. ſi hæc non iuuant, ferro ignito locus pluries aduratur; nam ſic & caro attrita abſumetur. deinde ſi dolor atrox membrum infeſtauerit, qui ad vires proſternendas, mortemque ciendam fortiſſimum ſymptoma eſt, is certè remoueri debet; ſiquidem vulnus ſanari nequit, dolore prius non ſedato. Huic igitur ſymptomati citò, ac totis viribus, incumbere licet. Hac ratione, vulnere vniuerſo commodè linteolis, aut puluilis ex ſtupa probè pexa repleto, aliquod cataplaſma ad hoc dicatum, vt dolores tollat, & fluxiones inhibeat, ſuper dari debet. ſimile parari poteſt ex farina hordeacea, fabaceaque, ac puluere ſubtiliſsimo roſarum, mirtilorum, pimpinellæ, & conſolidæ, addito vino nigro, oleo roſato, ſambacino, & ſapa. Porrò, vt citò dolor quieſcat, nil præſtantius oleo ſambacino, & ſulphure ignem non experto; veluti, Recip. olei ſambacini vnc. i j. ſulphuris viui drag, ij. parum bulliant, & vtere. adhuc etiã præſtantiſsimum remedium eſſe ſolet oleum de terebinthina, & illud de momordica, aut hypericonis magiſtrale, ſemper addito ſulphure, vt dictum eſt. Intemperie aliqua apparente, contrarijs qualitatibus tollenda eſt. Dolores ergo à mala temperatura genitos communiter, & commodè ſedamus in attritis vulneribus, aut ſaltem mitigamus, euacuato, vt expedit, prius corpore, facto ad particulã læſam fotu, ex ſambacino, & roſaceo tepido, ſi præſto fuerit, quod ſæpe renouari debet. vel ſi eorum copia nõ adſit, ex communi oleo, quod modicè incaluerit. quibus, ſi oui luteum, vbi magna inflammatio, aut vehemens caliditas non apparuerit, adijciatur, præſtantius adhuc efficies auxilium, valent ſolani radices tritæ, & ſuilla axungia exceptæ. iuuat etiam emplaſtrum ex maluis decoctis, ac tenuiſsimè tritis, additis furfuribus tritici cribratis, oleo roſato, oui luteo, & croco, medulla etiam panis, in feruenti lacte decocta, aut aqua macerata, cum rhodino, vitellis ouorum, & croco, efficaciſsima eſt. hæc circa, & ſupra vulnus applicanda ſunt, eo prius, lichinis leuibus tamen, & quæ ad fundum omnino non perueniant,

terebenthina, & oleo hypericonis, aut zanetino madefactis, repleto; nam hæc dolores leniunt, innatum calorem corroborant, & affectam partem ab omni putredine vindicant. probatur etiam ad hoc oleum ſambucinum, & liliaceum.nonnulli etiam peritiſsimi viri affirmant, celebre præſidium eſſe, vinum citoniorum,aut mucillaginem ab eorum ſeminibus extractam, & verè ſecretum mirabile eſt: at ſi à malo ſucco, qui ad affectum confluit locum, mala aliqua temperatura oritur,ſiue eius qualitas fuerit, aut redundantis copia, ad finem deſideratum deuenire oportet,nempè ſanguinis miſsione,quæ ſine mora celebranda eſt. & ſi veneficij alicuius affectus ſuſpicio aderit,alexiterijs,ideſt medicinis veneno reſiſtentibus per os ſumptis,clyſteribus, dieta conuenienti, quiete,& ſimilibus tollatur: demum apocruſticis(ideſt medicinis temperatè repellentibus, quales illę ſunt,quæ aliunde occurrentes ſibi ſuccos repellant,ac tranſmittant) affecta ſedes regatur; non tamen vt potentius refrigerent,ſed ita,ne vis veneni,ſi quid remanſerit,ad internas regiones remeet,& nè vulneratus locus,ob confluentes humores, intumeſcat, ſiquidem in laceratis vulneribus,ob loci imbecillitatem, quamplurimæ ibi aggregantur ſuperfluitates, non tantum ex tarda congeſtione, ſed defluendo,ſiue à toto,ſiue ab officiali membro, plenitudine aliqua laborante,ex quo pars affecta imbecilla redditur.vnde mirum non eſt, ſi inflammatione, aut ſphacelo, facillimè affligatur. ob id quærendum eſt, vt membri propria habitudo,ſiue temperies conſeruetur; quæ inſtrumentum eſt,quo natura ad manutenendum quod ſibi proprium eſt, ac familiare, & ad expellendum quod noxium eſt, & non naturale, vtitur. repellunt temperatè, non abſque aliqua corroboratione, vinum nigrum auſterum,oui albumen, oleum mirtinum, rhodinum, hydrelæon, ideſt aqua & oleum,oxelæon,ideſt acetum,& oleum,ceratum roſatum, aut ex pſilio,bolus armena, terra lemnia, puluis coriandrorum,farina fabacea,& ſimilia. Interdum faſcia ritè conuoluta, aut vincula ſuperius adhibita,quæ nec dura ſint, nec grauia, ne preſſo loco dolores augeantur, nec decet infirmo loco repellens auxilium adhibere,ſed ſuperius collocandum eſt,vt quod transfluit, inhibeat.

In his omnibus operationibus,cauere oportet,ne pus, aut ichor,ſiue ſanies retineatur, ſed defluat, & omni ſtudio quęratur, vt medicamenta commodè intromittantur,& quòd omnes partes indifferenter attingant.ob id negamus aliquam fore vtilitatem in laqueo,quo multi vtuntur, dum ab vtraque parte vulnus peruenerit, ſed turundę tantę duntaxat longitudinis ſint,ac craſsitiei, vt ne vulnus ex toto claudatur,ſic vt prohibere poſsit,quo aptè ex eo pus effluere valeat. Et quia de maximè alterantibus corpora noſtra,eſt aer,ideo hic temperatus eligatur, victus tenuis,& paucus inſtituatur.cibaria cruda, acuta, ſalſa, & quæ humidum ſuccum gignunt,aut multum nutriunt,dimittantur. vinum omnibus,niſi maxima apparente indigentia, interdicatur.aqua cocta potus eſto,aut eius loco hordeacea,aut ptiſanæ cremor propinetur. motus ſit nullus; nam his quies optimum remedium eſt, ſomnus naturalis bonus, vigiliæ longæ malę, animi accidentia,ac venus ſemper mala. His omnibus opportunè inſtitutis, vulnus in digeſtione,abſterſione,exſiccatione,& alijs requiſitis indicationibus ſecundum temporis neceſsitatem regatur,hoc addito,quòd Chirurgi munus non eſt,plus minusuè, quàm deceat, infrigidare, aut calefacere,aut quouis alio modo dolores excitare,ligando, ſtringendo,cooperiendo, fouendo, cataplaſmando,aut lichinia, ſiue turundas perperam adminiſtrando,quæ omnia Empiricis familiaria ſunt.

De medicamentis concoquentibus, & pus mouere potentibus. Cap. IIII.

MEDICAMENTA, quæ accedente calore innato,pus mouent,ſeu(vt iſti dicunt) vulnera digerunt, ex methodo his vulneribus adminiſtrantur, vt potè pro dignitate habetur, quòd in contuſo vulnere, ſi qua caro ex telo contuſa, & diſſecta fuerit, curare oportet, quo quàm celerrimè ſuppuretur; nam & minus inflammatur, & breuiori tempore ſanatur. neceſſe eſt carnes contuſas, ac diſſectas putreſcere, & pus fieri,eliquari, ac conſumi,poſtmodum nouas naſci: non præparata ergo huiuſcemodi vulnera cōmitti non ſolent, etiam ſi adducantur, nec ſua ſpōte coeunt. Horum pręparantium medicamentorum opus eſt,ſua caliditate,ac temperata humiditate, in crudis,aut indigeſtis vulneribus, aut in ijs, quorum pori, ſiue meatus,aut vicinæ viæ obſtructæ fuerint, ad extranearum humiditatum ſenſibilem euacuationem præparare, caliditatem digeſtiuam vigorando,materiā ad alterationem ſimilem illi diſponendo, quæ in puris generatione fit. Hæc in vulneribus,coagulatum ſanguinem,ac illi admixtas humiditates ſuperfluas, obſtructas,& compactas, necnon in extremitatibus venarum notabilium,ac minimarum partium, videlicet attritarum,ac in locis ipſam attritionem ambientibus præparat,digerit,ac diſponit, vt ſub quadam puris latitudine expurgetur, quippe congelatio, & conſtrictio hæc frigidorum medicamentorum applicatione,ac ambientis aeris actione producitur; ſucci ſiquidem alieni partim defluendo ex potentia virtutis expulſiuæ membrorum validorum, varias ſuperfluitates ad imbecillia tranſmittentium, partim per congeriem ex debilitate virtutis digeſtiuæ,& ex pulſiuæ ſedis affectę,in vulnere congregantur;& præparationi, aut quia crudi, aut quia multi, aut quia eterogenei(ideſt, diuerſarum ſubſtantiarum) aut quia extra propria vaſa ſunt,rebelles ſunt. hac de re, præſertim in his contuſis,ſiue attritis vulneribus, hanc indicationem adminiſtrare conuenit, potiſsimū

ſi priua

ſi praua non adfuerint ſymptomata, quibus illicò incumbendum eſt, vulnere non neglecto. Igitur ſup preſſo ſanguine puris generationem feſtinare oportet, & lichinia, ſiue penicilla aliquo digerente, ſeu (vt rectius dicamus) præparante medicamento illinita, in vulneribus imponere, ac proximas partes linimento modicè repellente, ac vi corroborandi prædito oblinire, & ſuperpoſita lata petia eodem digerente munita vulnus faſcia ſic, vt nullo modo dolorem inferat, obligare, hoc ſeruato, vt aut per poſitio nem ſitus, aut facta ſectione opportuna, ſanies liberè perpetuò effluere poſsit. igitur vulnus partem ſpectet inferiorem, vt à confluentibus humiditatibus immune reddatur. poſtea, vt patiens quieſcat, curandum eſt. Quæ pus mouent, diuerſimodè parantur, & quę primum ordinem ſeruant, hæc ſunt. Recip. olei roſati vnc.iij. vitelli ouorum nu j. miſce. Secundum, Recip. olei roſati maturi vnc.iij. vitellos ouorum nu.ij. croci parum, miſce. Tertium, Recip. reſinæ terebenthinæ vnc. iiij. corticum thuris, maſticis an. drag. i i j. olei roſati maturi, hypericonis an. vnc. j. vitellos ouorum num. i j. croci parum, miſce. Quartum eſt Galeni Picatum, aut tetrapharmacum, ex pice colophonia, cera, & adipe taurina, aut vitulina. huic addunt aliqui rhodinum, & oui luteum. Huiuſcemodi medicamenta non ſolùm pus mouent, ſed doloribus opitulantur, vnaque abſtergunt, & corroborant. linimenta verò, quibus vicina inunguntur, ſic parari ſolent. Recip. olei de corticibus ſambuci, omphacini, maſticini an. vnc.ij. vnguenti ſandalini, ceræ an. vnc.j. miſce, aut Recip. vnguenti roſati Meſues vnc.ij. boli armeni vnc.j. aceti roſati q. s. pro linimento. aut accipe duos caniculos recens natos, vermium terreſtrium vnc.ij. olei violati, roſati an. vnc. ij. coquito, & percolato: vulnus, donec omnis ſuſpicio pręterierit, ſic pertractabis, vel donec vllam futuram inflammationem verearis, quę ad ſeptimā vſque, aut decimam quartam diem ſemper timenda eſt. Vulnus quotidie, niſi magna ſaniei copia apparuerit, hyeme ſemel, bis æſtate curabis. Pure denique in quali & quanto laudabili apparente, indicationes mutare expedit: & hoc vnum aduertendum eſt, quòd in contuſis vulneribus, aut magnis attritionibus, vel ſemiaduſtis, aut aliquo veneno alteratis, non ita velox fit ſaniei præparatio, veluti in alijs, & purioribus, nec in omni ætate, aut habitudine, temporis conſtitutione, viuendi modo, & ſexu, ſed in aliquibus citò, in alijs ſerius. Et, ſi vulnera huiuſcemodi vnius mēbri vtrunque latus perforauerit, decet quippe ambas partes, donec optimè expurgatæ fuerint, & à ſymptomatibus liberæ, apertas conſeruare. igitur duo lichinia mollia, ac tantę longitudinis, vt ſe contingant, aliquo conuenienti medicamento illinita, imponantur: laqueolus verò ex lineo panno digiti latitudine, qui vtranque partem amplectatur, non ſemper probatur, niſi carnoſis partibus tantùm perforatis; Siquidem, vbi oſſa læſa ſunt, aut quid præter naturam in vulnere continetur, ſolent & dolores, & inflammationes afferre, ac internam corruptionem producere. Nec conſolidationem accelerare oportet; nam hi affectus non curantur, niſi ſedes affecta fuerit optimè diſpoſita, & à ſymptomatibus immunis.

De medicinis abſtergentibus, & carnem inducentibus. Cap. V.

CVM PRIMVM in vulnere concoctio aliqua, ſiue digeſtio apparuerit, quæ futuram ſalutem pręſagiat, nullo dolore, aut inflammatione, aut extenſione ſupernaſcente, ad alias indicationes tranſire opus eſt, nempè ad conuenientem abſterſionem, cauitatis repletionem, & optimam ſigillationem, ſiue cutis inductionem. Sed quia[a] in ſolutis continuitatibus duę perpetuò producuntur humiditates, pręſertim in deperditæ carnis regeneratione, altera quidem ſubtilis, quæ ichor Græcè, & virus Latinè: altera craſſa, à Græcis ęlçodes, & à Latinis ſordes vocitata, ex tenui, vulnus humectatur, & ex craſſa, ſordidum redditur, idque duplici medicamento regi debet, vtique humidum ſiccantibus, ſordidum verò expurgantibus. Ergò cùm nullo vnquam tempore natura in hoc ceſſet, certè nec tempus vllum erit, in quo non vtrunque medicamentorum genus deſideretur, vtique & quod ſiccet, & quod expurget. De[b] neceſsitate talia vulnera caua fiunt, præſertim dum pus copiosè in eis conficitur. nam caro contuſa corrumpitur, modò magis, modò minus, pro puris quantitate. inſuper vi quadam globuli carnem introeuntes, eam contundunt, ac attritam reddunt, quę poſtmodum in pus conuertitur, & ſic cauum vulnus efficitur. Sordes quoque fluentes, vt maius fiat cauum, non mediocriter conferunt. ergò in horū curatione abſterſio ſummè neceſſaria eſt: talis quidem[c] celebratur medicinis, quę aut nihil, aut parum mordeant, atq; magis ſi febris, aut aliud accidens adfuerit. Quæratur igitur, an vulnus ſordidum ſit, à Græcis riparon dicitur, quod debiliori eget abſterſione, aut ſordidius, quod fortaſsis nomodes dici poſſet, & validiorem deſiderat abſterſionem. quippe ſordes tanquam tegumentum carnis, generationem prohibet. dignoſcitur nempe, quia ſubſtantia eſt denſa, coagulata, ſubalbida, aut cinericij coloris, aut cœno ſimilis. generatur quidem ex glutinoſiori parte humorū craſſorum, & viſcoſorum: interdum ab imbecillioribus medicamentis, ſæpe à carne ſubſidente colliquata: exit à magnis abſceſsibus, & vlceribus concauis, aut laceratis, aut malignis, & praua temperie affectis. cum[d] verò à ratione cauorum vulnerum curationem molimur, loco deperditæ, noua naſcente carne, ex ea videlicet, quæ ſubiecta eſt, id fieri non poteſt, ſi in vulnere ſordes, aut copioſa humiditas inſit: quare prius expedit vulnus optimè expurgare, poſtea in eo carnem producere, humores ſiquidem, qui à corpore

a ¶Gal.3.meth. cap. 3.

b ¶Hipp.lib.de vlceribus.

c ¶ Gal.3.com. li.Hipp.de frac.

d ¶Gal.3.meth. ca.5. & 2.Kataξeni. Auic.4.4. c.11. c.4.tra.3.c.7.& c.de vlc.ſord.

corpore ad plagam feruntur, quia madefaciunt vulneris oras, committi, & agglutinari non ſinunt, ſed dolores, aut inflammationes concitant, & carnem, quæ iuxta eſt, lædunt. Solent communiter medicamenta hæc à Græcis, ſecundum eorum imbecilliorem, aut validiorem operationem, rhiptica ſympiptica, & cathartica, & à Latinis purgantia, & abſtergentia vocari, eaque ab omni ſanie, putredine, cruſtis, eſcharis, ſquammis, carne addita, & ſimilibus corpus, & vulnus nitidum reddunt, & mundant: at ea propriè purgantia dicuntur, quæ ſolis vulneribus applicantur, vt ea à proprijs ſuperfluitatibus mundēt, veluti ſordida à ſordibus, virulenta à virulētia, putrida à putredine, vermiculoſa à vermibus, & ſimilia; & eorū opus eſt in ſubtili materia detergere; & exſiccare, & in craſſa, attenuare, & diſſoluere. Porrò abſtergunt, & vulnus nitidum reddunt medicamenta diuerſarum formarum, ſiquidem alia ſimplicia, & alia compoſita ſunt: ac inter ſimplicia enumeratur hordeacea farina, lupinorum, orobi, aloes, ariſtolochia, gentiana, apium, alumen, & ſimilia, & quibus aliqua amaritudo, & acuitas ineſt, præter mel, quod cęteris præſtat. Inter compoſita hoc probatur, Mellis vnc. iiij. farinæ orobi vnc. ij. olibani, irios an. vnc. j. ſucci apij vnc. iiij. miſce, aut Recip. mellis vnc. 10. farinæ ſiliginis, lupinorum, hordei an. vnc. j. myrrhæ, aloes an. vnc. s. ſucci apij, abſynthij an. vnc. iij. terebinthinæ claræ vnc. ij. bulliant ſucci vnà cū farinis, inde omnia addantur, & ſecundùm artem fiat vnguentum. Facit ad hoc vnguentum Iſis, [a] quod ab emplaſtro ceraſeos, aut ex duodecim rebus Apoſtolorum vocitato non multum differt, aut per ſe, aut alteri admixtum: nos verò, ſi magna ſanierum copia, aut ſordium, ſiuè immunditiei aliud genus in his vulneribus apparuerit, nullum præſtantius medicamentum inuenire potuimus, quàm ſimile. Recip. Terebinthinæ clarę, ſucci apij an. vnc. ij. farinæ orobi vnc. j. vnguenti ægyptiaci vnc. s. & plus, ſi decet, miſce, in tenellis, & delicatis corporibus ad faciliorem ingreſſum. &, vt in omnē ſinum facilius inijciatur, cerato humido, aut ceruſſato colliquare aliquod horum medicamētorum expedit: in militibus autem, aut in his, qui laboribus aſſueti ſunt, aut vitam ſub Sole degunt, marina aqua, aut lixiuio: at ſi lotio aliqua opportuna fuerit, fiat cum vino, aut lixiuio, aut lupinorum decocto, addito ægyptiaco, ea quantitate, vt non admodum mordeat. Et ſi vnà cum abſterſione corroborationem expectabis, Recip. aquæ conſolidæ, centaureæ, caudæ equinæ an. vnc. x. myrtillorum, mirabolanorum, citrinorum, radicum glycyrrhizæ, conſolidæ maioris an. vnc. s. pimpinellę, tormentillę an. m. s. thuris, boli armeni an. drag. ij. zucchari roſati vnc. ij. miſce, & fiat decoctum; & ſi expedit adde ægyptiaci vnc. j. Cumque ab omni ſorde vulnus denudatum fuerit, carne repleatur, & tunc in eo medicamenta, quæ à Græcis ſarcotica, & à Latinis carnem producentia dicuntur, imponantur, ea [b] nempè, quæ primum exſiccationis ordinem non multum tranſgrediuntur: & circa hoc quædam contemplari oportet, primò ſedis affectæ radicale temperamentum, ſecundò vulneris conditiones. nam ſi membrum humidę temperaturæ fuerit, vulnus verò non, tunc exigua exſiccatio in primo videlicet ordine ſat erit: in membro verò ſicco, & vulnere vehementer humido, quæ in ſecundo, & tertio ordine exſiccant, ſunt opportuna: in temperatis poſtea temperata proſunt: porrò ab his, quæ vehementer aſtringunt, immodicè ſiccant, ac ſua acrimonia mordicant, cauere oportet. Adhuc in noua carnis generatione conijcere decet, an membrū propriam ſeruet tēperiem, & ſi ſanguis, qui fluit, bonus ſit, & in quantitate moderatus. nam ſi membrum propriarū qualitatum ſymmetriam non ſeruauerit, ad temperiem contrarijs qualitatibus reducatur. Si verò ſanguis in qualitate peccauerit, ſerapijs, ac victus regimine coerceri debet: ſi multitudine, ſanguinis miſsione, & tenui victu corrigatur: ſed cum membrum in temperie conſtitutum fuerit, & ſanguis bonus extiterit, ac vulnus ab omni immunditie expurgatum, proculdubio in eo caro bona producetur, quæ ferè abſq; medicamento procreabitur, cum natura in optimo perſtiterit ſtatu, agatque in patiente bene diſpoſito cum determinatis conditionibus. Adhuc ſcire licet, [c] quòd materia carnis eſt ſanguis bonus, opifex verò natura, quæ id ſpontè efficiet, vbi à Medico vulnus ab impedimentis purgatum, ac abſterſum fuerit: Medicamenta verò, quę hoc faciunt, ea ſunt, quæ ſanguinem bonum in carnem coagulant, & permutant, & ſub diuerſis formis parantur, aut ſuffuſ, ſiue pulueris, aut lotionis, aut vnguenti: pro puluere probatur thus, iris, ariſtolochia, maſtix, aloes, panax, cadmia, pompholix, farina erui, fabarum, hordei, & ſimilia: profundiores verò ſinus abluere non eſt inconueniens, decocto centaurij, conſolidæ equiſeti, foliorum oliuæ, thuris, irios, & prędictorum in vino dulci, aut aqua thermarum, aut chalybeata, aut aluminoſa; aut hordeacea, aut dulci lixiuio, quod Græci ſtacte vocant, ſemper addito melle, abluatur leuiter, ne dolor exacerbetur: puluillos inde nec longos, nec craſſos aliquo emplaſtro munitos inſerere oportet, veluti illo Galeni, [d] quod cirum dicitur, aut diacartu, quod de charta combuſta vocatur, aut Macherionis, aut dicroma, aut illud celebre barbarum, vel ſimile aliud, quod exſiccādo ea moueat, quæ à tali operatione naturam impedire ſolent: recentiores verò eo vtuntur medicamento, quod, quia citri colorem præſe fert, citrinum vocant, alij ob reſinæ ingreſſum reſinum; multi baſilicum, ſiue regale laudant: nos verò hoc probamus, Recip. olei maſticini vnc. j. s. abietini vnc. j. mannæ thuris vnc. s. equiſeti, tormentillæ, piloſellę, conſolidę maioris, hypericonis, plantaginis, betonicæ an. m. s. vermium terreſtrium lotorum cum vino vnc. ij. vini nigri auſteri q. s. miſce, & liquentur ad ignem vſque ad vini conſumptionem. poſtea coletur, & facta forti expreſsione, adde cerę, ſepi hircini an. vnc. iiij. thuris, myrrhæ, maſticis, aloes an. vnc. s. miſce, & ſecundum artem fiat vnguentum molle. deſuper verò linteola diaphinicine emplaſtro, quod diapalma iſti vocant, maſticino oleo liquato mu-

a ¶ Ex Glicone antiquiſsimo. Ex Scribonio Largo. Ex Gal. Aet. & Paulo.

b ¶ Gal. 3. meth. ca. 3. Auic. 4. 1. cap. 28.

c ¶ Gal. 3. meth. cap. 3. 4. Auic. 4. 4. cap. 4.

d ¶ 2. ad Glauc. ca. de ſinu. 2. de comp. medic. in genera.

a ¶ 5. de ſimp. med. facultatibus.
b ¶ 4. de comp. med. Katag.

nita ſuperponantur. Si verò exterius fortiora medicamenta fuerint opportuna, multa ex metallicis confecta parantur, veluti illud epipaſticum,[a] aut ex ſquammis:[b] linteolum verò plurimis in locis perforatum ſit, vt vulnus perpetuò expurgetur, ſitque in ea quantitate, & latitudine, vt ſaltem per duos, aut tres digitos totã vulneris circunferentiã ampleċtatur, ac ſuperpoſita ſtupa, duplici panno inuoluta, faſcia lata, & longa, prout membri vulnerati ſitus, & magnitudo exigit, vulnus deligabis. Repleto vulnere, cicatricem inducunt, quæ carnis ſuperficiem adeo potenter exſiccant, vt ipſam in cutis morem, durã efficiant, quę inter ſeminaria membra locatur, ideo neque augetur, neque coaleſcit, veluti ceratum de minio, aut gręcum, aut palmulatum: ſic enim ſclopetorum vulnerum, præſertim carnoſarum partium, abſque prauis ſymptomatibus, curationem inſtituere oportet.

De ſymptomatum, Quæ fulminatis vulneribus occurrunt, correctione. Cap. VI.

VARIA, ac ſæua ſymptomata his fulminatis vulneribus ſuperuenire ſolẽt, quorum aliqua indicatione ſumpta à natura partis affectæ, ferè neceſſariò occurrunt, quẽadmodum in partibus neruoſis, triſtis ſenſus, inflammatio, febris, & conuulſio; vel indicatione ſumpta à teli impetu, ſanguinis copia, contuſio, ſiue laceratio, quędam combuſtio, neruorum attritio, oſsium fracturæ, & aliqua venefica diſpoſitio: aut indicatione ſumpta à Medici mala curatione, membri corruptio, ſphacelon Græci vocant, aut ancyloſitas, aut ea ferè omnia ſuperius enarrata; hac de re, vt ea, quæ apparent, corrigantur, ſtudere oportet: verùm quia ſuperius abundè de ſanguinis fluxu, triſti ſenſatione, & inflammatione dictum eſt, ſat fuerit ea hic pertranſire: ſed tantùm de attritione, combuſtione, neruorum ſectione, oſsium fracturis, conuulſione, veneno, & ſphacelo, quæ omnia in præſenti, loco cuiuſdam accidentis habentur, nonnulla epilogando dicere expedit, & in primis de attrito, ſiue contuſo, aut lacerato vulnere narrationem aggrediamur.

DE ATTRITIONE.

¶ Gal. 3. meth. c. 14. meth. ca. 2. Aet. li. 14. ca. 69. Paul. lib. 4. c. 30. Auic. 2. 1. doct. 1. cap. 4. & 4. 4. tr. 2. cap. 1. 2.

CVM ex violento aliquo ictu, vel alio quopiam valido motu à telo obtuſo, carnoſæ partes dilaniantur, & neruorum, aut tendonum villi, aut lacertorum extremitates inuicem ſeparantur, talis paſsio attritio vocatur: cum verò nulla continui ſolutio apparet, ſimplex contuſio dicitur: & ſi lacerti ſubſtantia ſeparatur, vulnus contuſum nuncupatur. Fit itaque ſimplex contuſio, cum caro ſub irruente extrinſecus aliquo violento, valido, & duro corpore, ita colliditur, vt partis læſæ externa facies integra remaneat, & in profundo multæ, ac paruæ diuiſiones occultentur. colliſio etiam hic affectus vocari ſolet, à Gręcis thlaſma, & regma: dum verò partes apparẽtes carnoſæ nimirum adeo ſegregantur, vt maxima fiat ſanguinis manifeſta effuſio, diapedeſin Græci vocant; loci tumefactio, ac vulneris laceratio, ab Auicenna attritio, & diſſolutio dicitur. in qua non ſolum caro attrita apparet, ſed liuida, inęqualis, & dolore prædita, vt in fulminatis vulneribus apertiſsimè dignoſcitur, quæ interdum admodum rarò externas tantum partes lædunt, ſæpe verò profundas aut internas, & vt plurimum necantia ſunt. Cum igitur ad extrinſecorum curationem acceſſeris, duæ tibi occurrent indicationes, quarum prima ad dolores ſedandos dirigitur. Secunda, vt quod attritum, aut contuſum eſt, præparetur, & in ſaniem vertatur: nec oportet, vt prima indicatio fiat in attritione, cum reditione continuitatis partium laceratarum, ſed ad remittendos dolores. Effunditur ſiquidem in his ſanguis plurimus, & partes imbecilliores redduntur, dolent, ac inflammantur; vnde ſphacelũ veteri oportet, pręſertim cũ eius diſcuſsionem, ob vehementem cutis conſtipationem à telo, ab ambiente, & medicinis frigidis, ſperare abſurdum ſit. etenim carnes, quę contuſæ ſunt, in pus verti neceſſum eſt. Vbi ergo dolorem vehementer vrgere cognoueris, anodyna, & mitigatoria, vulnere non neglecto, exterius applices. Sedato nempè dolore, puris generationem curabis, vt ſuperius copioſè explicauimus: hoc ſemper ſeruato, vt, quę in conſortio ſituatę ſunt partes, in ſua naturali diſpoſitione conſeruentur, & ab omni putredine defendantur. quare expedit interdum ſimili cataplaſmate vti, ſed prius inungantur oleo decoctionis foliorum vlmi, extremitatum ebuli, & lumbricorum terreſtrium. cataplaſma ſic paratur. Recip. farinæ hordei, ſeminum lini, fœnugræci an. vnc. ij. florum camomillæ, ſertulę campanę, furfuris tritici an. m. s. pulueris carnium dauci, ſpicæ, comarũ abſynthij an. drag. j. olei maſticini, myrtini, mellis an. vnc. j. s. rob vnc. iij. lixiuij clari q. s. & in fine adde boli armeni, ſanguinis draconis, & ſecundũ artẽ fiat cataplaſma, quod totã contuſam partem contegat: ſic enim attritiones, loco cuiuſdam ſymptomatis, regendæ ſunt.

DE COMBVSTIONE.

SOLET interdum (quod equidem mirum eſt) in his fulminatis vulneribus aduſtionis ſpecies quædam apparere, quæ fortaſsis caro contuſa, & denigrata eſt, & ſatis moleſtum ſymptoma; parietes ſiquidem, ſeu vulneris labra, à tali vehementi ictu, humido proprio quoquomodo priuantur, ac exſiccantur, quòd in eis cruſta quædam reſidere ſolet, quam Græci eſcharam, vel potius

ephelcidan,

ephelcidan, vocant, his ferè ſimilis, quę ab ignito cauterio imprimitur. ob id aliqui talia vulnera inter aduſta connumerare videntur. Eſcharæ[a] enim partes ſunt carnoſæ ſubſtantiæ, aut cutaneæ, quæ à proprio humido relinquuntur, accedente calido aliquo in ſummo, & violento. Remouetur[b] hoc accidens, ſedato prius dolore, ac mala partis habitudine diſcuſſa, eſcharam dimouendo, quæ ſi debilis fuerit, duplici ratione, vel medicamentis, quæ modicè abſtergant, non euidenter calefaciant, aut infrigident, ac moderatè humectent, vel quæ membrum à putrilagine præſeruent; hæc potiſsimum non in ipſo vulnere, ſed circa vulnus applicanda ſunt. Cum ergo vulnus aliqua aduſtione affligitur, lichinia, quæ in eo imponuntur, tali medicamento conuoluantur. Recip. ouum totum contuſum, & cum luto armeno, & farina hordei, & melle fiat vnguentum; aut Recip. vitellos ouorum aſſatorum numero. iiij. ceræ albæ, ſpumę argenti lotæ an. vnc. ij. miſce. aut ceruſſam cum farina hordei, thure, & oleo myrtino. aut Recip. aquam, in qua calx extincta fuerit, & cum oleo nucum, ceruſſa, lithargyrio, & modica cera fiat vnguentum. aut Recip. olei roſati vnc. viij. nitri albi ſubtiliſsimè puluerizati vnc ij. ceræ albæ vnc. j. ſ. corticum internorum ſambuci m. j. bulliant omnia, & colentur, & vtere. Circa vulnus latitudine quatuor digitorum rodeolum cum oui luteo, molli lana exceptum, applicetur, aut tale adhibeatur emplaſtrum. Recip. foliorum plantaginis, roſarum an. m. ij. coquantur, & piſtentur, & adde vitellos ouorum numero. iij. olei roſati, farinæ hordei an. vnc. ij. lithargyrij argentei vnc. j. miſce. eſchara, ſi qua fuerit, vi dimoueri non debet, ſed, vt ſua ſponte cadat, expectetur; inde vulnus, ſecundum opportunas indicationes, regatur.

a¶ Ariſt. 1. problem. 56.
b¶ Celſ. li. 5. ca. de aduſt. Aet. li. 14. ca. 6. Paul. li. 4. c. 11. Auic. 4. 4. & 2. ca. 12. Raſis 7. ad Alm. cap. 10.

DE SAVCIATIS, SIVE ATTRITIS NERVIS.

RARÒ à globulis, præſertim diuerſarum formarum, continuum ſoluitur, quin attritum, aut dilaniatum appareat; vnde & neruoſas partes affligi neceſſe eſt. nerui verò, tendines, ligamenta, ſeu ſindeſmi, quia eiuſdem ſpeciei ſunt, parumque natura differunt, in pręſenti ſub vno nomine comprehendantur, vndè ad eorum læſiones, ſæua admodum occurrunt accidentia, vt de affectis neruis ſuperius explicauimus, vbi victus regimen inſtitutum, ac euacuandi rationes copioſè videre licet. In topicis verò, ſiue localibus medicinis, duo requiruntur, vt dolores tollant, & vulnus pręparent, ſed habita naturæ partis ratione, vnctuoſa, & humida medicamenta, de quibus pauló ante egimus, omittenda omnino ſunt, niſi fortè dolor, aut aliud ſimilè, ad ſe totam diſtrahat curationem. tunc enim pars tota affecta, oleo maſticino, è ſemine lini, & roſaceo fouere expedit; inde emplaſtrum ſuperponere ex althęa in oxymellite, aut lixiuio cocta, cum farina fabarum, hordeacea, eruina, roſis, myrtis, ſapa, & oxymellite cum modico croco: ſi quidem in ſimilibus vulneribus adeo atteruntur, & lacerantur partes, quòd quàm facillimè, & quauis leui de cauſa, aut inflammantur, aut ſphacelo tentantur, quare nec penicillos interdum in vulnus immittere audemus; & ſiqui requirantur, breues admodum, molleſque ſint, ne dolor augeatur. Vulnus primis diebus glutine albo tin regatur, pro dimidio hypericonis oleo addito: poſtmodum tali medicamēto vti decet. Recip. reſinæ terebinthinæ, aut abietinæ vnc. iiij. olei maſticini, hypericonis an. vnc. ij. ſeminum perforatæ, momordicæ an. drag. iij. ſulphuris ignem non experti drag. ij. pulueris lumbricorum terreſtrium, ſub vmbra exſiccatorum vnc. ſ. modicè terantur quæ terenda ſunt, ac in duplici vaſe per dimidium horę bulliant, & colentur, & quod percolatum eſt, vſui ſeruetur. &, ſi validior ſiccitas requiratur, ea quippe medicamenta, quæ ſuperius libro tertio, capite de vulneribus neruorum, à nobis fuere deſcripta, opportuna ſunt: ſi qua verò putredo, vt ſolet, in vulnere gignetur, rhodomelle tollatur, aut ſapa cum ægyptiaco ſtacte ſoluto: proximas verò partes, modicè repellente aliquo linimento, oblinire oportet, ipſumque vulnus deinceps opportuna faſcia deligare, & quieti ægrum committere; poſtremò ea ad vnguem ſeruanda, quæ in ſimilibus vulneribus enarrata ſunt.

DE OSSIVM FRACTVRIS.

SI globulus, ſiue ſphærula vſque ad os peruenerit, ac illud percuſſerit, fregeritque, cum os eius impetum ferrè nequit, inde negotio haudquam leui educitur: etenim tantus eſt huius teli impetus, ac tāta vis, vt quæ ad reſiſtendū magis apta videntur, eadē magis lędantur; nā facilè per fringuntur, atteruntur q; oſſa: vnde plurimi, qui liberātur, claudi anchiloſi, aut fiſtuloſi remanēt. dignoſcitur fractura digiti, aut ſpecilli impoſitione, ex inęqualitate, ex aſperitate, aut à ſede affecta, ex arbitrarij motus impotētia, aut ex iuſta natura, ſi alteri ſimili cōparabis, aut ab eius crepitu, aut quia detectū eſt, aut quia fragmēta exierint, aut apertè per vulnus manifeſtatur. Duplici modo à forti ictu oſſa frangi ſolēt, vel ſecundū omnem partē, vel in ea tantùm, vbi ſedes affecta eſt, vel in hac, & alibi. Solet ſanè euenire ab huius teli impetu, vt altera parte fuerit ictus, & altera os fiſſum ſit: hac ratione fabrica hominis, ſiue oſsium compoſitio, quam ſcelethon Græci vocant, vobis in mente ſit. Porrò variæ ſunt horum affectuū ſpecies, quæ, quatenus ad primum ſcopum attinet, non ſaneſcunt, quatenus verò ad ſecundum, quodammodo ſanari poſſunt; nam fractura ſic à Latinis dicta, à Græcis verò catagma, pro genere habetur, & eſt continuitatis in oſſe ſolutio, quæ ſecundùm eius effectum diuerſimodè nominatur, vt potè ſi per tranſuerſum in medio frangitur, agma Gręcè, Latinè tranſuerſalis, aut virgalis fractura nuncupatur:

ſi verò finis oſsis,qua parte maximè cum alio committitur, abruptus eſt,apagma Græcè dicitur: ſi autem ſecundum longitudinem ſcind itur, Grçcè ſchidacidon, & Latinè linealis fractura vocatur. Interdum à fracturæ forma ei nomen imponitur, aliquorum fructuum, aut plantarum ſimilitudine ſumpta, nempe ad caulium, raphanorum, aut cucumerorum fractorum ſpeciem, & formam, quas Græci cauledon, raphanidon, & ciciedon vocant, eas Latini aſtales, raphanales, & arundinales dicunt. porrò ſimplices fracturæ eſſe poſſunt, oſsibus tantùm fractis, nulla alia ſubſtantia lęſa, ſed non à cauſa tali, de qua ſermo noſter nunc inſtitutus eſt; vt plurimum verò compoſitæ. componuntur quippe cum alio morbo, vt carnis attritione, aut diuerſo ſymptomate, vt atroci dolore, aut propria cauſa, vt globulo ibi exiſtente, præſertim cum intimè caro ab eo laceratur. Altera fracturæ ſpecies reperitur, à valdè vehementi ictu producta ad furfurum imaginem, Græcè alphitidon, & caryedon, Arabicè Sauchiem, ſiue aluiſchi, & Latinè rimularis fractura denominatur, cum os in multas, tenuesquè partes frangitur. Adhuc fractura altera à globulo cauſata dari ſolet, quæ Græcè apotrauſis, & apocope, Arabicè alcaſia, & Latinè refractio, & præciſio dicitur, cum pars oſsis per ſummitatem ruptam, ſeu ſuperficiei abruptionem detrahitur; ita, vt pars ea, quæ detracta eſt, & recesſit, & ſupereminet, vt ferè, fit cum ſquammula ab oſſe reſoluitur. Quàmplurimę aliæ fracturarum ſpecies videri ſolent, quæ ratione ſedis affectæ, vt in primo libro de Caluariæ curatione legitur, aliqua propria nomina ſibi ſortita ſunt; quas in hoc loco ſilentio tranſire decreuimus. Galenus

a ¶ Meth. cap. 5.

[a] tamen duas præcipuas fracturarum differentias tantùm aſsignare videtur, nempè quæ per tranſuerſum, & quę per longitudinem contingunt, à quibus potiſsimæ indicationes curatiuæ ſumi debent. Apud Celſum [c] tertia reperitur, ſcilicet quę obliquè procedit. Cum igitur ab ictu tali, oſſa frangi contigerit, curantur [c] indicatione ſumpta à fractura, & modo fracturæ: à fractura, æquatione, & cōuenienti deligatione. quippe Medicus, & luxationum, & fracturarum extenſiones quàm directiſsimas faciat, oportet: hæc enim æquatio iuſtiſsima Hippocratis natura eſt: ſi verò quid vel huc vel illuc inclinauerit, ad pronam partem vergere iuſtum eſt: hac de cauſa æquationi primò ſtudere oportet. à modo fracturæ, particularibus operationibus, nempè faſcijs, ferulis, ſplenijs, capſulis, & ſimilibus. porrò duæ indicationes ſanatiuæ in omni oſsium fractura conueniunt, membri æquatio, & oſsium vnitio, cum fractura ſit morbus in forma, & plaſmatione: nec aliud eſt membrum æquare, niſi illud ſecundùm naturę inſtitutum plaſmare. verùm ad indicationum executionem, hæc tantùm non ſufficiunt; ſed, & conueniens deligatio, cum membra dura non primò, & ſecundum primæ intentionis modum vniuntur, rore ſcilicet proprio, ac elementari, vt viſcoſa, ac mollia faciunt, ſed ſecundariò callo interueniente. ob id neceſſe eſt, vt diu membrum plaſmatum, ac os, in propriam ſedem iuſtè repoſitum, conuenienti deligatura conſeruetur, præſertim in quiete, quæ in coniungendis partibus ſectis admodum prodeſt, ac optimum medicamentum iudicatur: deambulare enim, aut ſtare, aut ſedere, in oſsium fracturis minimè conferre videtur. Ergò ſtatim homo in lecto collocandus eſt, ſiquidē abſque longa quiete oſſa non coeunt, nec poro ligantur: ac primis diebus parciſsimè nutriatur, ſed paulò plenius, cum ſymptomatum tempus præterierit; nam ſat non eſt ſola quies in calli productione, ſed & victus ratio conueniens, quippè callus, vt Latini dicunt, aut porus ſarcois, vt Græci, vel alroſbot, ſiuè orasbot, vt Arabes, per ſe, & nullius alterius interuentu gigni poteſt. atque magis in viſcoſis, & humidioribus corporibus, quemadmodum in pueris videre licet. in adultis verò, & ſiccioribus, qualia ſunt iuuenum, militum, nauigantium, & horum, qui ſub ſole, & in continuis laboribus vitam degunt, ſeparatæ fracti oſsis particulę non per ſe vnquàm, ſed duntaxat quapiam ſubſtantia interueniente, ſeu glutine quodam colligari ſępe contingit. eſt autem callus, ſubſtantia quædam glutinoſa, exterius locum fractum adeò ambiens, vt vix remoueri poſsit; nam propriè callus oſsis dicitur, cuius interuentu oſsis fracti partes alligantur. generatur ex craſsiore, ac viſcoſiore parte nutrimenti oſsium; ſi quidem omnis noſtri corporis particula ſibi proprium, ac familiare trahit alimentum: os verò craſſius, ac viſcoſius nutrimentum, magis quàm aliud quoduis membrum, ad ſe adducit, exugitque, ex quo nutritur, ac vegetatur. Sed ibi primò feruet, ebullit, & concoquitur, oſsisque ſubſtantiam extendit, & in quendam eleuat tumorem, more ſtirpium, in quibus fiunt inſertiones. nam adinuicem, cum callis fit, quædam ebullitio, poſtea agglutinatio, & ex tali concretione, ex duabus ſubſtantijs fit vnum corpus conferruminatum. ſic in oſſe fracto euenire contingit: quare victus talis tunc eſſe debet, vt ex eo conueniens nutrimentum procreetur, & callus gigni poſsit, qui ex oſsium nutrimenti ſuperfluitate concreſcit, & ex ea ſcilicet abundantia, quę à labris fracturæ perpetuò emanat, & eſt eius propria materia. producitur actrice natura, medici auxilio, membri ęquatione, conuenienti deligatione, longa quiete, & victus decenti regimine. Hæc igitur in genere de oſsium fracturis dicta ſufficiant. Singulatim verò ſi fortè in magnum quodpiam os globulus impegerit, illudque diſſoluerit, ac minutas partes reddiderit, aut vniuerſum membrum perforauerit, & à ſede dimouerit, dignoſces primò, ſi cum ſano membro affectum comparaueris, vel ſi membrum manibus pertractando, inæqualitatem perceperis, vel ſi pungentes dolores ęgrum afflixerint, vel ſi oſsis particulæ exierint. poſt hęc, digitis diligenter explorabis, nunquid vel globulus aliquis, vel oſsis fracti, aut ferri, aut alterius rei fruſtulum, pręter naturæ ordinem in ſede vulnerata detineatur, quod, ſi fieri poteſt, eo, quo diximus, modo, extrahendum

b ¶ Lib. 8. ca. 2.
c ¶ Hipp. lib. de fract.
Gal. lib. art. par. med. cap. 91. 6. meth. cap. 5.
Paul. li 6. ca. 89.
Auic. 4. 1. c. 28. & 5. 4. & 2. c. 1.
Albuc. li. 3. ca. 2.

eſt,

eſt,idque magis ſi globulus ſolus fuerit, nec vllum prorſus ſymptoma, de quibus ſuperius egemus,apparuerit: oſsium verò particulæ forcipibus, aut volſellis, aut tenaculis, ſiue alio inſtrumento vi extrahendæ non ſunt: nam ſi magno conatu diuelluntur, ligamenta, tendines, membranasque,aut venas,vel arterias lacerabunt: ex quo dolores vehementiſsimi fiunt, abſceſſus ſequuntur, conuulſio apparet, & mors ſæpe infertur. Sed opus penitus committatur naturæ,quæ cum puris productione, aut nouæ carnis generatione, ea quippe ſubnaſcente, tutò omnia extra mittit. quod admonet Hippocrates his verbis, Fracta oſſa,niſi ex toto dimota ſint, aut dolores inferant, vi non euellas,ſed totum naturæ committas. veruntamen producto pure, ſi à ligamentis natura oſſa fracta dimouerit, vel vbi abſceſſerint, vel vbi ex alimenti defectu à cæteris oſsium partibus deciderint, ſi natura ea non extruſerit, aut digitis,quod tutum eſt, aut alio ingenio euellenda omnino ſunt, hoc ſemper ſeruato,vt ſi non iuues,ſaltem non noceas. Cæterùm, ſi alia oſſa ſimul componi poſſunt,& ad naturalem ſtatum, ſiue iuſtam naturam reduci, aut in propriam ſedem reponi, omni ſtudio, vt id facias, nitaris Galeni præcepto in tribus commentarijs de fracturis Hippocratis. at ſi cum fractura luxatio aliqua adfuerit, ea primò accõmodanda eſt; poſtmodum quàm blandiſsimè oſſa fracta extrahantur, aut, ſi decet, vniantur. inde in aceto, ac oui albumine additis pulueribus aſtringentibus ſplenia ſtupæ quàm molliſsimæ imbuta, ac expreſſa ſuper fracturam inuoluantur: prius tamen non fracturam, ſed ſedem ſuprà, & infra ad latitudinem ſex digitorum roſaceo, maſticino, & oui luteo irrorabis, ac membrum totum idonea faſcia, poteſtate retinendi prædita, vt dicemus, circundabis, deligabisque. penicillum verò molle, & opportunum in vulnus, niſi ſanguinis copia emanauerit, cum terebinthina, boloarmeno, & modico ſale immittes,ita tamen, ne dolorem inferat: poſtremò ſtudere oportet,vt affectum membrum in ea ſtatuatur figura,ne dolore afficiatur,& vt perpetuò materiæ expurgari poſsint, & vulnus eo modo triduò gubernetur: interim ſi magni æſtus apparuerint, & dies fuerint caniculares, roſaceo, addito vino nigro, totum membrum fouebis: ſi hyems, oleo camomellino, maſticino, & de ſemine lini: pure autem apparente, faſcia forcipe adeò diuidatur, vt vulnus totum pateat, & detegatur, à quo commodè pus effluat, & ſecundùm opportunam occaſionem topica medicamenta permutari poſsint. Si autem ferularum, aut plagelarum, aut ſpleniorum vſus expedit, membrum concinnè munies, non tamen ita arctè, nec primis diebus, vt noceant; ſic procedatur, niſi fortè aliquod inſigne peruenerit accidens, quod & faſcias, & ferulas, & capſulas remouere cogat. hoc ſeruato, ne ante diem ſeptimam, aut decimam ferulæ adhibeantur, multoque minus ſi timor adſit, ne dolores, aut inflammationes accerſituræ ſint,vel præſentem,ſi adeſt, exaſperent, nec eo nomine vnquàm adhibeantur, vt aſtringant, ſed vt aptam figuram contineant,& oſſa in ſuas ſedes repoſita vtcunque fulciant: ſed quales ferulę eſſe debeant, & quot ſint deligandi modi,petendum eſt ab Hippocrate,[a] & Galeno.[b] Si verò globulus articulum, ſiue concathenationem lęſerit, ac ſe ſe inter duo oſſa demerſerit, & maximos inferat dolores, tunc negotia quàm plurima operanti affert, & ægrotanti mortis periculum. quare, quàm citiſsimè fieri poteſt, extrahatur: quod ſi ſtatim accepto vulnere non fit,aut ſaltem ſecunda die, magno inde labore expediri ſolet. igitur adinuento globulo, duo membra, quæ articulum componunt, duabus faſcijs fulcire decet, quæ per has in oppoſitas, ac diuerſas partes per duos miniſtros diducenda ſunt, ad hoc vt oſſa, tendones, ſindeſmi, & lacertorum capita extendantur, ac maior in articulo fiat amplitudo, vbi telum receptum fuerit, quod inde minori cum difficultate extractioni parabitur. hoc fiet ſpecilli conuexi auxilio, aut coclearij, aut roſtri ciconini noſtri. Si verò firmiter adhærebit,terebrum torculatum ſolum, aut cannulo munitum, ſummoperè ab omnibus probatur: aut quemadmodum magis commodum ex vſu eſſe iudicatur. verùm terebello torculato, globulus perforatur, apprehenditur, & extrahitur, nec ſcalpello ad os in circuitu excidendum, quo in ſagittis oſsibus infixis educendis vtimur, egemus; Siquidem globulus ſuo ictu, & figura ſibi locum facit. at ſi opportuna inſtrumenta in promptu non habebis, patientem cruciare non debes. nam orta inflammatione, aut cum os contuſum exierit, ſecum globulum adducere ſolet. os ſiquidem alteratum tandem, & ſi diu, carne ſaltem ſubnaſcente, extra mittitur, nec res admiratione digna eſt, ſi multo tempore globuli, ac ſagittæ intimè conſeruentur. nam Hippocrate[c] teſte, quidam iuxta inguen ſagitta percuſſus, quem nos vidimus, maximè præter omnium opinionem ſeruatus eſt,neque tota cuſpis exempta eſt; erat enim valde in profundo, neque ſanguinis eruptio vlla memorabilis fiebat,neque inflammatio,neque claudicauit. cęterum cuſpidẽ inuenimus nos, ipſamquè exemimus, cum ſex iam eſſent anni,ex quo ſauciatus fuerat. & Paulus[d] ait; Multis infixa tela integra intus inſederunt,quæ vulneribus cicatrice obductis, deinde longiori temporis ſpatio partem eam abſceſſu occupãte,ac diſrupto, exiere. approbans hoc Albucaſis[e] ait; Vidi vnũ, cui cecidit ſagitta in dorſo eius, & conſolidatum eſt vulnus ſuper ipſam,& poſt ſeptem annos exiuit ſagitta in radice coxæ eius. At ſi ictus viſcus aliquod primarium,ac officioſum læſerit, quorum omniũ affectuum cauſas,ſigna, prædictiones, quæ ad interitum vt plurimum ſpectant, ac curandi rationes in ſuperioribus libris explicauimus, vt quæ ex accidentium proprietate, ſedis affectę poſitura, exeuntium qualitate,aut operatione læſa, quia vix, aut quia vitioſè,aut quia nullo modo fit, deprehenduntur; ob id de his ictibus in pręſenti hæc ſatis.

Ossa non sunt extrahenda vi.

Si adsit luxatio cum fractura.

quando sunt apponendae ferulae

a ¶ Lib. de frac. & l. de luxatis.
b Li. de faſcijs.
c Quinto Epid.
d Li. 6. cap. 88.
e Li. 2. ca. 96.

DE CONVVLSIONE.

NON ſecus a conuulſionibus, quæ alijs partibus ſectis occurrere ſolent, ea, de qua nunc ſermo habendus eſſet, dignoſcitur, præſagitur, & curatur. quare cum ſatis abundè in ſuperioribus de tali ſymptomate locuti ſimus, hic tacitè tranſire licet, & ſat eſt dicere, quòd ſi his fulminatis vulneribus illud oritur, ob patientis nimium timorem, aut nobilium partium noxam, mortem nō dubiam portendit.

DE VENENO.

SI plaga, qualiſcunque fuerit, veneno aliquo tingitur, adijcienda feſtinanter curatio eſt, quæ vel epoto veneno (& fit per medicamenta à Græcis alexipharmaca dicta) vel à ſerpente, aut quouis alio animante ictis adhiberi ſolet,& fit per ea medicamenta à Græcis alexiteria vocitata. interim tota, ſi fieri poteſt, aut ſaltem ea pars, quę veneno affligitur, abſcindatur. dignoſcitur quidem, quia à ſana, & naturali variat, quippe pallida, aut ſubliuida, aut emortua apparet. Si verò ex toto ſeparari nequit, profundis ſcarificationibus ſaltem locus feriatur, vt ſanguis malus expurgetur: nec ideo alienum erit cucurbitulas adhibere, vel vt pſillus, ſiue vilis homo ore proprio ſano, ſed prius præparato, ſimulque & ventriculo, eſu nempè ruthæ ſilueſtris, aut ſalis, ruthæ, & caricarum, ac aceto abluto vulnus exugat, cui inde tale applicetur medicamentum. Recip. terebinthinæ claræ vnc. ij. olei hypericonis vnc. vna theriacæ optimæ vnc. s. euphorbii recentis, terræ ſigillatæ an. vnc. ij. miſce, & parum bulliant. aut imponatur Aegyptiacum bis, aut ter, cui non eſt par, vel præcipitatum hydrargirum cum theriaca. loca verò circunuicina luto ipſo armeno, aut Dianæ ſigillo aceto roſato ſoluto, ſi præſto fuerit auxilium, ſuccurrantur. inde medicinis ſtrenuè attrahentibus, venenum euocetur, vel ignito cauterio, ſi locus neruoſus, aut arterijs, veniſquè plenus non fuerit, ſæpe aduratur, donec tota malignitas, quæ talis eſt, & non ſimplex venenum, conſumpta fuerit; ſiquidem contra virulentos hos ictus tale præſidium expeditiſsimum eſt. vtpote cum ignis cætera viribus præſtet. at ſi vri non poteſt,à venis cordi, ac vulneri longinquioribus,ſi vires validæ ſint,ſanguis mittatur:ſi vulnus anguſtum fuerit, primis diebus turundæ parentur ex adipe ſuilla, adeò vt totum impleant vulnus.eſt ſanè in veneno extrahendo ſecretum mirabile. Si verò carnem totam a veneno immutatam circuncidere non poſsit, non ab re fore iudicatur, profundis ſcarificationibus, circuniacentes regiones aperire, attrahunt potentiſsimè alteratos humores, ac malę naturæ,& quàm plurimæ carni infixa aliqua medicamenta proprio calore, aut à ſimilitudine totius ſubſtantiæ, veluti fermentum, propolis, arundinum radix, ammoniacum, ſagapenum, ariſtolochia, polypodium, ranæ combuſtæ, adeps leporina, tapſia, dictamus, ruta ſylueſtris, viſcus quercinus, mel, & ſimilia: in his victus regimen eſſe debet, qui epoto veneno exhiberi ſolet. Alexipharmaca verò parantur ex theriaca, mithridato, trifera,bolo armeno, terra lemnia, & ſimilibus. Alexiteria ex dictamo, ruta ſylueſtri, ſcordeone, tormentilla, zedoaria, biſtorta, ariſtolochia, & huiuſmodi. Sed quia credere coacti non ſumus, vulnera huiuſcemodi abſolutè veneno pręditа eſſe, circa huius ſymptomatis profligationem non multum laborabimus.

DE SPHACELO.

POSTREMVM ſymptoma, quod aliquibus vulneribus occurrere ſolet, eſt membri corruptio, quam Græci ſphacelon, Arabes aſchachilon, ſiue echachilon, & Latini ſiderationem appellant: peſsimum morbi genus eſt, quod eius crudeli, ac tyrannica malignitate, niſi citò corrigatur, totum membrum citiſsimè corrumpit,ardētiſsimas excitat febres, virtutes proſternit, & patientem necat: fit frequenter ex vehementiſsima inflammatione, aut ob eius magnitudinem, aut peſſimam qualitatem, aut ex mala vulneris natura, aut ex prauo ſanguine, aut ex medici imperitia,mēbrum valde delaqueando, aut ſuturæ arctæ, ipſum conſtringendo, quæ in laceratis, & attritis vulneribus fugienda eſt, aut humida, & vnctuoſa diu vulneri applicando, potiſsimum verò ob intemperiem calidam, qua partes vulneris eliquantur, & calor naturalis deſtruitur. ſæpe quidem labra vulneris à copia praui ſucci fluentis imbibuntur, & ab imbecilli calore reguntur, & putreſcunt, ac proximas partes corrumpunt, vt quotidie in ſphacelo, & phagedæna fieri videmus. Dignoſcitur autem, cùm partes denigratę, ac malo odore affectę, adeò languent, vt percuſſę, aut ſectæ, aut aduſtæ penitus non ſentiant: cumque membrum ſic fuerit diſpoſitum, confeſtim ad eam, quæ viuit, partem,& proxima ſanæ fuerit, reſecandum venit: ſi qua verò ratio hoc prohibuerit, profundę, ac frequentes ſectiones, quas ſcarificationes vocant, imprimātur: ſunt quippe multum ad huiuſmodi curationem efficaces: ac vbi ſanguis ille corruptus plurimus effluxerit,locus marina aqua, aut lupinorum decocto, præſertim in lixiuio, addito ſale,& aceto ſępe abluatur; deinde medicamento aliquo putridis, ac nomoſis vlceribus deſtinato, inungatur; inter quę ægyptiacum cæteris præſtat. quod ſi non iuuerit,ignitis cauterijs aduratur. at ſi malus color, ac putredo ampliatur,fiat cataplaſma ex farina fabarum, orobi, lolij, trochiſcis Andronij,oxymellite, & lixiuio, & factis profundis inciſionibus, calidum applicetur,

cetur.&, ſi malum his præſidijs non tollitur, ſed vlterius procedit, & vulnus phagedenicum euadit, denuò tota corruptio diligenter aduratur. poſtmodum eſchara, cum dura euaſerit, aut ſucco porri, aut butiro, aut hordeacea farina, hydræleo decocta, donec amoueatur, fouere oportet. vbi verò exciderit, curatio reliquis vlceribus communis adhibeatur. Si verò aliqua corporis particula, nempe manus, aut pes, adeò fuerit lacerata, aut eius oſſa ex toto denigrata, aut corrupta apparuerint, ac de eius vita nulla amplius relinquitur ſpes, illicò illam amputandam eſſe cenſemus, & tunc ea ſeruanda ſunt, quæ in ſecunda noſtrorum voluminum ſectione, capite de membrorum corruptorum amputatione expoſuimus. Hæc igitur ad Dei benedicti laudem breuiter de hac curatiua methodo dicta ſufficiãt. ac primo noſtrarum ſectionum volumini finem ſic imponimus. in poſterum verò, ſi nobis Dei beneficio vita longior conſtiterit, eo fauente, multa ad omnium ſtudioſorum vtilitatem perſcribere decreuimus. nempe hinc ad paucos dies, in Secundo commentaria de famoſis Vlceribus, ac membrorum ſingularium, de fiſtulis, de vlceribus ſinuoſis, de quamplurimis affectibus cutaneis, ac de lue indiana ſiue diabolica, quam iſti gallicum morbum appellant. poſtmodum de multis operationibus chirurgicis nos tractaturos vobis pollicemur. In Tertio verò de tumoribus præter naturam in vniuerſum, & ſingulatim pertractabimus. In Quarto de oſsium fracturis, ac eorum luxationibus pariter edituri ſumus. In Quinto de ſecundis, ſiue mediatis chirurgorum operationibus agemus. poſtmodum epitoma totius artis chirurgicæ in vnum redigemus. poſtremò Chirurgiæ officinam impreſſam, in lucem dare decreuimus, vbi ea ferè omnia inſtrumenta, quæ diligenti, ac approbato Chirurgo in ſuis operationibus opportuna eſſe creduntur, concinnè delineata videri poterunt. Interim valete, & nos, vt debetis, amate.

F I N I S.

CHIRVRGIAE

IOANNIS ANDREAE A CRVCE, VENETI MEDICI,

Libri Tertij. Tractatus I.

De Vlceribus.

Quid ſit vlcus. Cap. I.

QVEMADMODVM continuitatis recens ſolutio, quam Græci tlaſma, & Latini vulnus appellant, morbus eſt ſimplicium, & compoſitorum membrorum communis, ſiquidem ambabus his ſedibus diuerſimodè occurrere contingit; Sic & vlcus, ἕλκος Græcè dictum, affectus eſt in quantitate diminuta, compoſitis, ſed carnoſis præcipuè partibus, eueniens; & ea ratione, qua vlcus eſt, alicui humiditati ſemper adiunctum reperitur. Porrò apud Galenum legitur, vnum eſſe morborum genus, quod ſoluta continuitas dicitur: quæ, dum in carnoſa ſede imprimitur, vlcus vocitari debet. Ampliusſcriptum reliquit, vlcus continuitatis ſolutionem eſſe, & cauitatem, quę ex amiſſa aliqua animalis propria ſubſtantia eſt contracta. Vlterius ab eo dictum eſt, quòd in omni vlcere cauo duplex excrementum prouenire neceſſe eſt, quod omnem qualitatis alimenti mutationem ſequitur, alterum craſſius, alterum tenuius, ſordes nempè, & ichor; ex craſſo, vlcus ſordidum, ex tenui humidum, redditur. Et cum nullo vnquam tempore natura ceſſet in hoc, certè nec tempus vllum erit, in quo non ambo hæc in vlcere colligentur; hac ratione purulenta profluuies vlceri, qua vlcus eſt, ſibi quoddam proprium iudicatur. ob id dicebat Auicenna; Solutio continui plerunq; accidit cuti, & vocatur excoriatio; & ſi accidit carni, quæ ei propinqua eſt, & nondum factum eſt pus, vocatur plaga, ideſt vulnus: ſed cum pus fit, vlcus dicitur: vnde non ab re hæc vlceris definitio, ſeu deſcriptio communiter approbatur. Vlcus affectus inueteratus eſt, in diminuta quantitate carnoſarum, ac mollium partium membrorum organicorum, cui ſępe vna, aut plures complicantur diſpoſitiones, eius ſanationem prohibentes, à quo pus, aut purulenta quædam colluuies perpetuò excitatur. Cum igitur vlcus affectæ ſedis potentias, & operationes impediat, morbus eſt, & in diminuta quantitate, aut ablata, aut eroſa, alicui humiditati adiunctus. Et differt à cruento vulnere ratione proprię eſſentiæ; ſiquidem vulnus, vt vulnus, morbus ſimplex eſſe poteſt; nam affecti corporis vnam tantùm qualitatem interdum aufert, nempè vnitatem: ſecus verò de vlcere dicere expedit, cum plures eius diſpoſitiones tollat. Ratione adhuc partis læſę; nam vlcus affectus proprius eſt tantùm partis carnoſę, & organicæ; & vulnus morbus eſt, ſimplicium, & compoſitorum membrorum communis: Simplicium verò, quæ organa ſimilaria ſunt, & fungũtur officio, vt neruus, os, & ſimilia, potiſſimum dum eorum nutritio corrumpitur; ſiquidem hemogeneæ partes aliter lędi non poſſunt. Ratione inſuper cauſæ efficientis; nam vlcus vtplurimum à cauſa primitiua, ſiue interna; & vulnus à prochatartica, ſiue euidenti cauſatur. Ratione temporis, quoniam vlcus, antiqua, & ânioſa diuortio eſt, vulnus verò cruenta ſolutio exiſtit. Ra-

Gal. 7. Meth. c. 1. 3. Meth. cap. x. lib. ar. Medice. cap. 88. lib. de morb. differ. c. 3 & 1. de mor. & ſimpt. c. 2. Auic. 2. 1. cap. 2. 2. Meth. cap. 2. 4 Meth. cap. 1. coment. 2. lib. de fract. cõmen. 1. 3. Meth. cap. 2. 3. Meth. cap. 3.

2. 1. cap. 4. 4. 4. tra. 3. cap. 1. Albu. lib. 2. ca. 88.

tione indicationis curatiuę ob id, quia vlcus, quantum ratio nominis indicat, ſanioſa paſsio eſt, & varijs ſemper eget indicationibus curatiuis: vulnus interdum abſq; pure reperitur, præſertim in membris ſiccioribus, & rore proprio, ac elementari, ſeu per viam primæ intentionis, ſæpe coire ſolet; ſiquidem vulnus recens, quatenus vulnus eſt, eſt morbus ſimplex, ac per ſe conſiſtens, vt de punctura, quæ ab acuto aliquo eſt infixa, citra vllius portionis amiſsionem, dicitur, dummodo nec affectus vllus ſimul adſit, nec ſymptoma; & per ſe abſq; aliorum ope, vt quęcunq; concreſcunt, aut coaleſcunt, quæ omnia mollia ſunt, vnitur. vulnus etiam ſolitarium exiſtere poteſt, neq; illi cauſa aſsidet, vlceri verò ſua ſemper comes eſt cauſa; quamuis alioquin nihil aliud habeat, quod ad vlcus propria ſua ratione non pertineat. Porrò communes vlcerum complicationes, eius curationem prohibentes, ſunt affectus alij, nempè inflammationes, ſiderationes, teredines, conuulſiones, & ſimiles; aliquando ſymptomata, ſicut praua temperies, triſtis ſenſus, aut vermium copia; ſæpe cauſa propria, veluti obſtracoſitas, fluentis ſucci mala qualitas, aut oſsis corruptio, vnde poſtea fiunt vlcera corroſiua, diſcepulota, cacoetica, ſinuoſa, & ſimilia. Verumtamen apud antiquiores medicos hæc duo nomina, vulnus, & vlcus, pro re eadem ſumuntur, nempè pro continui ſolutione in membris mollioribus, quæ, ſiue recens, ſiue antiqua fuerit, quatenus talis extiterit, vnionem, aut agglutinationem requirit. Diſcrimen enim, quod à tempore ſumitur, nihil ad curationem facere videtur: attamen ſi vulnus ad vlcus conferatur, ſimplicis morbi rationem obtinere poſſet: ſecus verò de vlcere dicendum eſt, quod perpetuò pro compoſito morbo iudicatur, in quo vna, aut plures, conſiſtunt diſpoſitiones, eius ſalutem commorantes. Et ſi de nominibus controuerſia aliqua ad curationem nullo modo pertinere videatur, quicquam etenim nec prodeſt, nec officit: ſed vera methodus curatiua, quam commodè vlceribus præſtare poſſumus, ab eorum forma, aut varia compoſitione ſumenda eſt: Primùm tamen duo illa conſiderāda ſunt, & quod ſubiectum eſt, an ſecundum naturam ſe habeat; & ſanguis, qui fluit, an bonus, an mediocris ſit, an vitioſus exiſtat, vt infra diffusè, Deo maximo fautore, explicaturi ſumus. Pro nunc verò de ea continui ſolutione ſemper compoſita, ſaltem cum aliqua humiditate, ſermonem habituri, eam perpetuo vlceris vocabulo explicabimus. & ſicuti ſub bimembri partitione generalis vlceris ratio traditur, vel ſimplicis, vel cum additione, iuxta affectus, quibus vexatur; ſic nos eius curationem à tali partitione auſpicabimur.

Gal. 3. Meth. cap. 4.

Gal. 3. Meth. c. x. 4. Meth. c. 4. & 6. Aphor. comen. 45.

De Vlcerum varietate, ac eorum proprijs differentijs. Cap. II.

FERE nunquam, aut rarò, vlcera, vt ſimplicia & ſola, curari ſolent, nempè quæ ſecundùm ſuam propriam rationē, ſolutā, ac diuiſam partium carnoſarum vnitatem ſignificant, & nil aliud, niſi ſe met ipſa, ſeu eorum ſimplicitatem oſtendunt, & puri vlceris, ideſt partium diuiſionis, tantùm rationem obtinent, cum quibus nec affectus vllus ſimul, nec ſymptoma adeſt, nec aliqua fluxione vexantur, ac ſolum in carnis ſuperficie conſiſtunt, ac ſi ſimplex excoriatio, aut planum vlcus, ſeu cum exiguæ ſubiectæ carnis portionis defectu eſſent, & vnicam tantùm curandi rationem requirent: ſed vtplurimum vt affectus compoſiti, & indicijs proprijs ſpecificati, à quibus variæ differentiæ ſumuntur. Quarum aliquæ communes ſunt, aliæ propriæ, & multæ magis propriæ.

Communes vlcerum differentiæ indifferenter à morbis, & communibus accidentibus, ſimul complicatis, ſumuntur; vnde dicitur interdum vlcus diſtemperatum, dolore vexatum, inflammatum, canceroſum, & ſimilia.

Propriæ, quæ in complicatis vlceribus, à cauſsis, ac eorum effectibus, aut ab his, quæ remotiora valde non ſunt à propria natura vlceris, & ſi non omnino, ſaltem aliqua ex parte eum conſequuntur; aut ex diuturnitate, vel ex mala curatiónis ratione, vel ex externa occaſione accipiuntur. Hæc ſunt, veluti vlcus humidum, quod Græci reumaticum vocant; corroſiuum, quod phagedenas; ambulatiuum, quod arroſum; putridum, quod ſepedonas; virulentum, quod hychioras; cauernoſum, quod colpon; fiſtulare, quod ſyrinx; ſordidum, quod rhyparon; malignum, quod cacoethes; vermicoſum, quod ſcoleodes; cum carne addita, quod hyperſarcoſim; cum oſſe corrupto, quod texedon, quod tardè ſanatur, & ægrè cicatricem admittit, quod diſcepulotum ipſi vocant; adhuc cacochimum, aut ab extrinſecis productum, veluti contagioſum, exuſtum, & contuſum.

Magis propriæ, quæ à ſolo vlcere ſumi debent, nempe à natura, ſiue quiditate, & rei ſubſtantia ſub varijs modis. & primò, cum vlcus propriè, & ſecundùm ſui eſſentiam eſt continui ſolutio, per eam ſolutionem terminatur, & talis oritur vlceris figura, & forma: quare eius differentia magis propria debet ſumi à forma: vnde dicitur vlcus rectum, obliquum, intortum pampani modo, fiſtulæ via, aut hami ritu, retortum, orbiculare, & ſimilia. Interdum à dimenſione, & ſpatio, vt magnum, paruum, longum, breue, planum, latum, anguſtum, ſublime, profundum. Ab extrinſecis, prout à tempore, quale eſt cruentum, & recens: aut chronicum, ſeu inueteratum, & antiquum. A parte, ſiue ſede affecta ſimilari, vt in cute, excoriatio vocatur; in carne vlcus dicitur; in venis & artherijs, anabroſis, & diabroſis Græce nuncupatur, organica duriori, molliori, ſicciori, humidiori, in facie, in manu, in pede.

Hipp. lib. de medico.
Hipp. lib. de medico. Gal. lib. de virt. centa. & 4. Meth.
Hipp. lib. de vlceribus & 6. Aphor. 45.
Gal. 2. de cōp. m. ſecundū loc.

In ſitu,

In ſitu, vt in conſpectu; veluti in pectore, in locis abſconditis, vt in faucibus, in ſede occulta, vt in vtero. Hac ratione vlcus interdum dicitur intus conditum, aut exterius apparens, in parte ſuperiori, in medio, in fine, ſecundum longum, aut latum, aut profundum. A numero, & vlcerum pluralitate, à varietate compoſitionis, quando plures inſimul coniunguntur morbi, vt eſt vlcus compoſitum cum dolore, teredine, inflammatione, aut febre. Adhuc particulares aliquæ differentiæ, quæ nihil faciunt ad naturam affectus, & habent omnino ſuam eſſentiam à natura vlceris, vt vlcus eſt, alienam, & curioſas eas Galenus vocat, variæ nominantur, nempe vlcus Chironeum, Telephium, phagedenicum, & his temporibus Gallicum, omniaq; id genus. Nam partim ab ijs, qui primum ea ſanarunt, vt Chironeum à Chirone centauro, partim ab ipſis, qui ijſdem fuerunt affecti, vt Telephium, à quo Telephus Rex, qui à ſimili vlcere, contracto à ſagittis Herculis, diu vexatus eſt. A fine etiam aliquæ ſumuntur differentiæ, quippe vlcera aliqua ad ſanitatem facillimè reducuntur, vt benigna, plana, ſine accidentibus, id magis, ſi in parte carnoſa extiterint, & concoctio optima apparuerit: aliqua verò, vt canceroſa, fiſtuloſa, teredinoſa, aut cacoethica, ſanari nequeunt: quę autem ſanitati idonea ſunt, aut longo, aut breui temporis ſpatio, ad ſalutem reducuntur. Præterea aliqua vlcera à natura producuntur ſub optimo fine, vt in bonis ſignificationibus occurrit, quæ interdum citam curationem non expoſcunt, ſed præſeruationem ſolùm deſiderant: aliqua ab arte fiunt, veluti cauteria, & diuerticulos, quos iſti fontanellas vocant, aut ſetanios. Et ſi differentiæ hæ valde remotæ ſunt à natura, & quiditate vlcerum, & propriam, priuatamq; curationē non deſiderant: nihilo minus vlcerum differentias ponunt ob id, quia aliæ ab alijs affectibus, aut ſymptomatibus vlcerum complexum declarant, à quo curatiua methodus ſumenda eſt. Porrò omnium harum differentiarum cognitio, & ad prognoſticum, & ad methodum curatiuam facere videtur; ſiquidem vlcerum omnis cauſa, quæ curationem prohibet, primò tollenda eſt, ſemper id obſeruando, quod compoſitis morbis indicationes curatiuæ compoſitæ ſunt adhibendæ. Et ſi apud ſeniores medicos ſimplicis vlceris interdum nomen reperitur, non ob id datur vlcus ſimplex ſub vlceris ratione, ſed vt intertrigo aliqua, aut ſimplex excoriatio, aut alter ſimilis affectus cutaneus ſuperficialis abſq; ſanie: ſed ſimplicitas illa vulneri potius, quàm vlceri, attribuenda eſt. Quod ex eorum verbis elicere poſſumus: nam Galenus, cum de ſolo, ſeu ſimplici vlcere, quod tantùm vlcus eſt, ideſt nullum alium affectum adiunctum habet, & citra vitioſum ſuccum, aut fluxionem, aut intemperiem, aut aliquod aliud vitium permanet, ſermonem haberet, iubet, vt partes diductæ coniungantur, & non id ſolum, verùm etiam coniunctas manere: at ſi vel præ eorum magnitudine hoc fieri nequeat, vt diſiunctæ ipſæ partes exactè ad imum vſque ſibi coniungantur, vel futura, vel fibulis, vel ligatura vtendum cenſet: quas operationes nullo modo vlceribus conuenire opinamur, ſed morbo in ſoluta continuitate recenti, qui vulnus dicitur. Paulus etiam agens ſub titulo de ſimplici vlcere, ait; Quoniam ſimplex vlcus continui ſolum eſt diuortium, ſiquis partes diductas faſcia orbiculatim circundata committat, vtiq; citra aliquam aliam indicationem coibit. Auicenna pariter dicebat; Omne vlcus neceſſariò eſt vel ſolum, & ipſum per ſe, aut compoſitum. ſolum autem ſi exiguum fuerit, tunc eius labra vniri debent, ipſumq; faſcia conſtringi. Nos verò, dum de ſimplici vlcere loquimur, de eo, quod purum eſt, intelligimus, cui nec affectus alter, nec ſymptoma complicatur, ſed tantùm paſsio in ſoluta continuitate eſt, ſanioſa, & inueterata. Hi igitur ſunt veri fontes, à quibus vlcerum propriæ differentiæ ſumi debent.

Hipp. lib. 2. de mor. mulie. 6. Aphor. 38. 2. prædictionum. Gal lib. de cholera m.

Gal. 2. Meth. c. 2. 6. Aphor. cōmen. 45. & 4 de com. pom. ingene. ſermone. 4.

Gal. lib. 2. Med. cap. 92. & 4. Meth. cap. 1.

3. Meth. cap. 4.

Lib. 4. cap. 36.

4. 1. cap. 28.

De cauſis Vlcerum in genere. Cap. III.

AFFECTVVM in diminuta quantitate, quorum nunc ſermonem habituri ſumus, cauſſas geminas fore, apud Celſum, & Galenum legitur, nempe internam, & externam; eam verò, quæ in ipſo animalis corpore conſiſtit, internam, antecedentem, & præcedentem Latini vocant, Græci verò proigumenam: quæ verò extrinſecus occurrit, externam, euidentem, & prægreſſam Latini, & Græci procatarticam dicunt. Nam quoddam morbi genus reperitur, quod in quantitate partium diminuta conſiſtit, & eius ortus duplex eſt, alter ab eroſione, alter ab exciſione proueniens: verùm exciſio, quo pacto eueniat, non latet. eroſio ſi intrinſecus ab ipſo animali prouenit, vitioſi ſucci ſoboles eſt, & cacochimiam, ideſt malorum humorum vitium, aut abundantiam, indicat, vt in malis vlceribus ſpontaneis, aut vomicis, ideſt apertis abſceſſibus, dignoſcitur. Conſuetudo ſiquidem naturæ eſt, talia in paſſionibus facere, corpus videlicet mundificare, & materiam erga cutim expellere, vnde ſæpe vlcus efficitur. Succi enim aut quantitate, aut qualitate mala affecti, dum expelluntur, aut magnas inflammationes, quæ membri compoſitiones, & habitudines deſtruunt, aut puſtulas malas, aut veneno prǫditas, membri nutrimentum corrumpentes, gignunt. Affectus hi ex deprauata victus ratione, aut alicuius viſceris, nempe iecinoris, aut lienis, aut totius corporis mala diſpoſitione oriri contingunt. Modi generationis vlcerum, inquit Princeps, ſunt abſceſſus diſrupti, aut plaga, quando facit pus, aut bothor, qui ſe comedunt. Porrò hæ immediatæ cauſæ ſunt fere omnium vlcerum. Procatartica verò, ſiue euidens, aut externa diuerſo modo ſe habet. nam quæ exterius eue

Lib. 5. 4. Meth. cap. 1. & 2. de mor. cau. cap. vlt.

2. 1. nect. 3. ſu. 1 cap. 17. & 4. 4. tra. 3. cap. 1.

nit, ſi telum fuerit, vulnus primò fit: quod dum protrahitur, & inueteraſcit, purem gignit, & vlcus nuncupatur; ſi longa membri rei duræ fricatio, intertrigo, aut excoriatio producitur; & cum fit pus, vlcus eſt. Idem facere poteſt validum medicamentum, vt ignis, aut res igneam potentiam obtinens, ſæpticum, aut epiroticum, Græci dicunt. Morſus item animalis, malus aer, contagio praua, & his ſimilia, quę etſi illicò cum ſanie non complicantur, internas nimirum, & humorales cauſas commouent, vnde poſtea ſanioſi euadunt affectus. Genericæ igitur vlcerum cauſæ illæ ſunt, quæ non neceſſariò corpora noſtra alterare poſſunt, pariter & humores illi, qui noſtri corporis conſtitutionem ingrediuntur. Nec obſtat dicere, procatartica cauſa affectum immediatè ſanioſum non producit, ergo nec vlcus, quod affectus ſanioſus eſt; nam ſanies ſimpliciter vlcerum cauſa non eſt, ſed eius effectus, & vlceris compoſitionem declarat. Et ſi vulnus, aut contuſio immediatè, & primo ſtatim occurſu, cum ſanie nõ apparet, aut complicatur, non propterea affectus eſt abſque ſanie, quæ paucis peractis diebus in eo manifeſtatur: ſanies enim in vlceribus produci nequit, niſi ob id, quia nutrimentum, quod in eo demandatur, ad quandam ſemimalam tranſmutationem alteratur, & hoc cum tempore, ob affectæ ſedis imbecillitatem, in qua à validioribus partibus variæ tranſmittuntur humiditates, quæ ex diuerſorum calorum actione in ſaniem conuertuntur. Ad quod etiam facere videtur vnguentorum operatio, & patientis, ac membri affecti habitudo humida, aut malè affecta; & quales illi fuerint humores, tale vlcus dici ſolet; nempe ſi ichoroſus, & corroſiuus, tale & vlcus erit; ſi ſordidus, ſordidum & vlcus; ſi putridus aut corruptus, ſic & vlcus effici ſolet. Arbitramur igitur, quòd genericę vlcerum cauſæ illæ ſint, quæ corpus alterare poſſunt; ſpecificę, aut antecedentes, aut extrinſecus accedentes, ſingulares humorum defluentium potentię, & operationes, ac exulceratæ partis ſubſtantia, & habitudo, necnon malum patientis regimen in ſex rebus non naturalibus.

De Vlcerum indicijs. Cap. IIII.

VLcervm ſigna, ſiue indicia interdum ab eorũ ſimplicitate, ſæpe etiam ab eorum complicatione ſumi poſſunt, tanquam ab eorum eſſentia, & natura rei; ſiquidem ſimplex vulnus tantùm continui diuortium eſt, & per ſe ſtat, ac ſe ipſum ſolum demonſtrat, nulla cauſa, nullo ſymptomate, & nullo affectu cum ipſo præcedente, inuadente, aut ſubſequente. Adhuc illud laudabile ſolum, & benignum vlcus eſt, quod carnoſis partibus tantùm occurrit, & quod citò ſaneſcit, in quo pus illud apparet album, lene, æquale, & minimè fætidum. Principalis cauſſa ſuæ benignitatis eſt totius corporis bona habitudo, virtutis robur, ſedis affectę temperies, & nutrimenti bonitas. Illud verò compoſitum iudicatur, ſi cum morbo alio, nempe inflammatione, aut teredine, vel ſymptomate diuerſo, veluti dolore, aut intemperie, aut cauſa propria, ſicuti nutrimenti malitia, aut obſtracoſitas, & huiuſcemodi alia. Dignoſcitur vlcus, ſi cum inflammatione complicatur, & qualis illa fuerit, colore, calore, dolore, duritie, & dimenſione: ſingulatim verò ex inflammationis proprijs notis, ſi cum oſſis teredine ſigna ſunt. eius ſit opertura caro, quæ eum ambit, ac tegit; nam mollis, & liuida eſt; humor emanans ater, copioſus, & fætidus; oſſis aſpredo, inęqualitas, & tumiditas, facilis ſpecilli ad os ingreſſus, ac corrupti oſſis exitus: ſimplex verò intemperies calida noteſcit ex rubedine aliqua, dolore miti, colore modico, ac frigidarum qualitatum beneficio: frigida ex colore ſubalbido, aut cinericeo, dolore ſtupido, ac loci mollicie, & calidorum auxilio: humida colore pallido, laxitate, & mollicie, ac humiditate plurima & tenui, dolore debili, aut nullo, ſiccis rebus iuuatur: ſicca colore ſquallido, aſpredine, ſiccitate, puris penuria, ac eius tenuitate, nullo dolore humectantium remediorum ſuffragio. ſi dolor vlceratum locum moleſtauerit, eius malam arguit temperaturam, aut continui diuortium, aut ambas cauſas ſimul. ſi à caliditate, & ſiccitate originem duxerit, pungitiuus erit, locus florido colore alteratur, & febris ſubſequitur. ſi à caliditate & humiditate, grauatiuus dolor vrgebit, & tumor rubedinis obſcurę eleuatur. Frigidus humor, niſi diffletur, dolorem non facit: aut ſi adeſt, ille quidem extenſiuus perſentitur: ſiccus verò ſtupidum dolorem facit. Noteſcit hoc ſymptoma ex ſe; nam triſtis ſenſus eſt, & nociuus: cruciantur interdum vlcera dolore, ratione naturæ loci affecti, aut fluentis humoris qualitate, aut ob medicamenti acrimoniam, aut propter extranea in eo reperta, vel mala medendi ratione. Noteſcit vlcerum cauſa propria, quę ſi fuerit nutrimenti malitia, mala apparebit concoctio, & vlcus, aut virulentum, aut ſordidum, aut corroſiuum euadit: ſi mala ſe dis temperatura, notæ iam explicatæ ſunt. Si corpus aliquod diuerſum vlcus occupauerit (nempe pillus, vermis, os corruptum, aut quid ſimile) viſu, aut tactu percipitur. ab ijs igitur & ſimilibus, vlcerum indicia cognoſcuntur, ſumpta quippe ab eorum eſſentia, effectibus, & cauſis, tam internis, quàm externis. Poſtremò vlceris cuiuſque ſuæ ſunt propriæ notæ, quibus vnum ab altero diſtinguitur, ſumptæ nimirum ab ijs, quæ eius definitionem ingrediuntur, vt infra proprijs locis ſingulatim demonſtrabimus. Scire adhuc oportet, quòd vlcera ſua habent determinata tempora, initium, incrementum, manſionem, & deliteſcentiam: quę ratione concoctionum ſuorum excrementorum conſequuntur; ſiquidem, cum tenuius ab vlcere, & aqueæ fere ſubſtantiæ crudúſque emanat iecor, principij indicium manifeſtat.

Gal. 4 Meth. ca. 1. & 6. Apho. commen. 45. Paul. lib. 4 cap 36. Auic. 4. 1. c. 28. Gal. lib. art. par. in cap. 8.

Gal. lib. de quat. tem. mor.

niſeſtat. cumque hic humor craſſeſcere incipit, ac eius copia minui, incrementi ſignum eſt. conſiſtit verò morbus, cum pus optimum apparet: minuitur verò, ſed craſſius, & albidius euadit, in morbi declinatione, in qua æger non moritur.

De ijs, quæ Vlcerum curationem prohibent. Cap. V.

SOLENT cauſæ quamplurimæ vlcerum curationem prohibere; veluti corporis totius malus habitus, nempe cacheticus, aut hydropicus; plethora, ideſt omnium humorum abundantia; cacochimia, ideſt vnius tantùm humoris copia, ex quo ſequitur corporis prauus color, aut cinericius, aut obſcurus; nimia corporis ſenſibilitas, eius ætas infantię, aut ſenectutis; affecti membri imbecillitas, aut ſuæ compoſitionis natura; aduentitia temperies materialis, aut ſine materia; intenſa durities, aut nimia mollities; ſitus decliuis, aut abſconſus, aut cauernoſus; exercitium, ſtando, deambulando, aut quoquomodo læſum membrum defatigando; alimenti defectus, aut fluentis ſanguinis penuria, aut corruptela; ſæpe iecinoris, aut lienis, aut ventriculi imbecillitas, aut intemperies, ex qua ſanguis malus creatur: aut in qualitate, quia aduſtus, aut frigidus, aut venenoſus, aut quia nimius, vnde inflammationes facillimè excitantur: vlceris inſuper complicatio cum alio morbo, aut propria cauſa, aut diuerſo ſymptomate; veluti cum mala temperatura, dolore, inflammatione, oſſis teredine, vermium copia, carne addita, virulentia, ſorditie, forma ſphærica, aut fiſtulari. Aliquæ etiam ſunt, quæ extrinſecus adueniunt, & intus reſident; vt puluis, os, lapis, aut oleoginoſa ſubſtantia. prauus cibus, cæli ſtatus, ſeu ambiens aer malus, mala medici indicatio, aut chirurgia: valde humida medicamenta, aut debiliter abſtergentia, aut quæ naturæ membri aduerſantur, aut vlceri contraria ſunt, adminiſtrando. ſed vt magis hæc enarratio elucefcat; Dicimus, quòd eorum, quæ vlcerum curationem impediunt, aliqua ſe tenent ex parte cauſæ antecedentis, quæ multiplices ſunt, nempè ſanguinis ad partem vlceratam fluentis malignitas: quod aduenit, aut ratione ſubſtantiæ, aut qualitatum. ſi merito ſubſtantiæ hoc fit, aut quia ſubtilis & acutus, aut quia viſcidus & craſſus. ſi merito qualitatum, aut quia aduſtus, & corroſiuus, aut quia frigidus, & crudus: quod contingere ſolet ob prauam internarum partium diſpoſitionem, veluti membrorum nutritioni dedicatorum, vnde vlcera diuerſa producuntur, nempe virulenta, corroſiua, putrida, & ſimilia. Legimus apud Galenum, quòd lien interdum, ſicut & iecur, malè affectum, vitioſi humoris auctor eſt: quibus antea prouiſis, ſic tandem ad vlcus curandum venire oportet. pariter ſi vniuerſum corpus cacochimum, aut plethoricum extiterit, prius eum purgare, aut euacuare expedit, quàm medicamentum vlceri admoueamus: Aliqua ſe tenent ex parte ſedis vlceratæ, ex ijs, quæ inter oras glutinandas interſunt, aut ob eius intemperiem, in ſubſtantia propria, aut in qualitatibus. in propria ſubſtantia, ſi dura, aut obſtracoſa fuerit, aut teredo adſit in oſſe, aut cancer locum occupauerit. in qualitatibus, calidis, aut frigidis, aut humidis, aut ſiccis: quæ omnia nutrimentum, quamuis optimum, pro corporis nutritione, à natura ad partem vlceratam tranſmiſſum fuerit, alterant, aut corrumpunt.

4. de compo. m. in genere. ſermone. 2.

Gal. 6. Meth. c. 2. Auic. 4. 1. c. 28.

Dictum quidem à Galeno eſt; Quoniam verò vlcera quædam ſaniei, humorumque vlceratis partibus influentium vitio cicatricem ægrè admittunt: quędam etiam ſuccum in ipſa læſa parte influentem quemlibet probum corrumpunt. hac ratione dictum eſt; Subiectæ carnis affectus cauſę rationem obtinet ad id, quod efficitur. ea igitur plane pro natura ſua ſe habeat, oportet. temperatam igitur eſſe ſubiectam carnem ad vlcera glutinanda, & carne replenda prorſus oportet: nec hoc ſat eſt, ſed ſanguinem, qui confluit, & bonum eſſe, & modicum quantitate: nam qui corruptus eſt, tantum abeſt, vt ad glutinandum vlcus ſit vtilis: ſed nonnunquam corpus erodit, & exulcerat, at multus humor multa excrementa in vlceribus excitat, vnde eius moratur ſanatio, atque hi tres ægrè ſanabilium vlcerum modi videntur: qui ex intemperie ſubiectę prouenit carnis: qui ex vitio confluentis fit ſanguinis: & qui ex menſura eius naſcitur. Hac ratione interdum vlcera curationi difficilia redduntur, non tantum propter proprium aliquem affectum, quantum propter conſenſum cum aliquo malo affectu particulari, aut cum vniuerſo corpore. In genere ergo ęgrè ſanabilium, ac rebellium vlcerum cauſæ ſe tenent, aut propter vlceratæ carnis intemperiem, quæ in qualitate ſola naturæ modum egreſſa eſt, aut cum acceſſorio quopiam tumore, aut ob fluentis ſucci malitiam, tum qualitate, tum quantitate, aut addito oſſe corrupto, vnde vlcus cacoethes euadit. Huius rei nouem cauſas Albucaſis aſſignare videtur: quarum prima defectus boni ſanguinis eſt. Secunda eius intemperies, aut corruptio. Tertia labrorum vlceris durities, & ſiccitas. Quarta, humores varij in vlcere reperti. Quinta, vlceris putredo, aut corruptio. Sexta, eius forma. Septima, cæli ſtatus, ac ambientis aeris diſpoſitio. Octaua, praua patientis dięta. Nona, medendi malus modus. Quòd boni ſanguinis penuria hoc faciat, notum eſt; ſiquidem materia gignendæ carnis ſanguis bonus eſt, opifex verò natura. cum igitur horum alter defecerit, vlcus nequaquam ſanabitur. Effectrix quippe cauſa, ideſt natura ipſa, quæ opificis rationem habet, niſi ſubiecta materia iuſtum temperamentum obtinuerit, & ſanguis, qui ad eam defluit, bonus ac modicus fuerit (ideſt, nec quantitate, nec qualitate vitioſus) carnem in vlceribus non generabit.

4. de compo. m. in genere. circa principium.

Gal. 4. Meth. ca. 1. & 6. aphoriſ. commen. 45.

Lib. 2. cap. 88.

Gal. 3. Meth. ca. 3. 4. 5.

rabit. Hac ratione, ſenum vlcera, præſertim eorum, quorum radicalis habitudo ſicca eſt, ſerò ſanantur: ac leproſorum, & canceroſa vlcera, cum ex melancholico nutriantur ſanguine, nequaquam ſanari poſſunt. Sanguis præterea vitiatur, aut quia eius officina temperiem, ac vires proprias non ſeruat, indicium eſt color corporis plumbeus, aut cinericius, aut lentiginoſus; aut quia pars vlcerata eum corrumpit, ſignum eſt ſanationis mora, & accidentia mala: Quòd ſanguis malus, aut etherogeneus, non ſinat vlcera conſolidari, clarum eſt: eius verò malitia, aut in propria ſubſtantia conſiſtit, nempe quòd ſit, aut magis ſubtilis, aut acutus, aut aduſtus, quàm deceat, aut in puris qualitatibus: quod à Galeno confirmatur, cum dicit; Vlcera corroſiua peſſima ſunt, & eorum cauſa eſt ſanguis ſubtilis, aut aduſtus, aut malæ naturæ. & vlcera, quæ non ſerpunt, chronica ſunt, & eorum materia frigida, & craſſa eſt: Quòd durities, aut labrorum vlceris obſtracoſitas, eius curationem prohibeat, in fiſtulis, & ſinibus antiquis, ac vlceribus ſcoloratis, manifeſtò conſtare videtur: Quòd multa ac varia humiditas hoc faciat, in ijs, qui hydropa affliguntur, aut vtero gerentibus, aut vbi varices quamplurimæ innatæ ſunt, manifeſte dignoſcitur: Quòd vlcerum putredines, aut corruptiones curationem non admittant, pro confeſſo habetur: nam gangrenę, ſiderationes, & phagedenes, affectus ſunt deſtructiui, & vlcera ſanari nequeunt: Quòd aer malus, aut peſtiferus, ſit in cauſa huius effectus, oſtendit Hipp. in conſtitutione peſtilentiali, aut vbi ex malorũ cibariorũ vſu carbones, & puſtulę malignæ producuntur: Quòd regionalis aer ad hoc concurrat, experientia ipſa declarat; ſiquidem in valde humido, aut rigoroſo aere, vlcera tardè cicatricem admittunt. hac ratione dicebat Galenus; Conſiderare etiam conuenit & circundantis nos aeris temperiem; ſiquidem, veluti medicamentum quoddam, is quoque corporibus noſtris forinſecus incidens, vbi immodicus calore, vel frigore eſt, ſanationem moratur: Quòd malæ vlcerum conditiones curationi aduerſentur, patet: nam ſedis affectę imbecillitas aliunde excrementa recipere ſolet, atque etiam ſi quod affluit, quod pro iuſto naturæ modo ſe habeat: attamen vires ipſæ partis læſę, quæ tum propter dolorem, tum etiam ex vlcere ipſo imbecilles factę ſunt, ne quod iuſtum eſt, ferant, ſed veluti ab iniuſto grauabuntur: Quòd vlcerum forma, aut ſpherica, aut fiſtularis, aut eorum antiquitas, vt thelefia, chyronea, diſcepulota, aut quorum baſis teredo eſt, aut eorum complexus prohibeat curationem, omnibus notum ex longo experimento eſſe poteſt: Quòd mala medella, & prauus viuendi modus non ſinant vlcera ſanari, quottidie explorant diligentes chirurgi, dum incongrua medicamenta, aut extra tempus, aut quæ ſummè erodunt, vlceribus adhibentur. Corelariè igitur, ac in vniuerſum dicere poſſumus, quòd vlcerum ſanitatem prohibent, malus ſanguis, praua partis affectæ diſpoſitio, os corruptum, malus aer, inordinatus vitæ modus, ac mala medendi ratio, & empirica chirurgia.

4. Meth. cap. 6. & 4. ktage.

Hipp. 6. Apho. 8 Cel. lib. 3. cap. 21. Aui. 4. 4. tra. 3. cap. 1.

4. de mor. popula.

3. Meth. cap. 8. 1. ad Glau.

Hipp. lib. de vlceribus. Gal. 4. Meth. cap. 5. Auic. 4. 1. cap. 28.

De Vlcerum prædictionibus. Cap. VI.

VLCERVM prædictiones, ſiue prognoſtica, diuerſimodè ſumi ſolent; interdum enim ab eorum ſimplicitate, aut complicatione, tanquam ab eorum eſſentia, potiſſimum à cauſis, & origine: aliquando à tempore, aut forma: multotiens à ſedis affectę cõpoſitione, & officio: vt plurimum à ſymptomatum natura, & fortitudine: nonnunquam à patientis ętate, virium robore, ſexu, exercitio, & viuendi ratione: ſaluberrima ſunt vlcera ſimplicia, parua, plana, locorum carnoſorum, iuuenum boni habitus, vbi optimi puris indicia declarantur, abſq; malis accidentibus: quibus deniq; nec affectus vllus, aut fluxio mala conſequitur: ac in eorum curatione vnam tantùm requirunt indicationem, nempè opportunam, & moderatam exſiccationem, ac cutis indutionem, aut ſaltem orarum vnitionem, & conſeruationem. ſi pars carnoſa tantùm, citra vllius ſubſtantię amiſſionẽ diuiſa fuerit, reliquum à natura, tanquam ab ordinato opifice, perficitur: Planities ergo, & paruitas vlcerum cum prædictis conditionibus ſalutem indubiam promittit: ætas pariter iuuentutis, aut conſiſtentiæ, in qua vires omnes vigeſcunt. ſi patiens optima eſca nutriatur, à qua bonus producitur ſanguis, ſalutis ſpem perpetuò promittit. inquit Princeps; Corpora, quæ vlcerum curationem facillimè ſuſcipiunt, ſunt iuuenum, bonæ complexionis, paucarum humiditatum: quæ verò multæ humiditatis aut ſiccitatis ſunt, tardè vlcerum rectificationem ſuſcipiunt, vt pueri, & ſenes exiſtunt. Dictum eſt ab Hipp. Qui de vlceribus cognoſcere volet, quomodo ſingula finient, eum primùm hominũ ſpecies perſcrutari oportet: tum eas, quę meliores ſunt ad vlcera ſananda: tum quæ deteriora: deinde ætates noſſe, in quibus ſingula vlcera curatu difficilia exiſtunt. locos item in corporibus perſpectos habere, ac quantum alij ab alijs differunt: ſed & accidentia, qualia in ſingulis vlceribus accedunt, tum bona, tum mala, noſſe oportet. ſiquis enim omnia hæc nouerit, is ſanè ſciet etiam, quomodo ſingulorum euẽtus continget, & quales fines vlcerum erunt: Porrò potiſſimam vlcerum ſalutem concoctio ipſa demonſtrat. nihil enim mali vlceri pus generanti aduenire poteſt; nam maximum vlceri ſignum ad ſecuritatem, eſt optimum pus: ob id, dicebat Auic. Meliores ſignificationes ſignificantes vlcerum ſalutem, ſunt, cum in ſucceſſione eorum apparet ſanies, quæ fit cum medicina faciente ſaniem, & ex operatione naturæ; quæ eſt ſecundùm curſum naturalem, & non generatur ſanies, niſi à digeſtione naturali;

Gal. 3. Meth. cap. 4.

Gal. lib. ar. par. m. cap. 90.

Gal. 2. reg. ac 9. 50.

4. 4. tra. 3. cap. 1.

Lib. 2. prædict.

Gal. 5. Apho. 9. 22.

4. 4. tra. 3 cap. 1

rali; & non aſſociatur ei malum ex accidentibus vlcerum malorum, & propriè ſanies laudabilis, alba, lenis, æqualis, ſine malo odore: Ea verò mala, & praua vlcera dicuntur, quæ in articulis, aut capitibus muſculorum, prȩſertim neruoſorum, occurrunt; ibi enim nerui adnaſcuntur, & ex eorum finibus tendones oriuntur. hȩc loca facillimè doloribus affliguntur, & quæ in dorſo locantur, conuulſiones excitare ſolent: vlcera verò, quæ in loco non carnoſo fiunt, apta non ſunt, vt citò ſanitati reſtituantur. Quæ verò aut in vtero, aut in ano, aut in obſcenis partibus oriuntur, ob nimiam horum locorum humiditatem peſſima ſunt, & opus habent diligenti curatione. Ait Hipp. Aqua inter cutem laborantibus vlcera in corpore facta difficulter ſanantur. non aliunde hoc prouenire ſolet, quàm ob humiditatum immoderantiam, quemadmodum etiam podice ipſo exulcerato, occurrit, cum callis & via ſit multarum ſuperfluitatum: vtero verò gerentes ob id, quia quamplurimas aggregare ſolent ſuperfluitates, earum vlcera mala ſunt. Ea pariter, quæ in corporibus leproſorum occurrunt, peſſima iudicantur; ſapiunt quidem carcinomatis naturam, nam dictum eſt; Vlcera quæcunq; ſapiunt naturam atræ bilis, de genere cancrorum ſunt; & raro, aut nunquam, ſanantur: niſi, vt ait Auic. ab eis auferatur tota corruptio vſque ad carnem, & oſſa ſana. Vlcera ſenum tardè ſanantur, ob boni ſanguinis defectum, & quia eorum complexio frigida eſt, & plurimis ſcatent humiditatibus. Vlcera cum difficultate ſanantur, quæ à iecore, aut liene, aut aliquo aliorum viſcerum malè affectorum originem ducunt: timenda verò ſunt, quæ veneno tinguntur, aut dolore atroci moleſtantur, præſertim in pueris: nam aut occidunt, aut inflammationem excitant. Vlcera ſucceſſione ægritudinum generata, tardè rectificantur; reſiduum enim corruptionis ſuperfluitatum ad ea natura expellere ſolet. Spherica ſiue rotunda vlcera ſerò ſanantur; nam forma hæc capaciſſima eſt, nec principium, nec finem continet: quare in naturalem hominis longitudinem ea ſecari debere, iubet Hippocrates. Vlcera, quæ fiſtulæ formam præſeferunt, difficillima ſunt curationi; cum vlcera ſint profunda, anguſta, & calloſa: quæ omnia locum affectum imbecillem, & vlcus cacoethe reddunt: obſtracoſitas in vlcere peſſima cauſa eſt, quò minus illud ſaneſcat; cum fieri non poſſit, aut carnis productio, aut ſinus repletio, aut agglutinatio, aut cicatricis indutio, niſi remota obſtracoſitate, & vt ſubiecta caro, & vlceris labra pro naturali modo ſe habeant: quo fit, vt aliquando hæc ſola ſit cauſa, ne vlcus ſaneſcat. Sinus varij interdum vlcerum curationem cõmorantur: quorum duplex curandi ratio eſt, aliàs tota cauitate diſſecta, aliàs in fundo tantùm aperta. Vlcus attritum malum eſt; vbi enim abſceſſus tardè ſectus eſt, vel medici imperitia, vel eius, qui curatur, timore; & cutis ſinui obducta, tenuis, attritiſq; veſtium lacinijs ſimilis fuerit, fieri non poteſt, vt cum carne ſubdita coire poſſit. Mala ſunt vlcera antiqua, aut ſaltem annua; nam tunc oſſa detegere, & cicatrices cauas fieri neceſſe eſt. præterea in quibus oſſa teredine affecta ſunt, pariter quæ pluries innouata ſunt, & reuiuiſcunt, arguunt quippe id, quod ſubiectum eſt, ſimetrum non ſeruare: aut id, quod fluit, malum eſſe. ſi enim horum alterum vitioſum fuerit, multa incommoda inde oriri neceſſe eſt: vlcus etiam, quod diuturnius fit, nequit eſſe ſine vitioſa materia, aut oſſe corrupto: ſimiliter chironea, & thelefia. Circumglabra vlcera praua ſunt; cum enim pili, aut ſquammulȩ à circumiacentibus vlceri partibus defluũt, ſcire oportet, eos, qui ita ſe habent, prauos humores ſcatere, qui vlcus, & eius conuicinia erodunt. Quæ in principalibus partibus vlcera inſident, vt omnibus notum eſt, magni momenti habenda ſunt: cum certè magnum vitæ periculum adferant. Si vlcus prauum ſeruet colorem, nempè, viridem, aut pallidum, aut liuidum, aut nigrum, malum adducit indicium; id magis, ſi aridum fuerit. nam dictum eſt ab Hipp. Vlcus ſiue ante exiſtit, ſiue in ipſo morbo natum eſt, diligenter obſeruari debet; nã ſi moriturus æger eſt, aridum, & liuidum, aut pallidum ante mortem apparet. Vlcera inflammata, aut varicoſa, aut vermicoſa, aut putrida, aut corroſiua, aut occulta intemperie aſſociata; vt in ijs, qui morbo Gallico affliguntur, apertè dignoſcitur: aut quȩ corporibus cacochimis, aut plethoricis occurrunt, cacoethica, & malè morigerata ſunt. Vlcera, quæ citò ſanantur, aut poſt inductam cicatricem pluries innouantur, periculum imminet, ne tranſeant in fiſtulam, quam Græci coriadam vocant. Vlcera, quæ abſolutam deterſionem experta non ſunt, malam ac ſuperfluam carnem producere ſolent: ſic & quæ contuſa fuerint. Vlcera non expurgata committi non ſolent, etiam ſi abducantur, neque ſua ſponte coeunt. Si in vlceribus prauis tumor non apparet, periculum eſt, ne humores ad vlcus diffluentes, ad partes nobiliores tranſmittantur: verùm ſi de repente euaneſcit, fiunt conuulſiones, aut inſaniæ, aut dolor lateris, aut ſuppuratio. Vlcera, quæ partes extremas, nempè manus aut pedes, occupant, ſæpenumero phlegmonas in adenoſis partibus irritant, plethora præſertim exiſtente, adenes ſiquidem imbecilles ſunt, & raræ: vnde facillimè fluxionibus tentantur. Vlcera, quæ totius corporis colorem reprȩſentant, nempe pallidum, aut fuſcum, vitium aliquod effatu dignum membrorum nutritionis, ac inſignem ſanguinis corruptelam ſignificant. De ſignis bonis in vlceribus eſt, vt in circuitu eorum naſcantur pili, qui ceciderant, de melioribus, ſi pus optimum in eis generetur. Vlcera, quæ longo protrahuntur tempore, & fiunt corroſiua, aut putrida, non expectatur eorum conſolidatio, niſi profunda fuerit. Poſtremò ſi medicamenta ex methodo vlceribus adhibita proſunt, aut non nocent, indicium eſt, vlcus illud benignum eſſe, & ad ſalutem tendere: ſecus verò, ſi noxam aliquam afferunt; indicant enim ea tali morbo idonea non eſſe. Cæterùm quemadmodum plurima vulnerum indicia vlceribus etiam accommodantur: ita & vlcerum, de quibus nunc

Gal. 5. Aphor. cõmen. 66. & 3. Meth. cap. 9.

Auic. 4. 1. ca. 28 Hipp. lib. 1. de mor. mu. & lib. de fiſtulis 6 Aphor. 8. Celſus lib. 3. cap. 21

Auic. 17. 3 ca. 1. Auic. 4. 4. tra. 3. cap. 1.

Gal. lib. de atra bile ca. 4. & lib. de tumo. prȩter naturam.

Gal. 3 Aphoriſ. com. 31. Auic. 4 4. tra. 3. cap. 1.

Gal. 4. meth. cap. 4.

Auic. 6 4. tra. 4. cap. 2.

Hipp lib. 2. præ dict. Auic. 4. 4. tra. 3. cap. 1.

Hipp. lib. de vlcerib. Gal. 4. meth. cap. 5.

Hip. lib. de fiſtu.

Hipp. Gal 3. Meth. cap. 8. Auic. 4. 4. tra. 3. ca. 1.

Gal 3. Meth. ca. x. & 2. ad Glau. cap. de ſinu.

Gal. 2. ad Glau.

Pau. li. 4. cap. 48

Hipp. 6. Aphor. 45.

Cel lib. 8. cap. 2

Gal. 4. Kta. ſer. 2

Hipp. lib. de fiſtulis.

Hipp. 6 Aphor. 4. & 6. Epidem.

Gal. 4. Meth. cap. 5.

Hipp. 6. Aphor. 18. & 24. lib. 1. de morbis. lib. de coacis prænot. Cel. lib. 5. cap. 26.

Hipp. 1. Prænot. 15. & 2. Epidemiarum ſect. 2.

Gal. 3. Meth. ca. 8. 9. & 4. meth. cap. 4.

Hipp lib. de fiſtulis. Auic. 4. 1. cap. 28.

Gal. 4 meth. ca.

Hipp. lib. de fiſtulis.

Hipp. 5. Aphor. 6. Gal. in eodẽ com.

Hip. 2. de mor. popu. ſect. 3. in fine.

Auic. 3. 4. tra. 1. cap. 17.

Hipp. lib. 2. præ dict. Auic. 4. 4. tra. 3. cap. 1.

agimus, indicia vulneribus etiam communia ſunt; quocirca quæ in iudicijs vulnerum in prima ſectione poſita ſunt, vlceribus etiam conuenire opinamur. In complicatis vlceribus prędictiones ſingulatim vndequaque ſumantur, nam vbique ſuę erunt propriæ notę, quæ ſenſibus maximè deprehenduntur.

De vniuerſali ratione curandi Vlcera. Cap. VII.

QVI Hippocraticam methodum medendo ſequuntur, antequam ad alicuius vlceris curationem ſe conferant, multa ab eis pręnoſcenda veniunt, nempè infirmi quãplures conditiones; veluti noſſe eius naturalem tẽperiem, ætatem, ſexum, exercitium, viuendi modum, patriam, & animum: inſuper membri affecti compoſitionem, officium, & ſitum: virtutes pariter animales, vitales, & naturales: prætérea morbi eſſentiam, quam iſti naturam vocant, in ſimplicitate, quæ tantum ſimilari membro occurrere ſolet, abſq; vllo alio affectu, aut ſymptomate, in compoſitione cum mala temperatura materiali, aut ſine materia, aut in compoſitione plaſmationis, quantitatis, numeri, & ſitus: aut in compoſitione vnitatis carnis, aut membrorum organicorum. Adhuc conſiderare tenetur vlcerum cauſſas internas, quas Gręci proigumenas vocant: aut externas, quas procatarticas dicunt: aut coniunctas, quas ſinectine appellant: inſuper eorum indicia, ſiue accidentia & propria, quæ morbum ſequuntur, ſicut vmbra corpus, & vnà cum morbo oriuntur, & communia, quæ alijs etiam concomitantur morbis: ac etiam conſiderare debet vlcerum qualitates, & ſimplices, & mixtas. Tempus etiam, videlicet, initium, in quo ab vlcere effluit ſanguis, qui omnibus notus eſt. Incrementum, in quo pus apparet, tenue, & incoctum. Statum, in quo ſaluberrima ſanies cum optimis conditionibus generatur. Deliteſcentiam, in qua iterum ſanguinoſa emanat materia. Accidentia etiam, & mitiora, quæ in ſimplici aut puro vlcere locorum carnoſorum videri ſolent, & fortiora, vt in morbis magnis: qui ſic dicuntur aut ratione quantitatis, aut ob affectæ partis præſtantiã, aut quia cacohetes ſunt: Agnoſcat etiam vlcerum finem laudabilem, vt in vlceribus benignis; aut malum, vt in vlceribus feris, aut phagedenicis. Poſtremò proprias vnicuiq; vlceri indicationes conſiderare tenetur, quæ ſunt agendorum inſinuationes, ſumptæ quippe à morbi eſſentia, virium robore, parte affecta, & ſymptomatum fortitudine: ſcopos etiam, qui fines ſunt, in quos diriguntur operationes, abſtergendo, incarnando, cutim inducendo, dolores ſedando, ac cætera ſymptomata profligando: Finem adhuc, qui terminus eſt, in quem omnes ceſſant operationes, & ęſt ſanitatis poſſeſsio, morbum in vnitate remouendo: nam affectus, qui curari deſiderat, finem, quo medicus primum intendit, indicat. Inſtrumenta communia accuratè conſideret, nempè diætam, potionem, & chirurgiam, potiſſimum verò operandi agilitatem, citò, tutò, lætè, & quàm minimo cum dolore: ac in omni actione illi cordi ſit, vt ſi non iuuet, ſaltem non noceat. Cum verò ad operationẽ deuenerit, laboret, vt affectus in corpore, à quo incommodum aliquod infertur, vincatur, aut prorſus eximatur, vt in ſimplici vlcere conſolidatio ſeparatæ vnionis: in compoſito plurimis indicationibus ipſum regere, vtpote optimo vitę regimine: in ſex rebus non naturalibus antecedentes materias auertere, corrigere, & euacuare: topica opportuna, loco conuenienti, tempore debito, ac in quantitate decenti, patienti ſedi adhibere, ac ſupernata ſymptomata expellere. Victus regimen cum ijs celebratur, quę ſunt facilis concoctionis, optimi nutrimenti, & paucarum ſuperfluitatum, & ſuis qualitatibus, fluxionibus aduerſentur: vitioſi humores in corpore adaucti corriguntur opportunis nutritionibus, ſerapijs ad contrarium alterantibus, & viſcerum rectificationibus: fluxiones ac prauos humores auertunt, frictiones, ligaturę, cucurbitulæ, perfuſiones, epithimata, & cauteria: eos tollunt, & euacuant, ſanguinis miſſio, alui eductio, vomitus, exercitium, & dięta, hoc ſeruato, vt humorum impetus quàm longiſsimè inde, quo confluit, attrahatur: neq; vllo modo ad proximam partem deriuetur, niſi cum ſubſedit, & non amplius irrumpit. Topica adhibentur aut affectui, qui vlcus aut gignit, aut fouet, aut ipſi vlceri ſecundum eius tempora, ſumpta indicatione: in humidis ſiccare, in ſordidis abſtergere, in cauis replere, in planis ſigillare, ſymptomata remouere: ſi in mala temperie, victu ad contrarium alterante: ſi triſtis ſenſus, innatum calorem augendo, & eius cauſam abſumendo, aut ſtuporem inducendo: ſi inflammatio dum fuerit in fieri, præſeruando, ne augeatur: ſi in facto eſſe, cauſarum materialium ablatione: ſi ſphacelum, corruptæ partis remotione, aut ferro, aut igne, aut medicamento vim vrendi habente, vt ſingulatim proprijs locis explicabimus. Corporis vniuerſalis temperies ab eo conſideranda eſt, qui probè vlcus aliquod curare deſiderat; ſiquidem opportuna remedia inueniri non poſſunt, niſi prius corporis elementa (ideſt ægri temperatura) perpendatur. quare non minor ratio habenda eſt vniuerſi corporis, quàm læſę partis: at non corporis modò vniuerſi, ſed etiam affectæ particulæ habitudo dignoſcenda eſt: quæ conſeruari à ſimili, & ad meliorem ſtatum, ſi fuerit vitiata, reduci, deſiderat: affectus quippe alicuius partis non curatur, niſi ſedes ipſa affecta fuerit, & nota, & optimè diſpoſita. membra enim, quæ minùs carnoſa ſunt, cuius generis ſunt digiti, & articuli, ſicciora ſuapte natura ſunt. Officium etiam affecti membri dignoſcatur ob id, quia nobiliores partes, & quæ multo ſenſu præditæ ſunt, difficulter vlceribus affliguntur, & acria medicamenta non tolerant, & ab incommoda manuum operatione irritantur. ac in

flammatione

Hipp. lib. 2 prędictionum. Gal. 3. Meth. cap. 9. 1. de not. loc. aff. cap. 1. & lib. de inęq. temperat. Gal. 1. Ktag. ſer. 2. in fine. Gal. 4. de cõpo. m. in gene. & 3. Meth. cap. 9. Auic. 4. 1. c. 28. & 4. 4. cap. 21.

flammatione corripiuntur. ſitus partis affectæ, ſiue eius poſitio, conſideranda eſt: nam loca, quæ in imis partibus poſita ſunt, fluxionibus obnoxia ſunt, & magno negotio regulantur: quæ verò extrema ſunt, & à fonte caloris multũ diſtant, imbecilliora exiſtunt. igitur, dicebat Auic. Cauſæ, quæ corrumpunt vlcera, ſunt debilitas virtutis membri; quare recipit omnem materiam, & malitia complexionis membri, aut eius, quod currit ad eum in qualitate, aut quantitate. [4 4.tra.3.cap.1. Gal. lib. de atra bile.cap.4.] ſexus pariter conſideratur; fęminile enim genus à maſculino multum diſcrepare videtur; illud quidem molle eſt, album, ac multo ſenſu præditum: hoc verò durum, ſiccum, ac hebetis ſenſus. adhuc quæ plethora, vitioſoq; ſucco laborant corpora, & quę tenera carne induuntur, & ad ſentiendum inſigniter habilia ſunt, facile ex quo libet morſu, ſeu roſione phlegmones recipiunt: in horum numero continentur mulieres candidæ, púeri, eunuchi, viri cute alba, & qui in delicijs, & ſub vmbra viuunt: ſecus verò milites, nautæ, meſſores, & qui ſub diu, ac Sole degunt. viuendi ratio etiam conſideranda eſt; nam ſi in victus ratione quis delinquat, verendum eſt, ne dolores, aut inflammationes oriantur: aut illi pars affecta putreſcat, in qua pręſertim vlcus alicuius momenti ortum eſt. Patria inſuper pernotanda eſt: nam qui frigidam incolunt regionem, humidi, pituitoſi, molles, albi, & ſenſibiles ſunt: quemadmodum ij, qui calidiorem aerem habitant (vt Aegyptum, Syriam, & Arabiam) duros corporum habitus, & ſiccos ſortiuntur: cum hac quoq; ambientis temperies, quæ vtique cum ad præſentes ſtatus, tum verò ad regiones, extenditur. [Gal. 3. Meth. cap. 8.] quòd ſi tempus anni calidus, ac humidus fuerit, & homo laboret vitio mali ſucci: ne corrumpantur vlcera, ancipites ſumus. ergo etiam conſiderare conuenit, circundantis nos aeris temperiem; ſiquidem veluti medicamentum quoddam eſt, ac vbi immodicus calore, vel frigore eſt, vlcerum ſanationem moratur. danda igitur opera eſt, vt medicamenta exceſſui eius occurrant: at qui pro bè vlcus ſit ſanaturus, conſideranda ab eo ſunt, non ſolum corporum temperies, ac partium naturæ, & anni tempora, ac ſexus, patria, & viuendi modus, ſed ætatum differentiæ, cum ad rationem victus, tum ad medicaminum acrimoniam: nam ſenes inediam facillimè ferunt, pueri difficulter, medio modo, qui ętatem conſiſtentem habent. Qui creſcunt, plurimum habent calidi innati: ſenibus verò parum illius ineſt, & corpora eorum frigida ſunt, ac cæteris ætatibus imbecilliora: [Hipp 1. Aphor. 13. 14.] potiſſimum verò vires conſiderantur, vitales, animales, & naturales: nam vbi eſt indigentia, laborandum non eſt: omnium enim operatrix eſt natura, ideſt innatus calor, medicus verò miniſter: vbique igitur Hippocrates magnum ſtudium habet, ſeruare validam eam, quæ regit noſtrum corpus, potentiam: Correlariè animus patientis examinandus eſt, cum in morbis curandis lætari mente, atq; hilari animo vitam ducere, & ad medicas operationes bene ſe habere, & non timere, multum conferat. [Hipp 2. Aphor. 160. Gal lib. ar. par. m. cap.] corpora enim, quæ bonitate naturę prædita ſunt, & virium pręſtantia pollent, externarum cauſarum noxã vix ſentiunt: at proinde qui valido ſunt corporis habitu, & ignem, & gladium, & cauteria, & quę forinſecus accidere poſſunt, contẽnunt. His omnibus à diligenti Chirurgo primò perſpectis in vlceribus, quæ cũ alijs affectibus complexa ſunt, ad ſex rerum non naturaliũ inſtitutionem ſe conferat, ab ambiente nos aere initium capiens: cum vna ſit ex cauſis de neceſſitate corpus noſtrum alterantibus. aer.n. vnũ eſt eorum, quæ extrinſecus accidunt: quod ſeparari à nobis nequaquam poteſt, atque is perpetuò nobis, tanquã connatus, hæret. [Gal. 3. Meth c.9 Gal. 1. de tuen. valitudine.] hac ratione etiam in curandis vlceribus purus ac temperatus eſſe debet; qui nec paludis, nec ſtagni habitu ſit infectus, nec ex profundo ſpecu peſtilentem auram ſpiret, nec qui ex cloacis, aut cadaueribus vitium contraxerit. frigidus etiam aer ſecundùm omnem modum vlceribus, pręterquam inflammatis, inimicatur, conſtipationes facit, dolores commouet, conuulſiones irritat, & ſphacelos producit. [Hipp. 5. Aphor. 17. 18. 19. 20. 22. & 30. reg. ac. 41.] valde calidus ac feruens ex toto vitandus, ob id, quia inflammationes commouet, & vlcera corroſiua reddit. qui verò ſuis manifeſtis qualitatibus, prauis vlcerum diſpoſitionibus aduerſatur, optimus eſt, & eligendus. ait Princeps; Et de rebus magis nociuis vlceribus ſunt meridies, & aer calidus & humidus. aere optimo ſemper vtendum, ait Gal. lib. pri. de tuenda valetudine. puero, iuueni, atq; ſeni: nam aer vitioſus vt omni ætati eſt noxius, ita purus omnino nulli non ætati vtilis.

Sequitur alimonię ratio, quę ad vitæ, & ſalubritatis modum conferre videtur. ob id enim alimenta ſumimus, vt eorum præſidio incolumiter vitam tranſigere valeamus: itaq; in vlcerum curatione de alimenti delectu præcipuam curam medicus habere tenetur: nam pro varia ciborum natura corpora vario modo alterantur. in diæta ergo decet, vt non modò bonitatis ciborum rationem habeamus: ſed ætatis, ordinis, temporis, quantitatis, qualitatis, horæ, conſuetudinis, & pręparationis modi: vt pro horum omnium ratione congruè cibos patientibus offeramus. cibos igitur, qui ſimiles nutrito eſſe debent, ea copia offerimus, quantũ corpus, cui offeruntur, concoquere valeat: nã cibi in ventre concocti ad ſalubritatẽ, & boni chili generationem conuertuntur: cibi qualitas in affectibus præter naturã à contrarijs ſumitur, in his, qui ſecundùm naturam habent à ſimilibus: [Hipp. lib. de loc. in homi. Gal. 3. de fac. natur. cap. 7. Gal. 1. Apho. cõmen. 16.] porro bonus is cibus eſſe cenſetur, qui & optimi ſucci eſt, & concoctu facilis, ac minimè excrementoſus. hac ratione cibaria varia, craſſa, pinguia, calida, acuta, ſale condita, aut quę intemperiem aliquam in affecta ſede itritare poſſunt, omnino dimittenda. probantur cibaria, horis conſuetis, & condecenti quantitate comeſta. dandũ eſt quippe aliquid naturæ, ætati, & conſuetudini. vinũ interdum interdicatur, & aquam potare, quæ quãplurimis vlceribus cõferre videtur, bonũ eſt: id ve magis, ſi præceſſerit ebrietas, aut inflammationis initium apparuerit. [Hipp. lib. de vlceribus. Cel. lib. 5. cap. de rat. vi. & Gal. 4. Meth. cap. 7.] Crure malè affecto, deambulare, aut ſtare, malum. exulceratis manibus, brachia defatigare, peſſi-

Hipp. lib. de vlceribus. Cel. lib. 5. c. de rat. vict. Gal. 3. Meth. ca. 9. Auic. 13. 13. cap.

Hipp. l:b. de vlc.

peſsimum: loca verò vlceratis partibus oppoſita leuiter fricare, aut commodè exercere, optimum: communiter verò in omni vlcerum curatione quies optimum præſidium eſt. nam pro confeſſo habetur, quòd de illis, quæ recta ſunt in vlcerum curatione, eſt, vt quieta ſtent membra, & non moueantur, præſertim in corpore malis humoribus ſcatente. ſomnus, ſi naturalem modum exceſſerit, malus. ſub diu, aut ſuper repletionem, peſſimus: attamen quietus, moderatus, ac in nocte factus dolores emulcere ſolet, vires validiores reddit, & concoctionibus auxiliatur. in cauis, aut cuniculoſis vlceribus ſupra affectum locum dormire, ac quieſcere diu ſuper ipſum, prȩſentaneum remedium eſt. Plethora verò apparente, ideſt ſuccorum æqualiter ſe habentium exuberantia, ſanguinem mittere expedit. In cacochymia, vbi vitioſus in toto corpore humor abundat, talem pharmaco conuenienti euacuare conducit: ſucci prȩterea diuerſi ad ſedem affectam confluentes, omni ingenio reuellantur, nempe laqueis, frictionibus, cucurbitulis, clyſteribus, & vomitu. ab ingluuie, & crapula caueto: copioſam cibariorum varietatem euitato: Venus præter modum, aut ſupra repletionem abhorreatur. Ira, timor, triſtitia, contentio, & clamor, fugiendus: quȩ verò vires validas reddunt, eligantur, medicorũ gratitudo, amicorum commertiũ, & bene ſe habere ad ea, quȩ offeruntur, ſummopere probantur. His omnibus inſtitutis, ad cauſas abſcindendas, quȩ vlcera aut fouent, aut gignunt, tranſire oportet: at in quibus effectrix cauſſa adhuc manet, ab ea curatio inchoanda eſt. porrò aliquando fieri poteſt, vt vna ſola ſit tantum cauſa, quo minus vlcus ſaneſcat, nempe intemperies ſedis, aut varix, aut partis imbecillitas, aut os corruptum, aut vitium aliquod iecinoris, aut lienis; vnde ſequitur cacochymia, aut plethora totius corporis. non rarò etiam quamplures inſimul complicantur diſpoſitiones, quæ vlceris conſolidationem impediunt: ob id diligentia adhibenda eſt, vt dignoſcatur, an vlcus recens ſit, an antiquũ; ſiquidem rarò antiquata reperiuntur vlcera, quin corpus affectum plurimis prauis ſcateat humiditatibus, & plures eius dentur cauſæ, quibus omnibus primò incumbendũ eſt: ſi qua verò ſecum adfuerint ſymptomata, ea primò tolli debent, deinde cauſæ proprię: poſtremò vlcus, qua vlcus eſt, curare expedit, indicatione ſumpta ab eius eſſentia, & modo, in quo reperitur. Cæterum omne vlcus, qua vlcus eſt, vnam habet communem curandi indicationem, nempè mediocrem, & proportionatã exſiccationẽ: eius verò, quod cum alio affectu coniunctum eſt, indicatio ſimpliciter talis non eſt, ſed prior illius affectus. Secundò vlceris curatio molienda eſt; nam vlcus nequaquam curabitur, cui intemperies, aut inflammatio annexa eſt: niſi prius intemperies, aut inflammatio abſumatur. hac ratione, cum plures ſimul complicantur diſpoſitiones prȩternaturales, adhibenda cura eſt, vt id, quod magis vrget, primò quã minimo cum dolore ſanetur, nempè quod ſimplex eſt, opportuna exſiccatione; plenum, obducta cicatrice; diſcraſſiatum, rectificatione; doloroſum, doloris ſedatione; inflammatum, inflammationis remotione; virulentum, valida exſiccatione; cauum, repletione; ſordidum, abſterſione; corroſiuum, quietatione; durum, mollificatione; fiſtulare, parietum ablatione; vermicoſum, vermium deiectione; teredinoſum, corrupti oſſis remotione; circulare, circuli diuiſione; varicoſum, vitis inciſione; cacoethes, occultæ, aut abditæ cauſæ conſumptione. horum quippe vlcerum, quæ cum alijs affectibus complexa ſunt, quatuor erunt particulares curandi rationes, nempe victus regimen, corporis euacuatio, accidentium profligatio, & vlcerum, ſecundum eorum indigentiam, curatio: verumtamen nulla harum curationum ipſius vlceris eſt, ſed alterius affectus complicati, qui vel vlcus gignit, vel certè eum fouet. conſilium Galeni in hoc eſt, vt hos affectus è corpore prorſus eximamus: vel incommodum, quod inferunt, vincamus, vt ſingulatim, dum eos pertractabimus, ad plenum explicaturi ſumus.

LIBRI TERTII.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Vlceribus tam ſimplicibus, quàm commiſtis cum alijs affectibus.

De puro ac ſimplici Vlcere, & eius cura. Cap. I.

CVMQVE vlcus ſimplex fuerit, ideſt, ab alio morbo, aut diuerſo ſymptomate, aut propria cauſſa, alienũ; & affecta ſedes optimè conſtituta, & ſanguis, qui ad locum defluit, bonus, ac in quantitate mediocris, eius vna tantùm eſt indicatio curatiua, nempè vnitio partium: ſi decet, indicatione ſumpta à ſoluta continuitate: & mediocris ſiccatio, indicatione ſumpta à morbo in dimi nuta quantitate. nam gignunt carnem quæ primum ordinē exſiccationis non multum tranſgrediuntur. ſi verò illud planum fuerit, mundum, & abſque vlla profunditate, eius cura eſt cutis indutio: quod fit medicinis ſiccis in tertio, omni mordicatione expoliatis. porrò dictum eſt; Simplici morbo ſimplex adhibenda curatio eſt: compoſito verò non ſimplex. Ergo puri vlceris, vt vlcus eſt, eius curatio eſt opportuna ſiccatio; nam perpetuò in omni vlcere etiam puro, dum caro reſtituitur, excrementum aliquod humidum producitur, quod exſiccari deſiderat.

Hipp. lib. de vlceribus. Gal. 3. Meth. cap. 4. Pau. lib. 4. cap. 36. Auic. 4. 4. tr. 3. cap. 1.

Gal. lib. ar. par. m. cap. 92. & 4. Meth. cap. 1.

PRAXIS.

IN Vlcerum curatione nil tam nobis euitandum eſt, quàm medicamenta generis oleoſi, quæ Hippocrates mollia vocat; cuiuſmodi ſunt omnes adipes, præſertim porcorum, dein reſinæ, poſtea cera, & olea. alia ratione & quæ indurata emolliunt, malactica dicuntur, non conueniunt, veluti galbanum, bdelium, ammoniacum, ſtirax, & medullæ: Item alio modo acria, nempè piper, gingiber, ſinapis, ac multa huius generis alia: nec ea pariter, quæ dolores inducunt, ſicut ęris flos, & ſquamma, calcitis, & alumen: ſed ea probantur, quę ſine eroſione ſiccare poſſunt, qualia ſunt mineralia multa illota, aut aduſta; ſicut eſt ſigillum Lemnium (terram ſigillatam iſti vocant) cadmia, quæ recrementum eſt in fornacibus, vbi argentum liqueſcit, & effunditur; pompholix (tutia dicitur) & eſt fumus, qui his adhæret fornacibus, ſpodium, & ſimilia: quæ omnia lota, & aceto per quamplures dies ſub canicula pręparata, pro tenellis, & imbecillioribus corporibus probantur; pariter & aloes, myrrha, thus, opopanax, ariſtrochia, farina hordei, fabarum, orobi, & quamplurima huius generis ſimilia, quæ à Gręcis ſarcotica, & à Latinis glutinantia vocantur. Huiuſcemodi medicamenta, ob id quia laborantium corpora varia ſunt in natura & compoſitione, in qualitatibus ſuis actiuis, & paſſiuis vario modo parari debent, indicatione ſumpta à natura ſedis laborantis, & à qualitate, & forma vlceris. Porrò aduertendum eſt, quòd corpora ſucco vitioſo prædita, aut quę tenella carne munita ſunt, & ad ſentiendum inſigniter habilia facilè ex eroſione aliquorum medicaminum phlegmones recipiunt: quæ enim generosè ſiccant, & aſtringunt, mordent: vnde nemo acria medicamenta, & cruda in puris vlceribus vti audet, ſed elotis, exuſtis, aut alio modo præparatis: vt eorum acrimoniam, & mordacitatem amittant; ſiquidem correcta tunc minus ſiccant, & ab acuitate priuantur: ob id enim noſtræ ætatis Medici huiuſcemodi præſidia ſub emplari conſiſtentiam (quam Græci enhæma, & vulgares vnguentum appellant) parare iubent, quale eſt vnguentum ruffum Celſi, aut ex ouo Pauli, aut de lino Auicennæ, aut aureum Meſues, aut illud commune baſilicon, aut reſinum. porrò in topicorum adhibitione hoc pro axiomate, ſeu dignitate habeatur. Humidiora vlcera, quæ validiora occupant corpora, fortiora ferunt medicamenta: ſecus verò puriora vlcera, & imbecilliora corpora.

Hipp. li. de vlce. Gal. 4. kta. ſer. 1

DIGRESSIO DE CVTIS INDVTIONE.

VVLNERE repleto, cutis inducenda eſt: quod perpurgatis iam, repletiſq; vlceribus, neceſſarium eſt: vera autem cutis (quia à genitura ortum trahit) deficiente materia non regeneratur: ſed eius loco carnis ſuperficies callo quodam tenui, qui cutis imaginem præſefert, & illi ſimilis eſt, ac eius officio fungitur, tegitur, & munitur, vt ab iniurijs exterioribus defendatur: caro quippe eadem ſpecie

Cel. lib. 5. c. 26. in fine. Gal. 3. Meth c. 5. 5. de 5. med. fac. c. 15. 2. de cōpo. m. in gene. 92. & lib. ar. par. m. ca. Pau. lib. 4. c. 45.

ſpecie cum ea, quæ perijt, in vlcere gigni poteſt: cutis verò talis omninò, qualis erat quæ perijt prorſus reſtitui non poteſt, ſimile quiddam cuti, & quod eius officium ſuppleat, poteſt, non tamen planè cutis erit, ideſt, naturale tegumentum carnis: quod per quandam alterationem producitur, & cicatrix communiter vocitatur. huius alterationis effectrix cauſſa natura nequaquam eſt, quemadmodum in nouę carnis generatione, vt multi credunt; ſed medicaminum qualitates nimis ſiccæ, ab aſtrictione aliqua, & repercuſſione non expoliatæ, abſq; vlla mordacitate, agente ſimul ambientis frigiditate, vt in nuper natis puerulis videre licet: ſed de natura hoc admirandum eſt, ꝙ cum omnium ſit opifex, & multoties experimento notum eſt, ſolo adhibito vlceri medicamento ſarcotico, quod cutis producta eſt; interdum tamen abſq; vllo medicamento, ac in ſpherico vlcere cutis in circunferentijs initium capit: quod non aliunde prouenire, niſi naturæ ope, credibile eſt, cum ęqualiter medicamenta in eo agere videantur: attamen, cum ſumma carnis ſuperficies ex nimia ſiccitate non nutritur, exſiccatur, & ita exſiccata cutis naturam refert. ergo quemadmodum cutis carne ipſa tum ſiccior, tum denſior eſt; ſi carnis ſuperficiem ſiccabimus, & aſtringemus, cuti eam perſimilem reddemus. in vlcerum glutinatione id tantùm ſiccare expedit, quod confluit, & redundat, quò videlicet affecta pars ſuperuacuis vacet. in cicatrice ducenda non modò quod confluit, & redundat: verumetiam humor naturalis, qui in ſumma carne continetur, conſumendus eſt: quare multò ſiccius, quod cicatricem inducit, quàm quod agglutinat, eſſe conuenit medicamentum. ergo quæ pro gignenda carne in duris corporibus cõmendantur, in tenuioribus cutim excitare poſſunt; & quæ in tenellis exedentem carnem adimunt, in duris cicatricem inducunt; hac ratione à Græcis epulotica, & interdum ſinulotica, & à Latinis cutem inducentia vocantur. huius generis varia ſunt medicamenta, quorum aliqua à mineralibus, aliqua à plantis, & aliqua ab animalibus accipiuntur. quę à plantis ſumpta, ac valida ſiccandi poteſtate munita, ſunt fructus ſpinę ęgyptiæ, galla omphancitis, ideſt immatura, reon, malicoriũ, balauſtium, malum terræ, iris, acorus, panacis radix, ciperus; his euidentius centaurium, & ariſtrolochia. ex gummis, aloes, ſarcocolla, gumma Arabica, ſanguis draconis. ex lachrima, mirrha, & huius generis ſimilia: ab animalibus, bucinorum teſtacea, ideſt limaciarum domicilia, oſtracordemata, ideſt oſtreorum cortices, conchilia, ideſt gallarum, & ſimilium cooperimenta: quę omnia lota, aut aduſta, & in tenuiſsimum puluerem redacta iuuarę ſolent. benefaciunt etiam his vlceribus oſſa ſepię, cornua, oſſa omnia, & dentes aduſti, & puluerizati: Horum verò validiora ſunt mineralia, nempè calcitis, ideſt pars exterior vitreoli ciprij aduſti, calcantum, atramentum ſutorium iſti vocant, pariter & miſi, & ſori: quę ſucceſſiuę aliæ partes ſunt ipſius vitreoli; & ideò quia hęc omnia ex una ratione ſunt producta, cognata dicuntur. probatur ad hoc diphriges, & eſt fex, quę in fornacibus, vbi æs percolatur, adhæret. pariter plumbum vſtum, aut eius recrementum; alumen, & æris ſquamma præparata. quamplurima medicamenta & ſimplicia, & compoſita prętantiſsima commendantur: ſimplicium verò mixtura non eodem modo paratur: galla enim omphancitis, malicorium, & fructus ſpinæ ægyptiæ modicè ſiccantia pharmaca ſunt. calcitis, ęs vſtum, ęris ſquamma, miſi, & alumen multò his ſunt validiora: hæc non ſolum vlcera ſiccant, ſed ea purgant in corporibus pręſertim robuſtioribus, militum, ruſticorum, nauigantium, laboribus deditis, & vitam ſub Sole, & diu degentibus. irſuta, nigra, dura; & ſicca formantur interdum ſub forma ſuſuf, ideſt pulueris ſubtiliſſimi, multotiens ſub tenui & liquida ſubſtantia; qualis eſt vinum nigrum auſterum, aqua maris, aut aqua aluminis; vtplurimum ſub emplaſtri, aut cerati conſiſtentia, quale eſt emplaſtrum de climia Scribonij, quod Gal. diacadmias vocat, & Lucij cathegeres eſſe dicit, aut dialadanum, aut illud celebre Moſchionis: in officinis verò ſub his nominibus multa perpetuò parata inueniuntur, veluti ceratum diapompholigos, ceruſſatum, de minio, de ſolatro, triapharmacum; & diaphinicine, quod iſti diapalma vocant. Ait Gal. Id genus medicamenta, ſiquidem ad exactum pulueris liuorem reducta, ſi per ſpecilli cuſpidem, carnem leuiter contingentia ad cicatricem vlcera perducunt: at ſi paulò largius vtare, mordicant, colliquãtq; carnem, & vlcus cauum efficiunt, potiſſimum in mollioribus corporibus. in ſiccioribus verò, niſi ſatis magnam eorum quantitatem imponas, nihil proficies; id enim eſt in planis ad cicatricem ducendis conſilium, vt caro alteretur, fiatq; cutis: cumque vlcera cicatrice obduci incipiunt, maximus oritur pruritus; ſiquidem humores tunc magis conſtringuntur: nec ſenſibiliter expurgantur, ac inſenſibiliter diſcutiuntur. ſed conſtricti pruritum cauſare ſolent.

De Vlcere mala temperie affecto. Cap. II.

Gal. 4. Meth. ca. 2. & lib. de inæqual. temp. Raſis. 7. ad Al. ca. 3. Auic. 4. 4. tra. 3. cap. 1.

TRES ægrè ſanabilium vlcerum modi eſſe videntur; qui ex intemperie ſubiectę prouenit carnis; qui ex vitio confluentis fit ſanguinis; & qui ex menſura confluentis naſcitur: at carnis mala temperatura à naturę modo egreditur, aut in qualitate ſola, aut cum acceſſoria quapiam inflammatione; quare vlcus, quod Græci diſcraton, & Latini malæ temperiei affectum appellant, illud eſt, quod aut ſede male affecta occurrit, aut cui complicata eſt intemperies aliqua. cognoſces verò horum vtrumq;, partim colore, partim calore, aut tactu, partim laborantium ſenſu, quippe aliàs vſtionem ſentire ſe fatentur, aliàs manifeſtum frigus in particula, gaudentq; vel frigi-

dis

dis medicamentis, vel calidis. & alijs quidem rubor lenis inſidet, alijs color magis albicat. Indicia er gò calidæ temperaturę ſunt, loci rubedo quædam manifeſta, dolor ad tactum mitis, & materia, quæ ab vlcere effluit, tenuis, & acuta, ac frigidorum medicaminum vtilitas. Frigidæ qualitatis ſigna ſunt, color albus, aut cinericius, frigiditas ad tactum, dolor ſtupidus, mollities quędam, & calidorum topicorum beneficium. Humidę habitudinis notæ ſunt, color ſubalbidus, dolor nullus, mollities manifeſta, ſanies multa, tenuis, calidis quę præſidijs gaudet. Siccę diſpoſitionis accidentia ſunt, color ſquallidus, loci aſpredo, labrorum ſiccitas, & ſanierum penuria humidis ſuffragijs manifeſtè opitulatur.

DIGRESSIO.

Gal.l.ar.par.m. cap.89 & 4 me th. cap.2.

QVAECVNQVE partes vlceratæ per intemperiem aliquam à naturali habitu receſſerunt, eorum ſanationem per ea, quæ contraria ſunt viribus, fieri omnino eſt neceſſe: tollitur ergo calida vlcerum temperies medicinis refrigerantibus; frigida, calefacientibus; humida ſiccantibus, & ſicca humectantibus. Porrò viget mirabile illud axioma; Contraria, contrarijs curantur: qualitates verò, quæ ex his mixtæ ſunt, mixtis indicationibus remouentur, nempè ſi frigidior humidiorq; locus ſit, calefacientibus pariter, ac ſiccantibus præſidijs adiuuatur. ſic enim & in alijs ad eundem modum, vincentibus nimirum qualitatibus contrarijs, ſemper oppugnare oportet: vbi intemperiei affectus iam ſanatus fuerit, ſtatim exulcerationis affectus ſanabitur, non aliter planè, ac ſi citra intemperiē incidiſſet. fieri enim non poteſt, vt in vlcere, vel carnis productio, vel ſinus repletio, vel agglutinatio, vel cicatricis inductio rectè vtiq; cedat, niſi ſubiecta caro pro naturali modo ſe habeat: Terminus verò correctionis diſcraſſiarum eſt, in quantum ipſæ in naturali eorum habitu redierint; itaq; temperatam eſſe ſubiectam ſedem ad vlcera ſananda prorſus oportet. Calidas qualitates remittit oleum violatum, roſatum omotribes, nenupharinum, ſuccus lactucæ, protulacæ, plantaginis, & ſolatri, vnguentum roſatū Meſ. linimentum ſimplex, ceruſſatum, & refrigerans Galeni: ſi verò rubor quiſpiam manifeſtus, vel omnino calor in circumpoſitis vlceris partibus exuberat, ſanguis mittatur, & phenicino, medicamento aliquo refrigerante diluto, vt mirthinum eſt, aut violaceum, aut roſatum rude, locum epithimabis: aut eum lenies emplaſtro ex plumbagine Pauli, aut ex litargirio Meſues. immodicè verò refrigerantia, veluti hyoſciamus, mandragora, cicuta, & id genus alia omnino vitanda ſunt; ſtuporem enim inducunt. Frigidas pręterea qualitates contemperat oleum chamomellinum, anetinum, coſtinum, & rutaceum: vnguentum citrinum, fuſcum, baſilicum, aut dialthea, aut illud celebre diapipereon. Si verò humidior, quàm pro naturali habitu, caro fuerit affecta, contraria ratio ineunda eſt, ac medicamentorum facultas ad ſiccius transferenda. humidas igitur habitudines tollit oleum mirthinum, de mirrha, de ſulphure, & de euphorbio: ſpongia, in vino nigro pontico, aut lixiuio claro, aut vrina humana, aut aqua thermarū Abani, quę aluminoſa eſt, & multum ſiccat, aut decocto abſinthij, ciperi, ariſtrolochiæ, nucum cipreſſi, & ſimilium rerum infuſa. Optimum eſt emplaſtrum iſis, ceraſeos, macherionis, & ægiptiacum, Siccas diſcraſſias contemperat, & humectat oleum commune tepidum, fotus aquæ calidæ, decoctum altheæ, acanti, maluę, & hordei. vnguentum ex oleo roſato maturo, & oui luteo, aut ex therebintina lota, vitello oui, croco, & oleo roſato. Tunc etiam ea omnia probantur medicamenra, quibus vis aliqua attractiua inſita eſt; veluti emplaſtrum baſilicum, de pice, fuſcum, aut ex ſuccis diachilon nuncupatur. Ait Paulus; Non ſuppurantia vlcera, concoquit, maturatq;, ex ſimplicibus, aqua tepida ſuperfuſa, farina triticea, condrus, crocus, lachrima thuris, pix, adeps ſuillus, vitulinus, & cera. & Gal. dicebat; Carnis quidem intemperies, ſi ſquallens ſiccaq; videtur, aqua temperata fouens, humectansq; corriges; calor quippe multus reprobatur, ſed tepidus eſſe debet: vt tantùm humores in membro compactos fundere, & liquare poſsit. calida enim in ſummo diſcutiendo exſiccant: quotiens verò eo remedio vtaris, eſto tibi, ait Gal. perfuſionis, humectationiſque meta: vt cum primùm rubeſcit, attolliturq; particulę moles, tum deſinas: nos verò ſæpe id agimus, adhibito fotu ex hydrelęo, aut ex oleo roſato completo, amigdalarum dulcium, pinguedine gallinacea, medulla vitulina, & butiro recenti, ſuperaddita lana hyſſopi. Horum præſidiorum aliqua in vlcere, multa verò circa vlcus applicari debent: ſi verò mala temperies eius terminum tranſierit, & alicuius inflammationis initium apparuerit: tunc tale adhibeatur regimen, quale, vbi de inflammato vlcere deſcribemus: ſi verò mala temperies perſeuerare videtur, expedit corpus inanire, ſanguinem mittendo, aluum mouendo, victum tenuem inſtituendo, vinum detrahendo, fluxionibus inhibendo, & id agere, quod magis conuenit pro tali vlceris complicatione, hoc ſeruato, ne frigiditas actu vlcus contegat: nam ſcriptum eſt, frigidum vlceribus inimicari, ac dolores inſupportabiles mouere, febres facere, & conuulſiones irritare. Hac ratione volebat Hippocrates, quòd nullum vlcus humectandum eſſet, niſi vino. nam quod ſiccum eſt, prope ſanum eſt: & quod humidum, prope ęgrum. ergo nullum vlcus aut ſimplex, aut compoſitū humectantibus regatur, indicatione ſumpta ab vlcere; à ſymptomate autem, aut à cauſa, donec aut ſymptoma, aut cauſa ablata fuerit, vt de ſicco, duro, aut calloſo vlcere dictum eſt; ſiquidem ſiccitas in vlceribus probatur ad conſeruationem ſiccitatis partis affectæ, & conſummationē humiditatis aduenticię, & ad præſeruationem futuræ diſpoſitionis: ſiccitas enim eſt cura vlceris, quatenus vlcus eſt.

Gal.4. de compo.m. ſecūdum genera. ſerm.2.

Lib.4. cap.39.

4. Meth. cap. 2.

5. Aphor. 17. 18. 20.

Lib.2. de fract. & lib. de vlceribus. Gal 3. Meth.cap.4. 4. Meth.ca.2. & 1. de comp.med.per ge. ſer. 6.

De Vlcere dolore cruciato. Cap. III.

2.de diff. feb.ca. XI. 3.Meth.c.4.

Gal. 2. de diff. feb. cap. XI.
Gal.lib. ar. par. me. cap.
Gal. 12. Meth. cap. 7.
Gal.3.reg.ac.comen. 35.
Gal.3.reg.ac.comen. 37.
Gal.2.de loc.af. cap.5. 2.Meth. cap. 7. 2.pradiꝯt. cap. 1. lib. ar. par. m. cap.
Auic.2.1.ca.39 & 4.4.1. ca.30.
2. par. Aphor. comen. 47.

VLcvs crucians, ſiue dolore moleſtatum, illud eſt, cui aſſociatur prauus ſenſus rei contrariæ ſubitò imprimentis, & talis ſenſus vnum eſt ex ſymptomatibus, quę vlcerum curationem impediunt, & remoranrur: nec inducias expectare ſolet, ac curandi conſilia interturbat: cum que vlceri occurrit, & vehemens fuerit, multa incommoda facit, nempè fluxiones ad locum proritat, quæ curationi aduerſantur, inflammationes mouet, repentinas facit mutationes, febres adducit, vires proſternit, & ſæpe ægrotantem occidit. hac ratione admittendum non eſt, vt æger diu crucietur. Generales eius cauſę ſunt, mala temperatura, aut continui ſolutio, aut vtraque cauſſa ſimul: in vlceribus verò quamplures eſſe poſſunt, veluti corpus aliquod extraneum in eo contentum, aut acutorum humorum defluxio, aut medicamentum aliquod acre, & mordax: aut vapor malus: aut initium inflammationis: aut affectæ ſedis natura, & compoſitio: aut diſpoſitio aliqua occulta. Differunt hi dolores inter ſe ratione modi, & ratione quantitatis: alter enim pungitiuus, aut extẽſiuus, aut grauatiuus eſt: alter verò mitis & quietus: alter mediocris, & ſupportabilis: & alter crudelis, & clamoſus. vt plurimum dolor à fluente materia producitur, & tunc pathos Græcè dicitur, nam talis læſa functio tranſitus eſt de ſanitate ad ægritudinem. Porrò materia, quæ fluit, dum ſibi loca capit, primò continuum ſoluit, inde malam temperiem inducit: & tunc fit ſymptoma, ſequens morbum in ſoluta continuitate: ſi verò à mala temperatura tantùm ſine materia cauſſatur, continuũ non ſoluit; cum non ſit ægritudo pendens à materia, quæ locum requirat. dolores in vlceribus, qui ab acuto proueniunt ſucco, pungitiui ſunt: nec propter hoc dolor eſt læſio in operatione ſenſitiua; quia non eſt ablatio ſenſus, quod eſt non ſentire: neque eſt debilis ſenſus, quod eſt non apprehendere impreſſionem factam à re ſenſibili, neque eſt prauus ſenſus, quod eſt ſentire aliquid, nullo pręſente ſenſibili obiecto, vt muſcas non exiſtentes videre: ſicuti enim delectatio eſt ſenſus rei gratæ. ſic dolor eſt ſenſus rei contrarię ſubitò imprimentis: quæ nil aliud eſt, quàm mala qualitas, aut ſolutio continui, aut ambæ cauſę ſimul. Porrò mala complexio non eſt parum quid in dolore generando: ſed primaria cauſſa eſt ſolutio continui, ſed mala qualitas in eo, quod ſoluit. paſſio enim, & dolor non fit in his, quę verè alterata ſunt; eo quia in eis ſolutio continui amplius non fit, nec in eo, quòd tranſmutata eſt craſis: ſed in eo, quòd trãſmutatur, & corrumpitur, dolores fiunt. experimento notum eſt, quòd poſt membri inciſionem, aut fiſſuram, nullus apparet dolor, ſed dum fit inciſio, aut fiſſura: niſi cum inflammationes, aut fluxiones ſubſequuntur. nam, vt voluit mirabilis Hippocrates, dolor tunc corpori accidit, quando à ſua natura mutatur, atque corrũpitur, non quando ipſa mutata eſt, aut corrupta: & ideò poſt tumorum ſuppurationem, & febres, & dolores, qui exeunt; ſiquidem, dum fit pus, viget quidam terminus ebullitionis, à quo ſoluitur continuum: qui confecto pure, quięſcit, & dolor tollitur. quòd principalis cauſa doloris ſit continui ſolutio, ex Galeno intelligimus. inquit enim; Aqua feruens, ſi ſupra carnem apponatur, ſoluit continuum, donec dolorem faciat: ſi ſupra cutem, quia continuum non ſoluit, dolorem non infert; caro enim mollis eſt, & cutis dura, & viſcida. ſi enim dolor à ſola, vt credit Auer. mala temperatura imprimeretur, cutis etiam, cum alterari poſſit, doleret vtique, quod ſecus eſt: quamuis autem caliditas, & frigiditas, veluti qualitates actiuę, cauſent dolorem per ſe, ſiccitas verò per accidens, humiditas nullo modo. ſcire.n.oportet, quòd caliditas in ſummo extendendo, & aperiendo, & frigiditas conſtringendo, & congelando (vnde ſequitur ſolutio continui) ob ſubitam impreſſionem factam ab iſtis qualitatibus cauſſant dolorem: quod non facit humiditas, aut ſiccitas; quia eorum qualitates ſunt paſsiuę, nec ſubitò imprimi poſſunt. alteratio enim, quæ paullatim fit, nunquam dolorem cauſabit: humiditas per ſe nec magnum, nec paruum cauſat dolorem, ſiccitas per accidens; quia tenet aliquid acuitatis.

Gal. 2. de not. loc.aff. cap. 5.
Gal.lib. de inęqu.tem. cap. 6.
Gal. 4. de mor. & ſymp. cap. 6. & 5. de loc. aff. cap.4.
2. Aphor. 47.
4. de. ſimp. m. fac.cap.3. & 12 Meth. cap.7.
3.coll. cap. 31.
Gal.lib. de conſt.ar.m. ca.9 &. 3. Meth. cap.3.
Aui. 2. 1. doct. 2. ſup. cap. 19.
Auerrh 3. coll. ca.31.& 5 coll. cap. 7.
Gal.lib. ar. par. m.cap.95. & 2. de compo.m.ſecundũ locos ſermone 1. Aet li. 8.cap.29.
Gal. 12. Meth. cap. 7.

DIGRESSIO.

Auic.4.1.ca.30
Gal.5.de.ſim. m.cap.18.

QValiscvnqve igitur in vlcere producitur dolor, quamprimum incæperit, ad ſe omnes trahit indicationes curatiuas: quocirca protinus aut tollendus, aut ſaltem demulcendus eſt. tollitur indicatione ſumpta ab eius fortitudine, & operatione, aut ab eius cauſa efficiente, quam ſemper præſentem habet, & vnà cum ſubiecto coniunctam: Hac ratione generica eius ablatio in malæ temperaturæ permutatione, aut ſenſus ſtupefactione conſiſtit, quę inſignis refrigeratio eſſe ſolet. Poſſunt dolorem tollere medicamenta, à Gręcis anodyna dicta: ſed ea, quę verè anodyna ſunt (ideſt dolores ſedantia) neq; cauſſam ex toto auferunt; neque organum ſenſus alterant, aut corrũpunt. porrò eorum facultas eſt paregorica, ideſt leniens, & mitigans, excalefaciendo in primo ordine cum temperata humectatione, quemadmodum pars affecta, & affectus expoſcunt: ex quibus ſequitur, quòd interdum affectum non ſanant, ſed dolorem tantummodo mitigant, & quieſcunt per alterationem obiecti, & potentiæ ſenſitiuæ, cauſſam doloris mitiorem reddendo, & organum minus aptum ad patiendũ: adeò vt fami-

vt familiaritate elementorũ naturæ, partiq; affectæ conſentiant, & qualitate contraria cauſam doloris oppugnent adhuc, quibus virtus inſita ſit vigorandi natiuum calorem, à quo poſtea doloris cauſſa abſumitur. huiuſcemodi enim anodyna ſub triplici forma parari ſolent, nempe vnctionis aut linimenti, fomenti, aut emplaſtri. Aliqua verò medicamenta vſui ſeruantur, quę verè anodyna non ſunt, ſed cauſſam doloris auferunt, & per conſequens dolorem, & hæc ſpecifica doloris ablatio vocitatur; veluti ſi res extranea & aduentitia vlcus occupauerit, & ipſum doloroſum reddiderit, eam eripere, aut manibus, aut alio ingenio: ſi medicamenti acredo, ipſum contemperare, aut permutare: ſi acutorum humorum defluxus, eum reuellere, ſecundum omnem diuerſionis modum: ſi affectæ ſedis natura, cum quamplurima membra reperiuntur maximo ſenſu prædita, ſicuti capita lacertorum, ac eorum poſteriora; mammæ, teſtes, & omnia loca neruoſa, quæ dolores ferre nequeunt, illæ corroborandæ ſunt, vlcere non neglecto, ſed ſecundum eius diſpoſitionem gubernato: ſi alicuius inflammationis initium, mittatur ſanguis, victus regimen tenue ſit, & aluum expurgare oportet: ſi occulta aliqua diſpoſitio, nempe iecinore, aut liene, aut venrriculo male affecto, eorum affectus corrigendi ſunt regimine vniuerſali prædicto, præſertim ſi alterius cuiuſlibet particulæ occaſione, aut etiam totius corporis, cum in eo ſanguis malus, aut alij ſucci redundant, viſioſum aliquid exulceratis partibus influxerit, & dolores excitauerit: vnde medendum prius eſt, vel ei, quod fluxionis eſt cauſa: vel etiam toti corpori, donec ex toto dolor, & eius cauſſa abſumantur. Membrum ſtupidum reddunt, & ſenſitiuam potentiam tollunt, aut organum tanquam ablatum conſtituunt, vehementes ligaturæ in membri radice, aut medicamenta ſtupefacientia, à Græcis narcotica dicta, quæ diuerſorum graduum ſunt, vt infra dicemus. Anodyna medicamenta, ſub linimenti forma parata, fieri ſolent ex oleo roſato compoſito, violato, ſiſamino, anethino, chamomelino, amigdalarum dulcium, de ſemine lini, de lumbricibus, de cera pura lutea, & de vitellis ouorum: ex his etiam, quæ denſiorem continent cõſiſtentiam; veluti eſt vnguentum roſatum Meſues, pinguedo gallinacea, anſerina, medulla crurium vituli, & butirum recens. Ex compoſitis, oleum roſatum, vitellum oui, & crocum, hyſſopus humida, butirum recens, & oleum roſatum, vnguentum ro. M. oleum amigdalarum dul. & lana non lota, decoctum altheæ, maluæ, acanti, meliloti, & florum chamomillę. Emplaſtra componuntur ex farina hordeacea, ſeminum lini, butiro recenti, & ſapa: aut ex medulla panis in lacte decocta, addito oleo roſato, & oui luteo: aut ex maluis decoctis, oleo violato, pinguedine gallinę, & vitellis ouorum: aut ex medulla panis, brodio pulli decocta, butiro, ſapa, & farina hordei: lenia debent eſſe anodyna, ſubtilium partium, & in primo gradu caliditatis; ſiquidem materiæ ad locum fluxæ ſæpe ſua craſſitudine, aut cruditate, aut flatuoſitate, aut diuerſa temperie dolorem excitant: vnde quæ communiter anodyna dicuntur, tenuium partium eſſe debent, & calidiora, quàm quæ ſymmetra ſunt, vt ſcilicet euacuent, ac digerant, tum rarefaciant, extenuent, concoquant, & ęquabile reddant quicquid in partibus dolore vexatis inhæſit, aut incluſum remanet, ſicuti humores acres, & tenues, aut lenti & craſſi, aut multi, tenuibus ſpiramentis, ſeu poroſitatibus infarctis, aut etiam vaporoſi, aut admodum frigidi, exitum commodum non inuenientes. hac ratione nihil prorſus adſtrictionis habeant; & ſi pars, aut etiam affectus, id expoſcat, faciunt membrum ſtupidum (& eſt diſpoſitio paulò minus, quàm inſenſibilitas). Medicamenta verò infrigidantia primi ordinis ſunt, veluti aqua frigida, nix, oleum de nymphea, de papauere, aut de mandragora. Secundi ordinis eſt vnguentum populeon, theriaca recens cum opio, folia papaueris albi, ſuccus alterci, ſuccus ſolatri, addito philonio. Tertij ordinis eſt ſuccus mandragorę, decoctum torpedinis, philonium Perſicum, & opium cum ſucco mandragoræ. In vehementiſſimis cruciatibus, & deſperatis doloribus nunquam dimittendum eſt, vt æger diu affligatur; Extremis enim morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt.

Hipp.1.Aphor.

quare alijs non conferentibus ſuffragijs, ad narcotica interdum tranſire non inconuenit; ſiquidem multoties vehementiſſimus dolor ſuo vigore hominem necat. à medicis ſcriptum eſt; Omnis dolor, qui validior fit, interficit. indicia ſunt, primò corpori frigiditatem, rigoremq; affert: mox minor redditur pulſus; deinde penitus ſentitur: poſtremò moritur æger. verumtamen, iubente Hippocrate, omnia prius tentanda ſunt, & inquantum poſſumus, huiuſcemodi præſidia poſtponenda.

Gal.3.re.ac.co. men.37. Auic. 4.1. cap.30.

ſomnus inter cauſas doloris mitigatiuas refertur, præſertim ſi cum inedia aſſocietur. inquit Auic. In canone curatiuo vlcerum, in doloroſis oportet (quæ ſunt vehementis doloris) vt ſis occupatus, primò in ſedando dolorem, etiam cum medicinis mollificatiuis, quamuis ſint contrarię vlceri: nam cum dolor non ſedatur, non conceditur, vt curemus vlcus: cumq; dolorem ſedauerimus, omnia inde conſequemur. ſequitur ergo, quòd doloris vehementia cogat medicum vti diuerſimodè, & mollientibus, & narcoticis medicinis, pręcipuè poſt vniuerſales euacuationes. Correlariè ergo, indicationes primò in dolorum remotione ſumuntur interdum penes eorum intenſionem, & remiſſionem. Secundò penes cauſſæ efficientis diuerſitatem, ac eius remotiones. Tertiò penes doloris puram quietem, & ſimplicem ſedationem: ergo dolores tollantur anodynis, ſi quieti fuerint. ſi clamoroſi, remotione cauſſę; crudeles & timoroſi, ſenſum hebetem reddendo. nam quicquid dolorem mitigat, ait Auic. vel temperaturam immutat, vel materiam diſſoluit, aut ſenſum ſtupidum reddit: ſed in hac vltima indicatione, efficaciſsima coniectura præditus eſſe debet Medicus, vt cognoſcat, quid nam horum duorum temporum diutius perdurare poſſit, vel virium, vel doloris conſtantia: ac vter horum affectuum magis læ-

det, vel dolor, vel nocumentum, ex narcoticis quod oriri ſuſpicamur: vt quod conuenientius eſt, proponere, & eligat. fortè enim doloris vehementia occidet, quod fortaſſis ſtupor non faciet, quamuis aliter lædat. Solent multoties vlcera dolore cruciari, aut quia virulenta ſunt, aut quia ſordida, aut quia corroſiua; qui remoueri ſolet remotione cauſę qualitatum vlcerum, proprijs nempè, & particularibus indicationibus, vt ſingulatim infra explicabimus. non rarò etiam dolent vlcera, dum ab occulta, aut abdita cauſſa irritantur, vt in Gallicis vlceribus apertè dignoſcimus, quæ curationem non cognoſcunt, nec admittunt, niſi particulari aliqua illarum operationum, quæ tantùm morbum Gallicum ſanare poſſunt, ac ſolent, potiſsimùm illinitionibus, hydrargiro paratis: quod certè ſecundum omnem modum præparatum, prę ſertim quod præcipitatum vocant, doloroſis,& malignis vlceribus ſummoperè opitulatur: ijs etiam celebre remedium eſt vnguentum ægiptiacum, dumtamen doloris cauſſa fuerit caro aucta, & mala: ſed præſtantiſsimum, & incomparabile eſt cauterium actuale.nã vſtio, quam cauterium vocant, efficaciſſimum remedium eſt, quod valet ad prohibendum expanſionem corruptionis, & particulam, cuius intemperiem corrigere cupimus, roborandam, materiaſq; corruptas membro infixas diſſoluendas, & per conſequens dolores tollendos. Sæpiſſimè, ait Princeps, error commititur in doloribus, qui ab extrinſecis cauſatur, veluti à calore, aut frigiditate; aut eminentia puluinariorum, aut incommodo decubitu, aut praua diæta, aut ebrietate, aut mala chirurgia, & ſimilia, quorum cauſſa intrinſecus quæritur. & ſic decipitur Medicus, qui etiam ignorare non debet, vtrùm adſit plethora, aut cacochimia, & eius cauſſæ:nam tunc corpus euacuare, vt decet, oportet. Dolores, qui à flatuoſo ſpiritu procreantur, validiſsimi ſunt, & facillimè diſcutiuntur, adhibitis fomentis temperatè calidis, & diſcutientibus, cum leui quadam cutis rarefactione, & flatus carminatione.

De Vlcere, cum inflammatione complicato. Cap. IIII.

SOLENT quamplurima vlcera, aut propter nimium affectæ ſedis ſenſum, aut propter aliquod extrinſecum incommodum; aut quia corpus prauis ſcatet humoribus, de facili phlegmones irritare, aut tumore aliquo præternaturali vexari: qualis autem fuerit ille tumor, dignoſcitur colore, calore, dolore, duritie, & dimenſione. Harum inflammationum cauſſæ potiſſimum internę ſunt, nempè corporis cacochimia, aut plethora, aut patientis prauus viuendi modus, aut partis vlceratæ natura, compoſitio, & ſitus: ſæpe externæ, vt percuſſio nimia ambientis, aut caliditas, aut frigiditas, motus inordinatus, localia acria, aut non opportuna, aut malè adhibita, aut medicorum ignauia. Sanguineæ inflammationis indicia ſunt, tumor eleuatus, tenſus, doloroſus, & rubicundus; patiens ſe febrire cognoſcit, ſiti moleſtatur, & inquietè dormit. Occupat non rarò partes vlceratas bilioſa quædam defluxio; Signum eſt, vlceratus locus incaleſcit, dolore vexatur, & colorem ſubrubicundum, aut flauum præſefert: qui expanſus abſque vlla eleuatione ad digiti compreſſionem ſubterfugit, ac citiſſimè redit. Harum inflammationum ſuſpicionem prębet, naturalis habitudo patientis, anni conſtitutio, regio, & viuendi modus. Rarò alij tumores vlceri complicantur, præterquam ædematoſi, in his præcipuè, qui hydrope laborant, & crura vlcerata habent; aut magnæ varices ſupernatę fuerint. Communiter verò partium, quæ cum aliquo præter naturam tumore exulceratæ ſunt, harum prius tumor ſanandus eſt; fieri enim non poteſt, vt vlcus, tumore manente, ad ſanitatem perducatur: quocirca omni ſtudio laborandum eſt, ne phlegmon, aut quiuis alius tumor in loco vlcerato excitetur: quod verè fieri ſolet; fluxiones inhibendo, quæ irritantur, aut ratione partis affectæ, quotiens calidior facta eſt, vel propter immodicum motum, aut aliquem te porem ex Sole, aut igne, aut acri medicamento, aut dum particula dolore angitur, vel propter vlceris naturam, aut cauſſam extrinſecam, aut propter ſpiritum flatuoſum, aut nimiam obſtructionem, aut mali aeris intemperiem, aut alicuius veneni, aut abundantem corporis repletionem, aut ex alia, alijſue partibus, quando ſuas ad illam tranſmittunt ſuperfluitates, aut ex toto corpore affecto, dum ad imbecilliores partes prauos expellit ſuccos. Inquit Gal. Corpora plethorica,ideſt, prauis ſuccis ſcatentia, pariter & tenella, ac plurimo ſenſu prædita, cum dolore moleſtantur, phlegmones irritare ſolent, quæ cum adhuc in generatione ſunt, eorum cauſſas prius abſcindere oportet: quę verò iam factæ ſunt, hos ſolos vtique ſecundùm opportunitatem curare expedit, vlcere non neglecto.

Gal.3.Met.c.8. 4.Meth. cap.1. Lib.ar.par.m.c. 92.Auic.4. 1. c. 30.4.4.c.6.4.4. tra.3. cap.2. Auer.7.coll.c. 32

4. de cõp. med. ſecũdum gene. ſer. 1.

PRAXIS.

SI duo morbi ſimul concurrant, ab eo incipiendum eſt, qui habet vnum trium horum propriorum. Primum eſt, vbi non poſsit ſecundus morbus curari,niſi curetur ipſe morbus, vt apoſtema, & vlcus, ſi coniungantur; primò enim apoſtema curabimus, donec mala temperatura, quæ illi coniuncta eſt, auferatur: qua exiſtente, non poterit vlcus curari: mox vlcus ipſum curabitur. Secundum, vbi alter alterius affectus fuerit cauſa. Tertium, vbi alter altero affectu periculoſior fuerit: nam tunc ab eo incipiendum eſt, cuius cauſa magis turget: interdum enim inflammatio magis, quàm vlcus, veranda eſt.

Gal.1. Aphor. comẽ. 16.5. Aphor.comen 5. x.Meth. cap. 1. x1.Meth. ca.3. 1. de mor. & ſymp. cap.7. 2. ad Glau. cap.5. Auic.4.1.cap.1 & 31.

eſt. Porrò generalis omnium inflammationum curatio in initio fit, cauſſam abſumendo, nempe ſanguinis detractione, cum is vicerit, aut pharmaco, quod ad flauam bilem, aut pituitam educendam, vim habeat, ſi bilis, aut pituitę copia redundauerit: at tumore in fieri, aut in incremento exiſtente, quod fluit, temperatè prohibere: & quod fluxum eſt, valenter diſcutere, opus eſt. in permanentia verò vbi tumor fuerit in facto eſſe: tunc eius ſuppurationem vtplurimum expectare opus eſt. Particulariter verò horum tumorum curatio fit, in principio partes vlceris ſuperiores frigidis, ac repercutientibus medicinis regere, eas roſaceo, ac mirthino oleo fouendo, aut bolo armeno aceto ſoluto, aut vnguento roſato Meſues, addito ſpodio, & ceruſſa. Inquit Gal. Si ambientes vlcus partes phlegmonodes quippiam repræſentet, humidum medicamentum latum extrinſecus platiſmati ſuperaccõmodandum eſt ex phenicino non ſimpliciter liquefacto: ſed cui plurimum vini aſtringentis adiectum eſt, donec humidi cerati craſſitudinem obtineat: nec tamen refrigerante aliquo oleo, nempè mirthino, aut violaceo liquare inconuenit; nam tunc ad arcendas phlegmones accommodatum eſt: in augmento verò emplaſtrum illud celebre applicetur, quod ab antiquis ita probatur. Paratur ex dulci malo granato, vino nigro auſtero, incocto & trito: aut illud admouendum eſt, quod recipit lentes cum roſis, decoctis in vino nigro, aut oxicrato. decet etiam inflammatam ſedem vnguento ex litargiro arg enteo, oleo violato, & aceto nutrito, aut cum vnguento ex plumbagine, aut ceruſſato Pauli, oblinire: in ſtatu, dum accidentia validiora fiunt, & dolor magis vrget, doloris ſedationem aliquo modo tentare oportet. igitur emplaſtro ex medulla panis lacte vaccino incocta, ouorum luteis, roſaceo, & croci pauxillo tollatur: aut paretur emplaſtrum ex maluis decoctis in brodio pulli, farina hordeacea, ſertula cãpana, oleo violato, & ſapa. Super alia medicamenta, vlceri accõmodata, huiuſcemodi emplaſtra admouenda ſunt: cumque ſuppurationis indicia apparuerint, triapharmacum adhibeatur, ex triticea farina, aqua fontis, & oleo oliuarum maturo; huic ſæpè addimus maluas decoctas, & ſuillum adipem. Concocta materia, ea omnia obſeruanda ſunt, quæ in ſequenti tertia ſectione, vbi de abſceſſibus, explicaturi ſumus. Verumtamen, vt docet Princeps, oportet, vt obſerues in vlceribus apoſtemoſis illud, ad quod conuertitur diſpoſitio tumoris. nam ſi reſolutionis indicia apparent, diſcuſſoria medicamenta adhibeãtur; veluti emplaſtrũ ex floribus chamomelli, melliloti, furfuribus tritici, farina hordei, ſem. lini, oleo roſato, vitellis ouorum, ſapa, & ſimilibus, ſi ad ſuppurationem, vt dictum eſt, regatur. Si verò bilioſus defluxus eryſipelas excitauerit, aduerſus ipſum, vel ne fiat: vel ſi factum eſt, vt diſcutiatur, enitendum eſt: vbicunque igitur eius imminet periculum (quod facilè præſagiri poteſt; nam locus abſque vllo tumore incaleſcere incipit, ac florido colore occupari) dolet prurit, & febris accenditur. confert etiam ad hoc patientis habitudo bilioſa, aeris conſtitutio æſtuoſa, & feruens modus viuendi, & regio. hæc etiam inflammatio per initia refrigerari deſiderat: verumtamen, iubente ſic Hippocrate, cuicunque vlceri ſuperuenerit eryſipelas, purgare corpus conuenit medicamento bilem ducente, aut vomitu, prout ratio loci vlcerati poſtulabit. ſi verò in ſuperioribus orta ſit inflammatio, vomitus cõmendatur; ſi in inferioribus, alui eductio. porrò ante opportunam corporis euacuationem vlceratis partibus nullum quippe medicamentum frigidum adhibendum eſt. nunquid verò ſanguis in ſimili affectu detrahendus ſit, ambigendum eſt: attamen ſi exquiſitum, & purum fuerit eryſipelas, ſanguis mittendus non eſt: in expurio verò, quia aut bilis craſſa eſt, aut materia etherogenea, confert, nec eius concoctio expectanda eſt; nam tenuis admodum, & fluxibilis eſt. bile educta, ſiquid adhuc illius humoris ſupererit, tollatur eius acuitas ſir. de endiuia, de ſucco acetoſæ, & de portulaca. his addenda eſt victus ratio, tenuis, frigida & humida, abſque vino. locus regatur phenicino, medicamento aliquo refrigerante diluto, aut vnguento roſato Meſ. aut ℞. plumbaginis ʒ. iiij. ſpumæ argenti ʒ. ij. ceruſſæ lotæ ʒ. j. cerę ʒ. viij. olei mirthini ℥. ij. s. arida vino leuigentur, & ſecundùm artem linimentum paretur: ſi verò pituita locum obſeſſerit (quod in artibus, aut pituitoſis corporibus occurrit) ea inſtituatur diæta, quæ huic affectui conuenire videtur, qui chronicus eſt: corpus euacuetur elect. lenitiuo, aut diaſenæ, aut hiera pacchi. præparetur reſiduum longa pręparatione, ſir. biſantino, de epithimo, oximellite, aut rodomele. Topica, virtute prædita, ſint incidendi, ac præparandi materiam craſſam, & viſcidam. probantur vnctiones, ex oleo nardino, liliaceo, & chamomellino. quibus addimus aut oximellem, aut oxalme, ideſt, acetum, & ſal: ac deſuper ſpongiam, in decocto calamenti, ſticados, melliloti, & aneti infuſam, aut in lixiuio claro, & aceto, ſuperaddimus, ac mediocriter coarctamus.

4. de compo. m. ſecundum genera. ſer. 2.

Pau. lib. 4. c. 38. Auic. 4. 4. c. 6.

Lib. de vlceribus. & lib. de ſuccis. Gal. 4. Meth. cap. 6.

Hipp. lib. 2. de fracturis. Cel. lib. 5. cap. 26. Gal. 3 4. cap. 5.

De ſanie, eius cauſis, ac differentijs, & de his, quæ in ea conſiderantur, Digreſſio.

ANIMALIA quæque naturaliter non ſolùm appetunt eſſe, ſed & bene eſſe, ideſt, vitam incolumem, & ab omni noxa immunẽ, ducere. & tamdiu ſunt, teſte Ariſt. quamdiu nutriuntur: nutriuntur verò, dum ſubſtantiam corporis nutriendi alere, & augere poſſunt. ea quippe eſt, quæ à membris deſideratur, attrahitur, retinetur, concoquitur, & aſſimilatur; ſiquidẽ viuentium corpora perpetuis reſolutionibus ſunt deſtinata, & ea ratione perpetuis egent fomitibus, & alimentis: ex quibus denique variæ ſuperſunt ſuperfluitates, aut ex nutrimenti mala ſubſtantia, & natura, aut ex impotentia, ſiue

imbecillitate ſedis affectę. nam in omni concoctione, quam natura in particulis noſtri corporis quotidie molitur, duplex generari excrementum, neceſſe eſt; alterum tenuius, quod ichor Græcè dicitur, & Latinè ſanies, à iunionibus verò virus: quod ex alimenti qualitate plurimum redundat, & ſæpe in halitum digeſtum per eam vacuationem, quę ſenſibus innoteſcit, excernitur: at vbi alimenti plurima fuerit affluentia, per eam etiam excernitur vacuationem, quę ſenſibus dignoſcitur, nempe per ſudorem. quod ex Hipp. affirmatur in eo ſeparato ſermone, vbi dicitur; Sudor multus in ſomno factus, citra manifeſtam cauſam excitatus, argumento eſt, quòd corpus vel nimio cibo vtitur, vel vacuatione conſpicua eget. Itidem fit, ſi calor natiuus imbecillior factus tale excrementum in halitum digerere nequit, aut ſi in halitum digeritur, per ſudorem excernitur. ob id ſi qua pars vlcere ægrotat, & ea ratione languidior facta eſt, in eo vlcere huiuſcemodi excrementum congeritur, & vlcus humidius reddit. Alterum verò excrementum craſſius eſt, quod per cutem extimam excernitur, & concreſcens illi hæret, donec abluatur, & detergatur, & id eſt ſordes illa, quę manifeſtò conſpicitur circa cutem, pręſertim eorum, qui negligentiores, & ſordidiores ſunt circa ſui corporis curam: hoc itidem excrementum crebrò in vlceribus congeritur, & illud ſordidum facit. Porrò in omni corpore, quantumuis ſano, ex proprio alimento, præter illam portionem, & maiorem ſanè, quæ pro corporis ſubſtantia, quod alitur, quotidie concernitur, aliqua pars exquiſitè conuerti in vtilem, & in alendo corpus idoneam materiam, nequit. nam ſubſtantia cuiuſcunque corporis mixti, quod alitur, duplici conſtat materia; altera quidem humida, aquea, & fluuida, quę continuitatis partium merito cauſa eſt,& quæ veluti pabulum eſt caloris natiui: alia verò craſſior, & magis terreſtris, quæ corpori ſoliditatem, craſſitiem, & conſiſtentiam pręſtat: ita neceſſe eſt, vt alimentum, quo corpus itidem alendum eſt, duplici cõſtet ſubſtantia, illis duabus ex proportione reſpondente: atque ita etiam, vt duplex relinquatur excrementum; alterum quidem ex ea parte non probè concocta, & elaborata, quæ tenuium eſt, & humidorum; alterum ex craſſiore. igitur dum corpus bene valet, & probè circa victus rationem ſe habet, talia excrementa nec in multa quantitate, nec in admodum craſſa conſiſtentia generatur, neque ita conſpicua eo tempore ſunt: dum autem ex aliquo malo affectu vires languefcunt, præſertim concoctrix magis exuberat, & magis conſpicua eſt iſtorum excrementorum copia. & hæc ſanè ratio eſt, vt generetur hoc duplex excrementum in corporibus morbo in ſoluta continuitate afflictis. cur autem in euidenti copia, non eſt iſtius rei vnica, & ſimplex ratio: nam id euenire contingit, aut à cauſa externa, aut ab illa,quæ in ipſo corpore conſiſtit. Ab externa, aut à mala curatione, & non recta medicaminum adminiſtratione, ſub duplici modo; vel quia vires inter ſe diuerſas habent, aut humidas, mollientes, & emplaſticas: vnde plurimùm ſuccreſcunt excrementa; vel quia medicamenta detergendo acria, & admodum valida ſunt, & ſordem augent; eo quia carnem colliquant: quæ deinde ex colliquatione diſſoluitur, & in prauos ichores, & nimiam ſorditiem conuertitur. Ab interna, veluti praua diæta, aut eſca mala, aut alicuius viſceris mala habitudo: quæ priuatim in aliqua ſede affecta occaſionem habet ſua tranſmittendi excrementa, aut dum corpus vniuerſum multis vitioſiſque humoribus inſigniter ſcateat, & ad vlcera tum locum, tamquam ad partem imbecilliorem, eos permutat. quod etiam euenire poteſt ex aliquo vitio proprio loci affecti: quod in cauſa eſt, vt alimentum ſibi peculiare, & ſi probum fuerit, in malum excrementum conuertatur: nam illud quaſi computreſcit, aut exurit, aut ſemicrudum relinquit, pro ratione temperaturæ vitioſę diuerſitatis in parte affecta contractæ. & in hunc modum, diuerſimodè tamen, variæ humiditates excrementiciæ in vlceribus quottidie producuntur: à quibus ea quippe, & famoſa, & talia dici ſolent, ac illis cognomina quædam impoſita ſunt,nempe vlceris virulenti, ab ea humiditate, quæ ea infeſtat, & virulentia communiter nuncupatur; ſordidi, ab ea, quæ ſordes, & ſordities dicitur, & ſimilia. & hæ omnes excrementorum ſpecies, aut ab agente, aut à materia propria, aut à membri affecti diſpoſitione, aut ab ambiente aere, aut à medicamentorum qualitatibus ſic diſpoſitę, & alteratę in vlceribus reperiuntur. porrò de agente dictum eſt, in animantium corporibus triplicem fieri alterationem; vna quippe exquiſitè ſecundum naturam, & hæc fit à calore naturali in iuuatiuo, & materia admodum familiari, in qua ſanè dominatur natura, & calor ingenitus ſuperans; vt in ventriculi concoctione, aut iecinoris ſanguificatione perpetuò fit. Alia ea eſt, quæ huic aduerſatur, & planè præter naturam eſt: cuius actor calor putredinalis exiſtit, agens in materia diuerſa, & inutili, vt in omnibus putreſcentibus dignoſcitur, dum talis olida, aut ceno ſimilis apparet; ſiquidem putredo, mutatio eſt totius corporis putreſcentis ſubſtantię ad corruptelam à calido extraneo in humido ſuo. Aut dicere poſſumus, putrefactionem tranſmutationem eſſe eſſentiæ corporis putreſcibilis ad corruptionẽ ab actione caloris præter naturam in materia ſic diſpoſita. Tertia inter has medium locum tenet, & eſt veluti mixta, ex naturali calore, & eo, qui præter naturam eſt, agente ſcilicet huiuſcemodi in materia ſatis bene diſpoſita, vt in benignis abſceſsibus, & boni puris generatione dignoſcitur. ad veram igitur concoctionem duo requiruntur, nempè calor naturalis temperatus, & materia benigna, ac familiaris. ad putrefactionem, calor alienus alteratus, & omnino præter naturam, ac materia inutilis; in actiuis qualitatibus calida, & in paſsiuis humida, & putredini obnoxia. ad boni puris productionem innatus calor vincens, addito tamen nonnaturali & aduentitio, agens in materia, nec ex toto benigna, nec ex omni parte mala, ſub prohibita tranſpiratione obcluſa, aut in poroſitatibus carnis impacta; veluti ſanguis,

Hipp. 1. Epide. ſect. 2. Ariſt. 2. de anima. 50. & 4 Methe. 14. Gal. 5. de ſ. m. fac. cap 5. 2. Aphor. comẽ. 47. & 2. de vir. nat. Auer. 5. col. c. 5. Ariſt. 4. Metheor. coment. 6. Gal. xi. Meth.

Gal. 1. de diff. fe. cap. 3. 3. de ſim. m. fac. cap. & 9. Meth.

guis, dum extra propria vaſa transfuſus aliam acquirit naturam, & ſubſtantiam, ac ſemimalam qualitatem adeptus eſt, præſertim ſi in loco minus tranſpirabili detineatur. Hac ratione dicebat Auic. Laudabilis ſanies illa eſt, in qua non eſt operata niſi caliditas innata, licèt non ſit excuſatio à caliditate extranea. 3.4.cap. 23. & 4.4.tra.3 cap.1 Expedit igitur dicere, quòd à calore naturali, & ab ea potentia, quæ noſtrum regit corpus, in vlceribus ſimpliciter excrementa non producuntur; quoniam quod in eis ſuperflui reſidet, inſenſibiliter tranſpiratur: ſed à calore, qui planè præter naturam eſt, in eis putredines quamplurimę excitantur, prękertim dum talis actor agit in putreſcibili materia, id ve magis, ſi aliqua corporis plethora, aut cacochimia aſtiterit, & talis mutatio fit ad nihil vtile; quoniam à calore putredinali elaborata fuit: qui & ſi talis fuerit, agit tamen in materia inæquali, & diuerſa: quæ interdum & magis, & minus putredini parata eſt, & omne tale excrementum, ſub mali puris latitudine, nempe aut crudæ, aut craſſæ, aut olidæ, aut cæno ſimilis continetur: quod aut prauè, aut nullo modo concoctum eſt. quare materia talis interdum loturæ carnis effigiem præſefert. A tertio ex vtroque calore mixto, ſecundum caloris prædominium, variæ ſuppurationes, ac diuerſę ſanierum ſpecies gignuntur: quæ tamen ab aliqua concoctione non expoliantur, quamuis varias formas, ac ſubſtantias, & colores diuerſos contineant. Porrò ea purulenta colluuies, quæ in vlceribus generatur, ſi tenuis eſt, à Gręcis ἰχῶρ, & à Latinis ſanies vocitatur. exit ab vlcere nec recenti, nec iam ſaneſcente, ſed inter vtrumque tempus. communiter verò hic humor virus, aut virulentia dicitur; ſi mediocris, ſanies; ſi craſſa, ſordes, aut ſordities nuncupatur: ſępè etiam craſſa excrementa à Gręcis πύος, & à Latinis Pus, nominantur. ſed quid ſanies ſit, & quo modo ab antiquis deſcribatur, audiatis.

Ex Hippocrate, ſanies eſt ſanguis in alienos ſibi locos alteratus. Lib.de flatibus.

Ex Hippocrate iterum, Pus fit ex ſanguine alterato, & calefacto, donec putridus factus ſit. Lib.de flatibus.

Ex Galeno, ſanies eſt ſanguis in ſemimalam qualitatem mutatus. Ex Auicenna, ſanies eſt pars 2.Aph.com.47 nutrimenti loci affecti, ob eius imbecillitatem, aut ex medicamentorum operatione, in quandam 4.4.tra 3 cap.1 corruptionem conuerſi.

Nos verò dicere ſoliti ſumus, quòd ſanies eſt pars mali ſanguinis, in humiditatem inutilem, aut tenuem, aut craſſam, ab actione duorum calorum conuerſa.

Ex nunc verò dicamus, quòd prima ſanierum differentia ſumi poteſt penes eorum nomina; &, quòd hoc nomen, ſanies, ſit veluti genus quoddam omnium ſuperfluitatum in ſolutis continuitatibus repertarum, ſub quo continetur ſanguis, ſanies, pus, virus, ſordes, putredo, & corpora ſolida: quorum omnium naturam explicat color, odor, ſubſtantia, & qualitates.

Sanguis omnibus notus eſt: alter tamen bonus iudicatur, nempe calidus, rubeus, dulcis, mediocriter craſſus, & non glutinoſus. talis exit à benignis vlceribus, & cruentis vulneribus. Cel.lib.5.c.26. Alter verò malus, dum nimius eſt, aut tenuis, aut nimis craſſus, aut aduſtus, colore liuidus, aut niger, amarus, varius, aut etherogeneus, ideſt, alijs admixtus humoribus. Hic à crudis abſceſsibus, aut malè affectis vlceribus expurgatur.

Secunda ſanierum differentia ſumitur penes eorum qualitates. nam alia bona, & alia mala eſt.

Ex Hippocrate, bona ſanies, alba, lenis, æqualis, & ſine malo odore eſſe debet. exit talis à benignis abſceſſibus, & ſaluberrimis vlceribus. 1. Pronoſt. vlt. & lib.2.de mor. popu.Gal.1.de diff. feb. cap. 8. & 5 de. ſim. m. fac. cap. Auer. 5. coll. cap. 5. Auic.3.4.c.23. & 4.4.tra 3.c.1

Ex Celſo, ſanies bona eſt pauca, colorata, glutinoſa, mediocriter craſſa, & tenuior ſanguine. exit ab vlceribus in eorum ſtatu, dum ad ſanitatem tendunt.

Ex Hippocrate, mala ſanies nigra eſt, ponderoſa, varia, & mali odoris. exit à prauis abſceſſibus, & malignis vlceribus.

Ex Celſo, mala ſanies eſt multa, nimis tenuis, liuida, aut pallida, aut nigra, aut glutinoſa, aut mali odoris, quæ vlcus, & partes illi vicinas erodit. Lib.5. cap.26. exit ab vlcere malè morigerato, aut phagedenico, aut ſphacelodes.

Tertia ſanierum differentia ſumitur penes eorum ſubſtantiam; ſiquidem alia ſubtilis eſt, quæ virus communiter vocatur; alia mediocris, quæ ſanies dicitur, & alia craſſa, quæ ſordes nuncupatur. Alia etiam, quæ putrida eſt, reperitur, & putredo vocitatur: verumtamen eam, quam Græci ichorem dicunt, Latini ſaniem, & iuniores virum, ſeu virulentiam appellant, apud Galenum legitur, quòd in Lib. de tumo. præternat.ca.1. vlceribus tenue excrementum, Latinè ſanies, & Græcè ἰχῶρ, appellatur: ſed quod craſſum eſt, ſordes, apud Celſum, ſanies, & pus quaſdam diſtinctas ſpecies habent, & quædam ſanies reperitur, quæ Lib. 1. de natu. facies, & 3. Metho. cap. 3. hydrops, & quædam, quæ meliceria nuncupatur. eſt & pus craſſiſsimum, albiſsimum, ac glutinoſius, & ſanguine, & ſanie exit ab vlcere iam ad ſalutem ſpectante. Eſt & alia puris ſpecies, quæ elæodes dicitur, tenue, ſubalbidum, quaſi vnctum, colore atq; pinguedine oleo albo non diſsimile. apparet in magnis vlceribus ſaneſcentibus: ſed id pus prius eſt multum, tenue, dilutum, & atrũ, magiſque ſi ab initio tale fuerit; itemq; ſi colore ferro ſimile, ſi pallidum, ſi liuidum, ſi fæculentum eſt, pręter hęc ſi male olet, niſi tamen locus hunc odorem excitet: Hydrops malus tenuis eſt, ſubalbidus, & qui ex malo vlcere exit, maximeq; vbi neruo lęſo inflammatio ſequuta eſt: peior verò eſt multus, craſſus, ſubliuidus, aut ſubpallidus, glutinoſus, ater, calidus, & mali odoris: in ſphacelis, aut corruptis vlceribus talis humor videri ſolet. Meliteria, ſeu meliceria, craſsior, & glutinoſior eſt, ſubalbida, melliq; albo

ſubſimilis. fertur hic quoq; ex malis vlceribus, vbi nerui circa articulos læſi ſunt, & inter hęc loca maximè in genibus: at melliceria mala, eſt multa & percraſſa; & ea melior eſt, quæ & tenuior, & minus copioſa eſt. Pus, quod ἰχὼρ Græci vocant, inter hæc optimum eſt, & melior quò minus eſt, quò craſſius, quò albidius, itemq; ſi leue eſt, ſi æquale, & ſi nihil olet: modo tamen conuenire, & magnitudini vlceris, & tempore, debet.

Gal. 2. Aphor. comen. 47.

Sanierum cauſſa efficiens vna quidem generica eſt, actio nempè mixta duorum calorum, naturalis ſcilicet, & præter naturam, in ſanguine extrauenato. nam ſanguis ad hoc vt in ſaniem vertatur, decet, vt ſemimalam tranſmutationem ſit adeptus; ſiquidem à ſimpliciter mala, fit olida putrefactio, ſicut ab optima, partium animalis nutritio: ſed quæ ſaniem generat, medium inter has obtinet locum; neq; enim à ſolo calore præter naturam, neq; à ſolo ſecundum naturam: ſed mixtus quodammodo ex vtriſque eſt calor, qui ſaniem facit. Altera verò cauſſa ſpecifica eſt, videlicet nutrimenti portio, quæ ad affectum membrum pro eius alimento tranſmiſſa, dum ex imbecillitate virtutis concoctricis, ac permutatiuæ, aut ex medicamenti calidi, & humidi mollientis actione, ad corruptionem quandam conuerſa eſt.

H[ipp] 6. Aphor. 2[…] lib. 1 de mor b[…] is. & lib. de fla[t]ibus. Lib. de tempo. mor. in vniuer.

Sanierum cauſſa materialis ſanguis eſt, extra propria vaſa congeſtus: aut humores varij mixti, extra venas vniti: aut caro contuſa, corrupta, aut liquefacta. Porrò ex ſanguine tenuiori inconcocto, ἰχὼρ ſeu virus generatur, & eſt prima ſanguinis mutatio, quæ tenuior eſt, quã ſit ſanguinis corpus; & tale excrementum communiter ſanies vocitatur ἰχὼρ ergo tenuis ſanies eſt, ſubalbida, & ſinè odore, quæ generatur ex ſubtiliori parte ſanguinis bilioſi: ex ſanguine verò concocto, ſed in ſemimalam qualitatem mutato, laudabilis ſanies generatur; ex craſsiori ac denſiori pus, aut purulenta colluuies. ſanguis, ait Celſus, ex recenti vulnere, ἰχὼρ ex malo vlcere, & ſanies in medio tempore fluit. Pus verò, quod glutinoſius eſt, & ſanguine, & ſanie, ab vlcere ſaneſcenti expurgatur, ac ſi icheor ab imbecilliori calore, ſanies à moderato, & pus à validiori elaboretur. At cum materia, aut mixta, aut craſſa in ſaniem vertitur, pus illud generatur, quod melliceriam iſti vocant. & nos, quia proprium non habemus vocabulum, ſorditiem dicimus: nam ſubſtantia eſt ſanguine, ac ſanie craſsior, & glutinoſior, & melli albo perſimilis, vtplurimum in crudis vlceribus producitur. adhuc ex materia ſimili, aut mala, aut aduſta, aut ſemiputrida, pus illud gignitur, quod elęodes, quaſi oleagineum nuncupatur; quoniam pus eſt quaſi vnctum, colore, atq; pinguedine, oleo albo non diſſimile. Pus hoc à valido calore generatur ex craſsioribus partibus ſanguinis mali pituitoſi: interdum à medicamentorum ſubſtantia: ſæpe etiam à carne colliquata. ob id interdum ſubſtantia craſſa eſt, viſcida, denſa, inæqualiter cocta: multotiens varij coloris, ac odoris ingrati. exit à magnis abſceſsibus, aut vlceribus concauis, & ſinuoſis. Non raró in aliquibus vlceribus, ac malis abſceſsibus aliquę humiditates excrementicię videntur: quæ, vt fatemur, ſanierum nomina non merentur, vt illa eſt, quæ Græcè ſipſis, & Latinè putrilago, vocatur. hæc nigra eſt, cœno ſimilis, globoſa, aſpera, fœtens, partes ſibi vicinas corrumpens. exit à corruptis, aut venenoſis abſceſsibus, nomis, & ſiderationibus. generatur ex ſanguine malo, corrupto, aut ex corruptione partis ſubſtantiæ membri, aut humoribus prauis in eo conſtrictis.

Gal. 14. Meth.

Solida corpora, quæ in veris abſceſsibus, & tumoribus omnino præter naturã, & alibi reperiri ſolent (nempe lutum, olei limus, vini fex, vngues, pilli, oſſa, lapides, pori, teſtacea, & ſimilia, vt in atheromatibus, & tumoribus alijs omnino præter naturam) generantur ex craſsiori parte frigidorum humorum, à nimio calore exſiccatorum, aut à frigido nimis conſtringente, diſcuſsis nempè ſubtilioribus partibus, aut craſsioribus exſiccatis, vt in generatione calculorum occurrit.

Auic. 3. 4. c. 29. Hip. 1. pręf. vlc. Gal. 2. ad Glau. cap. 5. Gal. 3. de ſimp. diff.

In cognoſcenda bona, aut mala ſanie, quatuor concurrunt ſenſus, viſus nempè circa albedinem, colores diuerſos, & eius etherogeneitatem; odoratus, circa fætorem, aut odorem non ingratum; tactus circa tenuitatem, craſsitiem, lenitatem, & pondus; guſtus circa dulcedinem, amaritudinem, aut acuitatem. Cognoſcimus ſaniem in abſceſsibus contentam per ſenſum tactus; ſi quis enim tangens tumorem cum digitis vnius manus, & cum digitis alterius, inundationem obſeruat, percipit ſiquid inundando mouetur: igitur ex contẽti puris inundatione abſque viſu tactus verus index eſt: attamen in vlceribus, aut partibus ictu ſectis, viſus multum confert: interdum locus ſaniei per colorem dignoſcitur; ob id quia ſi contenta ſanies ibi continetur, locus ad albedinem declinat: ſi verò cruda fuerit, ad rubedinem, aut corporis colorem, aut viriditatem; ſi corrupta, ad nigredinem, vt in gangręnis: correlariè bona, aut mala ſanies, à qualitate agẽtis, aut à diſpoſitione materiæ, aut ab vtraque cauſſa ſimul prouenire poteſt: interdum etiam à natura, & membri compoſitione, officio, aut ſedis affectæ ſitu, corrumpente nimirũ nutrimenti ſubſtantiam, quamuis optima fuerit. Sanies in aliquo ſinu collecta, aut ad reſolutionem, aut ad concoctionem, aut ad duritiem, aut ad corruptionem terminari ſolet. In bona ſanie multa conſiderantur; color quippe, qui albus, aut albedini propinquus, eſſe debet; ſiquidem talis color humano ſemini, aut membris ipſis radicalibus aſsimilari debet; Odor, qui nec ſuauis, nec ingratus eſt: nam ſanies alba, & ſine malo odore, media eſt inter perfectam concoctionem, & ſemimalam putredinem; Leuitas, quæ ad tactum percipitur, ſi materia & calida, & homogenea fuerit; Quantitas, quæ pariter conſideratur in abſceſsibus, cruentis vulneribus, & antiquis vlceribus, aut magnis, aut mediocribus, aut paruis: vel in membris humidioribus, vel frigidioribus, vel ſiccioribus; Qualitas, quæ à viſu digno ſcitur, dum aut bona, aut mala, aut ichoroſa, aut ſordida fuerit: adhuc eius operatio, videlicet corroſiua, putrefactiua, aut venenoſa; Tempus, quod paſsionibus attribuitur, in quibus ſanies gigni ſolet, ve

luti

luti initium, in quo ichores (ideſt tenues ſanies) apparēt; Incrementum, in quo materia magis concocta, ideſt pus tenue, eſſe videtur; Status, in quo materia ſatis craſſa, & magis alba emanat; Deliteſcentia, in qua materia pauca & laudabilis, ideſt alba, lenis, æqualis, ſine malo odore, & vlceri proportionata, expurgatur. multa etiam in mala ſanie excogitantur, vtpote eius propria ſubſtantia, quæ partes continet diuerſas, ex diuerſorum calorum actione, in materia etherogenea agente; color, qui varius, aut niger eſt, dum materia nullam adepta eſt concoctionem, ſed à calore præternaturali tantùm fuerit elaborata: eius tamen color malus interdum à medicamentis alteratur; odor, qui ingratus, aut fætidus eſt, oritur; cumq; materia aut nimia, aut varia, aut mala extiterit, ac affectę ſedis calor imbecillus, aut ſubſtantia mala.

ADDITIO.

Qvaerenti, cur in puris generatione, & dolores, & febres magis, quàm iam confecto, augeantur. reſpondeatis; pus fieri nequit, niſi ſanguis ebullierit, qui pus fieri debet: in qua ebullitione multi eleuantur vapores, qui tumidas partes vehementius intendunt, & continuum ſoluunt, & partes diſgregantur, quæ vnitæ erant, ac dolores fiunt, & ea ratione, qua materia circunſtantes partes intendit, ob ipſius fuſionem, ac ebullitionem, & ſpirituum diſſolutionem; cum ipſa maiorem locum ambire poſſit, propterea dolores augentur; ſupercaleſcit enim locus à duorum calorum actione, & partes internæ quoquomodo putreſcunt, vnde triſtis oritur ſenſus. Preterea in ea ſanguinis ebullitione vapores quamplurimi gignuntur, qui ſupercalefacti ſibi propinquas partes ſuperaccendunt, & inde hæ alias, quouſque cor pertingant: quo inflammato, totum corpus illicò inflammatur, ac accenditur, & febris fit. nam febris ſequitur, principio ſupercalefacto: ac quantò magis ebullitio augetur, tantò magis dolores, & febres vehementius angunt. febres ergo ob corruptionis participationem, per adiacentes arterias à ſede ſuppurata ad cor delatam, generantur. hæc quidem circa puris generationem in abſceſſibus contingunt. Pure in eis concocto, & ſi adhuc remanet materia, dolor quieſcit, & febris remittitur, ea ratione; quia in actione duorum calorum circa ſanguinis ebullitionem hæc occurrunt. Exuſta verò materia, ac extincto calorē putredinali, quod reſidet ex materia, ſanies fit; quemadmodum ex lignorum aduſtione cinis. Quęrenti etiam, qua ratione ſanies bona alba eſſe debet. dicatis, tenetur ſibi ſeminis humani colorem & formam pręſeferre, non tamen eiuſdem albedinis: nam in ſemine non elaboratur, niſi natiuus calor, in ſanie mixtus: requiritur etiam, quòd ſit alba; quoniam color membrorum radicalium eſt albus; & non aſſimilatur ſic, niſi à natura, potens ſuper eam. edocemur à Galeno, vim quandam alteratricem in omni membro eſſe: quæ illi nutrimentum aſſimilat, & hoc cum tempore fit. in puris generatione aliqua concoctio requiritur, per quam albedinem acquirit. opus naturæ eſt, omne nutrimentum in determinata membra conuertere, præſertim radicalia, & ea, quæ à ſemine oriuntur, & vitæ minera ſunt. Cur autem ſanies & leuis, & ęqualis eſſe debeat, iam dictum eſt. non additur ei leuitas, niſi quia eſt præparata pati à virtute digeſtiua, & non diuerſificatur eius præparatio in inobediente, & obediente; ſiquidem cum vna pars pręparatur, reliqua verò non, à calore innato: tunc ſanies leuis non apparet, ſed diuerſa & ponderoſa. Aequalitas conſideratur in colore, & ſubſtantia; in colore, prout in omni parte externa, & interna, alba, aut albedini propinqua eſſe debet; in ſubſtantia, homogenea, ac eiuſdem naturæ in omni parte. hac ratione bona ſanies mediocritatem quandam inter craſsitiem, tenuitatem, denſitatem, & raritatem obſeruat: igitur bona ſanies debet eſſe lenis, & æqualis; non globoſa, non aſpera, non dura, nec ingrati odoris: talis quippe inter meliores ſignificationes, ſignificantes ſalutem vulnerum, & vlcerum, aſsignatur; videlicet cum in ſuceſsionibus eorum apparet ſanies, quæ fit cum medicina ſuppurante, & ex operatione naturæ, quæ eſt ſecundùm curſum naturalem, & non generatur ſanies, niſi à digeſtione naturali, & non aſſociatur ei malum ex accidentibus vlcerum malorum; & propriè ſanies laudabilis alba, lenis, æqualis, quæ conſequuta eſt complementum digeſtionis; neq; aſſociatur ei fætor, cum in ea non ſit putrefactio. interdum verò non euacuatur à fætore paruo, cum operata eſt in ea caliditas innata, & altera extranea.

Gal. 1. de diff. fe. cap 4. 14. 2. de acc. & mor. c. 2.

Gal. 1. Prono. comen. vlt. Auic. 3. 4. tra. 1. cap. 13.

Lib. 1. virtutũ naturalium, & lib. 1. de ſemine.

Auic. 3. 4. tra. 1. cap. 13.

Gal. 2. Aphor. comen. 22. Auic. 4. 4. tra. 3. cap. 1.

De Vlcere humido, aut virulento. Cap. V.

Commvniter vlcera curare cupienti, primò hoc vnum ſibi proponat, ſi id, quod ſanare intendit, Gallici affectus aliquam contineat naturam; ſiquidem ſimile, non niſi quibuſdam ſuffragijs, illi lui tantùm deſtinatis, ſanari nequit: de quibus multa infra dicturi ſumus. nunc verò de virulento vlcere agentes, dicimus illud eſſe, in quo virus, hoc eſt, tenue quoddam, ac liquidum excrementum citra eroſionem abundat, à Græcis ichoroſum, & à Latinis, humidum, ſanioſum, & virulentum appellatur: ἰχὼρ enim, ſeu virus, ſubſtantia quædam eſt tenuis, aquoſa, ſubalbida, aut crocea, aut varij coloris, ſine odore, paucæ acuitatis, & copioſa. exit à malis vlceribus, potiſsimum articulorum. generatur ex ſubtiliori parte humiditatis calidæ, ſeroſę, ac tenuis, aut

frigidę, & humidæ, àb imbecilliori calore elaborata. Huiuſcemodi vlcera à varijs cauſsis contingunt; vtplurimum à totius corporis cacochimia: vnde humiditates multę, ſubtiles, & ichoroſę, ad ſedem affectam defluunt, & vlcus virulentum reddunt: læſæ partis imbecillitas, & mala temperies, dum eius calor languet, hoc facere ſolet. mala quoque corporis habitudo (enehexiam Gręci vocant) prauus viuendi modus, ac frigida nutritionis ratio, quare nutrimenti plus iuſto in vlcere abundat, aut alicuius viſceris particularis affectus, qui tenue excrementum gignunt, & virulentum vlcus faciunt. confert etiã ad hoc, vlceris ſiccitas, ſeu obſtracoſitas, non permittens, niſi tenuem ſuccum, pertranſire. prętereà caloris innati imbecillitas, aut medicamenti praua operatio, aut incompetentia, exſiccando, & abſtergendo; & cauſſæ ſimiles, facientes, vt multotiens vlcera ichoroſa producantur.

PRAXIS.

SI vnà cum tali affectu, aliqua corporis repletio àpparuerit, & vlcus cacochimum extiterit (ideſt vitioſo ſucco obſeſſum, aut fluxione aliqua vexatum:) tunc eius ſanatio intentionem habet, primò totius corporis euacuationem; ſiquidem eius cura duplici modo celebratur. genericè, optimo vitę regimine, ipſum parcum, ac tenue inſtituendo; ſanguinis, ſi decet, miſſione, materierum ſubtilium per pharmacum purgatione, à partibus longinquis leuibus frictionibus, vomitus irritatione, ac affectæ partis corroboratione, veluti calidam temperiem refrigerando, & humidam exſiccando. particulariter, vlcus abſtergendo, & exſiccando, ac ſymptomata profligando. Purgant humores ſubtiles medicamenta cologoga, ideſt bilem educentia, veluti caſſ. manna, rabarbarum, ſirupus roſatus ſolutiuus, elleĉt. diaprunis, de ſucco roſ. & roſatum: at ſi humorum præparatio neceſſaria fuerit, probatur ſirupus de fumaria, de intubo, de lupulis, de endiuia. concocta materia euacuetur; ſi totius corporis mala adeſt habitudo, vt decet, rectificetur; ſi prauus victus, nutrimentum ad contrarias qualitates alteretur; ſi lienis, aut ventriculi, aut iecinoris vitium aliquod, aut ægræ partis imbecillitas, quæ ipſa quoque intenſa quædam eſt intemperies, quippe fieri aliquando poteſt; ut & hæ cauſæ ſint, quibus vlcera virulenta reddantur, tollendæ omnino ſunt: cum in omni vlcere, manente adhuc eius cauſſa, quæ eũ excitat, aut fouet, eam prius tolli expedit; ſi labrorum durities, abſumatur: ſi medicamenti debilitas, vigoretur; ſi incompetentia, permutetur. Exſiccant temperatè vlcera ſimplicia hæc, lentium, ac hordei farina, mirthus, balauſtium, galla, bolus armenus, mirrha, aloes, rabarbarum, æquiſetum, carta combuſta, & raſura panni vetuſtiſſimi: metallica etiam multa, lota, aut aduſta, veluti eſt calcitis, mis, ſori, & difriges, quæ omnia cognata ſunt, pariter & ęs vſtum, ac hydrargirum prępararum (prę cipitatum iſti vocant) ſolatrum etiam, arnagloſſa, ſummitates rubi, folia vlmi, papaueris rubei, balauſtiæ, centaurium, ariſtrolochia, folia oliuæ. parantur ad hoc medicamenta ſub varijs formis, nempè fomenti, lotionis, pulueris, linimenti, & emplaſtri. fomenta fiunt ex decocto prædictarum plantarum in vino nigro auſtero, aut aqua maris: quæ, teſte Gal. mirabiliter ſiccat vlcera, & ea ab omni putredine præſeruat.

Lib. 2. vir. nat. cap. 9. Pau. lib. 4. cap. 44. Auic. 4. 4. vbique.

Lotiones fiunt ex ſimili decocto, aut ex aqua marina, aut aluminoſa, aut viridi, aut ex lixiuio dulci, aut vrina pueri, aut aqua Thermarum Abani, quæ omnia reprimunt, ſiccant, & abſtergunt: quibus ſemper mellem adijciamus, qui ſecundùm omnem modum vlceribus opitulatur. vnguenta verò, quæ vſui ſeruantur, ſint de molibdena, rubeum, aut album, camphoratum, irinum, de minio, de tutia, de litargiro, de ſolatro, de carta, aut aneto combuſto, de alga, aut ſimile: ſi quidem

Gal. 4. Meth. cap. 5. Auic. 4. 4. nu. 3. cap. 3.

neceſſe eſt in cura vlcerum virulentorum, vt medicinæ adminiſtrentur exſiccatiuæ, vt exſiccetur virus. deinde ſit occupatio in naſcentia carnis: prius tamen conſiderare opus eſt, quòd inter exſiccantes medicinas quædam vehementer exſiccant, vt calcantum, difriges, ſulphur, euphorbium, & ſimilia: quædam ſunt vehementis infrigidationis, ſicut ioſciamum, òpium, & mandragoræ cortices: aliquæ vehementis calefactionis, vt reſina, gluten, & pix. quare prudentis medici intereſt, has ex proportione inſimul contemperare, ac admiſcere: quemadmodum affecti membri natura, & compoſitio, ac vlceris eſſentia requirit. Adhuc conſiderandum venit, quòd aliqua medicamenta exſiccant, & non exſiccant: quod euenire poteſt ex ipſarum particularum diuerſitate, vnde interdum parcius, interdum copioſius exſiccant: indicium, virulentiæ copia, quę vlcus occupat: nam ſi pluſculum virulentię apparebit, totumque vlcus humidius, intra modum exſiccabit: ſin purum, & abſque humore, cernitur vltra. ſtatim igitur menſuram quoq; exceſſus, defectuſq; ex tali modo intelligemus: tantoque medicamentum, quod deinceps applicabitur, vel ſiccius, vel non tale admouebimus: imò pro modo humoris, atque ipſa laborantis particulę natura immutandum medicamentũ eſt, quod perpetuò exſiccatione pręditum

Gal. 3. Meth. c. 8. 5. de ſimp. m. fac. cap. 7.

ſit, ab aliquali abſterſione non expoliatum. Calidum prorſus eſſe non debet (nam morbi cauſſa vtplurimum calida eſt, & effectus, qui apparent, calidi ſunt) nec intenſæ frigiditatis, nam ſi talis qualitas quodammodo his vlceribus competere videtur: communiter tamen proculdubio vlceribus inimicatur: nec

Hip. 5. Aphor.

extremę ſiccitatis; nam parum poſt vlcera dura, & calloſa fiunt. quapropter in ſimili mixtione vincat gradus qualitatis oppoſitę qualitatibus infirmis. at ſi abſterſione aliqua opus fuerit: tunc medicamentum de melle, aut de irios, aut de appio, aut de mirrha, aut alterum ſimile, abſque valida mordicatione, vt in ſequenti capite plenè videre poteritis, ad plenum commendatur. Quo facto, aliquo ſupradi-

ctorum

ctorum medicamentorum vlcus regatur: aut tali vtamini, auctore Scribonio. ℞. cerę ʒ. 100. litar. ar. ʒ.50. miſi, calcitis aduſti, aluminis plumæ, ceruſſæ, therebintinæ, añ. ʒ.xij. olei mirthini heminam, ideſt ℥. viij.& ſecundum artem fiat vnguentum. Aliud ex Actuario. ℞. litar. ar. ℥.vj.olei antiqui. ʒ. xij. pulueris radicum cameleontis, ciclaminis añ. ℥.iiij. gallarũ, olibani, aloes, irios, añ.℥.ij.& ſecundũ artem fiat vnguentum. Aliud ex Aetio, ℞. ceruſſæ lotæ.℥. vj. litar. loti.℥.iij. ſquammę æris aduſtę. ʒ. ij. calcitis ʒ. i.s.ceræ albæ.℥.iij. olei maſticini.℥.ij.miſc. Aliud ex Auicenna, ℞. litarg.puluerizati.℥.iij.infundatur in aceto per diem, poſtmodum in oleo, donec albeſcat: inde diu in mortario trituretur. & ℞. antimonij, æris vſti, balauſtiarum, vermium terreſtrium exſiccatorum, gallarum, ſang. dra. aluminis rochæ, climiæ argenti. añ.℥. s. omnia in ſubtiliſſimum puluerem redigantur. & addito prædicto litargirio, fiat mixtura: & in fine cum pauca cera in catiola ad ignem lentum formetur vnguentum ſub bona forma: aut, ſi lubet, hoc vtamini, quod nos pluries experti ſumus, felici quippe ſucceſſu, præſertim in his regionibus, ℞. therebentinæ claræ, ceræ, reſinæ, añ.℥.j.s.pulueris ariſtrolochiæ, mirrhę, olibani, aloes, ſarcocollæ. añ. ʒ. ij. aluminis rochæ, climię argenti añ. ʒ.i. miſſ.& ſecundum artem paretur medicamentum extenſibile. quamplurima alia mirabiliſſimę operationis emplaſtra ex 4. lib. de compoſitione medicamentorum in genere, à Gal. de mente antiquorum, inuenire poteritis, vbi ait, quòd olei, & aquę adminiſtratio in his affectibus minoranda eſt omnino: ſed ex Dioſcoride mel ſecundum omnem modum probatur.& Auic.dicit; Cumq; medicamentum aliquod adminiſtraueris, & humiditatem minui non noueris, ſed potius augeri: tunc ſcias, quòd tale ſecundùm illud corpus ſiccatiuum non eſt. quare addatur illi potentia exſiccandi cum pauca abſterſione, & omnino tenuitatis humiditatum cauſſam agnoſce, & eam quamprimum tolle. & ſi caloris innati imbecillitas fuerit, optimo vitę regimine, fomentis, ac emplaſtris vigoretur.

De Vlcere ſordido. Cap. VI.

VLcvs ſordidum illud eſt, quod eo craſſo, ac viſcido ſcatet recremento, quod ſordes dicitur.id autem eſt, cum candicat, & quaſi cruſtam productam albam habet. eſt enim ſordes ſuperfluitas quædam craſſa, ſpiſſa, inęqualis, ſubalbida, aut cinericia, vt plurimum ex craſſioribus partibus affecti ſanguinis procreata: tale vlcus à Gręcis Rhyparon, & à Latinis ſordidum vocitatur. prorſus verò, aut ferè nunquam, datur vlcus, quin aliqua abundet ſordicies: nam perpetuò in omni vlcere duplex excrementum gigni ſolet. Differt à putrido ob id, quia putridum vlcus cum fætore, & putrilagine ſerpendo progreditur: ſordidũ verò ſub vna latitudine abſque fætore reſidet, ac permanere ſolet. Sordicierũ cauſſæ variæ ſunt; non raró ſiquidem ſe tenent ex parte ſuperfluitatis, aut malicie nutrimenti à calore naturali, & virtute concoctrice non regulati: vnde mala producitur caro, quę dum corrumpitur, vlcus ſordidum, aut putridum redditur. hoc etiam euenire ſolet ex diminuta, aut debili abſterſione, aut conuenienti exſiccatione, ſępè ex carne ipſa, colliquata à medicamenti abſtergentis valida actione, cum imbecillitate potentię regitiuæ. multotiens etiam hoc producit res aliqua diuerſa, & extranea, in vlcere ipſo contenta, nempè puluis, pinguedo, medicamentum vnctuoſum, & huiuſce naturæ: vt plurimum medicorum ignauia, aut pigritia, ex mala, aut longa medella. Dictum eſt à Gal. Animo aduertere oportet, vtrùm vlcus carne, quæ ſubeſt, exeſa, ac colliqueſcente ſordidum euaſerit: an quia medicamen ſordidis auferendis aptum requiratur, impoſitum verò tale non ſit. Aliquando etiam caro ipſa colliquatur à medicamento, quæ poſtea in vlcere ſub ſorditierum forma remanere ſolet: nam medicina valentior in exſiccando, quàm ſit infirmi virtus, non ſolum eam, quæ eſt in vlcere, putredinem mundificat: verum & carnem, quę ſub vlcere eſt, liquefacit; ſic, vt ſordidum, humidumq; vlcus appareat; quemadmodum ex ijs, quæ minus, ac par eſt, deſiccat. & ideò Auic.dicebat; Serua hoc præceptum in medicinis facientibus naſci carnem in vlceribus, & non faciat te errare quidpiam. & eſt, vt ſit medicamen magis abſterſiuum, quàm oporteat; quare corrodit membrum, & reſoluit carnem eius ad humiditatem currentem, quam exiſtimas eſſe virus, aut ſordes, & addis in virtute abſterſionis. & huiuſmodi quidem medicamen ponit vlcus profundius, & calidius, & magis ſimile cum apoſtemoſo, & ſentit infirmus mordicationem manifeſtam: hoc quippe occurrit, quia ſanioſa materia craſſa, & viſcida, carnis porroſitatibus inhęret, & membri ſubſtantia corrumpitur, & ſenſus acuitur, & vlcus ſordidũ efficitur.

4. de. compo. med.in.gen.ſer. 2. & 4. Meth.

Gal. 3. Meth.c. 6. Pau.li.4.c.40.

4.4. cap. de vlc. viru. & cap. de vlc. cauer.

PRAXIS.

CVmqve in aliquo vlcere ſordes ipſa apparuerit, quę ſubſtantia excrementicea eſt, ſpiſſa, coagulata, alba, aut ad cineris colorem decliuis; aut eſt ſicut fex, aut cruſtam quandam albam habet: quæ interdum adeò creſcit, & ita vlceri hæret, quòd magna cum difficultate tolli poteſt, & tunc ſordes congenita dicitur: tunc eius curatiua indicatio in proba victus obſeruatione, & opportunis euacuationibus conſiſtit, quibus corpus vniuerſum ab excrementis, atq; à natura alienis humoribus, expurgetur, præſertim ſi à vitioſo corpore vniuerſo ob eius plenitudinem, aut cacochimiam copioſa

ſordes

ſordes originem duxerit, ratione ſumpta à plenitudine ipſa, aut cacochimia. cumq; hoc fecerimus, cum tale vlcus ſanari nequeat; ſi in eo ſordes, aut copioſa humiditas inſit, ad abſtergentia medicamenta deuenire opus eſt: à quibus ſordes ipſa detergatur, ac in totum auferatur, quæ ipſi vlceri inhæret. oportet igitur in eis abſtergentes medicinas adminiſtrare, & ab eis initium capere, quę vehementer mordicant; ob id quia tunc ſenſus carnis eam non ſentit. eſt enim ſordes tegumentum, quod mordicationi reſiſtit, gradatim poſtea ad id peruenire decet, quod eſt leuioris mordicationis, donec cognoſcatur, quòd caro oriri cęperit. Abſterſiua medicina illa eſt, cui proprietas ineſt remouendi humiditates viſcoſas, & congelatas ab orificijs pororum, in membri ſuperficie exiſtentium, ita vt elonget eas à loco, vt tolli poſſint. ergo ea probantur medicamenta, quæ ſubtilitate eorumdē ſubſtantiæ in ſorditiem ipſam penetrare poſsint, & caliditate temperata eam attenuare, ac diſſoluere: vnde eius craſsitie deſtructa, ac viſcoſitate, faciliter à vulnere eius mala operatio dimoueatur: quæ poroſitates membri obſtruendo, eius ſubſtantiam corrumpit, & ſic vlcus ſordidum euadit. huiuſcemodi operatio celebratur per medicamenta ſiccantia ſine aſtrictione, aut frigiditate tenuium partium, non tamen caliditatis attrahentis, ſed temperatæ, indicatione perpetuò ſumpta à ſenſu partis, vnde augenda, aut minuenda medicamentorum qualitas eſt: nec fieri poteſt, quòd vnus ſit eorum modus, vel vna natura, huic affectui opportuna, quamuis vnum generale habeat ſymptoma, quod ſordes eſt, & eget abſterſione: nam ſordis variæ cauſæ ſunt, quæ varijs indicationibus tolli debent. verum quantùm ad ipſam ſordis generalem rationem, habet ſane vnam communem indicationem, nempè vt ſordes detergatur, & vlcus purum reddatur. Ergo ſi ex importuno mollientium vſu ſuccreuerit ſordes, exſiccantibus & detergentibus erit opus, atq; illis valentioribus, quatenus & magis ſordidum, & humidum vlcus apparuerit, donec & ſiccius, & purius euadat: ſi verò ex acrimonia medicamenti colliquatur caro, detergentibus quidem, ſed leuioribus, erit opus: ſi plethora, aut cacochimia vniuerſi corporis ſorditiem creauerit, opportuna moliatur euacuatio, à qualitate plenitudinis indicatione ſumpta: ſi ab vna, vel pluribus iterum particulis, varia defluunt excrementa, fluxionem euacuatione, & reuulſionibus intercipere oportet: ſi verò in ipſo vlcere conſiſtat vniuerſa ratio ſordis, vel ob imbecillitatem concoctricis facultatis, aut ob calorē putreſcentem, aut vrentem, vitia hæc prius tollenda ſunt, ſubinde vlceribus ipſis occurrendum. & ſic de alijs cauſis internis, & externis agendum eſt. Medicamenta verò, quę in ſuperficie ſordem auferunt, ſiue in cute, ſiue in vlceribus, à Latinis extergentia, & à Græcis Rhyptica vocantur. quæ verò poros expurgant ſubtilium partium, ſunt & emplaſticis contraria, à Latinis expurgantia, & à Græcis ecphartica, & eccathartica nuncupantur: hinc eſt, quòd vitanda ſunt, quæ aſtringunt, ne ſordes pertinacius inhæreat: ac quæ laxant, ne robur partium elangueat: nec valde acria, ne phlegmones irritentur. ergo ea probari debent, quorum uis non multum valida eſt, veluti farina hordeacea, fabarum, cicerum, orobi, lupinorum, & ſimilis; pariter & aloes, ariſtrolochia, centaurium, gentiana, appium, rabarbarum, alumen, & cætera medicamenta acuitate, & amaritudine aliqua prædita. nam omne amarum eſt abſterſiuum: attamen hęc omnia cum melle perpetuò parantur, de quo dictum eſt, quòd abſterſiuam habet potentiam, & nullo modo vlceribus obeſſe ſolet: imò ſorditiem in eis, & ſupra totum corpus genitam (quæ à proprietate medicinarum amararum, & baurachiarum tantum abſumitur) abſtergit à dulcibus etiam, quemadmodū mel eſt, remouetur. à farina præterea ſeminū, nempe erobi, fabarum, hordei, lupinorum, & ſimilium euellitur: verum nil aliud agunt, niſi quòd abſtergūt, & non aperiunt meatus, vt decet in ſordido vlcere: niſi cum mulſa, aut appij ſucco fiat mixtura: in farina verò, quæ fit ex amaris lupinis cum abſterſionè, eſt aliquid apertionis. inquit Celſus; Id optimè facit tinta in melle linamenta, & Scriboni[illegible] Omne vlcus ſordidum purgat mel per ſe. iris arida contuſa cum melle, terrę mali, aut panacis radix cum melle. & Paulus; Sordida vlcera ſiue caua, ſiue plana fuerit, probè purgat ariſtrolochia cum melle, therebentina cum melle, iris Illirica cum melle, & oliuæ collumbades illitæ, & marubium cum melle, amigdalæ amaræ, ſemina vrticę, & aloes: at quia hominum corpora in ætate, ſexu, viribus, & proprijs habitudinibus varia ſunt; ideò huiuſcemodi medicamenta in abſtergendi potentia varia eſſe debent, nempe alia imbecilliora, alia mediocria, & alia validiora, formari debent: quę autem primi ordinis ſunt, ſic parantur. Abſterſiuum commune. ℞. therebentinæ claræ ℥. ij. farinæ hordei, mellis ros. añ. ℥. j. miſſ. Abſterſiuum de melle. ℞. mellis optimi. ℥. iij. therebentinę. ℥. j. pulueris olibani ʒ. ij. miſſ. Abſterſiuū ex iride. ℞. mellis. ℥. iiij. iridis puluer. ℥. j. farinæ orobi. ℥. s. miſſ. Abſterſiuum ex appio. ℞. mellis ℥. vj. farinæ hordei ℥. iij. ſucci appij. ℥. viij. pulueris olibani. ℥. s. miſſ. Abſterſiuum de mirrha. ℞. mellis ℥. xij. farinę ſiliginis, lupinorum, hordei añ. ℥. j. mirrhæ puluer. ℥. s. ſucci abſinthij, appij añ. ℥. iij. therebentinæ ℥. ij. ſucci vnà cū farinis aliquantiſper bulliant; poſtmodum alia addantur, & fiat vnguentum: ſed ſi aliqua cauitas apparuerit, abluatur primò hydromelite, aut lixiuio, aut marina aqua: cui ſemper mel addatur, quod ſi crudum fuerit, vehementius abſtergit, ſed magis acre eſt. quę verò ſecundi ordinis ſunt, ac in duris corporibus adhiberi ſolent, ſunt, emplaſtrum, quod iſti vnguentum vocant, ex centaurea Guidonis, aut viride apoſtolicon Celſi, aut iſis viridis Galeni, aut apoſtolorum ex duodecim rebus Auic. aut ceraſeos Meſues, aut macherionis Aetij. quę omnia medicamenta, aut per ſe ſola, aut alteri ſimpliciori, ac mitiori admixta, ſordidis vlceribus opitulantur: quæ autem tertio loco pro hac indicatione à medicis probantur, & robuſtioribus

Gal. 4. de cōpo. m. in ge. & 4. Meth. Pau. lib. 4. cap. 41. Auic. 4. 4. tra. 3. cap. [illegible] & cap. 4.

Dioſc. lib. 2. ca. 74. Gal. 7. ſimp. m cap. 97. 4. Meth. cap. 7. & 4.

Lib. 5. cap. quomodo vlc. pur. ſit.

Lib. de cōp. med. deſc.

lib. 4. cap. 41.

Gal. 5. de ſimp. med. cap. 147. & 2. ad Glau. c. de ſinu.

ribus, ac defatigatis corporibus applicanda ſunt, hæc vſui ſeruantur, paſtilli, ſeu trociſchi Andromachi, qui à Gal. aldaron, & à Principe andaracharon vocantur; pariter & calidicon, aut illi, qui ex aſphodelo parantur. Vltimo loco illi optimi ſunt, qui de minio, aut de arſenico dicuntur per ſe quippe, aut aliquo tenui liquore attenuari. ſi cum ſordicie aliqua conſtabit putredo, prꝛſtantiſſimum præſidium eſt vnguentum ægiptiacum Raſis, aut Auic. verum quia mordicare ſolet, tutum eſt, ipſum alteri admiſcere; veluti digeſtiuo communi in ſordidis, aut baſiliconi, aut citrino, aut alteri ſimili; quemadmodum in his affectibus nos pluries vti ſoliti ſumus, ratione ſumpta à multitudine ſordis, & à diuerſa eius natura in craſſitie, & viſcoſitate. nam ſordes tenuis nonnunquam mundo linteo, ſæpe redomele tantùm, aut ſyrupo roſato, ex ſucco roſarum confecto, aut leuibus lotionibus detergitur: remota omni ſorditie, vlcus tale, quale fuerit, indicatione ſumpta ab eius eſſe, regatur: à Paulo verò pro noua carnis regeneratione tale commendatur medicamentum, ℞. mellis crudi optimi ℥. iiij. therebentinæ ℥. ij. pulueris irios, marubij, ariſtro. lon. aloes, añ. ʒ. iiij. farinæ orobi ℥. j. miſc. Aliud, quo vtimur, ℞. therebentinę claræ ℥. ij. plumbi vſti, ceruſſæ lotæ, litargirij argentei añ. ʒ. ij. cineris cartarũ combuſtarum, aluminis liquidi aduſti, añ. ʒ. j. miſc. ſecundum artem. & ſi opus fuerit aliqua abſterſione, addatur vnguenti iſſis ℥. ſ. & valet. Occurrit interdum, quòd craſſum ac uiſcidum excrementum adeò copioſum expurgatur, quòd totum vlcus, ac ſibi vicinas partes cooperit, & corrodit; ac ita eius augeſcit malitia, quòd in vlcus, aut putridũ, aut ſphacelodes permutatur. indicia ſunt, ſi vlcus cauum fit, & malo colore tingitur, ac prauo odore non priuatur. euenit adhuc interdum, quòd craſſi humores, quodammodo ſanguinis naturam referentes, dum feruefcunt, malignitatem quandam, ac venenoſitatem non paruam contrahunt: vnde vlcera malè morigerata naſcuntur, de quibus infra ſermonẽ habituri ſumus.

De Vlcere putrido. Cap. VII.

VLCVS putre ſiue putridum, illud eſt, quod ſibi annexam ſemper habet aliquam putrilaginem, quæ interdum cœno ſimilẽ retinet colorem, & ſubſtantiam, à qua fumi eleuantur fætidi vnde odor grauiter olens effertur: tale vlcus, ſi depaſcẽdo non procedit, ſæpedona Græcè, & Latinè putridum nuncupatur. Si verò perambulando vicina loca corrumpit, nomas Græcè, & Latinè fraudulentum vocitatur. dicebat Gal. Putrida vlcera cum ambientes partes depaſcunt, nomas Græci proprie appellant, & eſt peſsimum morbi genus, & conſtat, vehementiſsimis indigere medicamentis, ſæpè etiam cauterijs. Putrilago, quæ in eis generatur, excrementum quoddam eſt, globoſum, cinericium, aut nigrum, fætens, partes ſibi in conſortio connexas corrumpens. exit à malis vlceribus, corruptis abſceſsibus, & ſphacelis: generatur ex corruptione partis ſubſtantiæ membri, aut humoris conſtricti in membro, aut longa humidorum medicaminum applicatione. & ob id dicebat Gal. 3. Meth. cap. 2. Oleum cauo vlceri infuſum aduerſiſſimum omnium medicamentorũ eſt; nam ſordidum, ac malè olens vlcus reddit: tempus quoq; anni calidius ſi fuerit, ac vitio mali ſucci homo laboret, aut fluxionibus obnoxius natura ſit, aut etiam in victus ratione delinquat, ne illi pars ea computreſcat, timor eſt, in qua vlcus eſt factum. vlcus putridum à ſordido differre ſolet, malitię ac fraudulentię natura, & operatione. differt à phagedenico: nam putridum ſua putrilagine, fætore, & corruptione, deambulando, vicina deſtruit. corroſiuum, ſiue phagedenicum, abſq; putredine, & fætore corrodendo progreditur; Non quicquid corrumpitur, ait Gal. putreſcere dicimus: ſed id putreſcit, quod cum fætore, & putrilagine conſiſtit. Putridorum vlcerum cauſæ alię internę ſunt, nempè humores mali, craſsi, ſanguinis alterati naturam quodammodo reſpicientes: interdum varij, corrupti, in corpore adaucti, ebullientes, & ferueſacti, venenoſitatem quandam adepti. hi magna ex parte carbunculos, ſphacelos, & vlcera putrida producunt: externæ verò, contactus rei putridæ, aut veneno affectæ, eſſe ſolent: aut aer fætidus, ſiue alio modo corruptus; vt plurimum praua chirurgia, humida & nimis vnctuoſa medicamenta adminiſtrando, & ea, quæ veneno prædita ſunt: aut membrum nimis infrigidando, aut in radice conſtrigendo, aut ſine methodo, vel tardè medelam præſtando. ſequuntur putrida vlcera, tanquam eorum propria ſymptomata, febris aſsidua, inquietudo, alienatio, intolerabilis, ac cadaueroſus fætor, membri corruptio, & ſæpe mors: hæc vlcera peſsima ſunt, quæ corrigi, & mundari nequeunt, aut corpori mali habitus occurrunt, aut profundè progrediuntur, aut nobiles partes occupant. inquit Hipp. Nomę lethaliſsimę ſunt, quarum putredines profundiſsimæ, aut nigerrimæ, aut ſicciſsimæ apparent. hic morbus niſi citò, ac omni ratione ſanetur, in ſphacelum tranſire ſolet: & tunc non ſolum id corrumpit, quod occupauit, ſed etiam ſerpit, & inflammatio nimia vlcus ambit, & cum dolore procedit: inde vlcus nigrum fit, quia caro eius corrupta eſt, & fętet: idq; etiam vehementius putreſcendo intenditur. ex eo humor pallidus fertur mali odoris, & cœno ſimilis: & qui tali morbo affliguntur, ſub nimia anſietate, & frigido ſudore moriuntur.

Lib. diuiſionum in ane. cap. de cura cancrenæ.

Gal. 5. Krag. circa finem. Aetius lib 14. cap. 49.

6. de comp. m. in genere circa princi.

5. de ſimp. m. fac. cap. 14.

Lib. 2. prædict.

PRAXIS.

Auic.4 4.tra.3. cap.9.

VARIIS ingenijs,ac diuerſis ſuffragijs putrida vlcera curari ſolent, potiſsimum exquiſita corporis euacuatione,& forti abſterſione:quare, plethora apparente, ſanguis, ſi decet, mittatur: cacochimia exiſtente, aluus purgetur, pharmaco aduſtos humores ducente. hæc interim affectę ſedis rectificatio, & partis corruptæ ablatio tentanda eſt: poſtremò vlceris ſanatio. In his prauis vlceribus, ait Hipp. tardare malum eſt; ſiquidem citò eorum malignitas augeri ſolet. & quia de alimenti ratione, euacuationibus, & vniuerſali curandi methodo multa ſuperius enarrauimus, vlterius hic procedere nō licet. hoc vnum tamen dicere expedit, quòd miſsio ſanguinis in venenoſa materia, aut in ea, quæ ſignificationis via expulſa eſt, ab omnibus non probatur: ſed diæta, & acria cliſteria laudantur. Si corpus ab excrementis immune fuerit, affectum membrum euacuare expedit, & eius malitia tolli ſcarificationibus, hyrudinibus, cucurbitulis, & nutritione conuenienti: & non ſit in hoc dilatio, ſed omni ingenio inflammationes prohibeantur, ne poſtmodum gangrænę oriantur. interea humores in venis exiſtentes alterentur ſerapijs de ſucco acetoſæ, de ſucco endiuię, de acetoſitate citri, de bugloſſa, & ſimilibus: cor etiam epithimatibus incolume conſeruetur. Affecta pars ſecundum eius diſpoſitionem, & accidentium naturam regi debet: ſi plaga aperta, & in conſpectu fuerit, abluatur: ſin minus, ſcarificare opus eſt. porrò in leui putredine debilia medicamenta, vt de ſordido vlcere explicauimus, opportuna ſunt. in validiori malignitate vlcus primò abluatur aqua maris; & ſi eius copia non eſt, decocto lupinorum amarorum, aut lixiuio claro, addito ſemper oxalme: aut acida muria, ſiue aceto mulſo, aut ſalſo, aut celebre illo emplaſtro ęgiptiaco: quod à Raſi ſic paratur. R. floris æris ʒ. iij. mellis ʒ. viij. aceti ʒ. iij. ab Auicēna ſic conficitur. R. floris ęris, mellis, aluminis, añ. pari portione: poſtmodum inſpergatur puluis ex calcitide,& ſori: aut lini ſemen cum atramento ſutorio, aut appij ſemen tritum, & cucumeris agreſti radix trita, cum melle: medicamentum Celſi de mente Heras. R. mirrhæ, calcitis añ. ʒ. xij. aloes, olibani, aluminis plumæ, añ. ʒ. xiiij. ariſtrolochiæ, gallæ immaturæ, añ. ʒ. xviij. corticum granatorum ʒ. xx. fiat ex his omnibus puluis ſubtiliſsimus. ex Gal. R. farinæ erui, aluminis liquidi, panis ſimilaginei, carnis piſcium, aut alterius animalis, vetuſtæ, ſalitę, & non lotæ. therebentinę mellis crudi añ. miſc.& fiat emplaſtrum. Ex Paulo Aegineta, R. calcis viuæ, calcitis añ. ʒ. ij. auri pigmenti ʒ. j. & cum melle paretur medicamentum. multa iſtius naturę, ac operationis, ab antiquis deſcribuntur pręſidia: quæ cum adhibita fuerunt, per diem amoueri non debent; cruſtam enim inducunt, quę poſtea tollitur, aut ſucco porri, aut butiro, aut medicamento ex therebentina, & oui luteo: vlcus inde regatur medicamento diacartu, ideſt, ex carta combuſta: quod ex Actuario, & Paulo ſic paratur. R. æris ſquammæ, cartæ combuſtę añ. ʒ. viij. auri pigmenti, ſulphuris viui añ. ʒ. xij. plumbi vſti ʒ. vj. mellis, quod ſufficit: ſi putredo perſeuerare videtur, omnino quod putridum eſt, tollatur medicamentis acutis, nempè cauterijs, & igne, aut totali ablatione, ne quid corrupti remaneat: ſed caro ſana tantùm, quę ex bonitate ſanguinis apparentis, & eius rubedine, ac partis ſenſu dignoſcitur, aut ex oſſe, quod album, & ſanum eſt: Nos verò in his affectibus, non aliud præſtantius medicamentum inuenire potuimus ægiptiaco, deſcriptione Raſis, aut ſolo, aut alteri admixto. in leui morbo hydrargirum optimè præparatum, quod præcipitatū vocatur, celebre medicamentum eſt: ſolent acuta præſidia dolores inferre, vnde nouæ fluxiones irritantur, & locus inflammatione vexatur, quam diſcutit polenta ex farina hordei, & alterci ſemine, vel braſica cum melle, & ſucco ſolatri: cum verò ſæuiora appareant ſymptomata, corrigantur, vt capitè de gangræna, in tertia noſtrę chirurgiæ ſectione ad plenum dicturi ſumus.

Dioſc. lib.4. ca. Gal.2.de nat.fa. 4.5.6.Krag. vbi de nomis. & putridis vlceribus. Cel.lib.5 ca.26 Actu.lib.de cōpo. m. vbi de oxalme. Paulus lib. 4. cap. 44. Lib. diuiſ. in fine. Cap. de cura gāgrænæ.

Gal. Auic.

De Vlcere corroſiuo. Cap. VIII.

VLCVS exedens, ſiue corroſiuum, illud eſt, quod ſua malignitate, ac humoris acredine ſedem, quam occupat, ac vicinas, circunſtanteſq; partes corripit, ac erodendo continuò abſumit, ac depopulatur. ſi cum aliqua putrilagine progreditur, Nome Græcè vocatur: ſecus verò, phagedæne dicitur, Latinè autem depaſcens, erodens, & ſerpens nuncupatur. differt tale vlcus, quod extimam tantum partem, ac ſuperficialem primò abradit, & vltimò corrodit, ab ambulatiuo: quod ſua malignitate non modò vlceratas partes carnoſas, ſed etiam ſanas vitiare ſolet. ratione cauſſæ materialis, ſiquidem in corroſiuo ſubtilis admodum, acutus, ac pertenuis humor abundare ſolet: vnde profundiores partes nō attingit, ſed ſummas tātùm exedens exulcerat, quare ſæpè herpes, aut ignis ſacer appellatur. in ambulatiuo autē aduſtus humor & feruens peccat; igitur penitiores partes offendit. ratione effectus, nam vlcus corroſiuum vario modo, vlcerum pluralitate, & veloci quadam actione procedit. ambulatiuum eodem ordine, vno tantùm vlcere, & tardè progreditur. Indicia verò corrodentium vlcerum hæc ſunt. pruriunt in principio ſedes, quæ in conſortio ſunt, inflammant, virulentam humiditatem expurgant; puſtulas, quas relioſus, & acris humor excitauit,

5. Aphor. comē 22. 6. Aphor. cōment. 45. 2. Meth. cap. 2. li. de tumo. præt. nat. cap. 14. & 4. de compo. m. in genere.

uit păruas, prurientes hincinde producunt; perpetuò corrodendo perambulant, ac vlcera plurima gignunt. Cauſſæ internæ ſunt, veluti ſucci mali aduſti, acuti, aut venenoſi: qui propter aduſtionem cacoethiam quandam, ideſt, malignitatem acquirunt; interdum criticè extramiſſi, qui inter partes ſubſtantiæ membri terminantes diſſipantur, aut corrumpuntur, & eius iam productam ſubſtantiam conſumunt, aut naturalem humiditatem abſumunt: vnde, deficiente proprio ac naturali nutrimento, remanent vlceratæ. poſſunt eſſe & externæ, nempe topica nimis calida, aut multum acria: quæ ſuis qualitatibus talem effectum in membro inducunt, vt in herpetibus ſępe videri ſolet, ac in exedente formica, quæ huc atq; illuc ſerpendo cutim non ſolùm, ſed & ſubiectam carnem depaſcitur. peſſima ſunt huiuſcemodi vlcera; ob id quia à peſſimis generantur humoribus. nam dictum eſt; Vlcera, quæ ſerpunt, & dilatantur, à bile aduſta fiunt, nunquã talia ſuppurantur, ideſt, nullam gignunt laudabilem concoctionem. & potiſsimum indicium bonitatis vlcerum, eſt pus optimum. hæc omnia phagedænas, ideſt, exedentes antiqui nominabant.

Gal. 4. Meth ca. 6. Auuic. 3. Cãticorum. 100. Hipp. lib. de vlceribus.

Gal. 5. Aphor. comento, 22.

PRAXIS.

VT verò ad perfectam ſanitatem corroſiua vlcera perducantur, triplici genere auxiliorum egent, nempe proba victus ratione, conuenienti corporis purgatione (quæ ſucco tali prauo, eroſionẽ in affecta particula excitanti, ſit accõmodata, præſertim ſi acris, ac erodens humor aliunde, quàm in vlcerato loco, ſui ortus occaſionem habuerit) ac localibus remedijs opportunis. ſic enim mali, & acuti humores ad benignitatem, & temperiem reducuntur, affecta pars rectificatur, vlcus nitidum redditur, & corruptio, ne vlterius progrediatur, prohibetur. Hac ratione, dicebat Auic. Canon vniuerſalis in curatione vlcerum corroſiuorum, & fraudulentorum eſt, vt mundificetur corpus, & membrum, ſi fuerit corpus mundum, cum ventoſis, & ſanguiſugis ſuper ipſum, & permutatione complexionis eius cum epithimatibus, & rectificatione cibi abſq; tarditate, & dilatatione: nam tarditas remediorum addit in eorum malitia. de ſanguinis miſſione in phagędenico vlcere, præſertim à vena nullum quidem verbũ antiqui protulerunt; hac ratione, quia bilis acuta, & aduſta, omnium malorum auctor, & eius cauſa materialis eſt: ſed cliſteria, & pharmaca bilem ducentia, magis probantur. apud iuniores tamen, ſi materia aliquo modo craſſa fuerit, venæ ſectio admittitur, quæ ſimul & euacuet, & reuellat: nec victus tenuis probatur in malignis vlceribus; ſiquidem addit in eorum malignitate: ſed frigidus ac humidus viuendi modus, qualis omnibus febricitantibus confert, ſummè conuenit: vinum omnino interdicatur, niſi virtus languida fuerit: tunc enim ab Hippocrate oligophoron, ideſt, album, tenue, & limphatum conceditur. porrò qui de vlcerum curatione ſcripſerunt, iubent primò cauſſas, quæ illa creant, aut fouent, abſcindẽdas eſſe; deinde ad eam, quæ coniuncta eſt, deuenire. Tollantur igitur eorum cauſſæ primariæ vniuerſali euacuatione. nam ſic docet Gal. dum inquit; Hoc tibi, tanquam commune præceptum eſto, omnino in omnibus morbis, nedum vlceribus, in quibus effectrix cauſſa adhuc manet, ab hac inchoandam curationem eſſe. igitur ſi corpus cacochimia fuerit refertum, vbi redundantia ſanguinis in toto corpore, aut ſubiacente particula ſubeſt: tunc à totius corporis euacuatione curatio inchoanda eſt. mittatur ergo ſanguis in hoc affectu, idq; magis ſi corpus iuuenile, boni habitus, ac optimi roboris fuerit. quantò enim euacuatio communior eſt, tantò magis præcedere debet: ſecus verò ſi expedit tali, aut altero ſimili pharmaco, per ſeceſſum fiat purgatio, in diuitibus prę̨ſertim, aut tenellis corporibus. R. caſſ. pinguis no. extract. ʒ.x. elect. de pſilio. ʒ.ij. zuccari q.s. pro 6. aut R. reub. elect. ʒ.i s. ſpicæ g.iij. decocti epithimi ſine additione q.s. fiat infuſio per noctem. & facta forti expreſsione, adde ſyrupi ros. ſol. ℥. iij. miſc. & fiant p.6. aut R. reub. optimi ʒ. i. ſpicæ g.ij. decoctionis florum, & fructuum cordialium cum tamarindis q.s. fiat infuſio ſecundum artem. & facta diligenti emulſione, adde elect. diacat. ℥. j. confect. amech. ʒ.iij. miſce, & fiant p.6. pro pauperibus verò, R. ſyr. de fumot. de ſucco endiuiæ, añ. vnc. j. aquæ acetoſæ, boraginis añ. vnc. ij. elect. diaprunis ſolutiui ʒ. iiij. miſce, huic ſimile pharmacum non reperitur. cumq; corpus exquiſitè euacuatum non fuerit, denuò euacuare conuenit, potiſsimum cum catapotijs, ex fumaria, ex agarico, ex reubarbaro, aut aggregatiuis. ſcena etiam, aut præparata, aut cum paſſulis, in ſero lactis infuſa, commendatur: reſidentes verò humores, qui maligni, ac euacuationibus rebelles ſunt, longa ſyruporum exhibitione prę̨parentur, donec eorum concoctio in vrinis dignoſcatur: vt autem ab ingentibus defluxionibus, ſeu ab iniuria fluentium humorum vlcerata particula vindicetur, optimum præſidium erit, circumiacentes partes aliquo linimento apocruſtico, vt fluxio auertatur, repellaturq;, illinire: & tunc R. ſucci plantaginis, ſolatri, aquæ roſarum, aceti optimi, olei roſati, mirthini añ. vnc. j. bulliant vſq; ad ſucci defectum. & adde boli armeni, ſang. dra. añ. ʒ.ij. pulueris mirthillorum, gallarum añ. ʒ. j. ceram pro linimento. Porrò, antequam ad medicamenta localia deueniamus, excogitare oportet vlceris tam magnitudinem, quàm malignitatem, vt apta medicamenta eligamus; cum difficilia, ac permaligna vlcera, niſi à validis fortiſsimiſq; medicamentis, ſuperari nequeant: ex leuiori enim vſu eorum malignitas non tollitur, ſed potius augetur: ſecus verò vlcera mitiora, quæ acrioribus, ac fortioribus medicamentis irritantur, & augentur. quare in his, mediocribus, &, quantũ fieri poteſt, mordacitatis expertibus medicamentis vti expedit: ex methodo

44. tra. 3. cap. 8.

Cel. lib. 5. cap. de theriomate: Aet. lib. 6. ca. 24.

Gal. lib. ar. p m. cap. 92. & 4. Meth. cap.

Auic. 4. 1. ca. 3.

Pau. lib. 4. c. 44.

thodo verò, & propria ratione, exſiccantibus, & refrigerantibus: cum eroſio ab acri, & calido ſucco fiat, à calidiori, & ſicciori temperie genito. igitur ad illius vitioſi ſucci conſumptionem, neceſſaria eſt exſiccatio; & ad calidam temperiem delendam refrigerantibus opus eſt. & ſi ſiccitas lima ſit caloris: plus tamen præſtat, tum refrigeratio, tum etiam abſumptio vitioſi illius ſucci: qui longè magis ſic cebat, & calefaciebat, quàm id genus medicamenta facere poſsint. quæ autem huic indicationi oppor (4.de compo.m. in gene.) tuna ſunt medicamenta, explicauit Gal.nempè mineralia multa,lota, & trita; veluti eſt pompholix, pro qua tutia vtimur, plumbum vſtum, bolus armena, terra Lemnia, litargirium, lapis ematitis, & ſimilia. ex plantis etiam, ſicut eſt mirabolanorum puluis, ariſtrolochia, aloes, & talia, ex quibus maligna vlceris natura ſuperari poterit,& eroſio tolli, præſertim ſi mediocris fuerit; quippe interdum adeò vlcus malignum apparet, vt huiuſcemodi medicamenta ſuperet: quod duplici de cauſa euenire ſolet; vel quia à prauis ſuccis, quibus corpus totum refertum eſt, fouetur; aut quia caro vlcerata, & circum iacentes partes adeò corruptæ ſunt, & prauum vitium contraxerunt: vt omne alimentum, & partes alioquin ſanas corrumpant, aut in prauum ſuccum peruertant. vnde illico vlcus malignum, & erodēs (Lib. 4. cap. 44. 4.4.tra.3.ca.8.) redditur. Inquit Pau. & Auic.Superfuſiones vtiles ſunt vlceribus depaſcentibus, putridiſq; , ex aceto, poſca, aqua frigida, aqua mirthi, aqua roſarum, aqua virgæ paſtoris, & vino aſtringente. ſi non fuerit caliditas, aut paretur decoctum, ex lenticula, malicorio, lentiſco, mirtho, aut ſpina ægiptia, aut ex aliqua re ſimili aſtringente, & exſiccante: fortaſsis hæc non in vlcere ipſo, ſed circa ipſum adhi benda ſunt, ne mali humores ad vitiatam partem defluant, & vt mala loci temperies tollatur. hac ra tione paretur cataplaſma ex farina fabacea, erui, pane ſiligineo, ariſtrolochia, alumine liquido, oximellite, & lixiuio claro: vlcus verò ſi immundum apparet, aqua maris, aut cineris, aut aluminoſa,aut viridi abluatur; & cum exſiccatum fuerit, abſumatur eius malignitas, potiſsimum puluere illo celeber rimo, qui ex hydrargiro, ſiue mercurio præparato formatur, præcipitatum vocant. nam abſque dolore omnem tollit putredinem, partes bonas pręſeruat, ſaniem craſsiorem reddit, & vlcus ad benignitatem conducit. puluis hic ſolus in vlcere adhibendus eſt; ac per diem naturalem permaneat. deſuper verò plagella ſplenia ex filis penicilli nitidis, & ſiccis applicetur, quòd totum contegat vlcus, & ſuper omnia latum platiſma, cum cerato ex ſandice, quod iſti de minio vocant, aut ex ouo, quod ceruſſatū (Gal. 5. Katage.) dicunt, aut diaphinicine, quod palmeum vocitatur. Porrò ſi copioſa apparet ſordities, medicamento iſide, aut macherione mundetur. iſis ſic paratur. ℞. ariſtro. galbani, opopanacis, æruginis, irios, ammoniaci, mirrhæ, an. vnc.j. therebentinæ, olei roſati crudi, an. vnc.vj. cerę q. s. ærugo trituretur cum oleo, reliqua verò cum cera, & fiat vnguentum. Trociſci adhuc quamplurimi, nempe Andronij, muſę, paſsionis, aut de aſphodello, melle crudo, aut therebentina, leuigati ſummoperè probantur: attamen ad hoc negotium pręſtantius medicamentum non datur ęgiptiaco, aut per ſe, aut alteri admixto: at ſi horum vlcerū adeò fuerit malignitas, quòd prędictis auxilijs tolli nequeat, ad ignitum cauterium, (Albuc.lib.2.ca. 54.) tanquam ad ſacram ancoram, deuenire oportet: cumque in dies magis atque magis eroſio ſerpit, & vlcus augetur, corpus denuò à vitioſis ſuccis repurgandum erit; poſtmodum continens cauſſa, ſeu coniuncta, quæ partes vlceris abſumit, & erodit, vſtione, ſeu cauterio actuali deſiccanda venit, modò patiens id genus auxilij non formidet, aut renuat, cum remedium ſit aſpectu horridum, & formidabile. igitur, ſi candens ferrum ob laborantis timiditatem, aut affectæ ſedis naturam non admittitur, ad ea medicamenta confugiendum eſt, quæ ſimilem fere vim habeant, qualia ſunt, quæ fiunt ex atramento ſutorio,aut ex viua calce, potiſſimum verò, arſenicum, quod ſublimatum vocant,in modica tamen portione, cum butiro, aut cerato albo tuto adhibetur: ſi hæc prodeſſe non videntur (id magis quando vlcera putrida ſunt, & mali habitus, atq; exedentia, vt nullis medicamentis ſanari poſſint, & cauteria ſatis non ſint, & adhuc mala qualitas putrida, & corroſiua perſeuerat, nec ignis ipſe putredinem, & ma (Aphor. 6.) lignitatem vincere poteſt) quod corruptum eſt abſcindere iuſtum eſt. nam dictum eſt ab Hipp. Quoſcū que morbos medicamenta non ſanant, ignis ſanat. quos ignis non ſanat, ferrum ſanat: quos verò ferrum non ſanat, hos ſanari non poſſe putato: vel hos incurabiles exiſtimare oportet.quo modo verò putrida membra amputanda ſint, infra capite vlt.huius libri ad plenum explicabimus.

De Vlcere ſinuoſo. Cap. IX.

VLcvs ſinuoſum illud eſt, cuius initium ſatis anguſtum apparet, profundum verò in latius ſe diffundit: nulla tamen durities, aut calloſitas percipitur, à quo longè maior, quàm vlceris magnitudine, quæ in ſuperficie adeſt, puris copia effundi tur. Tale vlcus à Græcis colpon, à Latinis ſinuoſum, cauernoſum, concauum, cuniculoſum, laceroſum, & abſconſum nuncupatur; ſiquidem, vt dictum eſt à (2.ad Glauconē.) Gal. Cum amplius agglutinandi cutem ſubiectis corporibus creuerit difficultas. huiuſcemodi affectum ſinum, aut cauernam Latini appellant. Eius cauſſæ quam plurimæ eſſe poſſunt, nempe magnæ contuſiones,quæ tandem in ſaniem conuertūtur; abſceſſus pariter, (Lib.de his, quæ ir medicamina ſunt.) locorum frigidorum tardè ſectus: qui (vt ait Gal.) cum ruptus, & apertus fuerit, ac euacuata materia, quæ in eo continebatur, non amplius abſceſſus, ſed ſinus dici debet. præter hęc vlcera mala,non opportunè

opportunè abſterſa, & exſiccata. Porrò cutis vlceribus adiacens, diutius ſubiectis corporibus non coaleſcit, aut propter nimiam eius tenuitatem, aut diminutam mundificationẽ, aut debilem exſiccationem, aut ob externarum humiditatum abundantiam: abſceſſus vero tardè ſecantur, ob patientis timorem, aut chirurgorum penuriam, vel ob eorum negligentiam, aut imperitiam: vlcera opportunè non abſterguntur, propter affectæ ſedis nimium ſenſum, aut medicamenti imbecillitatem, aut morbi malignitatem. Cauorum vlcerum indicia ſumuntur interdum ab exeuntibus in quantitate nimia, aut quia ethe-rogeneis, aut in ſubſtantia tenuibus, & acutis, ac loturæ carnis perſimillimis, quę aliquam arguunt inflammationem: aut talis materia craſſa, & ſubalba eſt, odore non grato, vel ſeroſa, quæ intemperiem aliquam frigidam demonſtrat: ſæpe à loci vlcerati tenuitate, profunditate, & ſitu: multotiens à digiti, aut ſpecilli, aut cereæ candelæ leui, ac blanda impoſitione, aut alicuius tenuis liquoris iniectione: nam color materiæ, quæ ab ipſis cauernulis egreditur, qualitates eorum manifeſtè inſinuat. Horum vlcerum natura & forma varia eſſe ſolet, & diuerſimodè dignoſcitur, interdum à dimenſione, quippe hoc breue; illud altius penetrat, aut in latus ſe diffundit; hoc diametraliter, & rectè procedit, illud tortuosè, ac pampani ritu; aliquod ſurſum, & aliquod deorſum. à ſitu, veluti in parte carnoſa, aut multarũ venarũ, & arteriarum, in loco concauo, abſcõſo, aut articulorum. à figura, ſiue numero, & ſimplicitate nam varias formas ſeruare ſolent, & ſphericam, & triangularem, & fiſtularem: interdum ſinus tantum vnus, multotiens plures inſunt. ſola & ſimplicia contingunt; vt plurimam alio morbo, aut diuerſo ſymptomate complicantur. diſſident caua vlcera à fiſtulis, hac ratione: nam fiſtula vlcus eſt altum, anguſtum, & calloſum, & eſt ſicut cãna, aut fiſtula penetrans in membro. hęc in ſinuoſis vlceribus ineſſe non videntur; cum in eis nulla durities reperiatur. præterea rarò fiſtula humore diuerſo repletur: ſinus verò magna tenuium humorum copia ſcatet. Inquit Auic. Vlcus, quod profunditatem habet, non abſoluitur; quin aut iam indurata ſit caro, circundans ipſum, & nominatur fiſtula, & eſt ſicut canna penetrans in membro: aut non induratur aliquid, & nominatur abſconſio, & cauerna. Occurrit interdum, vniuerſam cutim à pure circa abſceſſum aggregato ſufficienter extenuari, inſtar laceri veſtimenti, vnde illi nomen laceroſi vlceris à medicis inditum eſt. eſt igitur huiuſcemodi cutis conglutinari contumax, præcipuè ſiquis ſecundum ſubſtantiam ſiccum medicamentum imponat. ex his enim magis ſit laceræ veſtis ſimilis, & ſicca cutis inſtar pellium detritarum. paſſio hæc à Græcis rachodes, & a Latinis laceroſa dicitur. & ideò dicebat Auic. dicunt quidam abſconſionem illud, quod elongatur ſub cute, & cutis ſeparatur ab ea; & cauernam illud, quod inflectitur ſub carne, & dilatatur in ea: vbi verò qui ad magnum abſceſſum perueniunt, & chirurgiam non admittunt, ſed expectant, vt longiori tempore cutis à pure rodatur, contingit eam extenuari: vnde fit vlcus laceroſum, aut more Auicennæ, cauernoſum. hoc vtplurimum, ait Albucaſis, contingit in apoſtematibus membrorum frigidorum, aut cartilaginoſorum: in quibus pus longo nimis ſpatio retinetur, & non ritè expurgatur; atque ita ægrè vlcus cauum carne repletur, & ad cicatricem perducitur.

Gal. Aet. lib. 14 cap. 33. Pau. lib. 4. cap. 49.

4. 4. tra. 3. ca. 1.

Gal. 2. ad Glau. vbi de ſinu. Aet. lib. 14. cap. 54. 55. Paul. lib. 4. cap. 48. Albucaſis. lib. 2. cap. 90

PRAXIS.

PRo axiomate, ſiue dignitate hoc apud Medicos habetur, & ab omnibus inſtitutum eſt, vt omne cauum vlcus vna tantùm ratione, ea nempè, qua cauum eſt, circa ve complexũ alterius affectus, curari debeat. hęc quippe eſt, vt caro, quæ perijt, regeneretur; & quod cauum eſt, noua carne repleatur. huic tamen indicationi variæ præcedunt conſiderationes: quarum prima ea eſt, quæ vltimò conſequitur, ſcilicet cauitatem replere, & continui diuortium vnire. Secunda magis particularis eſt, accepta ab ipſo affectu, & à corpore affecto, ideſt ab eſſentia, quantitate, forma, & ſitu ipſius ſinus, à temperamento totius ſedis affectæ, & ſimptomatum magnitudine, & qualitate. Cauitas repleri ſolet vbertate boni cibi, alimento ſufficienti, & optimo ſanguine: porrò optimus ſanguis ex bonis cibariorum ſuccis gignitur; ſic enim totius, ac affectæ particulæ temperies conciliari ſolet. Diuortium vnitur diſſidentium partium vnione, & conſeruatione, extranearum humiditatum prohibitione, ac ſymptomatum profligatione: vt verò hæc tutò adimpleri poſſint, corpus optimo vitæ regimine regi debet. & ſi qua plethora apparuerit, ſanguis mittatur. ſi cacochimia praui humoris copia, conuenienti pharmaco euacuetur: pars verò affecta in eius naturali diſpoſitione aut conſeruetur, aut reducatur: nam affectus non curatur, niſi affecta ſedes fuerit optimè diſpoſita. igitur ſi qua intemperie vexetur, per contrarias qualitates ad temperiem permutetur: hoc interim vlcus ſituari ſic decet, vt imum ſitum orificium perpetuò ſpectet: aut ſaltem per cãnulatas turundas pus continuò effluat: vel per expultricem inuolucrum ſucceſſiuæ humiditates expurgentur: aut ſi expedit, facta in decliuiori parte noua ſectione, fundus totus appareat; ſic enim ſinus omnis, quatenus ſinus eſt, regi debet. Vt verò communis indicatio exequatur, ſcire oportet, quòd in nouæ carnis regeneratione duo excrementa neceſſariò vlcus infeſtant; vnum videlicet tenue, & alterum craſſum, à quibus vlcus & humidum, & ſordidum ſemper redditur; ob id medicamen geminæ facultatis præditum eſſe debet, exſiccantis ſcilicet, & abſtergentis; ſiquidem quod humidum eſt, exſiccari poſtulat: quod ſordidum, abſtergi deſiderat. porrò hę ſunt duæ indicationes, ſumptæ à cauſsis prohibentibus carnis generationem: quę omnino, aut corrigendę, aut tollendę ſunt. inſuper ſanguis, qui ad læſum locum defluit, optimus eſſe debet: ſecus verò caro in

Gal. 3. Meth. ca. 2. 3 4. 5. x. 2. ad Glauc. cap. de ſinu. & 4 de compo. m. ſecundũ gene. Pau. lib. 4. cap. 40. Auic 4. 4. tra. 3. cap. 5.

Gal.3.Meth.c.3

cauis vlceribus gigni nequit. nam dictum eſt; In gignenda carne binas eſſe cauſas, alteram effectricem, alteram materialem. efficiens ipſa natura ſola eſt, non autem medicus, niſi quatenus poſſit naturæ iuuare, vt expeditius, & citra vllum impedimentum hoc præſtare poſsit, adiuta tamen loci temperie, qui morbo in diminuta quantitate affligitur: quare eius naturalis habitudo, à qua fit attractio, concoctio, appoſitio, & aſsimilatio, conſeruationem in ſui eſſe deſiderat: huius verò effectus potiſsima ratio eſt, optimum vitę regimen, & conueniens diæta; cibaria enim, quæ calidiorem, & acriorē, aut aquoſiorem ſanguinem gignunt, omnes corporis partes (lęſam pręcipuè) alterare ſolent: quies præterea in his affectibus pręſidium optimum eſt, alui, ac locij expurgatio quotidiana; ſomnus etiam naturalis, & nocturnus, ac animi quies in carnis generatione ſummoperè auxiliantur: ambiens etiam aer tēperatus ad hoc maximè facit. igitur, ne nimis caleſcat, aut frigidior vel humidior ſit, quàm deceat, cauere oportet: ab omni itaque exceſsiua qualitate vlcera quoq; irritantur. præterea ſanguis, qui tanquam cauſſa materialis in generatione carnis exiſtit, purus, ſimplex, & ſyncerus ſit, ac ijſdem rationibus conſeruetur: ſin minus, corrigendus, aut præparandus eſt per maſſę ſanguineæ alterationem. & ſi eius nimia copia fuerit, illa nempe minuenda eſt ſanguinis miſsione: at ſi alijs admixtus fuerit humoribus, per illorum, qui mixti fuerint, inanitionem corpus purgetur: ſi illius fuerit penuria, opportuno alimento augeatur: ſi malis qualitatibus affectus, mala tēperatura ſerapijs, aut decoctis, alteretur, donec ad temperiem redierit. & quia in carnis regeneratione, & cauorū vlcerū repletione duplex excrementum producitur, alterum humidius, alterum craſsius; in eorum cura, non quatenus vlcera ſunt, ſed quatenus his duabus humiditatibus replentur, duæ neceſſariò requiruntur indicationes, nempe abſterſio, & exſiccatio: cumque igitur nec dolor, nec inflammatio, nec aliud ſymptoma, præter cauitatem, caua vlcera occupauerit, curatio hoc pacto molienda eſt, initium ab ipſa abſterſione ſumendo,

Gal. 2. ad Glauc. de ſinu.3. 4. & 6. Meth. & 2. krage. ſer. 1. Aui.4.4. tra. 3. cap. 4. 7. x 1.

quæ eſt ſeparatio ſordium adhærentium ipſi ſinui, aut cauitati; quippe ex methodo, & ratione ipſa oportet, vt adminiſtrentur medicinæ, facientes naſci carnem, cum iam mundificatus fuerit locus à ſordiciebus, & ſimilibus: nam in vlcere ſordicie, aut aliena humiditate exiſtente, caro gigni nequit: attamen, antequam ad has indicationes deueniat medicus, formam, & ſitum ipſius ſinus conſiderare tenetur: nam ſi cauitatem altè reconditam vlcus habeat, & in ſuperiore parte ſit, ita vt ſanies ex ea prona effluat, aut ſecus ſit; eius, cuius effluxus patet, eadem, quæ aliorum vlcerum, curatio eſt: cui verò non eſt, huic ipſi moliamur effluxum, oportet. & eius duplex ratio eſt, aliàs tota cauitate diſſecta, aliàs in fundo tantùm aperta. quomodo verò horum altera ſit ineunda, docebit tum locorum ipſa natura, tum cauitatis magnitudo: ſi verò loca ipſa dubiam ſectionem faciant, & vlcus magnum fuerit, in fundo aperire magis expedit: ſin contra hæc ſe habeant, totum perſcindere præſtat. & ideò dicebat Auic. Oportet, vt ſit ſitus eorum talis, ne in eis retineatur virus, imò currat. & ſi ſitum hunc conuenientem inuenerit medicus, & fuerit in eo radix, ideſt imum vlceris ad ſuperiora, & orificium ad inferiora: tūc iſte eſt verus ſitus. quòd ſi ſecus ſe habuerit, & alterati poterit, alteratione naturali, cum membri præparatione, aut alteratione, id faciat: ſi verò hæc impoſſibilia fuerint, nō datur excuſatio, quin vlcus ſecetur, aut in fundo tantùm, aut vſq; ad radicem ſectione exquiſitiſsima, vt non relinquatur cauerna, & orificium tale ſit, vt medicamenta commodè adhibeantur, & ſeruet in hoc membri complexionem, ne ſuperueniant illi accidentia mala. Cum ergo factum fuerit hoc, ſtringatur vlcus, ab eius fundo initiū capiendo, conuenienti ligatura, ad radicem, aut ad locum, qui ſectus eſt, perueniendo: ligatura verò

Gal. 2. ad Glau. c. 5. & 3. Meht. cap. 4. in fine.

in parte ſuperiori ſituetur ſine dolore cum faſcia, duplici modo auoluta: In vlceribus ſic præparatis, quā tùm ad eorum abſterſionem, aut exſiccationem, quicquid volumus, ſtatim applicamus, ſiue ſiccum id, ſiue humidum medicamentum fuerit: licet tamen omni parti vlceris ea tum inſpergere, tum illinire, vt

Auic.4.1.ca.28 & 4.4. tra.3.c.1

etiam ad imum perueniant, & optima fiat abſterſio: nam ſi diminutè abſtergantur, recidiuas, aut fiſtulas facere conſueuere: & non adhæret cutis conglutinatione bona: interdum conglutinatur conglutinatione ſimili ſanæ. Porrò in vlceribus, quorum maior eſt profunditas, aut ſinus inſunt diuerſi, & non eſt poſſibile, vt ſectio aliqua admittatur, eam quippe facere non licet. & ſi ea medicamenta cineris ritu circa vlcus inſperges, nihil proficies, neq; ad fundum perueniet medicamenti vis, quod ſiccum fuerit. humidiorem igitur deſiderat, & quod liquidum, & fluxibile ſit, & currens, quod cum iniectorio inijci poſsit. nam aliter nec abluuntur, nec abſterguntur ſinuoſa vlcera abſterſione vltima, & conuenienti, nec minus carne repleri poſſunt, præſertim dum nec ratione ſitus, nec ſectione, nec faſcijs, continuò vt decet, expurgantur. Hac ratione fluentia probantur medicamenta, qualia ſunt aqua hordei, hydro

Gal.2.vir.nat.c. 9. Pau. lib.4. ca. 44. Auic. cap. de vic corro. de vlce virul. de vlc. putrido.

mel, mulſum, lixiuium clarum, aqua calibeata, aqua Thermarum, & aqua maris, quę abſtergit, exſiccat, & fluxiones prohibet. corroborat mirabiliter, & vlcera ab omni putredine, & corruptione præſeruat pariter & aqua aluminis, quę ab omnibus commendatur. harum aquarum vſus commodus eſt, indicatione ſumpta à complexu vlceris. igitur ſi ſinus ſorditie abundat, ab Aetio oximel probatur, ab Albucaſi ægiptiacum cum vino, aut ſapa, à Scribonio aqua cineris cum flore æris, & alumine. in occultis ſinibus aſſerit Auic. ſe pluries expertum fuiſſe emplaſtrum apoſtolicon, quod ſummè confert in eis. tale medicamentum communi voce emplaſtrum ex duodecim rebus, aut Veneris, aut Apoſtolo-

5. canonis. tra. x

rum, nuncupatur. ab eo deſcribitur, & dicit; rectificat cum facilitate fiſtulas malas, & ſcrofulas, & abſtergit vlcera concaua, & replet ea: eſt fere eiuſdem compoſitionis cum iſide emplaſtro Heras, quod

à Scri-

à Scribonio deſcribitur, & à Gal. mirum in modum probatur. Valent hęc medicamenta per ſe, aut aliquo tenui, & liquido ſub curſibili corpore redacta; veluti eſt marina aqua, aut vinum nigrum clarum. aut aqua cineris; oleum namque cauo vlceri infuſum aduerſiſſimum omnium medicamentorũ eſt; cum ſi ita mederi velis, vſu ipſo intelliges ſordidum, ac male olens vlcus fieri. quód ſi tempus anni quoque calidum ſit, ac vitio mali ſucci homo laboret, aut fluxionibus natura obnoxius ſit, aut etiam in victus ratione delinquat, timor eſt, ne pars computreſcat, in qua vlcus eſt: cumq; ab huiuſcemodi præſidijs abſtergentibus purum vlcus ſe obiecerit, vt nulla mala humiditas exinde appareat, ad medicamenta ſarcotica, ideſt, carnem producentia, tranſire eſt opus. ea quippe ſunt, quorum proprietas eſt, vt permutent ſanguinem ſuperuenientem vlceri in carnem; propterea quòd ęquat complexionem eius, & coagulat ipſum cum exſiccatione. igitur ſicca eſſe debent, non tamen multæ ſiccitatis: ſed ea ſatis eſt, quæ modicè excedat naturalem ſiccitatem partis vlceratæ. nam dictum eſt; Gignunt carnem quæ primum ordinem exſiccationis non multum tranſgrediuntur; & ille quidem non per relationem ad medium inter fines vniuerſalis temperaturæ, ſed facta collatione cum naturali temperie partis vlceratæ: quare non idem modus exſiccationis in omnibus corporibus, & membris vtiliter eſt aptus ad gignendã carnem; quia quæ ſicciora ſuapte natura ſunt membra, ſiccioribus egent medicamentis: quæ verò minus ſicca, debiliora: nec minor in hoc ratio habenda eſt particularum, quàm vniuerſi corporis: ſicuti enim humana corpora plurimum natura, & temperatura non parum differunt: ita & eorum particulæ, ex quibus componuntur, inter ſe natura, & temperatura multum variant; aliæ namque ſicciores, aliæ humidiores ſunt. & ſicut temperamentum corporis vniuerſi, quod natura ſiccius eſt, medicamenta exigit ſiccantia magis: & humidius ſiccantia minus, pro eorum conſeruatione; ita partes corporis, quę ad alias relatæ magis ſiccæ ſunt, præ alijs magis exſiccantia requirunt medicamenta: vnde ſi tempe-ratura vniuerſi corporis cum natura, & temperatura vlceratæ partis in ſiccitate conſpirent, magis ſiccãtia poſtulant medicamenta: ſi verò mutuò diſſentiant in temperatura; nempe quia alterum à mediocritate per ſiccitatem; alterum per humiditatem labatur, & à medio per vtrumque ſit receſſus, moderatè exſiccantia, qualia mox requirit corpus temperatum, apta eſſe creduntur ad carnem generandam: ſed ſi impar ſit receſſus; ita & medicamenti vis à mediocritate ad aliud extremum inclinet, in quod magis inclinet receſſus. hac ratione in cauis, & ſinuoſis vlceribus locorum ſiccorum, paretur decoctum ex ariſtrolochia, minori centaurio, ſimphiron, hypurim, roſis, & ſimilibus cum vino nigro: cui addere poſſumus, mirrham, thurem, & aloem. Inſtrumenta verò ad hoc opportuna ab Auic. iniectorium, à Celſo, Aetio, & Paulo, Cliſtere oricularium; ab Albucaſi Clapſedra, & à Gal. piuleum, cotenchitas, & caretheras. ex argento, aut auricalco formatur. ſi verò tale non aderit, aliud paretur ex ſuilla veſica, & fiſtula, directum foramen habente; cum ea etiam medicamenta liquida inijcere poſſimus. Nunquid verò ex iſtis operationibus pars ſinus profunda coaluerit, & bene glutinata ſit, indicium eſt humor emanans; ſi multus, aut paucus; ſi crudus, aut concoctus fuerit. adhuc ſi neque in ipſo ſinu dolor ſentiatur, neq; inflammatio appareat; ſed tota regio plana, ſicca, atque doloris expers exiſtat: tunc enim de ſinu glutinando ſummoperè ſperandum eſt. cumq; quarta, aut ſeptima pertranſierit dies, & humor crudus ex vlceris ore ſe oſtenderit: tunc ſcito, ſinum glutinatum non eſſe; ob id licet adhuc ipſum curare medicamento vehementius exſiccante ſine mordicatione; veluti illud eſt, quod cirrum vocant, ex metallicis elixatis, oleo antiquo, aut de citoneis, & aceto, abſq; cera conficitur: aut illud, quod ſit ex litargirio, adipe ſuillo antiquo, calcitide, & melle: aut illud, quod ex carta combuſta, aut aneto combuſto paratur. hæc omnia cerato humido, aut oleo maſticino, aut mirrhino colliquari poſſunt, prę ſertim in corporibus ſiccioribus, ac robuſtioribus: nam in iunioribus, & mollioribus ſat eſt interdum vſus, poſt abſterſionem emplaſtri, ſiue vnguenti reſinati, ſiue reſini, aut aurei, aut baſilico-nis. nam medicamenta ſunt corporibus non admodum duris accõmodata; moderatè enim calefaciũt, tẽperate attrahunt, & quantum quippe ſit ſatis, modeſtè exſiccant, & aliquam detergendi facultatem habent, ac concoquendi, ſi concoctione vlceri ſit opus, faciunt etiam ad ſedandum dolores: quod opus nunquam non vtile vlceribus eſt: ſi verò agglutinationis difficultas ex humiditatum copia, aut ex ſarcomate, & molli carne, aut ex dura & calloſa qualitate prouenerit, vſus emplaſtri, quod ad machenionem, aut epigonum refertur, præſtantiſsimum remedium eſt: ſæpe etiam ęgiptiaco ſolo vtimur, ſi carnes malæ, aut putredines ſinum occupauerint, aut ſapa ſoluto, aut lixiuio claro. dum ſinus mediocriter fuerit repletus, ea adhibeantur medicamenta, quę barbara, dichroma, aut rubra appellantur. in fine à Gal. & Albucaſi, diaſinicon emplaſtrum, ſiue palmulatum (quod diapalma iſti vocant) commendatur. poſt agglutinantis medicamenti applicationem, ſpongiam nouam ex vino auſtero infuſam adhibere non inconuenit: aut in quo decoctæ ſint lentes, malicorium, centaurium, gallæ, rubi comæ, & ſimilia. membrum commodè locare, ut pus ſponte perpetuò effluat, modò lectum ipſum, modò affectum membrum eleuando, aut deprimendo (prout vlceris orificium conſulet) optimum eſt: aut id puluilli faciant, fundo ſinus adhibiti: deligatio ſupernè initium capiat, ac inferius deſinat, vbi abſq; dolore, & effluxus prohibitione id admittitur; platiſmata, & petiæ, ſiue linteola, emplaſtris munita, hincinde, auctore Hippocrate, incidantur, vt pus effluere poſsit, habita conſideratione, quatenus profundiora, ac maiora vlcera valentioribus; minora imbecillioribus, erunt curanda medicamentis.

Lib. de compo m. deſcri. 206

Auic. lib. 2. tra. 1. cap. 4.

Gal. Auic.

4. 4. tra. 3. cap. de vlc. ſinuo. & 23. 3. tra. 2. cap. 22.

Lib. 6. cap. 12. & lib. 7. cap. 26. 27.

Lib. 15. cap. 86.

Lib. 6. cap. 60.

Lib. 2. cap. 59.

2. ad Glau. cap. de ſinu. & 5. Meth. cap. 7.

De Vlcere calloſo. Cap. X.

Gal. 4. Metho. cap. 2. 4.4.tr.3.ca.xi Cel.lib.5.ca. de vlc. chiro.

VLcvs inueteratum, & callo obductum, ſiue calloſum, aut quod tumidas oras habet (quod iſti oſtracinum; aut oſtracoſum appellant) illud eſt, quod abſq; vlla profundi tate planum, ſed in ſuperficie durum apparet, vnde vix cicatricem admittit, à Græcis Diſcepulotum, ab Auic. corion, & à Latinis chironeum, & telephium nuncupatur. Eius indicia ſunt, planities continua, alba, dura, ſicca, dolore expers, ac ſine ingrato odore; Senum corpora vtplurimum occupat, præſertim eorum crura, & pedes. eius cauſę internæ, ſunt, mala patientis viuendi ratio, veluti dięta ſicca, & mala totius corporis diſpoſitio, vitioſis humoribus referti: vel alicuius viſceris praua habitudo, quæ tale vlcus aut gignit, aut fouet obſtructiones, prohibentes naturales humiditates ad affectam ſedem defluere. externæ, exercitium laborioſum, longa mora ſtando, aut deambulando, æſtus immodici, nimia frigora, vlcus nimis conſtrictum in corpore ſenili, aut mali habitus; topica frigida admodum & ſtiptica, ſiccitas propria partis vlceratæ, mala indicatio curatiua: interdum vetuſtas vlcus occupat, induciturque ei callus, & circum oræ craſſæ liuent; poſtque quicquid medicamentorum ingeritur, parum proficit. Differt vlcus durum, & calloſum à fiſtula, ratione formæ; fiſtula enim ſinus anguſtus, profundus, & calloſus eſt: tale autem vlcus planum, apertum, & durum eſt, habens oras tumentes, à quo ſanies non multa, ſed tenuis, effluit; odor malus, neque in vlcere, neque in eius vicinitate percipitur; nulla inflammatio, nullus dolor ipſum moleſtat, nihil ſerpit; ideò nullum periculum affert, ſed non facilè ſaneſcit. fiſtula vt plurimum ſucceſsione abſceſſuum parum dextrè curatorum, originem ducit, vlcus calloſum ex ſe oritur: callus verò, qui in eius ſummo apparet, caro eſt ſuperficialis, continua, alba, dura, ſicca, ſenſus expers, in qua nec venę, nec nerui reperiuntur: ſi cicatricem inducit, illa nempe tenuis eſt, ac facillimè frangitur, & vlcus denuo innouatur, & reuiuiſcit. hac ratione dicitur Chironeum vlcus; quia opera magni Chironis centauri eget, qui primò chirurgiam excoluit, aut excellenter eam exercitauit.

PRAXIS.

Hipp. lib. de locis in homine.

FIeri ſolet, vt exulceratę partis labra tantùm calloſa & dura, cauſa ſint, quominus vlcus ſaneſcat; quare partes omnes decoloratæ, & durę ad ſanam vſque carnem tollantur. pariter ſi liuida, aut nigra, aut alio quopiam notabili coloris vitio appareant, ea remouere non inconuenit; ſiquidem huius morbi ratio non eſt vna & ſimplex; conſtat enim ex complexu duorum affectuum, nempè vlcere, & callo. proinde à calli remotione indicatio curatiua ſumenda eſt, tanquam à cauſſa, ſine qua non. callus enim aut mediocris, aut durus eſt. mediocris tum mollientia, tum digerentia requirit: durus verò totalem eius ablationem deſiderat: quo remoto, vlcus inde detergentia, & deſiccantia pręſidia expoſcit: at quia callus ſemper durus eſt, igitur ſæpè ablatione, & ſectione tollitur. eſt enim, ait Gal. excidere res promptiſſima. oppugnantur calli primum quidem malacticis, ideſt, mollientibus medicinis, deinde cauſticis (Ectilotica, quæ callum detrahunt, Græcè vocantur) poſtremò aut igne, aut ferro: molliores verò calli vnguibus interdum eradicantur, ſcalpris lacerantur, cultris ad viuum exciduntur; & ſi quid remanet, cauſtico abſumatur, aut accenſo ferro vratur. vtrum autem id omne excidendum ſit, quod præter naturam apparet, an ſpatio temporis curandum; proculdubio ægri animus hoc caſu conſulendus eſt: nam aliqui longiori tempore curari citra ſectionem malunt: aliqui quiduis ſubire, dummodo citius ſanentur, ſunt parati. Exciſio diuerſimodè fit, interdum nouacula, & multis, ac profundis ſcarificationibus: ſępè ablatione totali partis liuidæ, aut calloſæ, ferro ignito, aut frigido ſecante: interdum etiam medicamento vim vrendi habente, quale eſt cauterium potentiale: nos verò ſectionem magis probamus; quoniam dolor & minor, & breuior percipitur. nec vlterius ſedes ipſa affecta exſiccatur, veluti à valido medicamento potentiali contingit, à quo etiam malignitas aliqua imprimitur: attamen huius actionis propria indicatio ab intenſa, & remiſſa ipſa calloſitate, necnon partis læſæ natura, ſumenda eſt. Solet remiſſa durities mollientibus ſuffragijs tolli, donec callus molliatur; & ſi debilis fuerit, humectantibus. nam dicebat Gal. Carnis quidem intemperiem, ſi ſquallens, ſiccaq; videtur, aqua temperata fouens, humectanſq; corriges: quotiens verò eo remedio vtaris, eſto tibi perfuſionis, humectationiſque meta, vt cum primum rubeſcit, attolliturq; particulæ moles, tum deſinas. & Auic. iubet, vt membrum ſudare facias; & fortaſſe confert pannos, infuſos in aqua tepida, adhibere. ſi denſior fuerit durities, ad mucilagines, pinguedines, & mineralia tranſire oportet, donec callus molliatur; poſtmodum acuto aliquo medicamento abſumatur. inter ſimplicia mollientia laudatur mucilago altheæ, fœnugræci, & mali terræ; pinguedo anſerina, ceruina, & vrſi; ſpuma argenti, ceruſſa, & lapis pirites, ſtirax, ladanum, & ammoniacum. ex compoſitis, ceratum diachilon, de mucilaginibus, dialadanon, & diapipereon: vetus autem callus ſcalpello conijciendus eſt, excidendęque eius orę. & quicquid ſuper eam liuet, æquè incidendum. ait Gal. Cum labra tantùm vlceris decolorata, duraue pluſculum fuerint, excidenda ea ſunt ad ſanam vſque carnem: deinde vbi ſanguis emiſſus, nouatumq;

4. Meth. cap. 2. Auic. 4.4. tra. 3. cap. x.

Gal. 7. de compo. m. in gene. & 5. de ſimp. m. fac. ca. 7.

vlcus

vlcus eſt, eadem curatio adhibenda eſt, quæ recenti vlceri congrua fuerit; ſi verò timorem aliquem particula ex ſui natura, & compoſitione adduxerit, aut afflictus ſectionem non admiſerit, ſcarificandus eſt callus, profundis, aut leuibus, vt decet, vulneribus; inde medicamento acuto, aut epirotico, aut ſeptico tollendus, probatur ægiptiacum: quod ſi non iuuat, ℞. litrum torrefactum cum calce viua, & vrina pueri, aut ęruginem raſam cum thure, ſale, & melle. aut ℞. calcis viuę, mellis crudi añ. & diu miſc. in catiola ad lentum ignem. aut ℞. pulueris radicum elleboris ʒ.iij. calcis viuæ ʒ.ij. tartari vini, ziniar, añ. ʒ.j. omnia cum melle conficiantur. denudato vlcere ab omni callo, regatur vnguento de lino, deſcriptione Alexandri: quod à principe, & Meſue commendatur. ℞. opopanacis. ʒ.j. raſuræ panni de lino, antiqui, mundi ʒ.s. litarg. aloes, ſarcocollæ, añ. ʒ. 1.s. vini, mellis, olei mirthini. an. ʒ. v. cerę ʒ.vj. fiat vnguentum ſub bona forma. cumq; operationem facere volueris, ſtude, quòd ſi non iuues, ſaltim non noceas: id tamen ſeruare oportet, quòd extremis morbis extrema exquiſitè remedia ſunt opportuna. quare extremam, & antiquam calloſitatem, aut igne, aut ferro abſumere debemus.

De Vlcere vermicoſo. Cap. XI.

INTER accidentia, quæ rarò vlcera aſſociare ſolent, vermes ſunt, & ideò de verminoſo vlcere ſatis parcè antiqui ſermonem habuere. ſolet tamen euenire, quòd ex nimia humiditatum putredinalium copia, valido calore in ea agente, aut ex longa medella, aut medicorum ignauia; aut quia in abſconſo, & cauernoſo vlcere diu vnctuoſa, & pinguia medicamenta adhibita fuere; aut quia corpus totum malis ſcatet humiditatibus, vermes quamplurimi in vlceribus procreantur: quæ tunc Græcè ſcolecodes vocantur. ſunt vermes huiuſcemodi, animalia parua, multa, alba, & rotunda: quæ maximam arguunt humorum putredinem. & ſicut dulcibus alimentis delectantur, ſic amaris rebus trucidantur.

PRAXIS.

VERMIVM curatio eſt, vt primò necentur: ſecundò, vt omnis putredo ab vlcere abſtergatur: tertiò, vt omnis putredinis cauſſa tollatur. & quia ſæpè aduenit, quòd aliquo inſtrumento, ſiue organo, auferri, aut occidi non poſſunt; aut quia ita cauernis hærent, vt niſi cum difficultate, & maximo cruciatu remoueātur; aut quia locus incommodus eſt, ideò expedit primò eos interficere, medicamentis nempè, quæ ſimul etiam, & humiditatem, & putredinem omnem auferant. vermes necāt, ex Archigene, ceruſſa, & polium, pari modo cum pice liquida illitum, ex Aet. & Pau. omnia aſtringentia, quę amara ſunt, conueniunt, qualia ſunt ſucci diuerſi, nempe cucumeris agreſti, foliorum perſici, abſinthij, centaureę, rutæ, & praſſij; puluis pariter agarici, reubarbari, gentianę, carlinæ, & zeduariæ; ſic etiam aloes, & farina lupinorum, & orobi: ſed ante omnia præſidium optimum eſt, vlcus abluere vrina veteri, aut lixiuio, aut hidromelle ex aqua maris, aut muria, aut oxalme, quod ex aceto, & ſale paratur: aut decocto lupinorum, & maioris centaurij, addito oximelite: aut decoquatur abſinthium, marubium, calamentum, & agaricum in aqua maris, donec medietas abſumatur: formetur poſtea medicamentum tale. ℞. agarici albi, tartari vini, añ. ʒ.ij. pulueris centaureæ, dictami, aloes. añ. ʒ.j. ſcoriæ æris ʒ.s. therebentinę claræ ʒ. vj. ceræ q. s. pro vnguento. aut ℞. ſucci foliorum perſici, cucumeris agreſti, gramineæ, gentianę añ. ℥.j. olei abſinthij, amigd. amararum, añ. ℥. 1.s. bulliant ſimul, donec ſucci conſumpti fuerint, & adde pulueris aloes, elleboris albi, agarici, ariſtrolochiæ añ. ʒ. ij. & cum cera fiat vnguentum. Nos verò decocto lupinorum cum ęgiptiaco vti ſoliti ſumus, felici quippe ſuceſſu: ſi verò corpus malis repletum fuerit humoribus, euacuetur, minuendus eſt ſanguis, & diæta tenui, ac opportuna vtenda eſt.

Gal. 4. de compo. m. in gene. Aet. lib. 14. cap. 48. Pau. lib. 4. c. 42. Auic. 4. 4. tr. 3. cap. 4.

De Vlcere varicoſo. Cap. XII.

VARICES, quos Arabes vites appellant, & Græci cirſos, venę ſunt, plus ęquo intumeſcentes, dilatatę, ſanguine craſſo, & melancholico repletæ, varia loca, coxas, & crura præſertim, occupantes: ac interdum ſedem vlcere affectam ſic infeſtantes, quòd ſanari nequit, niſi remoto varice, tamquam huius difficultatis potiſſima cauſſa; ſiquidem tam magna humiditatum copia effluere ſolet, quòd in cauſſa ſunt, quominus tale vlcus ſanitati exponatur. oriuntur in temporibus, aliquando in ima ventris parte ſub vmbilico: nonnunquam etiam circa teſticulos, ſed maximè in cruribus, eorum præſertim, qui longo itinere defatigantur, aut graui onere premuntur, aut diu ſtant cum labore: vnde potiſſimum viris, rarò verò mulieribus, niſi poſt difficilem partum, ſuboriuntur, & interdum etiam poſt criſim in affectibus melancholicis: eorum indicia manifeſta ſunt, quippe venæ extrinſecę ſunt dilatatæ, craſſę, per lineam extentæ, aut pampani ritu auolutæ, obſcurę, & diuerſæ. cauſæ ſunt eorum imbecillitas, ac craſſi

Hipp. lib. de vlceribus. Gal. lib. de tumoribus. ca. 19. Lib. de atra bile. cap. 4. 13. Meth. in fine, & 6. Aphor. comē. 21. Aetius li. 14. c. 84. Pau. lib. 6. c. 64. 82. Albuca. lib. 2. cap. 92. Auic. 22. 3. tra. 1. cap. 15. Auic. 2. 4. tra. 4. cap. xi.

Hipp. lib. 1. de morbis . & 6. Aphor. 21.

ſanguinis multitudo, qui naturali ordine ad inferiora deſcendit, & venas dilatat, adeo quòd pellente natura talem ad partes ignobiliores,nobiliores ab affectibus melancholicis liberantur.

PRAXIS.

Hipp.lib. de vlceribus Cel. lib. 5. cap. de cura vlcerum. Gal. 4.Meth. cap. 2. & 4.Pau. lib. 4. cap. 64. Auic.4. 4 tra. 3. cap. x. Gal. 4. Krage. ſer. 2. & lib. de venę ſect.aduerſus Eraſiſtratū. cap. 6. & lib.de atra bile. cap.4.

RARÒ à chirurga manu curantur varices: attamen qui ſupra exulceratum locum fiunt, eò quia vlceris curationem prohibent, prius eos curari iubent Medici; vt deinde mox vlcus ſanemus. & hoc fortaſſe, ſi à varice & dolores, & inflammationes, & conuulſionum timores moueantur: aut, ne vena ipſa frangatur, verendū ſit. Interdum enim contingit, vt, vena tali exciſa, vlcus ſtatim ad cicatricem veniret, & ſi iam annum durarat: verùm ipſius loco iuxta diuiſionem, vbi erat exciſa, vlcus malignum,ac contumax oriretur, cui cicatrix induci non potuerit. Præterea varices humanis corporibus multa commoda præſtare ſolent; ſiquidem furorem, pleuritidem, renum dolores, tuſſim cum ſanguine à thorace, fluxum ſanguinis ex ano, attonitum morbum, & aquam inter cutem curare ſolent. non igitur, niſi vrgente maxima neceſsitate, ſecandi ſunt, neque ſi à malo humore oriuntur. In eorum curatione duę occurrunt conſiderationes, vna circa affectę ſedis naturam, & compoſitionem; altera circa operandi modum. nam ſi in ſcroto ramices varicoſę fiunt, aut in temporibus angiologiæ,aut in ſuminis fundo, vbi fiunt bubonoceles, varices naſcūtur,periculo non vacant, nec tutò manibus tractantur, igitur his chirurga manus adhibenda non eſt: qui verò in coxis,aut cruribus ſunt, triplici modo tractari ſolent, nempè, vt aduſti tabeſcant, vt ſimplici modo perforati inaniantur, vt ex toto ſeparati tollantur.

Cel.lib.7. ca.31. Aet.lib.12.cap.24.Pau lib. 6.c. 82. Auic.22.3. tra.1.cap. vlt.& 4.4.tra.3. ca.x.

in vnaquaque harum operationum præſtat in id genus vitijs, viribus ægri conſultis, à venę inciſione auſpicari: deinde pharmaco melancholicum humorem purgare, & cum hoc etiam pituitoſum educere; quoniam is quoque vnà nonnunquam effluit, dum varices generantur. ſanguis igitur à vena manus mittatur, & corpus cum hiera picra, & lapide lazuli, aut cum epithimo, & aqua lactis expurgetur. & opus eſt, ait Auic. euacuationes aſſiduare, ac tenuem victum inſtituere, ac omnem motum prohibere; poſtremò ipſam venam vlceri ſuprapoſitam in longum ſcarificare, commodum eſt. Vbi abundè vacuaris, ei ipſi venæ ſectę prius medendum: poſtquam exactè iam cicatricem ducere videtur, tunc maligni vlceris curationem, vt decet, aggredere. Adurendi ratio ex Celſo hęc eſt. cutis ſuperinciditur, tum patefacta vena, ſi recta eſt, ſimplex & parua, tenui & retuſo ferramento candente modicè premitur; vincaturque, ne orę ipſius plagæ adurantur, quas reducere hamulis facile eſt; id interpoſitis ferè quaternis digitis per totum varicem fit: & tunc ſuperimponitur medicamentum, quo aduſta ſanantur: nec de aduſtione nihil plus videre potuimus; niſi quod Aetius dicit; Aliqui aduſtionem approbant. & Auicenna inquit; Cauterium magis vtile eſt, quàm inciſio. & hoc fortaſſis, quia Hippocrates dicebat; Sunt aliquæ partes, & aliquæ venę, quæ maximum ſanguinis fluorem patiuntur, nec facile ſiſti poteſt, quemadmodum varices ſunt.

Lib.de medico.

Diuiditur varix more phlebotomiæ, ex Albucaſi. prius cum aqua tepida fomentare oportet, donec fæculentus ſanguis, & melancholicus præparetur; deinde conuenienti laqueo ſub poplite vena ſtringatur, & pluribus in locis phlebothomo mirthino perforetur: aut vno tantùm adacto vulnere, diebus diuerſis,ſanguinis miſsio reiteretur. ſic enim fecit Pergami Gal. in quodam eius amico Doctore, Straconico dicto; nam quater ſanguinem miſit, poſtea corpus à craſſo humore expurgauit, & victum euchimum inſtituit, & ab vlcere varicoſo ſanatus eſt.

Lib. de colera nig. cap. 4.

Extrahitur varix curuus, aut tortuoſus, aut duplicatus hoc modo. cute eadem ratione ſuper venam inciſa, hamulo oræ excipiuntur, ſcalpelloque vndique à corpore vena diducitur, caueturque, ne inter hæc ipſa lædatur, eiq; retuſus hamulus ſubijcitur: interpoſitoque eodem ferè ſpatio quatuor digitorum,eadem vena (quæ quò tendat, facilè dignoſcitur) lineo funiculo per acus vtrobique deligetur, ac ſub ligaturis candente ferro ſecetur, & vena extrahatur: prius tamen à ſanguine expurganda eſt, poſtmodum vulneris labra in vnum redigantur, & medicamenta ad recentia vulnera deſtinata adhibeantur, ac deſuper ſplenion æneleo, ideſt, vino, & oleo roſato imbuto,applicetur, ac opportuna faſcia auoluto membro quieſcat. Porrò, vt dictum eſt, antiquorum varicum totalis ſanatio reprobatur. nam inde id euenire ſolet, quod ab antiquatis hæmorrhoidibus ſanatis contingit.

6. Aphor. 12.

dictum eſt ab Hipp. A diuturnis ſanato hęmorrhoidibus. ſi vna non ſeruatur, periculum eſt, aquam inter cutem, vel tabem, aduenire.

lib.3. de arti.6. Epidemiarum. Lib.1. de morbis.& 6. Aphor. 21.

hac ratione in ſenibus, aut veteratis varicibus, & corporibus melancholicis, aut ab affectibus melancholicis affligi paratis, varices curandi non ſunt, cū multa cōmoda præſtent, quę ab Hipp.cōceduntur.

De Vlcere cum oſſe corrupto. Cap. XIII.

Lib. de vlcerib. & 6.par.Aphoriſ. 45.

INTER varias cauſſas, quę malignorum, contumacium, atque ægrè ſanabilium vlcerum, ſanationem impediunt, ac remorantur, teredines ſunt, ideſt, oſſium corruptiones. Sæpè quidem fieri ſolet, quòd oſſa teredine affecta (texodon, Græci vocant) in cauſſa ſint, quò minus vlcus ſaneſcat. dictum quippe ab Hipp. eſt; Vlcera quæcunque annua ſunt, aut etiam diuturniora, os abſcedere eſt neceſſarium, & cicatrices cauas fieri: & in huius ſententiæ expoſitione dicebat Gal. Quæcunque vlcera longo tempore manent, vel cicatrice nullo modo adueniente; vel ſi facta ſit, rurſus reſoluta, nihil vi-

delicet

delicet medicis in curatione delinquentibus, neceſſe eſt, vel propter influxum vitioſorum humorum, vel propter diſpoſitionem in membro contractam ex tempore longo, ex humoribus influentibus, vel ob aliquam paſſionem oſſis, in eo loco corrupti, difficulter ſanari. Corrumpuntur oſſa à varijs cauſſis, nempè internis, vti ab humore aliquo acri, ſubtili, & acuto, duram oſsis ſubſtantiam ingrediente, ac eam corrumpente, vt in reduuijs, ſiue paronichijs, aut ſpineis ventoſitatibus ſæpè explorat chirurga manus. Corrumpuntur etiam, ſi qua materia diuerſa, mala, aut veneno affecta diu ſuper ea tantùm detineatur, vt in malis abſceſsibus, & vlceribus antiquis, corroſiuis, & Gallicis, quotidie dignoſcitur. Aer etiam ambiens, aut calidior, aut frigidior, quàm deceat, vitalem ſpiritum, ac humidum proprium abſumens, potiſsimum in oſſe, à proprijs membranis denudato, corruptionem inducit. fracturæ oſsium malè feruminatæ, aut vnctuoſa medicamenta, aut tarda medela, idem facere ſolent. Indiciorum oſsis corrupti, aliqua ex ſe patent, aliqua iudicio explorantur. manifeſta hæc ſunt ex Hipp. & Celſo, primò fere pingue fit, deinde vel nigrum, vel carioſum euadit: vix vnquam nigrities integrum os, caries verò per totum perrumpit: à Principe verò magis diſtinctè ſigna oſsis corrupti declarantur. ait ipſe; Cum oſsis accidit corruptio, vides carnem ſuper ipſum molleſcere, & incipit in via fœtoris, & virus effluit ab ea, & penetrat per eam ſpecillum facillimè ad os: cumque ibi peruenit, ipſum lene non inuenit, ita vt lubricet: imò parumper illi adhæret, & quaſi inuenit rem non firmam in ſe ipſa, quaſi fracturam habentem, aut corruptionem; & fortaſſe deſtruitur, & frangitur, & propriè quando non eſt in principio corruptio; nam tunc non apparet illud, igitur indicat os diſcoopertum, & corruptum eſſe. ait Ariſt. Oſſa proprijs expoliata membranis ſiderantur. Interdum ſuperflua oſſis lubricitas corruptionem portendit, ob id; quia ſi tenta ex omni parte lubricat, panniculi, quem Græci perioſtion vocant, ſeparationem oſtendit, & per conſequens impreſſam corruptionem, quę tamen inchoans eſt: & tunc ſi os à carne denudaueris, ipſum mali coloris inuenies. Indicia præſumptiua ab extrinſecis ſumuntur, veluti ſi malignus præceſſerit abſceſſus, aut vlcus malè morigeratum, aut multi temporis, aut caro liuida, vel corrupta apparet, quod ab Hipp. affirmatur ſub his verbis; In oſſe ægrotante caro liuida, malum. non enim ait Gal. in mediocribus oſſium læſionibus: ſed fortibus putrilaginibus talis color circunſtantibus aduenit carnibus, extincto in eis natiuo calore. Virulentiæ multitudo, mali coloris, ac odoris ingrati, os corruptum eſſe interdum affirmat: corruptionis verò magnitudinem ſpecillus demonſtrat. nam, vt ait Cel. Ante omnia demitti ſpecillum ad os conuenit: vt quò tendat, & quàm altè perueniat, ſcire poſſimus; ſimul etiam, an os humidum, an ſiccius ſit, quod extracto ſpecillo patet: ſi verò os in vitio eſt, aſperum ſubeſt, & ſpecillum non labitur. ſi labitur, nondū caries eſt.

Gal. 2. de mor. cau. ca. 11. orit. oſsiū caries, vbi acres humores ea erodunt.

Lib 2. de morb. Lib. 8. cap. 2 3. 4. 4. tra. 4. ca. x.

7. Aphor. 2.

Cel. lib. 7. ca. 12 Lib. 5. cap. de fiſtula.

PRAXIS.

ET ſi vlcera nonnulla, vel lethalia, ſiue deſperata iudicantur, vel magnam quandam deſtructionem polliceantur: non tamen quæ ex arte, & ſecundùm rationem fieri poſſunt, pro eorum curatione, à perito medico prætereunda ſunt. quod in vlcere pariter corruptione oſſis complicato omni ſtudio celebrari debet. Talia vlcera eatenus, vt vlcera ſunt, exſiccationem deſiderant: quatenus verò os corruptum contineant, os ipſum primò remouere oportet, & eodem momento illis ſuccurrere. facillimè oſſa nigra fiunt, cariem inducunt, & ſiderationem contrahunt, niſi citò illis præſidia concedãtur. Igitur in eorum curatione, duæ indicationes oriuntur, ſumptæ à corruptione, aut iam facta, aut in fieri, & ſi qua notabilis pars affligatur, veluti calua, aut ſpina, aut artus: poſtmodum modus operandi, & inſtrumenta; ſi cortex, ſiue oſſis ſuperficies tantùm fuerit alterata, cura facilis eſt. nam ſiccioribus medicinis cortex ab humido proprio, & ſubſtantificò priuatur, & ſubnaſcente carne eleuatur, & exit: antiqua verò, & inueterata caries non niſi longa medicaminum applicatione, aut manuum, ac inſtrumentorum adminiſtratione remouetur. Porrò qualiſcunque fuerit oſsis caries, os totum aut alteratum, aut corruptum denudare oportet, aut ſaltim vlcere exciſo, præſertim ſi eius vitium latius eſt, quàm vlcus ſit, donec integrum os vndique pateat. dilatatio hęc in aliquibus vlceribus, aut ferro, aut cauterio, aut turundis ex radice gentianę, aut medullæ ſurgi, aut ſpongia compreſſa (vt magis expedit) fieri ſolet, & apud peritos chirurgos ſolitum eſt. hoc expleto, quanta ſit ipſa corruptio, diligenter inquiratur, an ſcilicet ſola, debilis, ac ſuperficialis ſit; talis enim leui quodam medicamento, ſicco, ac tenuium partium, aut leui fricatione abſumitur, & perfectè tollitur, eradendo, donec tota corruptio fuerit ablata, & os planum, album, æquale, & ſodum apparuerit, & aliquid cruoris oſtendatur. Hæ integrioris oſsis notæ ſunt: neceſſe eſt aūt aridū id eſſe, quod vitiatum eſt: neque quid aliud faciendum eſt, vbi nigrities, aut tenuis caries in ſummo oſſe ſe oſtenderit. Varia probantur ab antiquis medicamenta, tum ſimplicia, tum compoſita: inter ſimplicia, omnia oſſa adusta, canum præcipuè, oſſa dactilorum, ſepiæ, maxilla lucij, dentes elephantis, cornua cerui, caprarum, oſtracordemata, conchilia, bucinorum teſtacea, bucinia, & cortices ſimiles aduſti, ac in puluerem redacti; pumices, tartarum, calcitis, lapis megetes, hematitis, atramentum ſutorium, ſquamma ęris, ſcoria ferri, iridis, peucedani, ac draguntij radices, oppopanax, hermodactilus, aloes, ariſtrolochia, cortices pini, folia agreſti papaueris, ſemen ioſciami, folia fici, & plantæ eiuſdem naturæ vehementis exſiccationis: ex ſimplicibus poſſunt

Gal. 5. de comp. m. in gene. Aetius lib. 14. cap. 45. Pau. lib. 4. cap. 50. Auic. 4. 4. tra. 3. cap. 13. & 4. 4. tra. 4. ca. xi.

poſſunt compoſita parari, vt. ℞. ſquammę æris, æruginis raſæ, añ. ℥. s. ræſinę caricinæ. ℥. 1.s. miſce. vel ℞. iridis, oppopanacis, ariſtrolochiæ, ærug. raſori, gallarũ, añ. ʒ. ij. fiat puluis ſubtiliſs. vel ℞. pumicis gallarum, ariſtro. iridis, añ. ℥. s. ſquammę æris, farinæ orobi, corticum oſtreorum, añ. ʒ. iij. fiat puluis ſubtiliſs. & adde calcis viuæ. ℥. j. & cũ aqua ardenti, & ræſina pituitiua formentur trociſchi. Compoſita adhuc quamplurima à Gal. comprobantur. Ex Lucio Cathagete hæc tollunt ſquammas, & educunt oſſa corrupta. ℞. Iridis Illiricę, radicum oppopanacis añ. ʒ. iiij. mali terræ. ʒ. ij. mãnæ thuris. ʒ. iij. contundantur, & vtere. Ex Triphone chirurgo, ℞. pini cortices, ſquammę æris, pumicis combuſti añ. ʒ. vj. mannæ thuris, mali terræ, iridis Illiricæ, rẹſinę pini, añ. ʒ. iiij. mirrhæ, aloes, añ. ʒ. ij. piſtentur omnia ſubtiliſsimè. Ex Dioſcoride, ℞. radicum plantæ oppopanacis. ʒ. vj. pini corticis, pumicis aduſtæ, corticum oſtreorum aduſtorum, cornu cerui vſti, ſquammæ æris añ. ʒ. iij. mali terræ, aluminis rochę, añ. ℥. s. miſce, & fiat puluis ſubtiliſsimus. Dicunt antiqui, quòd folia papaueris, ac fici ſilueſtris cum polenta, ideſt, farina hordei leuigata, atque ex vino illita, vel alterci ſemen cum atramento ſutorio, ideſt, calcanto, pari pondere contrita; peucedani etiam radix cum melle citò ſquammas oſſium ſeparat. Nos verò longo nouimus experimento, quòd deſquammat oſſa leuiter affecta nitrum cum euphorbio, & æris ſquamma; pariter oleum de ſulphure, aut de vitriolo. Porrò his non conferentibus, ſcalpello radendum eſt os, donec ſanum id ſit, quod relinquitur. qui radit, audacter imprimere ferramentum debet, vt & agat aliquid, & maturius deſcendat. finis eſt, vel cum ad album os, vel ad ſolidum deuenerit. albo finiri ex nigritie vitium, ſoliditate ex carie, manifeſtum eſt. accedere etiã aliquid cruoris integro oſſe clarum eſt. In carie quidem expedita cognitio eſt, quę ſi altius deſcenderit, ſpecillum tenue in foraminibus demittitur. quod magis, minuſue intrando, vel in ſummo cariem eſſe, vel altius deſcendiſſe, teſtatur. igitur ſi caries altè deſcendit, terebris tolli debet, quę altitudine vitium æquent: aut ſcalpro recto, aut curuo, adacto maleolo, caries abſumenda venit, donec os album, & humidum ſe oſtenderit, quod manifeſtius adacto modiolo fit. ſi his operationibus caries tota euaneſcit, ſat erit: ſin minus, ad candentia ferramenta deuenire oportet, donec ſiccum os ex toto fiat: finis verò vitij eſt, vbi ſcobs nigra eſſe deſijt. ſimul enim poſt hæc reſoluetur ab inferiore oſſe quodcunq; vitiatum eſt, carne ſubnaſcente, & ſtatim ſinus carne replebitur, & humor poſtea aut nullus, aut mediocris feretur. Si autem nigrities, aut caries ad alteram quoque partem oſſis tranſierit, quod totum vitiatum eſt, totum eximere oportet; ſic enim Celſi, & Auicennæ verba ſonant: at ſi corruptio iam perſecuta eſt medullam, non eſt excuſatio, quin aſſumatur illud os cum medulla ſua: verumtamen, antequam ad hoc opus accedat chirurgus, illi ſecunda obijcitur conſideratio; nunquid maius incommodum, quàm vtile, conſequi poſſit, vt ſæpè in affectibus caluarię, aut ſternonis, aut articulorum euenire contingit, quibus in locis cauteria reprobantur: attamen ſi caries in his ſedibus inutile vitium eſt, tolli debet, primò quidem raſorijs, ſcalpris, aut cycliſchis, aut phacotis, aut altero ſimili inſtrumento, & os vſque ad imum radere: inde, vrgente ratione, ac morbi magnitudine, ſi ſic expedit, ignito cauterio, tutò, ac quàm minimo cum periculo, teredinem totam adurere; nullũ equidem præſtantius, aut tutius remedium excogitari poteſt ipſa vſtione decenter facta: ſtatimque rodinum adhibeatur cum oui luteo, ſaltem per tres dies, & per alios tres therebentina cum oleo hipericonis, aut oui luteo, aut aſſungia cum butiro, donec cadat eſcara. Et caue, ait Auic. ne os aduſtum moueatur, aut medicinis, aut manuum operatione violenter; periculum enim imminet, quin faciat accidere ſpaſmum, & febrem, aut ſaltem vlcera fiſtuloſa; ergo non eſt feſtinanda eius extractio. & ſi aliqua datur difficultas, totum dimittatur naturæ: aut fiat illud attractione longa, interdum quadraginta dierum, & vltra: quod facit mirabiliter ſerapinum, lac titimale, cum tertia parte euphorbij, & pauca cera: aut puluis radicum peucedani, iridis, ariſtro. añ. ℥. s. euphorbij. ʒ. ij. miſc. poſtquam partes carnoſæ vlceris fuerint munitæ, & ſtipatę, ne à medicamento lędantur. nam cauſticum eſt, & piroticum, igitur hæc ſoli parti affectæ inijcies, vt os tantùm comprehendant. Cumque ignito cauterio vti volueris, pręſertim vbi oſsis corruptio ex humid tate excrementoſa, & ſuperuacanea, ipſius oſsis ſubſtantiam labefactante, ortum habeat: ne labra vlceris adurantur, fiſtulam, ſiue cãnulam ferream vſque ad os introponere oportet. fiſtulæ ſint diuerſæ, vt vna ſupercalefacta, altera frigida imponatur: aut ſtupis, vel petijs, frigidioribus medicamẽtis imbutis, labra muniantur: & circundantes particulas medicamẽto, quod phlegmonem propellat, circundare oportet; & tertio curationis die vlcus ſoluere, ac ipſum abſtergere, & rurſus medicamentum imponere. Humiditas verò, quæ ab aduſto oſſe perpetuò emanat, ſpongia, aut xilo exſiccetur, ne partes vlceris exurat: ac ſtatim poſt cauterium vlcus, & partes, quæ in conſortio ſituatæ ſunt, cooperiantur, aut ſtupis, aut pannis, in oui albore, aqua roſarum, & aceto roſato infuſis, vt dolor tollatur, & affecta ſedes ab inflammatione vindicetur. Remoto oſſe, ea curatio adhibenda eſt, quam vlceris eſſentia requirit: at ſi adeò magna, & vehemens fuerit corruptio, & de illis, quas non ſanat niſi totius oſsis, ac membri abſciſsio, & ſerratura: tunc determinet Medicus locum, vbi ſectio fienda eſt, interpoſito primum ſpecillo, vſque quo conſequatur locus, vbi inuenerit adhærentiã vltimam oſsis cum carne; quoniam illic eſt terminus corruptionis eius. & quia infra de cauterijs, eorũ formis, ac de cauterizandi ratione, nècnon de mẽbri corrupti ſerratura, & amputatione ad plenum ſermonem habebimus, hęc pro nunc in hac materia ſufficere videntur.

De

De Vlcere cum molli carne complicato. Cap. XIIII.

EX mala ſedis affectę temperie, aut ex ſanguinis delegati pro alimento illius ſedis praua natura, aut ex diminuta vlceris abſterſione, & ſiccitate, aut ex nimia topicorum humiditate, & vnctuoſitate, aut chirurgi ignauia, & longa medela, ſæpe occurrit, vt in vlceribus carnoſis, aut locorum neruoſorum, caro adeo mollis, & humida concreſcit, quòd in cauſa eſt, quominus vlcus ad cicatricem deueniat. Natura enim in corporum nutritione ſemper auctionem deſiderat. & ea ratione in ſolutis continuitatibus, magnam nutrimenti portionem demandat, vt ab ea virtute immutatiua, & aſsimilatiua, quæ in membris reperitur, id, quod deperditum eſt, reſarciatur: ſed cum ſedes ipſa ad intemperiem permutatur, aut potentię illæ ex morbo in ſoluta cōtinuitate, & natiuus calor, imbecilliores redduntur, ſolent vlcera molli carne repleri: quę, vt decet, ſicca, & naturalis non eſt, prout iuſta exoptat membri natura: quod ſi ſic euenerit, ad temperiem ſedes ipſa reducatur, & mala temperies corrigatur. ſi ſanguis malus hoc fecerit; nempe quia, aut multus eſt, aut mala temperie affectus. ſi multus, minuendus, eius miſsione, & in hoc melius eſt multiplicatio numeri, quā quantitatis. ſi malus, ad benignum permutetur optimo victus regimine, & cibarijs euchimis, euacuationibus opportunis, ſerapijs, decoctis, & ſimilibus, ſi debilis abſterſio, quę vt plurimum huius affectus potiſsima cauſſa eſt: nam à Medicis dictum eſt; Oportet adminiſtrare medicinas facientes naſci carnem, cum iam optimè mundificatus eſt locus ab omni ſuperfluitate: nec affectus curatur, niſi ſedes affecta fuerit bene diſpoſita. cumque igitur hoc apparuerit, abſtergatur vlcus, & ſiccetur caro mollis: quæ ſi cum ſorditie, aut putredine aliqua oriatur, aut non in condecenti quantitate, aut mala, & mollis producetur, diminuta, ac debilis ſiccitas molles carnes gignit; caro enim, quæ de nouo in vlceribus creari debet, neceſſe eſt, vt ei ſimilis ſit, quam vlcus amiſit; ideò ſi ſicca extiterit, conuenit, vt ſicca generetur. ergo medicamenta ſicciora ſint, vt caro opportunè ſicca producatur. Hoc axioma ab omnibus prædicatur; Vlcera omnia exſiccare oportet, præter contuſa. ergo humida medicamenta molles carnes, aut putridas in vlceribus inducunt. Quæ verò molles carnes abſumunt, & exſiccant, abſterſiua, multæ ſiccitatis, & paucæ caliditatis eſſe debent: ac ſua quadam occulta proprietate ſimilem reſolutionem, & conſumationem conſequantur. Multa ſimplicia hoc agere ſolent, veluti ſpongia marina aduſta, ſtupa canapis minutiſsimè trita, raſura panni linei antiqui, cucurbita hortenſis aduſta, puluis hermodactilorum, alumen liquidum, ideſt rochæ, aduſtum, alumen rotundum, ideſt zuccarinum, cinis foliorum oliuæ ſilueſtris, radices aneti, cannarum, ariſtolochiæ, irios, & centaurij; balauſtiæ, cortices granatorum, gallę immaturæ, glandes aridæ, cuperoſſa, conchilia, oſtracordemata, & bucinorum teſtacea aduſta. Quamplurima etiam mineralia lota, & aduſta, vt tutia, antimonium, & ſquama, ac flos æris; pariter ea omnia, quę ſeptica à Græcis vocantur. Et quia prædicta medicamenta non multæ potentię ſunt, ſicuti epulotica, de quibus in ſequenti capite nonnulla enarrare ſtatuimus, ad compoſita tranſeamus, in quorum numero eſt emplaſtrum iſis, ceraſeos, apoſtolicon, & ægiptiacum. Fomenta exterius adhibita in his affectibus mirabiliter operantur; parari ſolent ex multis ſupradictorum ſimplicium cum vino nigro ſtiptico, aut lixiuio claro.

Gal. lib. 1. virtutum nat.
Gal. lib. de diſ. cont.
Auic. 1. 1. cap. de membris
Gal. 3. Met. c. 3.
Auic. 4. f. 1. c. 20
Gal. 3. Met. c. 5. & 6.
Met. cap. 6. & 4. Krageni.
Auic. 4. 4. tract. 1. c. 11. 4. 4. tra. 3. cap. 1. & 4. 4. trac. 3. cap. 7.
Hipp. lib. de vlcerib. Cel.
Gal. lib. ar. par. m. cap. 90. & 4. Meth. cap. 1.
Auic. 4. 4. ca. 3.

De carne ſupercreſcente in Vlceribus Cap. XV.

ACTIONES medicæ, quæ circa ægrotantes exercentur, ſub triplici ratione celebrantur. aliquæ ſimpliciter à Medico, vt ſectas partes rectè vnire, & laxata oſſa ſecundum iuſtam naturam plaſmare. aliquæ à natura tantùm, vt nouam carnem in cauo vlcere producere. aliquæ ſolum à medicamento, vt carnes ſupercreſcentes, quas Gręci hyperſarcoſim, & interdum ſarcomata vocant, abſumere, & quicquid ſuperadditum eſt, demere. Hac ratione in exſiccatione carnis ſuperfluæ ſuper vlcera, ea opportuna ſunt medicamenta, quæ viriliter abſtergunt, & exſiccant cum aliquali mordicatione: imò quantò magis ſunt exſiccantes cum mordicatione, tantò ſunt meliores. & non oportet, vt expectetur hic naturę adiutorium, quod fit in carnis regeneratione: nam caro ſimpliciter à natura, tanquam à primario agente, producitur: in eius verò exſiccatione, dum mala eſt, oportet, vt ſit plurimum ſpei in medicinis. quemadmodum enim vlcus cauum non vnum tantùm vitium eſt, ſed pariter cauitas, & vlcus: ita vlcus, quod ſupercreſcentem habet carnem, non vnus eſt morbus, ſed ſimul caro ſupercreſcens, & vlcus; igitur eſt morbus in aucta magnitudine. indicat ergo magnitudo, quæ præter naturam eſt, ipſius ſcilicet exuberantis ſubſtantię ablationem, & hæc ſola medicamentorum ope perficitur, non autem naturę, quæ in carne reſtituenda, aut glutinanda auctor eſt, adiuncta pharmacis, ea, quę eius actioni obſtant, ſub mouentibus: at ſupercreſcentis carnis detractio nullum quidem naturę opus eſt, ſed medicamentis tantum perficitur, quæ vehementer ſiccent. huiuſcemodi enim à Græcis eſcarotica, & catheretica vocantur:

Gal. lib. 1. virt. nat. 3. Met. c. 6. & lib. de conſti. ar. m. cap. 12.
Pau. lib. 4. c. 43. Auic. 4. 4. tract. 3. cap. 12.
Gal. 3. Met. c. 6.

cantur: quorum aliqua non tantum ſuperauctam carnem minuunt, ſed & vlcus ad cicatricem perducunt, ſumpta indicatione à corporum diuerſitate, in ætate, habitudine, viribus, ſexu, & patientis timore. ait Hipp. Vlcera quæcunque probè, & prout oportet, purgata ſunt, ſemper ad ſicciorem modum germinationem faciunt; hæc autem plerunque carne non ſuperexcreſcunt: non purgata verò, nec committi ſolent, nec ſua ſponte coeunt. cauſſa ergò, à qua fit hyparſarcoſis, in diminuta vlcerum abſterſione, & exſiccatione conſiſtit: aut in excrementoſum, & ſuperuacaneum humorem dirigitur; & proinde caro, quæ hoc modo augetur, inutilis & vitioſa eſt; altera quidem mollis, madens, & flacida: altera verò denſa, aut dura, & quaſi callo obducta ſupereſt. ratio verò harum diuerſitatum à diuerſitate naturæ excrementoſi humoris, qui ad vlcus defluit, oriri ſolet; nam ſi tenuis, aqueus, & copioſius fuerit, caro mollis, aut more Hippocratis, mucoſa generatur: ex confluxu verò craſſorum humorum, aut viſcidæ pituitæ, præſertim in ſordidis vlceribus, caro denſa, & calloſa augetur, & ſupercreſcit: medicamenta verò, quæ excreſcentes carnes tollunt, calida, ſicca, aſtringentia, & craſſæ ſubſtantię eſſe debent, ne ſui tenuitate vlterius, quàm in ſuperficie carnis abſumendæ, procedat. & multa à medicis commendantur, ſed quæ magis viua ſeruantur, ſunt alumen liquidum aduſtum, alumen rotundum, puluis hermodactylorum, radicum aſphodillorum, calcantum vſtum, ſquama, & ærugo æris, & quod celebre eſt, hydrargirum præparatum, quod pręcipitatum iſti vocant, trociſchi calidicon, fauſtini, de aſphodello, & illi mirabiles de minio: at his ſuffragijs non conferentibus, ſæpè nouacula vtimur, vbi intenſa durities ſe oſtenderit: interdum etiam, niſi aliquid obſtet, nempè partis affectæ natura, patientis timor, & imperitia Medici, ignitis ferramentis vti expedit: aut ſaltem medicamentis, quæ veluti ignis adurunt, & ſarcomata, ideſt excedentes carnes, abſumunt, vt in carnis nimia mollitie (quæ præter diminutionem, ſiccitatem etiam magnam requirit) multotiens vtimur, veluti eſt oleum ex atramento ſutorio, quod iſti vitriolum vocant, aut oleum, ſiue aqua ſulphuris, aut aliquod debile cauterium: ſed aduertendum eſt, ne calleſcat pars affecta, ac phlegmone occupetur. quare prudens medicus huic ſymptomati primò ſe opponat, nempè vſu eorum medicamentorum, quæ refrigerent, & imminentes fluxiones repellant.

Lib. de vlc. Auic. 4. 4. tract. 3. cap. 2.

Gal. 5. ſimp. ca. 24. Gal. 5. de cõp. med. ſecũdo ge. & 5. ſimp. c. 14. & 3. Meth. c. 6. Aetius lib. 14. cap. 36. Paulus li. 4. c. 43 Raſis 7. ad Alm. cap. 5. Auic. 4. 4. tract. 3. cap. 12.

De Vlcere difficilis conſolidationis. Cap. XVI.

ALIQVA reperiuntur vlcera, quæ maximam eorum ſalutem promittunt, cum benigna, ac ab omni malo ſymptomate denudata eſſe videantur, nihilominus nunquam ſanitati perfectè reſtituuntur, à Græcis cacoethe, & diſcepulota, à Latinis mali modi, malefica, doloſa, contumacia, male morigerata, deſperata, & difficilis conſolidationis vocitantur: verumtamen propriè vlcus diſcepulotum illud eſt, quod tantùm difficilis conſolidationis eſt, & propriam, ac manifeſtam habet cauſſam: cacoethes verò, ſecus quò ad cauſam, ſe habet. ait Gal. Vlcera, quæ omnibus ritè, decenterque factis, tamen non ſanantur, ea Medici Græci cacoethe, nos maligna, contumacia, rebellia ve dicimus, inueterata etiam, ac diuturna ſic vocantur; pariter & quæ articulos occupant, Chironea etiam, aut Telephia nuncupantur, ceu Chirone chirurgiæ peritiſſimo indigentia, aut quòd in tali vlcere Telephus Imperator conſenuerit, nec vnquam ſanatus eſt; Quamuis, ait Gal. ſuperfluum ſit ea his nominibus appellare: ſed ſat eſt dicere ea eſſe malè morigerata, cacoethe. deſperata vlcera ea ſunt, quorum curationem plerique aggreſſi non abſoluerunt, ſed tanquam ab inſanabilibus deſtitere. Indicia vlceris cacoethe ſunt, eius magnitudo, quę duas habet oras calloſas, tumentes: ab eo exit ſanies non multa, ſed tenuis: odor malus neq; in vlcere, neque in eius tumore eſt: nulla inflammatio, dolor modicus eſt, nihil ſerpit, ideòq; nullum periculum affert, ſed non facilè ſaneſcit: interdum tenuis cicatrix inducitur, deinde iterum rumpitur, vlcuſque renouatur, fit maximè in ſenum cruribus, & pedibus: occurrunt frequenter in ſede malè affecta, aut in corpore, vitioſo ſucco ſcatente, quod ex vlceris diuturnitate dignoſcitur. potiſsima huius diùturnitatis cauſa eſt, quòd huiuſcemodi vlcera, cum quibus ipſa affecta pars in tam vitioſo habitu conſiſtit, vt ſanguinem, qui eam partem nutriendi ratione terminatam, non concoquat, ſed mutet, corrumpatq;: aut id, quod influit, adeo exiſtat cacochimum, & malæ naturæ, quòd & ſi pars nihil paſſa fuerit, quàm vlcus, protinus ab ipſo ſolo erodatur, & corrumpatur. multę aliæ cauſæ vlcerum ęgrè ſanabilium à Medicis connumerantur, & manifeſtæ, & occultæ, veluti ſubiectæ carnis malitia, calloſitas, oſſis teredo, forma circularis, antiquitas, confluentis ſanguinis vitium: aut eius menſura, totius corporis cacochimia, aut plethora, malus corporis habitus, varix ſuperiacens, & lienis, vel iecoris aliquod vitium. Harum verò omnium interdum vna, aut duæ, ſepè quamplurimæ, ſimul apparent: multotiens verò nec vna tantùm dignoſcitur, ratione cuius vlcus ſanari nequeat, & vlcus cacoethe appelletur, ideſt, difficilis curationis. Inquit Auic. Scias, quòd vlcera difficilis curationis abſolutè ſunt, præter corroſiua, purrida, ambulatiua, fiſtuloſa, & ſimilia; ſicut commune, præter proprium. iſta enim omnia ſunt de ſumma vlcerum difficilis conſolidationis abſq; conuerſione. ideſt omne vlcus ſub aliqua cauſſa ſpecifica, aut ſymptomate proprio declaratum (veluti corroſiuum, aut putridum, aut fiſtulare) eſt difficilis conſolidationis: ſed

Gal. 4. de cõp. Med. ſecũdum gen. in prĩcipio.

4. Meth. cap. 5.

Gal. 4. Meth. cap. 6.

Gal. 4. de compoſitio. med. ſecundum gen.

Paul. lib. 4. c. 46.

Gal. de tumorib.

4. 4. tract. 3. c. 10

ſed non omne vlcus difficilis conſolidationis, eſt à ſua cauſſa ſpecifica, aut proprio ſymptomate declaratum. ac ſi diceret Auicenna; dantur aliqua vlcera maligna difficilis conſolidationis, quæ alicuius ſui mali accidentis naturam non oſtendunt, ſed longo permanent tempore, cum quadam eorum mala diſpoſitione occulta, quæ nullo modo ſenſibus deprehendi poteſt: quemadmodum in corroſiuis, putridis,& fiſtuloſis fieri ſolet, quæ ab eorum effectibus ſingulatim dignoſcuntur; ideò ſunt ſicut commune præter proprium, ideſt, communiter in ſe omnes malas conditiones continẽt, quæ eorum conſolidationem prohibere ſolent, abſque particulari, & proprio aliquo accidente, quod faciat id vlcus eſſe tale, & propriè tale, ea quippe proprietate, quæ vni & ſoli, & non omni, conuenit, nec ſemper. & ea ratione, quia in cacoethe nec cauſſæ, nec indicia manifeſtè percipiuntur, vocari ſolent Chironea, Thelephia, & diſcepulota. ferè omnes malæ conditiones, à quibus deſperata vlcera, & cacoethe producuntur, à Medicis connumerantur, & nullum prorſus proprium ſymptoma, quo ab alijs differant vlceribus, prçter ſiccitatem quandam, & occultas diſpoſitiones aſsignant. Diſcernere vlcus cacoethes ait Celſus, quod curationem recipit à carcinomate: quod curationem non recipit (nemo eſt qui ne ſciat) niſi tempore, & experimento; tempus ſiquidem eius arguit antiquitatem, experimentum propriæ cauſſæ ignorantiam. cum igitur medicus pro cura alicuius vlceris omni officio functus fuerit, neque vllum vnquam nouerit auxilium, ſciat certè morbum illum de genere cacoethe eſſe. talia enim ſæpe videre ſoliti ſumus in his, qui morbo Indiano, ſiue Gallico affliguntur.

Lib. 5. cap. de carcinomate.

PRAXIS.

QVICVNQVE ratione, ac methodo, de vlcerum curatione ſcripſere, cauſſas, quæ illa gignunt, aut fouent (vt cæterorum omnium morborum) primò abſcindendas, & tollendas eſſe, inſtituere; poſtmodum morbum ipſum curandum fore iuſſerunt. Hac ratione in deſperatorum vlcerum curatione primò inſpicere oportet, nunquid corpus totum aliquo vitioſo ſucco redundet, & eius fluxionem vlceri tranſmittat. Secundò, an ſedes affecta mala temperie affligatur: aut os corruptum, vel varix, vel quid ſimile eam occupet, quod vlceris conſolidationem impedire poſsit: & qualiſcunque fuerit cauſſa, quamprimum noteſcit, omni meliori modo tollatur, quemadmodum ſuperius, vbi de cura vlcerum, in genere, & ſingulatim explicauimus. & quia, cum nulla particularis cauſſa vlceris cacoethe aſsignetur; ideò nulla particularis curatio deſcribi poteſt, perinde ac ſi vlcus tale ſit tãquam commune, præter proprium: verumtamen, præmiſſa vniuerſali indicatione, ſumpta à morbi natura, & accidentium malignitate, ac, vt decet, inſtituto vitæ regimine ad calloſa & deſperata, vlcus curari tentare oportet. Hæc igitur eſt malignorum vlcerum, ac difficulter curationem admittentium, ſummus, ac vniuerſalis ſcopus: particularis verò eſt, vt ſi ſubiecta caro ſquallens, ac ſicca videatur, eam aqua temperatè calida fouens, humectanſque corriges: quandoque neceſſe eſt vlcus, & mẽbrum fricare, & medicamenta picea attractiua ſuperaddere. & ſi intenſa adeſt durities, ſcarificatio tũc adhibenda eſt. hoc quippe ſymptoma vlcera cacoethe aſſociare ſolet. poſt hæc loco auxilia inducemus, quę ſine morſu vlcus rectificare valeant; nempe ſi egeat præparatione, præparetur; ſi abſterſione, abſtergatur; ſi exſiccatione, exſiccetur. pæparat tale vlcus triapharmacũ Gal. ex pice colophonia ad duplum adipi taurinæ, & ceræ. nec obſtat, ſi medicamentum calidæ, & ſiccę potentiæ ſit; nam optimè pus mouere ſolet: medicamenta verò his vlceribus, de quibus nunc agimus, ſalutaria ſunt, quæ calida, & ſicca facultate conſtare videntur: calore enim temperato coctio auxiliatur, & ſiccitas vlceri medetur, calor quippe moderatus eſſe debet, qualis ille eſt, de quo dicebat Hipp. Cutim induratam mollit, craſſatam extenuat, dolores ſedat, & conuulſiones tollit. ſiccitas verò æqualis ab omni putredine vlcus vindicat, & eſt eius propria indicatio. Abſtergunt poſtmodum vlcera Chironea medicamenta, nihil, vel parũ mordicantia, indicatione tamen ſumpta à natura, & quantitate ſordiciei: quamuis rarò ſordes in eis reperitur, aut ſaltim pauca: quæ leui etiam remedio abſumitur, nempe iſide, damaſceno, aut ceraſeos, aut macherionis medicamento. Et quia omnia eiuſdem generis non ſunt; ideò interdum robuſtiora, interdum mitiora requirunt prçſidia. varia medicamenta in genere ab antiquis deſcribuntur, quorum ex Celſo hoc vnum eſt, ſquamæ æris, plumbi loti combuſti añ. ʒ. xiiij. cadmiæ, ceræ, añ. ʒ.xviij. olei roſati, quantum ſat eſt ad ceram, ſimul cum eis molliendam. Ex Galeno de mente Aſclepiadis. æris ſquamæ ℥.j. eruginis raſæ ℥.s. cerę ℥.vj. ræſinæ laricinæ ℥.s. quæ liquari poſſunt, liqueſcant, deinde arida admiſceto. Aliud ex collectaneis Primionis ad deſperata, ſorios, aut calcitis ʒ. xxiiij. aluminis ſciſſi, malicorij añ. ʒ.xvj. calcis viuæ tantundem, thuris ʒ. xxxij. gallæ tantundem, ceræ ʒ. 120. ſeui vitulini ʒ. 160. olei veteris ℥. xvj. Aliud Critoni attributum. picis aridæ ʒ. 110. ęruginis raſæ ʒ.xxiij. æris combuſti ʒ. xv. ſquamæ rubræ ʒ. xxiiij. laudani ℥. viiij. ſpumę argenteæ ℥. xxxvj. olei ſextarium medium, vini optimi ſextarium vnum, & medium. Aliud ex Aſclepiade, argenti ſpumę ℥. xvj. ceræ ℥. viij. æruginis raſæ ℥. iiij. chamæleontis ℥. ij. olei mirthei ℥. xvj. oleum, & argenti ſpumam ſpatula agitans, donec craſſitudinem acquirat, & fiat mellinum; deinde æruginem inſpergito, poſtea ceram diligenter liquefactam adijcito, & ab igne ſublato chamçleontem indito. & cum in vnitatem coierint, in mortarium fundito, ibique ſubactum excipito. Ex Raſi, & Auic. litar. argent. oleo roſato, & aceto

Gal. 4. Meth. c. 6. Aet. lib. 14. c. 60 Pau. lib. 4. c. 46. Aui. 4. 4. tra. 3. cap. x.

4. Ktag. vbi Gal. 4. Meth. 2. Auic. cap. proprio de vlcere difficilis conſolidat.

5. Aphor. 22.

Gal. lib. 3. de fract. Hipp. 5. de ſimp. facul. & 4. de curandi rat.

Lib. 5. c. de vlc. chiro.

4. de compo. m. in genere.

4. 4. tra. 3. ca. x

nutriti, diu in mortario ducatur, donec inſpiſſetur, L. j. ęris vſti, antimonij, plumbi vſti, aluminis, bauſtiarum, radicis eritrodani, curcumæ, gallarum, ſang. drac. cadmiæ argenti, ſerici aduſti. añ. ʒ. j.s. triturentur quæ trituranda ſunt ſubtiliſſimè, & cum litargirio per diem mediam in mortario ducantur, addendo de oleo roſato, & aceto, vt decet, & fiat vnguentum in bona forma. Aliud ex Paulo, & erat ſuum familiare, ceruſſę ℥. viij. aluminis ſciſſilis ℥. ij. ſquamę æris ʒ. ij. ſalis ammoniaci, thuris, ęruginis raſæ, malicorij. añ. ℥ ij. calcis viuæ. ℥ j. olei mirtini ℥. xviij ceræ ℥. xij. arida vino terantur. multa huius naturæ medicamenta à Galeno, Aetio, & Alexandro, ex Heraclide, Andromaco, & Archigene ad deſperata chironea, & cacoethe vlcera deſcribuntur: quę indicatione ſumpta à natura vlceris, eligi poſſunt; ex libro enim Galeni 4. de compoſitione medicamentorum, ſecundùm gen. veluti ex ſylua quadam remediorum, rationalis quiſq; medicus, & qui methodum ab eo illic traditam artificioſè didicerit, idoneam vlceri, quod curandum ſuſceperit, remedij formulam ſibi eligere potuerit.

I. lib. 4. c. 46.

ADDITIO DE CAVSIS RECIDIVATIONIS VLCERVM.

INTER vlcera malè morigerata, & maligna, quæ cacoethe dicuntur, aliqua ſunt, quæ maximo labore ſaneſcunt: aut ſi ſaneſcunt, rurſus, reſoluta cicatrice, recidiuas facere conſueuere. huius affectus ternas rationes à medicis aſſignatas legimus; Quęcunque vlcera, dicebat Gal. longo tempore, vel cicatrice nullo modo adueniente: vel ſi facta ſit, rurſus reſoluta, nihil videlicet medicis in curatione delinquentibus, neceſſe eſt vel propter influxum vitioſorum humorum, vel propter diſpoſitionem in membro contractam tempore, ex humoribus influentibus, vel ab aliqua paſsione oſſis in eo loco corrupti, difficulter ſanari. Porrò nonnulla vlcerum cicatrice obducta, frequenter, haud magno temporis interuallo, iterum inflammatione tentantur, rumpunturque; ſiquidem oſſe quodam affecto, interdum caro circundata ex facili cicatricem recipit, ac ſana ex toto eſſe videtur: verùm curſu humoris valido paullatim ex oſſe in alto contabeſcente, tum inflammatio, tum pus oboritur, quod cicatricem deradit, & vlcus innouatur, & reuiuiſcit: quandoq; etiam ſanantur vlcera, deinde reſcinduntur; cum præcipuè caro ante perfectam vlceris abſterſionem nata eſt, retinentur interdum ſuperuacaneæ ſuperfluitates: vnde neceſſe eſt, vt corrumpatur continuitas perueniens ſecundo; & vlcera huiuſcemodi, quæ ſanantur ac pluries induuntur, ſunt in via, vt fiſtulæ formam pręſeferant; Vlcera non perfectè purgata, ait Hipp. nec opportunè exſiccata, interdum coeunt. & ſi coeunt, facillimè recidiuantur. Porrò curatio vlcerum poſt eorum diſruptionem eſt, ſi corpus totum cacochymum, vel plethoricum exiſtat, ipſum denuò euacuare, priuſquam medicamentum vlceri admoueatur. poſtmodum caro mala, ſi adeſt, abſumatur. ſi os corruptum, tollatur. ſi varix, aut lien, vel iecur malè affectum, quorum occaſione contumax ad ſanandum vlcus eſſe ſolet, his, vt dictum eſt locis ſuis, prius prouidere oportet; deinde ad vlcus curandum venire.

Gal. 4. de compo. me. in ge. 6. Aph. come. 45. Aet. lib. 8. ca. 26 & lib. 14. ca. 45. Pau. lib. 4. ca. 50 Auic. 4. 4. tra. 3. cap. 1.

Hipp. lib. de fiſtulis. Auic. 4. 1. cap. 27.

De Membro corrupto, & eius remotione. Cap. XVII.

QVAMVIS alibi de vlcere putrido, gangrænoſo, aut ſphacelode, & ſimilibus affectibus, curationem interdum recipientibus, ſatis copioſè tractauerimus: nũc tantum de alicuius ſummæ partis ſiccitate, aut putredine conſumptę, agere intendimus, nempe manu, aut pede, præſertim ſi nulla ſalutis ſpes relinquatur, quemadmodum in antiquo vlcere, maligno, aut corroſiuo, aut putrido, occurrit, dum non tantùm molles, & carnoſæ partes corruptæ ſunt: ſed & oſſa teredine affecta vſque ad internas medullas exiſtere videntur: quod ab aliqua cauſſa exterius adueniente euenire contingit, vt in oſſium magnis fracturis, aut contuſionibus, & attritionibus carnis magnam putredinem expertis, vel morſibus venenatorum. cum membra ſphacelo affliguntur, acroteriaſmon Græci vocant. Indicia horum affectuum nota ſunt, nigreſcunt, tabidi fiunt, non ſentiunt, nec malè olent: membra verò, quæ ſic diſpoſita ſunt, non alia indicatione curantur, niſi ſerra, & chirurgia, totam ſedem affectam vſque ad ſanam amputando: nam de priuatione ad habitum non fit regreſſus, & membra tamdiu viuunt, quamdiu nutriuntur: nec illi audiendi ſunt, qui ſuis arſenicis, aut calcibus, aut ęris flore, aut emplaſtris membra ſic affecta diu præſeruare pollicentur. nam affectus iſti inter extremos connumerãtur morbos, hac ratione extremis egent auxilijs. extrema verò auxilia ad tria reducuntur, nempe ad validum medicamentum, aut ignem, aut ferrum. ſectionem approbant Pau. Albuc. & Auic. aſſerunt tamen, melius eſſe in timoroſis actionibus ſe abſtinere, quàm inconſideratè operando errorem committere: attamen, cum quis operaturus fuerit, tres primò ſibi proponat indicationes; veluti corporis totius euacuatio, aeris opportuni electio (nam magnos æſtus, & rigoroſa frigora euitare oportet.) miniſtri experti, ac optimi animi, adſint, qui loco & tempore operanti auxilia præſtent inſuper & medicamenta, & faſcias, & cauteria, & ignem, & ſerram præparare tenetur, necnõ ſitum & locum operationi opportunum. præterea operandi modùm determinet, qui lætus, tutus, & quàm minimo cum dolore eſſe debet. ſed ante omnia patiens peccata ſua confiteatur, & magno Deo gratias

Hipp. 8. par. Aphor. 6. Gal. lib. de dinamidijs in fine. & 6. de compo. m. in gene. vbi de medicamẽto diabot. Lib. 6. cap. 84. Lib. 2. cap. 89. 3. 1. Diſt. 5. c. 5. 4. 1. cap. 27. 3. 4. cap. 16. & 4. 4. tra. 4. c. 12. Gal. 7. de anat. admi. 7. Aphor. 51.

ager..

agens quieſcat, & tunc Medicus operationem inchoare tenetur: ſed prius ſupra locum ſecandum per quattuor digitos, adhibito aliquo apocruſtico medicamento, quale hoc eſt. ℞. mumiæ, ſang. dra. añ. ℥. s. boli ar. terræ ſig. añ. ʒ. ij. accatiæ, pul. cor. gra. añ. ʒ. j. camphuræ ʒ. s. aceti, olei mirth. añ. q. s. præparata deniq; in parte ſuperiori ligatura, vt fluxionibus inhibeatur, ac etiam præparatis ignitis cauterijs, ac pulueribus ſanguinem ſiſtentibus, & ſplenijs ex ſtupis, vino auſtero, & aceto imbutis, ſitum ſecandum conſiderare oportet. ſi digitus corruptus fuerit, in propinquiori articulo eſt diuellendus. ſi manus, iunctura diuidatur. ſi brachius, cubiti iunctura ſecanda eſt. ſic & de alijs partibus dicendum eſt, & non expectes vlteriorem corruptionem, nam ſi ſupremæ partes corrumpuntur, moriuntur qui ſic affecti ſunt; Paulus ſiquidem manus, aut pedis tantum, ſectionem admittere videtur. porrò ſic agendum eſt. fac, vt duo miniſtri carnoſas partes ſuperius extendant manibus ſuis, & illicò cultello ſimplici carnem circumquaq; vſq; ad os ſeca. ſana verò, vt in ſphacelis fieri ſolet, tangenda non eſt. qui perpetuò ſanas partes aggrediuntur, nec indutias expectent. igitur, ne crudeles inferantur dolores, ſola pars putrida reſecanda eſt. ſi qua poſtmodum alterata remanſerit, ignito cauterio tolli debet: vt verò, auctore Leonida vna vice tantùm, abſq; maximo ſanguinis fluore hoc opus perficiatur, ferro ſecante ignito vti opus eſt. aliqui ſupremas venas, ac artherias laqueo conſtringebant, quod difficillimum eſt. inde ſerra ſubtili os ſanum à teredinoſo diuidatur, cautè quidem, ne pars ſana lędatur: ſi ſanguis multus effunditur, aut therebentina, aut oleo feruenti, aut igne locus vratur, multiplici cauterij adhibitione, vt tota putredo abſumatur, & membrum totum rectificetur. facta amputatione, ſplenia, aceto, & oui albore imbuta, ac ſuperpoſito puluere ex aloe, thure, gipſo, & calcanto, applicentur. inde faſcia duplici modo auoluta, membrum arctè auoluatur. & ſic per triduum patiens, & membrum quieſcat in lecto molli, & aere temperato. at ſi aliqua virium indigentia apparet, vires reficiendæ ſunt alimentis, & odoribus: aliter victus tenuis ſit, & frigidus, abſq; vino, & carnibus, ne dolores, aut inflammationes irritentur. porrò, vt eſcara cadat, & locus vlceratus corroboretur, &, vt dicit Pau. digeratur, ℞. therebentinæ claræ ℥. iij. reſinæ pini ℥. j. vitelli ouorum nu. j. boli armeni, maſt. thuris añ. ʒ. ij. ſæpi taurini. ℥ j. s. olei roſati mirthini añ. ℥. j. miſc. regio ſuperior oleo roſato, maſticino, & chamomellino inungatur. ſublata eſcara, ſi maiori abſterſione opus fuerit, prædicto medicamēto adde ſuccum apij, & rodomelem, aut quid emplaſtri iſidis, aut ægiptiaci: vt noua regeneretur caro, ℞. ariſtrolochiæ, iridis, centaureæ, litargirij, ſpodij añ. ℥. s. maſticis, mirrhæ, aloes, ſarcocollæ. añ. ʒ. ij. therebentinæ claręe, mellis optimi añ. ℥. ij. ceræ q. s. quę pulnerizanda ſunt, pulnerizentur, & ſecundum artem fiat vnguentum cum oleo mirthino, & cera in bona forma: demum cicatricem inducit ceratum ex cadmia, aut ex minio, aut Gręcum, triapharmacum vocant. poſtremò, ne febris, aut dolor, aut inflammatio, aut conuulſio, aut caſus virtutis ſuperueniat, curare oportet: aut ſiqua mala apparuerunt ſymptomata, ea corrigere, aut profligare opus eſt proprijs indicationibus, vt ſupra locis ſuis explicauimus.

De reparandis. ac dealbandis cicatricibus. Cap. XVIII.

IN extimis corporis humani partibus multis modis cicatrices occurrunt, nempè poſt continui recentes ſolutiones, & hæ vulnerum veſtigia vocantur. hac quippe ratione in hoc Medicus diligens ſit: ne, poſtquam vulneris labra coierint, turpis reſideat cicatrix, aut concaua, aut eminens, aut mali coloris. partes igitur vulneris perpetuò æquè vnitas conſeruet: quę in ſecto magis, quàm in contuſo, aut lacerato vulnere deſideratum finem admittunt. multotiens etiam vetuſta vlcera, aut plana, aut excauata, poſt eorum conſolidationem cicatrices relinquunt, quę naturalem coloris alterationem exoptant; cutis ſiquidem naturalis, quam dermam Gręci vocant, naturaliter ſicca eſt, & alba, & à patris genitura producta, quę pariter alba erat. ob id, cum inciditur, aduritur, laceratur, aut alia quapiam cauſa ſoluitur, & perit, amplius nec regignitur, nec augeſcit. Cauſſa verò, cur ſicut caro, & adeps regignatur; ita cutis, quæ prorſus perierit, regigni nequeat, eſt; quia amplius patris genitura non reperitur. cuti ergo deficiente eo in loco, carnem naturali aliquo tegumento tegere neceſſe eſt: quod nil aliud eſt, niſi vlcus ad cicatricem ducere. ergo aut cutis generanda eſt, aut ſumma caro cuti ſimilis efficiatur: verum, vt cutis regeneretur, fieri omnino nequit. reſtat, vt quapiam carnis pars, nempè ſuperficialis, ita alteretur, & dura fiat, vt carnis cooperimentum, & cortex euadat, & cutis officium per accidens ſuppleat, non tamen plane cutis erit. & quia caro ex ſanguine ortum habet, qui rubeus eſt; ideò cicatrices, aut rubeę, aut ſubrubeæ pro maiori parte producuntur. Porrò ſumma vlcerum caro cuti ſimilis efficitur, inducitur que ei cicatrix, ſi illam deſiccemus, aſtringamuſq; adeò, vt non ſolum id, quod præter naturam redundat, diſcutiatur: verum etiam quod ſecundum naturam eſt, exſiccetur. vt autem quampulchra, & concolor inducatur cicatrix, vſus medicamentorum calidorum, aut mollientium, aut attrahentium reprobatur: ſed ille magis conuenit, qui frigidæ, ac ſiccæ habitudinis eſt, veluti emplaſtrum ex cadmia, ex pompholige, ex ouo, ceruſſatum, & ſimile. cicatrice inducta, aliquo linimento liniatur, quorum aliqui ſimplices ſunt, vt oleum de

Gal 3. Meth. ca. 5. Auic. 4. 4. c. 3

Meſues.

vitellis oùorum, aut de tritico, aut de cera, aut ſiſaminum, aut metopion, ideſt, amigdalarum amararum, balſaminum, aut balſamum, ſudor oui recentis, aqua fraſini, dum aduritur; ſperma hominis, adeps aſinina, quæ principatum tenet, fel caprinum, & ſemen erucæ. inter compoſita, oleum, in quo bryoniæ radix candidæ, & nigræ incocta ſit, radix cucumeris agreſti cum melle, calamintha, vino decocta, argenti ſpuma, roſaceo albo lota, aqua Gallica, quæ ſic paratur. ℞. tartari calcinati ℥.xij. maſticis ℥.j. albuminis ouorum, quod ſufficit pro mixtura, & per vitreum lambicum extrahatur aqua. facit ad hoc muliebre lac cum ceruſſa lota, & oleo de vitellis ouorum. in mortario marmoreo diu deducantur. facit emplaſtrum alabaſtrinum, aut de pomo citri, aut de vitro, cuius hæc eſt compoſitio. ℞. collum fiale vitri albiſſimi, accendatur ſepties, & extinguatur in ſucco bryoniæ, aut limonum, inde ſubtiliſſimè trituretur ſuper porfidum. ℞. huius pulueris ℥.j. camphuræ, boracis, ſalis gemmæ añ.ʒ.s. mellis albi. ℥.ij. miſc. diu in mortario marmoreo, & fiat linimentum. Aut ℞. ſaponis, ſtercoris albi canini, oleo loti añ. miſc. aut ℞. chimoleæ, ſtercoris columbini, ſaponis, olibani, & cum albo aceto fiat linimentum. aut ℞. ſpumæ argenti, ceruſſæ lotæ añ. & cum oui albumine fiat linimentum. valet farina lupinorum cum melle, fel tauri cum aceto, & tartarum cum vrina pueri. multoties, inquit Aetius, in cauis vlceribus nigricantes cicatrices, & fœdi aſpectus, remanent: quæ à vitiligine, & alpho differre videntur. nam hę cicatrices leues, ſuperficiales, & ſine aſpredine ſunt: alphos verò, aſpectu turpe, & tactui aſperum eſt. Ait Auic. Eradicationes veſtigiorum vlcerum egent medicinis fortiter abſtergentibus. & quantò magis cicatrices fortiores ſunt, fortioribus egent abſterſionibus, & multa deſcribit medicamenta optimæ operationis in dealbandis cicatricibus. Porrò interdum, aut ex mala medela, cum ante tempus cicatrizantibus medicinis (Epulotica Græci vocant) medicus vſus fuerit: aut quia oſſa excauata ſunt, cicatrices cauę remanent: quod ſymptoma tollitur, cicatricem renouando, & denuò vulnus planum reddendo. quod facit aſſidua fricatio cum nitro puro, aut geranij folijs, aut cantaridibus, donec veſicula eleuetur: qua amota, vulnus repleatur, adhibito emplaſtro aureo, aut vaſilicone; poſtmodum noua inducatur cicatrix: at ſi ea eleuata, & eminens plus iuſto apparebit, aut inæqualis, & criſpa fuerit; ſi adhuc recens & tenella extiterit, malacticis, ideſt mollientibus, remedijs regatur; & ſuperaddita lamina plumbea, arctè alligetur: ſi dura, inueterata, & calloſa fuerit, ſcalpello exulcerari debet: aut medicamento, quod duram ſubſtantiam exedat, abſumatur: aut ſaltem cute exulcerata, ſupereminentem carnem, aut alumine aduſto, aut hydrargiro præparato, aut ſquama æris combuſta, aut ſimili epirotico deſtruatur, donec ſanę cuti ęquetur, & tunc denuo cicatrix renouetur. ſi mediocris fuerit eius ſiccitas, admoto diachilone, aut litargirio, acri aceto nutrito, molliatur. idem faciunt radices cucumeris agreſti tritę, admixta anſerina aſſungia, aut ciclaminum radices cum melle. nigricantes cicatrices, aut malo colore affectas, remouet oleum, in quo bryoniæ radix incocta fuerit, aut calaminta in vino bullita. aut ℞. argenti ſublimati ℥.s. ſucci limonum ℥.ij. ducantur omnia in mortario lapideo cum piſtillo ligneo ſub ſole, donec ſiccentur; ponantur poſtea in linteolo, & fiat faſciculus, quod leuiter immergi debet in duabus partibus ſucci limonum, & vna aquæ roſarum, ſic dimittendo, donec ſuccus totus abſumatur: & facta leui expreſſione, ex eo, quod egreditur, cicatrix liniatur. hæc pro cicatricibus reparandis agenda ſunt; attamen, vt Celſus ait, ſtultum eſt, ſi vel excreuerit cicatrix, vel concaua fuerit, decoris cauſſa, rurſus & dolores, & acrem medicinam ſuſtinere.

Gulielmus de Varignana. Dioſcorides lib. 2.ca.86. Aet. li. 13.ca. 131. Pau. lib.4.c.47. Auic. 4.4.tra.3.ca. vlt. & 7.4.tra.2.ca.4 Cel. Meſues Plinius. Guido de Cauligliaco, Nicolaus Alexandrinus, Bertapalia. Oribaſius. Aetius lib. 13, cap. 129. 131.

4 4. tra. 3. cap. vlt. 7.4. tra.2, ca. 5.6.

Lib.5. cap.26. in fine.

LIBRI

LIBRI TERTII.
TRACTATVS TERTIVS.
In quo de Vlceribus membrorum particularium, copioſè tractatur.

PROEMIVM.

IN hoc huius ſectionis tertio Tractatu affectus quoſdam particulares deſcribere intendimus, qui ſingularia aliqua membra à capite vſque ad pedes moleſtare ſolent, nulla quippe gallicę diſpoſitionis, aut cancri habita conſideratione; ſiquidem vna, non niſi particularibus, & proprijs remedijs curari ſolet: alterã verò melius eſt non curare, quàm curare: ſed tantùm vlcerum aliquorum ſingularium locorum curationem tractare noſtri inſtituti eſt, interdum nec cauſam, nec indicia aſſignantes, ſubiectum determinatum non habentes. erit igitur fere empirica hęc praxis, longo tamen noſtro experimento, & Antiquorum auctoritatibus comparata.

De Vlceribus cutis capitis. Cap. I.

IN cute capitis, interdum vlcuſcula ſuboriuntur, à minimo quodam tumore exorta, qui Græcè achor dicitur: vnde vlcera hæc achores vocitanur, ab Arabibus alſchedie, & à Latinis vlcera cutis capitis manãtia nuncupantur. à paruis tuberculis originẽ du cunt, qui à magno pruritu mouentur, deinde tenuibus admodum foraminibus perforantur, quæ ſubtilem humiditatem, ac madorem continent. cauſſa ex nitroſa ſalſaq; pituita fit, aut ex humiditate mixta, quę partim ſaniem tenuem, ac mordacẽ, partim craſſum humorem occupat. itaque tenuis, vt quę mordax, primùm ſane pruritum ipſis excitat: temporis autem ſpatio, ob pruritum, & tubercula oriuntur, & foramina in eis conſtituuntur. ſimilis huic morbo eſt & alius affectus cutis, qui à faui ſimilitudine, melicera, & cerion, à Græcis dicitur, idque duas ſpecies habet, alterum ſubalbidum furunculo ſimile, ſed maius, & cum dolore maiori: quod vbi matureſcit, habet foramina multa, per quæ humor glutinoſus & purulentus fertur: nec tamen ad iuſtam maturitatem peruenit: ſed diuiſum multò plus intus corrupti, quàm in furunculo, apparet, altiuſq; deſcendit, & raro fit niſi in ſcapulis: alterum eſt minus ſuper corpus eminens, durum, latum, ſubuiride, ſuppallidum, & magis exulceratum; ſiquidem ad ſingulorum capillorum radices foramina ſunt, per quæ fertur humor glutinoſus, ſuppallidus, craſſitudinem mellis, aut viſci referens: dolor autem, et inflammatio ingens eſt, adeò vt & acutam quoque febrem mouere conſueuerit.

Cel. lib. 5. ca. de melice. Gal. lib. de tumo. præterna. cap. 16. & 1. de compo. m. ſecundũ loc. Aet. lib. 6. ca. 68. Pau. lib. 3. cap. 3. & li. 4 cap. 35.

PRAXIS.

CVMQVE achores, aut eruptiones, ſeu puſtulę quædam vlceroſæ cutem capitis infeſtant, abſtinebunt ſane patientes ab omni cibo, ſalſo, acri, & acido. à vino etiam, & ambiente æſtiuo: liquet hoc interim humores, qui affectum generant, euacuare. & ſi qui fluxerint, eorum defluxum prohibere, aut ſanguinis miſſione, aut pharmaco, ad tale opus deſtinato, aut caputpurgijs opportunis. ſi vero affectus exiguus fuerit, hæc ſufficere ſolent. ſin minus, poſt hac, pilis capitis prius ademptis, ad medicamenta (à Græcis topica, & merica dicta) etiam quòd corpus euacuatum non ſit, deuenire oportet. ſi vero eũ euacuare expedit, primò ſanguis mittatur, aut ſero lactis cum ℥. iij. epithimi euacuetur. ſerum autem lactis, vt iubet Aet. parare oportet: aut pharmaca ea exhibeantur, quæ caput à pituitoſis humoribus exinanire ſolẽt, aut per nares, ſeu per os, apoflegmatiſmata Græci vocant. vſui verò

potiſſimum obſeruantur pillulę cochiæ, de hyera. de agarico, & aggregatiuæ. poſtmodum pilis, qui in vlceribus fuerint inſerti, extractis, caput abluatur decocto mirthillorum, lentiſci, rubi, lentium, & radicum aſparagi: at ſi virulentiæ copia aderit, tum ea probantur, quæ cum aliqua inciſione exſiccare viriliter poſſunt. hac ratione propter craſſitiem, ac lentorem humoris, acetum ſecundum omnem modum laudatur (extat quippe in eo digerendi, ac reprimendi facultas) ſit igitur acre admodum, nihil omnino qualitatis vini repręſentans, in eo ſcilicet cetera medicamenta immergere oportet, ab imbecillioribus incipiens, præſertim ſi dolor aliquis ipſis inſit, veluti eſt chimolia, cretica. ac lemnia terra. pompholix etiam, ſpodium, & argenti ſpuma, ac tenera cadmia. quòd ſi hęc non proſunt, medicamentum ex carta combuſta aceto merſum illinito. ſi hoc acre videtur, argenti ſpumam miſceto, ſiquidem abunde morſum eius obtundere ſolet, ſi ęqualem pondere miſcebis; ſi intendere vires cogites, pauciorem: quemadmodum, ſi plurimum vim eius ſoluere ſtatueris, copioſiorem: cumq; affecta ſedes inflammatione tentatur, corpus denuo decenter à ſuperuacaneis humoribus liberetur. indeſbis, aut ter in die decocto mirthi, plantaginis, & lenticulę caput abluatur, & medicamento ex crudo litargirio, & climia terra illinire oportet. ſi aliqua putredo inſita fuerit, eam tollit hydrargirum pręparatum. aut ℞. argenti ſpumæ ʒ.xij. foliorum rutæ ʒ.viij. herbę pedicularis, ſtaphidem agriam iſti vocant, ʒ.iiij. calcanti ʒ.ij. aceti, olei mirthei, añ. q.s. miſc. donec in ſordium ſpiſſitudinem redigantur. aut ℞. ceruſſæ combuſtę, argenti ſpumæ añ. ʒ.viij. calcanti vſti ʒ.iiij. thus, ſulphuris viui añ. ʒ.ij. mirrhæ, opij añ. ʒ.j. hęc omnia oleo lentiſco, & aceto excipito.

De Vlceribus oculorum. Cap. II.

Cel. lib. 6. cap. 6. Gal. 4. de comp. m ſecũdum loc. Pau. lib. 3. ca. 22.

OCVLI poſt eorum vulnera, aut inflammationes, aut tubercula, aut longum defluxum, interdum vlcere aliquo moleſtantur: quod ratione ſitus, aut magnitudinis, aut putredinis nomina diuerſa ſortiri ſolet; ſiquidem ſi in membrana, quam Græci ceratoidem, & Latini corneam vocant, vlcus cauum oritur, anguſtum, & purum. tale Botryon Græcè dicitur: quod verò botryo latius eſt, Caloma nuncupatur. at ſi in pupillæ circulo hoc euenerit, & ambientia comprehenderit: vt etiã in exteriore pupillæ parte rubicundum, in interiore candidum appareat, Epicauma vocitatur. Tale enim vlcus ſordidum eſt, & cruſta obductũ. quo repurgato, oculi humores ſæpè effluunt.

Botryon. Botryo.

Epicauma.

PRAXIS.

CVM magnam partem, ad vitæ ſimul, & vſum, & dulcedinem, oculi conferant, ſumma cura & tuendi, & curandi ſunt: igitur in omni eorum curatione prima omnium indicatio quies eſt, & abſtinentia. ergo primo die loco obſcuro cubare patiens debet; ſic, vt à ſermone quoque abſtineat, & paucum cibum aſſumat: ſed generis eiuſdem vtique, vt nihil ſalſum, nihil acre, nihil ex his, quæ ad caput vaporant, & nihil potui pręter aquam. porro in ſimilibus vlceribus victus ratio talis maxime conferre videtur: ceterum propter particulæ naturam medicamenta ab omni roſione, aut morſu aliena adhibeantur, veluti quæ ex pompholige lota conficiuntur. ſucci etiam, qui illi admiſcentur, non ſolum roſione careant, ſed qui vehementiſſimos dolores lenire poſſunt, nempe poligonij, aut andacochæ, vel oui albumen. Propria verò vlcerum oculorum indicatio eſt, vt vlcus purum conſeruetur, & oculus à dolore pręſeruetur. conſtat autem his omnibus, vt medicamenta, cum medendi tempus eſt, formentur: eo quòd cito areſcunt, probatur collyrium ex thure, mirrha, & croco. aut ℞. thuris ʒ.vj. cadmiæ, pompholigis añ. ʒ.ij. ceruſſæ lotę, gumi amilli añ. ʒ.j.s. & cum aqua pluuiali paretur collyrium. at ſi ſordidum vlcus apparuerit, aliquod abſterſiuum miſceri oportet. quale eſt rodomes & aloes. ſi cum dolore, aut inflammatione vlcus obortum fuerit, commodius, eſt primo, aut ſecundo die, ſi tamen res vrget ſanguinẽ mittere, id magis ſi in fronte venæ tumidæ ſunt: aluum etiam, ſed non niſi ſecundo aut tertio die, duci oportet: verum modica inflammatio neutrum ex his auxilium deſiderat. ſatiſque eſt vti quiete, & abſtinentia. vt verò dolor tollatur, tria cõmuniter probantur auxilia, nempe pulpa pomorum ſub cineribus coctorum, cum medulla panis lota, vitello oui, & oleo violato: aut decoctũ fęnu græci cum farina hordei, & butiro recenti, aut lac pingue, cum oui albumine, & parum quid croci, aut gumi tragacanti. porrò talem curationem ex ijs, quæ inflammationem lenire ſolent, & concoquere, moliemur ijs quippe non neglectis, quæ ad vlcus propriè pertinent, veluti collyrium libanium, cignus, aut aſter. pariter ſief de thure, de plũbo: aut tale. ℞. ſief de thure. vnc.s. tutiæ præparatæ, aloes epatici, zuccari candidi añ. ʒ.j. aquæ roſarum, andacochæ añ. vnc. ij. bulliant omnia parum abſq; ſief. deinde coletur, & cum ſief ſecundum artem, cum pauco vino nigro odorifero, fiat collyrium.

De Vlceribus narium. Cap. III.

VNum quoddam morbi genus eſt, quod in naribus oriri ſolet, & plures in ſe continet ſpecies, id quippe vlcus eſt, quod interdum ſimplex, quietum, & benignum eſſe ſolet; interdum ſiccum, eſcaroſum, & inęquale quod glyceum Gręci vocāt. ſæpe antiquatum, oſtracoſum, fœtēs, & malæ naturæ, quod Græci ozęna vocitāt. multotiens verò adeo malignum, quòd facillimè in cancrum degenerat. Horum cauſa humor quidam à capite defluens eſt, acris, & putridus, ac crebrò adeò malignus, vt vlcus difficilis reddat conſolidationis, & cacoethes; ſiquidem ea vlcera, quæ intus, aut circa nares ſunt, ac cruſtas vel fædum odorem continent, & propriè ozæna vocantur, ſcire oportet vix eis poſſe ſuccurri, ob defluentis humoris prauas qualitates, affectæ ſedis naturam, & operandi incommodum, & quia hic locus perpetuò plurimis ſcatet humiditatibus ſtillatitijs: vndè ſi talia vlcera magno ſtudio regi nequeant, & polypodes, & carcinomata producere ſolent: nonnūquam ex parua puſtula, quam Græci varum dicunt, aut vnguibus excoriata, aut malo modo agitata, præſertim in naſi ſummitate, aut in labro ſuperiori, ea oritur diſpoſitio, quæ medicos terrere ſolet, & noli me tangere, ab empiricis nuncupatur, eo quòd de genere cancrorum eſt; cū vlcus ſit durum, inæquale, doloroſum, & mali odoris, ab humore melancholico productum.

Cel.lib.6.cap.8 & lib.7.cap.x1. Scribo. lib. de côp.medi. Gal. 3.de compo.m. ſecundum loc. Aet.lib.6.ca.94. Pau.lib.3.ca.24 Raſis. 9. ad Al. cap. 38. Auic. 5.3.tra.2.c.4.5.

PRAXIS.

SAtis eſt in benigno narium vlcere, præſertim in eius initio, ſola adhibitio ſæpi veruecis, aut bouini, aut ceruſſæ tritæ cū oleo mirthino, aut emplaſtri ex ceruſſa, aut de litargirio crudo: porrò à multis tale probatur linimentum, plumbaginis (ideſt plūbi ſtercus, aut recrementi, quod iſti ſcoriam vocant) ex vino, & oleo mirthino leuigatæ, donec mellis ſpiſſitudinem acquiſierit, & ita per pinam nares obteguntur. aut ℞. pompholygis ℥.iiij. ceruſæ ℥. xij. hyſſopi ℥. iij. vino montano, & roſa vicibus adiecta teritur, donec mellis habeat temperaturam. Ex Gal. mali punici ſucco in æreo vaſe, vſq; ad dimidias cocto oblinuntur: aut malum punicum dulce, totum vino incoctum, leuigato, obducitoq; extrinſecus: Quæ verò vlcera ſicca ſunt, vapore aquæ calidæ fouere oportet, ſpongia expreſſa atque ad mota. ſit & ſubiecto vaſe oris anguſti, calida aqua repleto. poſt id fomentum illinenda vlcera ſunt, aut plumbi recremento, aut ceruſa, aut argenti ſpuma, cum quolibet horum aliquid conteritur, eiq; dum teritur, inuicem vinum, & oleum mirtheum adijcito, donec ſoliditatem quandam acquiſierit. Ex Aui. ceræ vnc. ij. medullę crurium vaccæ vnc. j. olei nenupharini, roſati an. q. s. cum verò in naribus puſtulæ apparere incęperint, lichinia adhibeantur, ſale, & acri aceto infuſa; exſiccat enim hoc præſidium mirabiliter. Emplaſtrum tale inde applicetur, ex oleo roſato crudo, mirthino, aqua roſarum, aceto, & litargirio: ozæne verò, ideſt, vlcera putrida, ac fętentia horum locorum, curantur rectificatione totius capitis, exſiccatione ſuperfluitatum illius, & eius corroboratione; quippe notum eſt non aliunde, quàm ex nimia malignarum ſuperfluitatum copia, talia vlcera prouenire. caput igitur primo ad cutem tondeatur, aſſidueq; vehementer perfricetur, multa calida aqua perfundatur, multa ei deambulantio ſit, cibus modicus, & aquæ potus, cephalica vena aperiatur, nulla cauſa obſtante: inde à naſi extremitate ſanguis mittatur, poſtremò cucurbitulæ dorſo applicentur, aluus ducatur cum hyera magna, aut cum pillulis cochijs: topica ea ſint, vt particulam affectam medicamentis, mixta facultate præditis, repulſoria nempe, ac digerente, reſicces: At ſi aliqua apparet putredo, tunc in narem ipſam mel cum exiguo quid reſinæ terebenthinæ conijciatur, aut nitrum acri aceto, aut vino auſtero ſolutum. cōmuniter trociſci andronij, muſe, paſſionis, & pollide, veluti medicamenta vltimæ exſiccationis, laudantur, interdum vino dulci, aut auſtero, aut aceto vinoſo leuigati: Nos verò ægiptiacum rob, aut vino granatorum, aut lixiuio claro admixtum, principatum obtinere in ozænis affirmamus, quod ſpecillo lana inuoluto adhibetur: attrahaturq; ſpiritu per nares is ſuccus, donec in ore guſtus eius ſentiatur; cum hoc enim putredines tolluntur, & cruſtæ reſoluuntur, quæ per ſternutamenta elidi debent. Putredine remota, ſanat vlcera emplaſtrum ex carta, aut aneto combuſto, aut ex alga, aut ceruſſatum ex camphura: linamentum oblungum eodem medicamento illinendum dimittendumq; in narem eſt, & ab inferiori parte leniter deligandum, idq; per hyemem, & ver bis in die, per æſtatem, & autumnum ter fieri debet. ſi ad vltimam malignitatem deuenerit vlcus, eum quippe tangere non licet; ſiquidem dicebat Celſus. Si ozęna medicamentis nō cedit, quomodo manu curandum eſſet, apud magnos chirurgos non reperi; ob id quia raro res ad ſanitatem ſatis proficit, cum aliquando in ipſa curatione tormentum habeat. Apud quoſdam tamen poſitum eſt, vel ſubtilem fiſtulam, vel ſcriptorium calamum in narem eſſe conijciendū, donec ſurſum ad os perueniat, tum per id tenue ferramentum candens dandum eſſe ad ipſum vlcus, donec aduratur, deinde aduſtum locum purgandum eſſe, ærugine, & melle, vel narem incidendum eſſe ab vna parte, vt conſpici vlcus poſſit, & facilius candens ferramentum admoueri tū ſui narem debere, & aduſtum vlcus eadem ratione curari: futuram verò aliquo glutinante præſidio regi.

Scribo. lib. de compo. medi. deſcrip.48. Cel. lib.6 ca.8. Auic. 5.3.tra.2 ca.5.

De Vlceribus oris. Cap. IIII.

Cel. lib. 6. cap. xi. & 15. Gal. 6. de compo.m. ſecũdum loc. & 3. Epide. comen 12. Aet. lib. 8. ca. 30. Pau. lib. 1. ca. x. Aui. 6. 3. cap. 23

IN intima,ac ſuperficiali oris parte, vlcera quædam oriri ſolent, potiſſimum in pueris,qui prauo,aut corrupto lacte nutriũtur, aut acceptum nutrimentum concoquere nequeunt, igitur non abſq; periculo ſunt; pueros enim ſæpe conſumunt. in viris,& mulieribus idem periculum non eſt: ac miſerius etiam eſt, ſi lactans adhuc infans eſt, quominus imperari remediũ aliquod poſſit.talia vlcera iuxta ſucci peccantis naturam nunc ſubalbida, nunc ſubrubra,aliàs cruſtę modo nigreſcunt.quod omnium periculoſiſſimum,& lethale eſt: cõmuniter à Græcis aphtæ, ab Arabibus alcola, aut calaba vocitantur. à gingiuis incipiunt, deinde palatum, totumq; os occupant: interdum ad vuam, fauceſque deſcendunt, in adultis etiam aphtæ videri ſolent. Ex defluxu alicuius acris,aut praui humoris,ac vitioſi ad os,aut ex comeſtione rei acris & mordacis, in humidis validiſque corporis partibus, qualis os eſt, putredo ſtatim oboritur, & ex quacunque acuta cauſa exulcerari contingit. confert huc etiam,quòd nullum medicamentum poſſit longo tempore, vt in vlceribus aliarum ſedum, adhærere. eluuntur quippe facillimè à ſaliua, dilatantur velociter, cum ibi fortis calor, & multa humiditas inſit. multiplicantur in tempeſtate pluuiali, & in febribus malignis, vnde ſæpe in gangrænas degenerant: dignoſcuntur & viſu ſimul,& tactu. viſu ſane per colores, rubentiores ſiquidem ſanguineum præpollere humorem indicant: flaui magis bilioſum, quemadmodum rurſus quę albeſcunt,pituitoſiorem. quę liuent, nigricantq;,melancholicum. apthæ pueris maximè contingunt, potiſſimum lactantibus: quæ vero à vitioſo humore fiunt (quod ſæpius prouectioribus accidit) ſæpe in vlcera cacoethes degenerant. & quæ ab atra bile oriuntur, pernicioſæ iudicantur. quę verò diuturnæ ſunt, & aliquam putredinem acquirunt, malignæ euadunt, ac ægrè ſanabiles fiunt.

PRAXIS.

SVPERFICIALIA oris vlcera, quæ caloris ignei nihil obtinent, magna ex parte facilem curationem recipiunt: quæ verò vetuſtatem incidunt, ægrè ſoluuntur, ac temporis ſpatio putrida fiunt, & depaſcendo nome dicuntur. Puerorum aphtæ, nutricum regimine potiſſimum, gubernantur. igitur primò cogenda eſt exerceri, ambulationibus, ac his operibus,quę ſuperiores partes mouere poſſunt, mãmaſque aqua calida perfundere bonum eſt, tum alenda cibis bonis, & his, qui facilè non corrumpuntur, abſtinendo ab acribus, ſalſis, acidiſque cibis, & potu; ille quidem, ſi febricitat puer, ſit aqua, ſi ſine febre eſt,vini diluti. ſi aluus nutrici ſubſiſtit, ducenda eſt.ſi pituita in os eius coit, vomitu moueri debet: fere enim huius curæ vis eſt,lactis rectificatio. porrò quia infantes ob eorum ætatem fortia medicamenta non ferunt, decet, vt tantum mãna,& lacte vlcera curentur: aut diamoron adhibeatur,cui ſæpe adhibemus mellem, mirrham, & crocum, aut parum quid aluminis: quæ enim temperatè conſtringunt cum pauca abſterſione, initium horum vlcerum ſanare ſolent: cumque nulla,aut debilis,adeſt inflammatio, rodomel ab omnibus probatur. ſi calor quis aderit, mulſum, ideſt, vinum auſterum, & mel. laudatur decoctum gallarum cum melle vſque ad ſpiſſitudinem,ac pinna illinitum; eſt enim præſidium opportunum ſuccus pilloſoliæ cum vino, & melle pro collutione.aqua pariter hordei cum corticibus, & melle roſaceo, multum vſui ſeruatur. talis aqua omnem extinguit inflammationem: mel verò ſecundùm omnem modum iuuat vlceribus oris, guturis, & pulmonis, nulla apparente inflammatione: ſecus, violatum ſit. Nos verò in pueris rodomelle cum vino granatorum ſæpe vtimur. ſi dolor aliquis patientem infeſtat, lacte aut vacino, aut caprino tollatur, aut hordeacea aqua,& acreſta, aut vino nigro auſtero,& roſis: ſi aliqua malignitas comprehenditur, fames in adultis,& abſtinentia,quanta maxime imperari poteſt,inſtituatur: ſanguis copioſè ex cephalica,aut cõmuni vena mittatur: aluus exquiſitè expurgetur, & quies optima eſt. occurrit interdum,quòd ex minima quadam puſtula in labris, aut gingiuis, ex mala medela, aut praua victus ratione, ſedes affecta ſphacelo occupatur: tunc enim ea adhibenda ſunt remedia,quæ cruſtas inducunt, quale eſt alumen ſciſſile, & calcitis: attamen nil præſtantius ægiptiaco, aut ſolo, aut alteri medicamento admixto, veluti, R. vini granatorum vnc.iij. ſucci plantag. vnc.j. vnguenti ægiptiaci vnc. s. miſc. aut ægiptiaco per ſe tantùm vtaris. ſi ab his eſcara non producitur, & malignitas adhuc perſeuerare videtur, & nihil medicamenta proficiunt, ad actuale cauterium,tanquam ad ſacram anchoram,deuenire oportet, & vlcera adurenda, donec eſcara fiat, ne affectus vicinum,& ſanum locum lædat, quod interdum in labris neceſſarium non eſt; nam excidere commodius eſt: quotiens verò aliquod medicamentum in ore inijcitur, & ante, & poſt, os diluendum eſt cremore lenticulę, aut erui decocto,ſic, vt cuilibet eorum paulum mellis miſceatur. acetum quoque ex ſcylla ore retentum, ſatis aduerſus hæc vlcera proficit: quòd ſi puer eſt, cui id incidit, ſpecillum lana, aut xillo inuolutum, in medicamentum demittendum eſt, & ſuper vlcus tenendum, ne per imprudentiam adurentia, aut acuta deuoret.

De

De Vlceribus Gingiuarum. Cap. V.

SIMPLICIA leuiaq; gingiuarum vlcera aſinino lacte curantur, rodomelle, & ſale in tenuiſsimum polinem redactis, vel decocto lentium, vel etiam ſcilitico aceto, aſinino lacte commixto. quia autem horum natura cum præcedentibus eſt ſimillima, idcircò de his ſufficiat. ſi autem aliqua illis coniuncta fuerit putredo, Aegipriaco vnguento, & ſapa ſunt abſtergenda: ſi autem os fuerit corruptũ, vlcusq; in fiſtulam mutatum, id dilatandum eſt, ac opportunis ſcalpris, terebriſue, os corruptum, & alteratum, eſt amouendum. ſi autem hæc non ſufficiant, actuali cautherio eſt inurendum, vel ſæpius ſulphuris aqua madefaciendum, quouſq; tota oſſis ſuperficies remoueatur. Si autem dens in radice corruptus appareat, radicitus eſt euellendus, aliàs incurabilis affectus reſultabit: ſi autem calloſum ſolũmodo fuerit vlcus, ſemouendus callus eſt, trociſcis ex minio, vel aſphodello, vel hydrargirio præparato. Si autem dolor ſuperuenerit, vel inflãmatio, ille ſuperuenit affectus, qui à Græcis parulis nuncupatur: mulcetur autem lentium decocto, vel portulacæ. ſanat tandem huiuſcemodi morbos, gingiuaſq; putridas roſarum decoctum, mirtillorum, cum mirrha, & rodomelle. Idem operatur aſininum lac, qui cum foliis oliuæ, & ſcilitico aceto ebullierit. Gingiuarum autem tumor, qui à Græcis epulis dicitur, ſucco portulacæ curatur, ſi in ore detineatur, vel omphacino oleo, vel lentiſcino.

De Vlceribus Linguę. Cap. VI.

LINGVA varijs modis affligi ſolet, varijſq; ſuis partibus exulceratur aliquo affluente humore, acri, & aduſto, vnde fiſſuræ illæ, vulgo ſetole dictæ, à Græcis ragades, exoriuntur: aliquando ex acrium vſu nonnullæ in ipſa naſcũtur puſtulæ, & ſæpè ſphacelle, ſæpè & cancro afficitur, qui affectus proprijs ſignis diſtinguũtur. Solet etiam aliquando à latere vlcera quædam plana, vel ſaltim parum concaua, pati: vnde eſt animaduertendum, an aliquis dens oppoſitus ita ſit acutus, vt talem affectum inducere poſſit, vlceriſq; cicatricem impediat, quo ita reperto, lima eius acuties eſt amouenda. In vniuerſum vlcera hæc propter membri inquietudinem, & exceſſiuam humiditatem curatu ſunt difficilia. Hipp. lib. 2. prædict. Celſus lib. 6. c. 12.

PRAXIS.

PVSTVLAE à latere linguæ exorientes, & pura ſunt vlcera, ex ſolo alumine crudo applicito exſiccari ſolent; idem operatur ſaturcię decoctum cum vino, vel aluminis decoctum in aqua plantaginis. ſi autem aliqua appareat malignitas, ℞. aluminis crudi ℥. ij. floris æris ℥. j. ſanguinis draconis ℥. s. foliorũ ſaluiæ, roris marini añ. ℥. j. bulliant in vino nigro ad tertię partis conſũptionem. ſępius autem tali remedio intingantur vlcera; quę ſi maiori indigeãt exſiccatione, fac vt bulliat aliqua vnguenti ægiptiaci portio in ſapa, vel rodomelle, & vtere. Aduertendum autem eſt, ne ex nimia abſterſione ille accidat morbus, qui a Gręcis Ancilogloſſon dicitur, ab Arabibus Alchalel, qui nil aliud eſt, quàm nimia linguę breuitas, ac conuulſio quædam. quando igitur linguæ aliqua ſuboriatur inflãmatio, ſecetur prius vena; inde corpus expurgetur, caſſia, vel ellec. roſato Meſ. vel ex ſucco roſarum: & in omni oris vlcere tenuis victus, & parcus commendatur, vt alica, ptiſanaue exauſta. vitent acria, arida, & difficilia coctu. vinum oligophorum ſit, & in pauca quantitate. Solet etiã in lingua abſceſſus quidam exoriri, à Gręcis Batrachion dictum, eſt autem tumor inflãmationi ſimilis, ſub lingua exorienti, qui ranunculus dicitur. Huius cura aliunde, quàm ex dictis, excipi non debet. ſi tamen in molẽ attollatur; tardeq; ſuppuretur, cephalica eſt incidẽda; deĩde vena, quæ eſt ſub lingua, ſi fuerit opus, parcè nutriatur, & à vino abſtineat.

De Vlceribus collumellæ, & tonſillarum. Cap. VII.

SI quis os adaperiat quantum plus poſſit, linguamq; deprimat, in ipſius centro quid ſuſpẽſum apparet, quod à Græcis gargareon, à modernis collumna, collumella, & vua nuncupatur, licèt vua affectum quendam præter naturam huiuſce partjs, quàm proprium nomen, potius ſignificare videatur. inflammatur facillimè hoc membrum, multumq; patitur ex notabili inflãmatione. excoriatur nanq;, varijsq; modis exulceratur, vlceraq; mala, & fraudulenta euadunt. huius nanq; partis ſubſtantia molis admodũ eſt, & omnem fluxionem deſtillationem ve apta recipere, ſemper nanq; vda eſt, nec medicamenta detinet, vnde ſæpe gangræna oppreſſa, & putrefacta ex ſe ipſa cadit. Eiuſdem naturę ſunt tonſillę, ab iſtis glandes dictæ, in faucibus, vel à lateribus gulę ſitę. ſenſui patent, idcircò vlcera hanc partem occupantia, ſignis non egent, vt cognoſcantur.

PRAXIS.

Si collumella inflammatione tantum tentatur, his medicamentis vtendum eſt, quę humorum fluxionem repellere poſſint, quemadmodum agendum eſſe docuimus in affectibus illis, qui ab humorum fluxione originem ducunt. Interim verò conueniens ſeruanda diæta, venaq; pro opportunitate ſecanda; quæ ſi aliqua de cauſa impediatur, tunc alui ſolutio erit opportuna, elauatum caput detineatur, oſq; gargariſmatibus ex decoctione rubi lentium, ſępę ſæpius abluatur; huiuſmodi namq; remedia adſtringendi virtute pollere debent: fluxione autem mediocri exiſtente, ſequens medicamentum iuuamento erit, ℞. ſucci granatorum dul. mulſę añ. liquiritię minutiſſimè inciſæ .q. ſat videbitur. bulliant omnia ad melis ſpisſitudinem, & addito modico croci vuula cataplaſmetur: quæ ſi fuerit exulcerata, ſiccisſima expoſtulat remedia, prius tamen abſtergenda ſunt vlcera rodomelle, vel vino granatorum, vel omphacio cum melle; hęc enim placidè vlcera abſtergunt, fluxionesq; prohibent; exſiccantur autem medicamento ex gallis, alumine plumæ, carta exuſta cum melle, vel trociſcis Andronij ſubtiliſſimè pul. in quem vſum deſeruiunt etiam mirrha, alumen liquidum, tragacantum, terra lemnia cum mellę, collumella aūt pinna inungenda. inſtrumentum namq; à Græcis ſtaphileparton dictum, propter eius duritiem, reprobatur. tentarunt nonnulli corruptam, vel cancrena detentam vuulam detruncare, vel ita tumefactam, vt patiens ſuffocari videatur; ita namq; iuſſerunt Aetius, & Auicēna. Hippocrates autem, Celſus, atq; Galenus huiuſmodi operationem negligere videntur. Nos tamen ſępe collumellam ita affectam curauimus oleo ex vitreolo melle roſ. admixto, vel ſapa; aliquando autem (caute tamen, ſummaq; cum diligentia operando) cautherio actuali, fœlici cum ſucceſſu vſi ſumus.

De Vlceribus Labiorum. Cap. VIII.

IN Labijs diuerſæ vlcerum ſpecies exoriri ſolent: quæ tamen ſæpius occurrunt, ſunt fiſſurę, à Gręcis ragades dictæ. nonnunquam etiam paruis vlcuſculis afficiuntur, quæ vulgo taroli nuncupari ſolent: aliquando etiam vlceribus planis, mali moris, malignis, & canceroſis infeſtantur, quæ à multis, noli me tangere, nuncupari ſolent. fiſſurarum ſigna ſunt vlcuſcula lunga, ſuperficialia, quæ ad motum labiorum maxime dolent, ita vt ſæpius ſermonem impedire videātur. tempore hyberno quā maxime frigido exoriri ſolent, maximeq; Borea expirante; horumq; cauſa, intenſa eſt ſiccitas, adſtrictioq: potens, vel tandem aduſtus humor. Ea verò, quę taroli nuncupantur, vlcuſcula ſunt parua, rotunda, albicantia, & ſuperficialia, quę ab acri, tenuiq; humore originem ducunt. Benigna, vlcera ſunt plana, ſub epidermide rubicunda, omniq; malo ſymptomate carentia: quę maligna ſunt, ferignaq; dicuntur, & cancri figuram repræſentant, labia inęqualia reddunt, tetri coloris, oſtracoſa, doloroſa, odorisq; ingrati. hiſce pręcedere ſolet, vel exigua puſtula, vel tumor aliquis exiguus atq; durus, fuſci coloris, prauiq; ſenſus, in ſuperficie labiorum, vel faciei, quem Græci ſonthon, Latini varrum, cōmuniter verò, coſſo, nuncupatur. hic vero ab humore craſſo, & aduſto ſępiſſime originem ducit; Interdum verò verucula quędam, à Græcis Acrocordon, vel Mirmichis dicta, vel tandem puſtula quędam melancholica, a malo viuendi regimine originem ducens, vel ex adhibito prędter rationem medicamento, in labijs cancer, phagedenicaq; vlcera induci ſolent.

PRAXIS.

Labiorum ſciſſuris, quando à frigore originem ducunt, mirabili modo conducere ſolet arietina pinguedo, vel aſinina, vel anathina, vel ſimplex, vel cum cera commixta, & oleo amigdalarum dulcium. Idem operatur vitulina pinguedo cum mucilagine ſem. pſilij, & oleo citri. ad idem multū pollet oleū ex mirrha, ex cera, & ex luteo oui: Quę vlcera taroli nuncupantur, alumine liquido applicito facillimè ſanantur: dummodo per temporis ſpatium ibi detineatur: quo non iuuante, huiuſmodi decoctum paretur, quod non modò labijs, ſed ori vniuerſo conducere ſolet: ℞. Aquæ marinę lib. ij. Mali granati in quatuor partes diuiſi, Aluminis crudi ℥. xv. ſublimati optimi gr. ij. ſalis ſardi ʒ. ij. bulliant omnia in olla noua cum ſex folijs lauri, ad tertiæ partis conſumptionem, & coletur; colatura in vaſe vitreo bene obturato ſeruetur; hiſce enim malis pręſentaneum eſt remedium. vlcera plana labiorum curantur vnguento ex tutia, vel albo camphorato, vel ex ſolatro confecto. vel ℞. Litargirij argentei, plumbi exuſti añ. ℥. j. mirrhę, aloes, tutiæ præparatę añ. ℥. s. pinguedinis vituli ℥. ij. ſucci ſolatri, plantaginis, vini granatorum, ol. mirthini añ. ℥. s. bulliant omnia humida ad conſūptionem ſuccorū, deinde cera alba q. ſ. aridaq; addantur, & vnguentum in mortario plumbeo in lenimenti formam conducatur. Vlcera verò maligna, phagedenica, cancriq; naturam redolentia, eadem ratione curantur, quæ in cap. vlcerum famoſorum tradita eſt; ſi autem eorum malignitas proſequi videatur, baſilicam pro opportunitate ſecabis, humoreſq; peccantes imminues, vel caſſia, vel ſyrup. roſ. ſolut. vel electuario roſ. Meſ. vel ex ſucco roſarum: ſi autem aduſti fuerint, cum ſero, vel ſucco fumariæ, vel electuario lenitiuo, vel diaſenne, vel confectione Hamech, & ſimilibus. humores autem, qui relinquuntur, præparantur ſyrup. de epitimo, de fumaria, vel biſantino. cum verò aliqua in vrinis apparuerit concoctio, iterum eua-

cuanda

cuanda eſt materia, hyera Pachij, vel diacolocinthidos, vt iſti appellant, vel pillulis Indis, vel de lapide lazuli, vel decocto epithimi, vel Meſ. vel Auic. vel Raſis, vel pillulis de fumaria, ex eleboro nigro alteratis. Topica, localiaue medicamenta omni mordicatione vacare debent; quare aqua ordei, & melle violato vlcera ipſa abluere ſufficiet, vel aqua ex virga aurea, vel bippinella, & vino granatorum: Si autem aliqualis appareat putredo, hydrargirio præparato remoueatur; in hiſce enim affectionibus multum prodeſſe ſolet. Ab hoc quædam inducitur eſcara, poſt cuius remotionem, tale debet applicari medicamentum. ℞. Terebentinæ claræ ablutæ, vel vino albo, vel aqua ſolatri, prout videbitur opportunitas, ℥.ij. mellis roſati, farinæ ordei añ.ʒ. s. mirræ, terræ lemnię añ. ℥.ij. miſce, & S. A. huiuſmodi medicamento illinitis lichinijs, vlcus impleatur, deſuper autem imponatur vnguentum ex pompholige, donec optima appareat ſanies, & concoctio: Quod verò deficit, reſarciendum eſt diacadmia emplaſtro, vel ex luteo oui camphorato, vel diapalma deſuper inducatur: quæ ſi non profuerint, pars vniuerſa infirma, & ſanioſa ignito ferro amouenda eſt, reiteratoq; actuali cautherio eſt inurenda. Si autem aliqua de cauſa huiuſmodi operatio impediatur, vt puta infirmi timiditate, vlcus autem cacoeticum fuerit, non inconuenit in caſu tali, imò præcipiunt moderni Chirurgi, vt aliquid arſenici ſublimati applicetur, vel ſimplex, vel alijs medicinis commixtum, optima tamen præparata defenſione, ne eius uis terminos pertranſeat, vt puta arſenici granum apponatur, vel ſimplex, vel cum vnguento ceruſato commixtum; hoc enim pacto non multum infert doloris, ſed eſcharã inducit, quæ loto butiro, & ordei farina, vel decocta malua, & axungia porcina remouetur; qua remota, vlcus denuo eſt mundandum: vtuntur autem aliqui ſublimato, terra ſigillata commixto, vel vnguento populeonis: laudant alij trociſcos ex minio, vel ex aſphodellis, qui in tenuiſsimum polinem redacti, malam carnem omnem conſumere ſolent; quo peracto, quemadmodum alia vlcera, proprijs indicationibus curanda ſunt.

In Antidot. 5. f. 4. tract. 2. ca. 1. 9. ad Alm. c. 13.

De Vlceribus Aurium. Cap. IX.

RARO auribus exoriri ſolent affectus, qui chirurgica manu indigeant; idcirco antiquiorum Medicorum perpauci de hiſce verba faciunt: exulcerantur tamen aurium, vel internæ, vel externæ partes; quę externa ſunt vlcera, vel arida, & ſicca, vel multa humiditate, & virulentia plena apparent. inter ſicca aliqua chronica, antiqua ve ſunt, aliqua recentia, & ſanie plena exiſtunt; Horum aliqua doloroſa, profunda, & maligna ſunt; multa verò benigna, plana, & ſalutaria.

Guido magnus. Leo Anneus. Theodoricus. Io. de Vico. Io. Zaghaulti. Celſ. lib 6. c. 7. & lib. 7. c. 8. Gal. 3. loc. & li. 6. de ſimp. & 5. Method. ca. 10. Aet. lib. 5. c. 82. Paul. lib. 3. c. 23 Raſis 9. ad Almanſ. cap. 32. Auic. 4. f. 3. cap. 13.

PRAXIS.

QVIA Auditus organum natura ſicciſſimum eſt, idcirco validiſſimè ſiccantia expoſtulat medicamenta; quare externa, & apparentia vlcera medicamento curantur ex memite confecto, quod glauion à Græcis dicitur, & aceto, vel trociſcis Andronij, & auſtero vino, vel ex ſpuma ferri, & melle. Aliqua autem apparente putredine, hydromelle remouenda eſt, vel mellito vino, vel decocto lentium, vel mirthillorũ, vel ex hedera in uino decoctis, addito melle roſato; deinde tale applicet medicamentũ, ℞. mirrhæ, olibani an. ℥. ij. aluminis vſti ℥. j. mellis q.s. vel ℞. mirrhę, aloes, calcithidis añ. ℥. j. ſucci papaueris, aceti añ. q. s. vel ℞. Aloes, ariſtolochiæ, ſanguinis draconis, ſquamę ęris prçparatæ añ. ℥. j. terantur omnia cum aceto, & modica cera f. vnguentum. ſi aliquis fætor percipiatur, vlcera cum oximelle mundẽtur, deinde cum Iſide curentur: ſi verò corrumpi incęperit, curetur ex ægiptiaco Celſi, ex ęrugine, aceto, & melle confecto: ſi autem vlcus notabili dolore teneatur, licio, & muliebri lacte mulcendus eſt, vel medulla panis, & ſappa, vel medulla anatis, & ol. amigdalino, & croco: ſi autem nimium ſęuiat, fiat colirium ex aloe, & croco, opio, & melle, vel meconium aqua abluatur, & inflãmatus locus emplaſtretur: ſi autẽ multa affluxerit materia, ad os & nares diuertenda eſt, vlcus deinde alumine exuſto, mirrha, calcantho, & melle, & ex hoc auris ſemper cooperienda eſt, poſtque mulſo, quando recens eſt, & aceto, quando antiquum fuerit ablutum. Antiquis vlceribus, humoreq; carentibus, ſequens valet remedium; ℞. hyſopi, medullę cerui, butiri añ. ℥. iiij. reſinæ terebenthinę añ. ℥. ij. ol. amigdalini, & ricini q. s. m. & vtere. Antiquis autem affectibus ℞. mirrhę, ſpumæ nitri, nardi, aluminis ſciſſilis añ. ℥. j. croci. ʒ. iij. miſceantur omnia cum aceto acerrimo: ſi autem multus affluat ſanguis, inſtilletur marubij ſuccus cum aceto, vel ſucco granatorum in aceto decoctorum. Vermes autem, qui in auribus generantur, albo veratro interficiuntur, ſi cum melle, vel ſucco rubi infundatur: ſi autem vlcus profundum extiterit, remedia fiſtulæ, cannaue ſunt inſtillanda.

De Vlceribus faciei. Cap. X.

FAcies, Ea videlicet pars, quæ capillorum principio, mento, & auribus circumſcribitur, quemadmodum & aliȩ partes, exulcerari ſolet, manifeſtis, ſanioſisq; vlceribus, quæ cum peculiarem non requirant curationem, idcirco de ipſis particularis non eſt facienda mentio: non ſunt tamen ſilentio inuoluendi affectus, qui ipſam præcipuè infeſtare ſolent, inter quos prȩcipuum obtinet locum gutta roſacea, deformis potius affectus, quàm morboſus.

DE GVTTA ROSACEA.

SOlent circa eminentiores faciei partes, vt puta ſub oculis, & circa nares, quȩdam exoriri eminentiæ, ſiccȩ, cruſtoſæ, inȩquales, intenſæq; rubedinis, quæ fere ſemper lepræ futurȩ, elephantiaſis ue indicia ſunt. Horum affectuum materieȩ eſt ſanguis craſſus, ac inflãmatus, qui aduſtus redditus inflãmatam, aſpectuq; deformem faciem reddit, affectus hic contagioſus eſt, ecceſſiuoq; hyeme creſcit, ac quotieſcunq; cutis porri conſtipentur, nec vapores, tenuesq; humores ad caput aſcendentes ex pelli poſſunt, quare facies inflãmatur. ex craſſiori autem humoris parte, nonnullæ generantur puſtulæ, variæq; cruſtȩ, ſiccȩ, inæquales, & rubicundæ, quȩ in tetrum affectum cum ſupraſcriptis conditionibus conuertuntur. Appellant Arabes albednaſem, vulgares autem butilaga: quando verò exceſſiue rubet, gutta rubea nuncupatur: quando verò maxima afficit ægrotantem moleſtia, gutta rabida, ſȩpe uerò gutta roſata, vel roſacea, vel Arabica vulgò dici ſolet; reponendus eſt in genere Herpetum cruſtoſorum, ab aduſta bile originem ducentium, quæ propter eius leuitatem innatam faciem petit, eamq; deformem reddit.

Auic 7. 4. tract. 2. cap. 9.

PRAXIS.

IN Cura huius deformis affectionis cutis, omnia videntur conuenire medicinæ inſtrumenta; ea nanq; ſeruãda eſt diȩta, quæ leproſis proponi ſolet. vitentur craſſa cibaria, frigida, ſalſa, difficiliſq; digeſtionis. eligantur, quæ optimum generent ſanguinem, eumq; naturalem, & concoctu facilia. laudatur vinũ album, atq; oligophoron, nec dulce, nec auſterum. fugiendum eſt immoderatum exercitium, maximè autem materias in capite exiſtentes mouere, vel ſurſum ad faciem humores, vaporesuè pellere potens. frigidus aer, coitus, immoderatusq; calor eſt vitandus; quando in facie, mentoq; nonnullæ puſtulæ paruȩ, & inflãmatæ incipiunt apparere. earum cura eſt ventris ſolutio, venȩq; ſectio, affiguntur etiam ſpatulis cucurbitulȩ, hæmoroidibuſque ſanguiſugȩ. cum autem nihil obſtet, baſilica prius eſt incidenda, deinde cõmunis, poſtmodum verò cephalica; ſic enim iubet Hippocrates in ſanguinis rectificatione: quando infirmum eſt caput, minoranda eſt materia ellect. lenitiuo, vel diaſenne, reſiduumq; præparãdum cum ſyrupo de fumaria, ex intibo, ex lupulis, & tandem corpus eſt exquiſite purgandum confectione hamech, hyera Hermetis, vel Pachij, vel cum medicamento ex epithimo Meſ. cum ſero, vel pillulis ex lapide lazuli, quem Grȩci cianeum, Latini verò ceruleum appellant, vel pillulis Indis, remedijſq; ſimilibus. Localia medicamenta fluxiones moderatè repellendi facultate pollere debent, quemadmodum vnguentum roſ. Meſ. vel ſimplex lenimentum, vel litargirium in aceto enutritum. ad idem valet lactucȩ ſuccus, portulacȩ, & aqua roſacea; Idem pollet decoctum rubi, mirthillorumq; in aqua plantaginis: quando verò expanditur rubedo, ℞. uini granatorum, aceti roſ. añ. ℥.ij. ſucci limonum, ſyrupi albi ſine opio añ. ℥.j. bulliant omnia tantiſper; deinde adde ceruſſæ lotȩ, tutiæ prȩparatȩ añ. ℥.s. agitentur diu in mortario plumbeo ad conſiſtentiam lenimenti: vel ℞. aceti roſ. ℥. iij. Aquæ roſ. ℥. ij. ol. omphacini ℥.j. bulliant omnia tãtiſper; deinde adde terrȩ ſigillatȩ, tutiæ præparatæ, ceruſſæ lotȩ añ. ℥. v. ſublimati ℈ ij. m. pro lenimento, quod eſt mirabile. Si autem aliqua ſuperueniat inflammatio, denuo sũt cucurbitulæ ſcapulis applicandȩ, vel hȩmoroides prouocandæ: locus uerò inflãmatus ex ol. frumenti eſt inungendus, vel ex luteo oui, uel unguento roſ. Meſ. In ſtatu uerò huiuſce morbi à multis commendatur ol. ex tartaro cum litargirio aureo, uel auripigmento cum ſucco lapatij, uel ſulphur cum ſucco aſfodellorum, uel acetum cum ceruſſa, & euphorbio. nos autem multum laudamus huiuſmodi remedium; ℞. ol. ex tartaro, ſucci lapatij, limonum, aceti roſ. añ. ℥. ij. aquȩ plantaginis ℥. vj. lupinorum amarorum ℥. ij. radicum dragontij. ℥.j. bulliant omnia leuiter, quouſq; lupini molles fiant, deinde colentur, & adde ceruſſæ lotæ, plumbi uſti, tutiæ præparatæ añ. ℥. iij. hydrargirij ſaliua extincti, deinde cum medulla panis expurgati ℥. j. pinguedinis cerui, hæ di añ. ℥. v. m. in mortario marmoreo ad conſiſtentiam unguenti. Quando uerò morbus inueterauerit, omnium Medicorum iudicio incurabilis eſt.

DE VLCERE NOLI ME TANGERE.

IN facie, in mento præcipuè, vel circa os, tumor quidam paruus, forunculo ſimilis, uel veruculæ cuidam, rectus, durus, fuſciq; coloris enaſci ſolet, qui paulatim excreſcens tandem exulceratur, & in vlcus melancholicū degenerat, caneriq; naturam redolens, idcirco morbus ita malignus eſt, & contagioſus, vt nulli cedat remedio, imò potius ab ipſis irritatur, quàm eius malignitas mitigetur, ſanas partes depaſcit, cōmuniterq; lupus, vel noli me tangere, nuncupatur. huius tamen effectus tardus eſt in conſumptione, quod in uero cancro accidere non ſolet; à bile aduſta, vel mixta originem ducit, & ſub vlcere phagedenico, vel corroſiuo reducitur, in quibus occulta quædam malities reperitur. Ad hæc faciem propter eius raritatem occupare ſolet: quando verò uigoris gradum pertingit, omnia carcinomatis ſigna demonſtrat.

PRAXIS.

QVIA deformis hic, timendusq; affectus, eſt in genere cancrorum manifeſtorum exulceratorum videlicet, ſatiusq; eſt, dicit Hippocrates, quemlibet cancrum non curare, quàm eius curam incaſſum tentare, curati nanq; citius interficiunt, non curati verò longius protrahuntur, idcirco eius curationem tentare non conuenit: ſi uerò aliquod proponatur medicamentum, illud præſeruatiuum potius eſſe debet, ne vlcus euadat, uel exulceratum in deteriorem ſtatum deueniat, moleſtiuſq; quotidie euadat. huic optimum prodeſt vitę regimen, opportuna totius corporis euacuatio, diligenſq; chirurgia: victus igitur tenuis modus eſt iniungēdus, bonum generans nutrimentum. & ſi humoris aduſti in corpore acceruatio vitari non poſsit, propter iecoris intenſam caliditatem, refrigerantibus, & humectantibus cibarijs vtendum eſt, vt ptiſanę cremore, ſero, alteratiſq; iuſculis ex cicorea, endiuia, & boragine; Inter hortenſes herbas, conceduntur artiplices, blitis, cucurbita, & ſimilia: necnon ſaxatiles piſces; aues montanæ, carnes pullorum, hædorum, ſuuiumq; iuniorum, ouaq; recentia, vinumq; tenue, aquoſum, album, omniſque euitetur repletio, acriumq; rerum vſus: & ſi conſenſerit ætas, brachij vena prius eſt ſecanda, tantumq; ſanguinis extrahendū, quantū fuerit opus, deinde hæmoroidalia vaſa ſunt aperiēda, ſi præcipuè appareat morbus ſupra nates, & ſucceſſiue corpus ab aduſtis humoribus purgato conuenientibus medicamentis, quę in principio blandia, benignaq; ſint, progreſſu verò temporis gradatim efficaciora, & potentiora; cum enim euitari non poſſit, quin in corpore aduſti, melancholiciq; humores non generentur, ſaltem opportunis interuallis eos euacuare debemus, pharmacis, necnon ſanguinis euacuatione. localia autem remedia, quæ infirmæ parti adhibentur ante purgationem, temporeq; purgationis, anodina eſſe debent, quæ & fluxionem moderatè prohibere poſſint, vt ſi nullum adhuc appareat vlcus, acetum cum aqua roſacea, & oui albumine, vel ſuccum ſolatri cum ceruſſa abluta, vel vnguentum ex litargirio, & plumbo aduſto: ſed ſi forte aliquod ſæuum appareat vlcus, arſenicum ſublimatum tutiſſimum, præſtantiſſimumq; eſt remedium, opportunè applicitum, & moderatè; inhibet nanq;, & eradicat huiuſce morbi voracitatem, integrumq; à corpore ſegregat, ſi præcipuè idoneo ligno inter ſanam, corruptamq; carnem applicetur. Animaduertendum tamen eſt, ne circunuicinę partes inflāmentur, vel aliquam admittant fluxionem, quod quidem aſſequimur, ſi partes illæ tueantur aliquo defenſiuo, vt pote bolo armena, & aceto, vel oxiſacara, & ſucco ſolatri cum bolo armena, vel vnguēto populeonis: arſenici verò quantitas quando applicatur, paucula admodum eſſe debet, quemadmodum in durioribus corporibus dimidium grani frumenti pro uice: quando verò correctum, alijsq; eſt commixtum medicamentis, ut ceruſſato vnguento, uel ex turia, uel cum butiro ad integrum granum adhiberi poteſt: huiuſmodi tamen medicamento ſæpius, in pauca tamen quantitate, vti, tutius eſt, quā rarius, in maiori tamen quantitate: perdurat autem, abſq; eo quòd mutetur, per tres dies continuos, eſcaramq; inducit, qua butiro ſemota, vel ſucco porri, vlcus eſt rodomelle mundandum, ſucco apij, & ordacea farina, in reliquis, quemadmodum & alia vlcera, curandum eſt.

De Vlceribus Colli. Cap. XI.

COLLVM, ea videlicet pars, quæ mento, & furcula ſuperiori terminatur, uarijs modis vlcere opprimitur, quæ pro uenarum, neruorum, & artheriarum copia, & quia cibi, potusq;, & aeris eſt uia, periculo non vacant, & frequentiſſime ſtrumis moleſtatur, de quibus alias fecimus mentionem. Nunc ab vlcere plano, & ſimplici incipientes, quod ipſi occurrere ſolet, id cerato ex pompholige, uel ex minio, uel ex calcithide curandum eſt: ſi autem profunda, ſinuoſaq; fuerint, maiori indigent ſubſidio; quare inſtituto optimo uitę regimine, conuenientiq; corporis euacuatione præmiſſa, proprijs indicationibus ſunt curanda, detergentibus nempe medicamentis in ſordido ulcere, exſiccantibus autem, nouamq; carnem generantibus in cauo; ordoq; curæ ab abſtergentibus incipiendus eſt: nulla nanq; pars vel agglutinari, uel carne impleri poteſt, niſi prius omnis ſordicies abſtergatur, loculq; infirmus optime mundetur: quando uerò à quocunq; alio

affectu fuerit liberum, vel melicrato ſolo erit mundandum, vel vino mellite, prout magis videbitur opportunũ; id autem maxime accidit, quando vlceris os inferna deſpiciat, vt ſaniei facilis pateat aditus: ſi autem humor, qui à ſinu diſtillat, cruentus, fętiduſq; appareat, oximel prętantiſsimum eſt remedium, addita aliquando modica ægiptiaci quantitate: ſi autem opus fuerit, vt ſuper ſinum medicamentum diutius detineatur, vel damaſcenum, vel iſis, vel etiam ceraſeos medicamentum eſt applicandum; Abſterſione autem perfecta, id medicamentũ applicetur, quod ex cartha combuſta, vel tutia componitur, quorum exigua portio aliquo cõmiſceatur liquori, vt eorum vehementia aliquantulum remittatur; immittantur autem in immo ſinu, vel fiſtula, vel recto ſyphone. Quia autem hoc in loco multæ cauitates accidere ſolent, ſcien. omnes vnguento regali, Baſilicone minori dicto, eas impleri, & ad ſanitatẽ perduci: vel citrino, & ſimilibus, diaphenicino autem ad cicatricem perducuntur.

De Vlceribus Pectoris, & Humerorum. Cap. XII.

CIRCA thoracem pectuſue, hominumq; præcipuè, vlcera accidere ſolent, quæ propter eorum formam, ac figuram, necnon effectum, formicoſa dicuntur; ſuntq; in genere Herpetum depaſcentium, ab humore aduſto originem ducunt, ſæpè ſæpiuſq; paruæ, ac inflãmatæ oriri ſolent, à puſtulis paruis exordientes: ſi autẽ inueterauerint, oſſa corrodunt, pectus perforant, ac in fiſtulas degenerant; nec periculo vacant, cum pectorales partes multis venis, & artherijs abundent; hancq; ob cauſam lumborũ dolores, ac deliria inducere ſolent. Cumq; circa dorſum multi exoriãtur nerui, ſpaſmus facillime, ac periculum inducitur. ſed quia interius de pectoris fiſtulis ſermonem ſumus habituri, nunc illotis pedibus, hęc prætermittemus, ad vlcera formicoſa redeuntes, quæ his ſolummodo accidere ſolent, qui multis aduſtis humoribus ſcatent, necnon & alijs ſuperfluitatibus; quapropter cum nihil obſtet, talia corpora ſunt exquiſitè purganda, & fortaſſe vena ſecanda, quemadmodum in cap. Herpetum iam dictum eſt. Confert huic morbo febricitantiũ victus, interq; principales indicationes ea primum obtinet locum, quæ eſt inflammationem reprimere, deinde ſecunda ſuccedit intentio, quæ eſt morbi cauſſæ concoctio, in quem vſum mirabili modo confert ſequens medicamẽtũ. ℞. Terebentinæ claræ lotæ in aqua plantaginis. ℥. ij. ſucci apij, abſinthij añ. ℥. j. farinæ ordei, lupinorum añ. ℥. s. lutei oui nu. 1. mellis roſ. ℥. iij. miſce, & hoc medicamento lichinia illiniantur, emplaſtrumq; ſaturninum ſuperextendatur: aliqua verò apparente malignitate, hydrargirio præparato eſt remouenda, ea verò perſeuerante, tali corrigatur medicamento; ℞. Mellis crudi. ℥. j. floris æris ʒ. iij. aluminis liquidi ℥. s. ſucci apij, linguę paſerinæ, vini granatorum añ. ℥. s. collentur ſucci, & bulliant omnia lento igne, ſemper agitando, quouſq; mellis ſpiſſitudinem acquirat: ſi verò hoc medicamentum nõ proſit, ægiptiacum expertor, vel ignem; hęc enim medicamenta ſalutem pollicentur.

De Vlceribus Mamillarum. Cap. XIII.

DE Mamillarum cancro, morboue gallico hic verba facturi nõ ſumus; alibi enim de his pertractauimus, ſed de alijs vlceribus agemus, quæ eis occurrere ſolent, quæ maxima conſideratione ſunt pertractanda; in cancri nanq; naturam facilè deducuntur. primum igitur aliquo digeſtiuo ſunt præparanda vlcera, deinde rodomelle abſtergantur, iuxta Dioſcoridem, & Gal. cui adiungit Gal. mirram, & aloem: moderni autem practicantes ſuccum apij, ordeaceamq; farinam adiungunt. bona autem apparente coctione, noua generetur caro, aureo vnguento, vel periclimenone, quod iſti de matriſilua appellant, quod optimũ eſt medicamentum: in hoc verò affectu, medicamentorum crebra mutatio, ac reiteratio, prodeſſe maximè videtur: ſi autem aliqua appareat inflãmatio, vnguento roſ. curetur, vel ol. roſ. in mortario plumbeo, ad ſpiſſitudinem, plumbeo piſtillo agitato; ſi verò aliquis ſuperueniat dolor, oleo roſ. eſt mulcendus, vel cataplaſma ex medulla panis, lacte, & croco eſt parandum, vel ℞. Medullę panis frumenti. vnc. iij. foliorum maluæ, violarum añ. m. s. bulliant omnia in brodio, & adde butiri recentis. ℥. ij. lutei ouorum nu. 1. ol. roſ. vnc. j. croci parum, farinę ordei q. s. vel conducatur emplaſtrum. Cauendum autem, ne ex medicamenti acrimonia, vel caliditate, vel duritie, & ariditate, vel craſsitie, & lichiniorũ longitudine, dolor augeatur. mamillę enim propter earum raritatem, cumq; ſpongioſę ſint, fluxionem omnem facillimè admittunt, ac inflãmantur, quare ſuſpenſę ſunt tenendæ, ne nimia impleantur humiditate: ſi autem lactis copia (prout aliquando accidit) curationem nimia humiditate impedire videatur, lac exſiccetur (niſi fortaſſe lactet mulier) mamilla cooperta terebentina tepida, vel folijs nucis communis, quæ ſunt mirabilia, vel ℈. j. pillularum ex Rabarbaro in aqua plantaginis diſſolutarum exhibeatur. ſi autem papillę mamillarum propter lactis acutiem, vel infantis morſum, fiſſuris moleſtantur, quæ à Græcis ragades dicuntur, à vulgaribus autem ſetole nuncupantur, ita vt mulier in lactis exhibitione dolorem percipiat (in hoc enim affectu accidit aliquando, vt ex toto papillæ corrodantur) multa diligentia, tenuis dieta eſt inſtituenda, frigida, & humida,

mida,uinũ prohibeatur,corpuſq; euacuet̃ caſſia,manna,uel ſyrupo roſ.ſolut.ſi opportunũ videat̃,vel ſalté alternis diebus enematibus, iuxta opportunitaté factis, in principio autem fiſſurarum pręſtantiſſimũ eſt remedium,locum illinire mucilagine .ſ. citoniorum, vel uino granatorum, & bolo armena, vel lacte aſinino, albumine oui,& cartha combuſta, vel f. lenimentũ ex hircino ſæpo, ol.amigdal. dul. & cera citrina. in ſtatu autem, ℞. mucilaginis,ſem. lini, citoniorum an̄.℥.s.ol. maſticini,ol. amigdal.dulciũ, medullæ cruris vituli, pinguedinis hircinæ, an̄. ʒ. ij. pul. ſandalorum,corallorum, tragacanthi,mumiæ, an̄. ʒ.s. camphoræ gr. iij. cerę citrinæ. q. s. & f. vnguentum.

De Vlceribus Articulorum. Cap. XIIII.

ARTICVLI, in quibus oſſa committuntur,ſæpè inflãmantur: qui affectus,ſi abſque methodo curetur,cauorum vlcerum, malęq; naturę ſunt in cauſa,quę cacoetica dicuntur. quemadmodum enim inquit Auic. non omnia loca per ſe abſceſſus perpeti ſunt apta, quemadmodum ſunt articuli, vel oſſium concatenatio, quæ loca uiſcido craſſoq; humore nutriuntur, cauaq; ſunt; quapropter ulcera his contingétia, cauernoſa, & fiſtularia euadunt, & idcirco curatu difficilia. Primus igitur medici ſcopus erit, horum orificium hians, ac patens reddere, ita vt intima eorum pars oculis ſubijci queat. inſuper ſinus abſtergendus eſt uino melite, vel lixiuio claro, & melle, aliquando etiam hydrargirium præparatum addentes. debet autem huiuſmodi medicamentum ſiringa inijci, quandiuq; poteſt, obturatum orificium detinere, vt diutius ibi permaneat, particularemq; efficiat operationem. vel huiuſmodi utere, exſiccãti, abſtergenti, potentiq;, ℞. lixiuij clari, uini nigri an̄.℥.vj. rodomellis ℥. ij. aquæ ardentis ℥.j.vnguenti ægiptiaci ℥.s.m. & tantiſper bulliant. ſi autem aliqua fuerit oſtracoſitas, ea medicamento acuto eſt remouenda, vel ſupradicto pręcipitato, vel ægiptiaco, vel trociſcis ex minio, vel ol. calcanthi, cautione adhibita, ne uicinæ partes offendantur. ſi autem inciſione fuerit opus propter orificij anguſtiam, ita fiat, vt nullus neruus, arteria, venaue lędatur, ſtatimq; ordeacea,& zucharo roſ. abluatur, ſucceſſiueq; carne Aureo,vel Citrino adimpleatur: quod uerò reliquum eſt, argideo emp.vel diaphenicino, vel græco conſequi poterimus.

De Vlceribus Virgæ. Cap. XV.

MEMBRO virili, peniue quodcunq; ulceris genus accidere ſolet, maximeque hiſcę temporibus, quibus morbus gallicus graſſatur, de quo proprio loco uerba ſumus facturi,nunc de vlceribus pertractantes; quæ alia de cauſa, quàm à morbo gallico fiunt, uel ſunt plana, benigna, uel mala, corroſiua, & putrida. benigna, ut aſſerit Raſis, abſterguntur ex aloe inſperſo,& tutia exſiccãtur. ſi autem multa ſcateãt humiditate, hæc abſumitur corticibus pini, & lapide emathite exuſto, vel cucurbita aduſta cum alumine crudo exuſto, emplaſtro ex cartha combuſta,uel ex cancris fluuiatilibus exuſtis; laudat deinceps Gal. cadmiam lotam, & argenti ſpumam,eaq; omnia,quę tanta exſiccãdi virtute pollent,quæ hiſce partibus conueniens eſt, carne ſiccioribus. Notandum eſt etiam, glandis ulcera exſiccantibus ualidioribus curanda eſſe,quàm ea,quæ in præputio exoriuntur: hæc autem exſiccantia magis expoſtulãt, quàm ea, quę in reliquo pene oboriuntur. huius ulceris cauſa eſt ſordicies quædam, aliquando alba, aliquando nigra, quę intra præputium detenta,& exferuefacta, ulcuſcula illa producit, quæ vulgo taroli nuncupantur. exoriuntur aliquando ex labore, uel equitando, uel remigando, uel quocunq; alio modo perpeſſo, & eadem ſorditie eo loci detenta.accidunt aliquãdo ẽt ex adſtringentibus applicitis medicamentis, quorũ vſus apud ſcorta frequẽs èſt ad vuluę adſtrictionem. ſi ergo phagedenicũ, uel corroſiuũ fuerit vlcus, huius effectus cauſa eſt indaganda: quod ſi præ nimia malorũ humorũ copia fiat, ea eſt imminuẽda; vnde nullo obſtante,baſilica eſt incidenda; quod conueniens magis eſt medicamentũ, quàm pharmacia. morbus nanq; in extremis partibus eſt, cui magis reuulſio cõuenit, quàm attractio, quæ ſoluentiũ medicamentorũ principalis eſt effectus: ſi tamen cacochimia appareat, ea opportuno medicamento eſt euacuanda, id Hipp.aſſerente. quare cum hi morbi ab aduſto,& acri humore fiant, hi ellect. de pſilio ſunt deturbandi, uel ellect. ex ſucco roſ. cum rab.& ſyrupo roſ.ſol.tenuis ſit victus, frigidus,& humidus; quieſcat ęger, motus nanq; ſordidũ vlcus reddit; appenſum membrũ detineatur,& uentri alligetur, ne pendens fluxiones admittat. vt autẽ omnis prohibeat̃ corruptio, defenſiuũ aliquod ſuperiori loco applicet̃, vt acetũ, & bolus armena. Hancq; decoctionem parato, ℞. mirtillorum, rubi roſarum, corticum granatorum, plantaginis, linguę paſerinæ, aluminis liquidi an̄. q. 5. & fiat decoctio in uino nigro, qua facta ablutione, huiuſcemodi pul. applicetur. ℞. ſem. roſarum, baccarum mirthi, balauſtiorum an̄. vnc. ij. ariſtolochię longę, aluminis rubei an̄. ʒ. ij. m. & f. puluis ſubtiliſs. vel cum ol. maſticino, & f. vnguentum. ſi autem hæc non iuuerint remedia, ad hydrargirium præparatũ confugiendũ eſt. Abſterguntur autem ulcera vnguento damaſceno, uel iſide, nouaq; inducitur caro, licet iuxta Hippocratis auctoritatem, dicentis, præputium

Gal. 1. loc. & vi Metho. cap. vii.

6. Aph. 19. lib. de coacis prænotio. & lib. de morbis. Ariſt. 3. de Hyſtoria animaliũ cap. 19. Gal. 1. de ſem. cap. 8. Aetius lib. 14. cap. 16. Paul. lib. 3. cap. 59. & lib. 7. cap. 17. Celſ. lib. 6. cap. 18. & lib. 7. cap. 25. Paul. lib. 6. cap. 55.

diuiſum nec creſcere, nec uniri, pauca gigni poſsit, olibano, maſtice, tutia, aloe, anetho exuſto, & ſimilib. medicamentis, tandem diacadmia, vel ceruſſato vnguento ad cicatricem perducuntur. ſi autem aliqua inteſtauerit ulcus putredo, apoſtolorum unguento remoueatur, uel iſide, uel alio leuiori remedio, cum prædictis commixto, ut ℞. vnguenti citrini unz. j. iſidis ℥. iij. ægiptiaci ℥. ij. m. uel ℞. unguenti baſiliconis minoris vnz. j. ægiptiaci ℥. ij. m. ſi autem huiuſcemodi vlcera conſolidatu difficilia, ac maligna euadant, eorum malignitas eſt remouenda, corachon, uel corace, uel etiam conco appellato medicamento, cuius deſcriptio hęc eſt, ℞. pul. gallarum unz. ij. ſquammę æris unz. j. ʒ. calcithidis, olibani añ unz. j. triturentur hæc cum aceto per multos dies; deinde adde mellis albi unz. v. & iterum miſceantur, & adde ol. mirthini unz. ij. pinguedini taurinæ unz. viij. terebenthinę unz. j. m. & f. emplaſtrum S. A. & nos ſępe tali uſi ſumus medicamento, ℞. plumbi exuſti, cartę exuſtæ, aluminis vſti, fęcis ferri, ſanguinis draconis añ. unz. j. aloes, olibani añ unz. ʒ. ol. mirthini, & ceræ q. ſ. hiſq; ac ſimilibus remediis ulcera virgæ ſanantur, tam ea, quæ in pręputio contingunt, quàm ea, quæ glandi accidunt. Accidit etiã aliquando, vt genitale ita tumeſcat, maximeq; præputium, ita vt glans videri, nec ulcus inſpici poſſit, qui affectus phima, uel phimoſis à Latinis clauſura nuncupatur. aliquando ita retrahitur præputium, vt maxima cũ difficultate proprio loco reduci queat, unde glans omnino aperta appareat, qui affectus à Græcis periphimoſis appellatur, cui ſæpe tumor magnitudine notabili accidit, rubicũdus, tractabilis, abſq; dolore, flatuq; plenus, uel tenui pituita. cum igitur ob aliquam exortam inflãmationem, uel ulcus genitale intumeſcat, præputiumq; proprio loco reduci nequeat, locus aqua tepida ſæpe ſæpius fomentandus eſt vſu ſyphonis. ſi glans fuerit cooperta præputio, inter vtrunq; tepida aqua eſt inijcienda, quo pręſidij genere ſi pellis mollis, tractabiliſq; euadat, nil aliud eſt peragendum. ſi autem tumor pertinax adhuc fuerit, lens, marubium, & malua in uno ſunt decoquenda, aliqua addita mellis portione. ſi autem hæc non iuuerint, cataplaſma parato ex maluis, ſem. lini, & altea cum luteo oui, & butiro, uel f. emplaſtrum ex malua, altea, pinguedine gallinæ, triticea farina, butiro, ol. roſ. luteo oui, croco, & ſapa. prodeſt etiam aliquando ceratum ex altea, mucilaginibus, uel diaquilon dictum. ſi morbus hiſce remedijs nõ cedat, glanſq; etiam cooperta remaneat, interim ulcere progrediente, quod ex dolore, multaque humiditate colligetur, mulſo abluatur, ex vino, & melle, addito modico alumine: uel multa effluente ſanie, eaq; fætente, adde huiuſmodi decoctionem, lentium æruginis, & trociſcos Andronis, vel ℞. lixiuij clari unz. x. rob. unz. iiij. vnguenti ægiptiaci unz. j. m. & tantiſper bulliant, hæc enim decoctio omnem putredinem mirabili modo abſumere ſolet, in ulceribus illis, quę cætera remedia admittere non poſſunt. ſi autem phimoſis, ipſaue clauſura, ita anguſta, arida, & rimis plena fuerit, vt patiens nõ modò vehementiſſimis doloribus cruciet ur, ſed nec ſtili acies penetrare poſſit, imò difficultas vrinę acciderit, abſq; ulla ſpe ſalutis, tunc locum clauſum adaperire eſt neceſſarium lichinijs uario modo paratis, uel etiam ferro. quod duobus modis perfici poteſt, quorum alter eſt, ut per longum vnica uice pręputium incidatur, uel forfice, uel ſcolopomacherio, ut pateat vlcus. inciſione autem facta, ſtatim morbus pannis cooperiendus eſt, ne à frigido lædatur. Hoc autem ab omnibus non commendatur, diuiſę nanq; partes reuniri non poſſunt, imò cadit præputium, retrahiturq;, eminentiam quandam generans deformem, & incõmodam. proponitur igitur ſecundus modus, in quo diuiditur pellis intus ſolũmodo, & in inferiori parte recta linea à ſummo incipientis, uſq; ad frenum. tergus .n. hoc modo, ſuperius relaxatum, decidere, & retrocedere ſolet: quod ſi parum afferat iuuamenti, uel propter anguſtiam, vel propter duritiem, interna pellis eſt incidenda duabus, tribusue ſectionibus, linea recta factis, & æquali ſpatio inuicem diſtantibus. ſi autem acerbi, intenſiq; dolores inuadant, uel inflãmatio, victus imminuendus eſt, vena ſecanda, corpuſq; euacuandum, cliſterijs interpolatis diebus factis: interim uerò pars inflãmata ol. uiolato, uel vnguento roſato, uel lenimento ſimplici eſt inungenda. ſi autem ita uſu veniat, f. emplaſtrum ex maluis, uiolaria, fertula campana, farina ordei, luteo oui, ol. roſ. & croco: quo caſu urgente neceſſitate, vnguentũ populeonis addere poterimus, uel ſuccum ſolatri: medicamenta autem noctu, diuq; ſunt permutanda, ne exſiccentur; interim vero animaduertendum eſt, ne præputiũ glandi ex occulto adhæreat, & ſimul uniantur, quod ſępe propter ulcera accidere ſolet, unde petiæ lineæ tenues aliquo lenimento illinitæ ſunt interponendæ. ſi autem id acciderit, ſcalpello inuicem ſunt diuidenda, diuiſaq; conſeruanda: huiuſmodi autem morbi in phagedenica ulcera, & cancrenas ſæpe incidunt, unde cunctandum non eſt, ſed ſtatim opportunis remedijs occurrendum, quæ ſi parũ proſint, ignito ferro eorũ ſæuities eſt extinguenda. ſi autem affectus hic ſerpens abſq; eoquod percipiatur ſenſu, ad vrinæ meatũ peruenerit, incurabilis eſt: ſi autem in ſumma glande extiterit, prius fiſtula, uel argẽtea, uel plũbea in urinæ meatũ eſt imponenda, ne claudatur, deinde ferro exuren. ſi autem cancrena altius penetrauerit, omne corruptum remouendum, & exurendum, eſcara autem remota, quemadmodum & alia ulcera, curanda ſunt: ſi autem eſcara immobilis remaneat, uel medicamenti, uel ferri cauſa, emoragiæ alicuius periculum imminet. His autem, qui inciſionem perpeti non poſſunt, f. circulus latus, uel canaliculus plumbeus ita ſubtilis, vt pręputium ingredi poſſit, ſenſimq; imponitur, in ipſo canaliculo imponentes fruſtulũ ſpongiæ optimę compreſſæ, quæ dum præ humiditate tumeſcit, ſenſim dilatat, prædictamq; clauſuram aperit. hęc modernorum Chirurgicorum eſt inuentio, & optima, meo quidem iudicio. ſecunda autem clauſurę ſpecies periphimoſis à Gręcis dicta, eſt illa, in qua

ita

ita aperta, ac nuda glans apparet, propter præputij contractionẽ, vt nullo modo cooperiri poſſit, mor bus deformis eſt, in pueriſq; facilior curatu, quàm in adultis. cum autem inueterauerit, omnino incurabilis eſt: quando autem nundum inueterauerit, nec occaluerit, diutius ol. amigdalino tepido inungendus eſt, manibus tractando, & ſuo loco deducendus: ſi autem non profuerit, decoctum maluæ, acanthi, & alteæ applicandum eſt, eo vaſes genere, quod anguſtũ orificium, latiorẽ verò habeat fundum, deinde tentandum, an vi poſſit in priſtinum deduci. quo, propter eius duritiem, non ſuccedente, ſcalpello cutis leuiter eſt ſcarificanda, teneris nanq; fiet propter ſanguinis exitum, faciliuſque ſuo detrudetur loco; ſtatimq; cataplaſma apponendum ex cicerum farina, floribus camomillæ, meliloto, & vino nigro. Vrinæ meatus aliquando ex eius acredine excoriari ſolet, ita vt ægrotantes ex intenſiſsimo dolore in ſpaſmum deduci videantur. vt igitur talis leuetur dolor, tale præſidij genus componatur, quod quidem in tali caſu mirabile eſt; ℞. aquæ plãtaginis, roſarum, ſolatri añ. vnc. iij. tutiæ præparatæ ʒ. iij. floris ęris gr. ij. bulliant tantiſper, & ſiphone diu noctu eo ſæpius vtere. Iuxta Aetium maximè cõmendatur cignarium collirium, in lacte diſſolutum, & ipſe, eius virtutis, & præſtantiæ largam fidem, teſtimoniumq; perhibet. Iuxta Gal. autem, ℞. Licij, Mirrhæ añ. ʒ. ij. calcithidis ʒ. j. f. pul. ſubtiliſs. & adde rob. parum, vini albi odorati ʒ. iiij. decoquantur omnia ad mellis conſiſtentiam, & ſeruentur in vaſe plumbeo. quando autem eo vti volueris, diſſoluantur cum ol. roſato claro. Auic. autem trociſcos ex thure, in lacte, vel vino diſſolutos, commendat. Non inconuenit autẽ aliquando, lotione pręmiſſa, plũbeam virgam, vel pinnam auis in canali detinere, ne partes vlceratæ ſimul coaleſcant; In hoc vrinario meatu aliquãdo aliquæ paruæ carunculæ exoriri ſolent, omni ſenſu priuatæ, quæ, vel ex malo applicito medicamento, vel ex longo ſeminis profluuio inuoluntario, ſuperueniunt, quarum aliæ molles ſunt, alię verò durę; moles, ſabina exſiccata, & pul. vel hermodactilorum pul. vel ſerpentariæ radice remoueri ſolent: duræ verò quantò antiquiores in hiſce curandis, tantò maior inſurgit difficultas, ad fortioraq; medicamenta deueniendum eſt, ſemper aduertentes, ne corroſiua medicamenta liquidiora ſint; quare in hunc vſum, ſutorium atramentum, calcanthum dictũ, maximè commendatur, vel mercurium præparatum, præcipitatum vulgare videlicet, vel ægiptiacum ſolum, vel emplaſtro ex ceruſſa commixtum. Carne verò conſumata, locus aqua plantaginis, vel vino nigro cum tutia eſt abluendus, & de hoc ſatis.

Accidit etiam aliquando, vt vlcus corrodens, ita meatum vrinarium excedat, vt ab ipſo vlcere vrina egrediatur, tuncq; caſus difficilis euadit curatu; idcirco interius, exteriuſue medicamenta conueniunt, q̃ exſiccãdi facultate maximè ſint prædita, ſyphone igitur ſequens inijciatur medicamentum, ℞. aquæ plantaginis vnc. iij. vini nigri. vnc. j. s. tutiæ preparatæ, æruginis abraſæ, & combuſtæ, aluminis liquidi añ. ʒ. iij. bulliant tantiſper ſimul, & applicetur. Exterius verò tale conuenit medicamentum, ℞. thuris, aloes, mirrhę, ſarcocollę. añ. ʒ. j. anethi exuſti, corticum pini exuſtarum, tutiæ pręparatę, plumbi exuſti, ceruſſæ añ. ʒ. s. f. pul. ſubtiliſs. quo impleantur vlcus, ſuperponendo emplaſtrum ex tutia, vel ex carta combuſta. Accidit etiam ſæpè, vt findatur pellis, illudque ſiſſurarum genus exoriatur, quę à Græcis ragades appellantur. Hæ à principio curantur fotu ex decoctione maluæ, & ſem. lini, vel ſedeat patiens in aqua calida decoctionis maluæ acanthi, & pimpinellę, deinde ſiſſuræ inungãtur, oleo ex ſem. lini, vel nucum, vel ex oui luteo, & deſuper imponantur columborum oua elixata, & dura, vel huiuſmodi medicamentum, ℞. ol. roſ. vnc. iiij. cerę vnc. iiij. ceruſſæ, plumbi exuſti, añ. vnc. s. ammili, tragacanthi añ. ʒ. j. opij camphoræ, añ. ʒ. s. lutei ouorum nu. 4. m. vel ℞. vnguen. roſati, ol. omphacini, añ. vnc. j. ſucci plantaginis, vnc. s. pinguedinis vitulinę, vnc. j. litargirij aurei, & argentei, añ. vnc. vj. plumbi exuſti, cæruſſę, tutiæ, añ. ʒ. iij. antimonij, ʒ. ij. thuris, terræ ſigillatę, boli armeni, añ. ʒ. j. miſc. in mortario plumbeo, plumbeo piſtillo per duas horas, & f. vnguentum; hiſce autem non conferentibus remedijs, ℞. ol. lutei ouorum, ʒ. ij. ſulphuris ʒ. j. m. & ex hoc ragades leuiter illiniantur, interim ab acrioribus, acutiſue cibarijs abſtinentes, ventremq; violenter non mouentes, ſed ex liquidis, leuioribuſq;, & ſubpinguibus cibantes, & vino tenui, niſi tamen aliquid obſtet.

De Vlceribus Vuluæ, & Matricis. Cap. XVI.

NASCVNTVR in ſinu mulierum, vel in ingreſſu vuluæ, vel in colo vteri, vel in ipſo vtero, varij affectus, vlceraq; diuerſa ab humorum acriorum fluxione generata, vel ex ipſius loci immunditie, vel medicamentorum acredine, vel ex infelici partu, vel ex ſuppurato tumore, vel tandem ax alicuius rei infectæ contagio, hiſceq; in locis excreſcentię quædam monſtruoſæ generantur, quarum omnium paſſionũ, partim in præſenti, partim aliàs, ſumus verba facturi. Hic breuiter occurrentiũ vlcerum hiſtoriam contexemus, quæ vel ſuperficialia, & ſenſibus etiam manifeſta ſunt, quæ ex ſitu, & exeuntibus cognoſcuntur. Horum etiam aliqua ſunt pura, & ſimplicia vlcera, alia doloroſa, inflãmata, putrida, & fiſtuloſa, quæ in orificio vuluæ naſcuntur, faciliimè oculo cognoſcuntur: quę verò ceruicem, vel vterum ipſum infeſtant, eo indigent inſtrumẽto, quod Græci Aliotta, & driopiſmon, Latini matricis ſpiculum appellant; licèt ſæpius ab excrementis, continuo exeuntib. vlcerũ natura cognoſcatur, paruum nanq; vlcus, & purum, niſi paruo expurgatur humore, æquali, boni colo-

ris, & ſine malo odore, ex vlcere verò doloroſo, vel inflãmato, humor crudus, & fęculentus, & mordax egreditur; ex ſordido verò craſſus, & viſcoſus; ex virulenti, & corroſiuo, maxima humorum copia, fętens, maliq; coloris; & tandẽ vlcera illa, quæ continua febre ſunt concomitata, dolore atroci, inquietudine, animi deliquio, & morte, interdum in cancri naturam, etiam manifeſti, conuerti ſolent.

PRAXIS.

HI affectus curantur (ſemota morbi gallici ſuſpicione) iuxta eorum peculiarem naturam, quæ aliquando ex apparentium accidentium vehementia deſumi ſolet: in vniuerſum tamen commendãtur medicamenta, quæ multum exſiccare valeant, ſine mordicatione tamen; loci nanq; natura maximè humida eſt, quia etiam locus hic variarum ſuperfluitatum via eſt, ac iter; idcirco & abſtergentibus indigemus, & in tali caſu eo vtendum eſt inſtrumento, quod Græci Metrenehitam, & piulcham, Arabes verò clapſidram appellant, nos verò Latinos imitantes, cliſtere oriculare, vel iniectorium appellamus. Remedia verò in hunc vſum approbata, ſunt aqua marina, aqua ordeacea cum melle, vel vinum melite, vel aliquod magiſtrale decoctum, vt ℞. ordei cum cortice torrefacti m. 1. roſarum rub. balauſtiorum, mirabolanorum citrinorum, añ. vnc. s. aquæ calibeatæ q.s. & f. decoctio, cui adde mellis albi vnc. iiij. vel decoquantur lentes, & lupini in aqua marina, quouſque molles fiant, deinde colẽtur, & adde ſyrupi roſati, vel mellis roſ. q.s. quando verò q. s. fuerit abſterſum vlcus, regatur diacadmia, vel ex pompholige emplaſtro, vel diacartho famoſo, ad ſanitatem perducatur: ſi verò multa ſuperabundet humiditas, vel profundum fuerit vlcus, ℞. aloes, ʒ. ij. gallarum, ſanguinis draconis, boli armenę, tutiæ, irios, ariſtolochiæ rotundæ, mirrhæ, gummi Arabici, añ. ʒ. j. aluminis aduſti ʒ. ij. m. & f. pul. ſubtilis. & tale paretur emplaſtrum, ℞. ſpummæ argenti, ceruſſæ lotæ, ſarcocollæ, añ. vnc. s. aloes, mirrhę, añ. ʒ. ij. ceræ, & ol. roſ. q. s. vel ℞. tutiæ lotæ, chimiæ ex argento, mirrhæ, ſarcocollæ, añ. ʒ. s. carthæ combuſtæ, añ. ʒ. iij. ol. mirthini, & ceræ q. s. ſi verò patiens doloribus fuerit vexata, vlcus eſt abluendum, vel lacte, vel ſero. ſi verò vrgentes fuerint dolores, mulcendi ſunt in ſeſſu ex decocto plantaginis, maluæ, pimpinellę, camomillæ, ſertulæ campanæ, in vino albo tenui, vel ſero: vlcus verò, emplaſtro ex ſucco ſolatri, & emplaſtro ſimplici diutius in mortario plumbeo ad mellis ſpisſitudinem agitato, curatur. Vlcera verò, quę in vtero, vel circa vterum ſunt, hiſce ſignis cognoſcuntur; exit nanque ab ipſo ſanguis, ſanieiq; copia, percipitur grauis fætor, lumbi, inguina, & imus venter, doloribus acutis ab alto verſus coſtas, humeroſq; exordientibus; Capite dolet, infelixq; patiens delirat, & temporis progreſſu vterus tumeſcit, cui debilitas, febriſq; continua ſuccedit. cum hęc ſigna apparuerint, victus opportunus inſtituendus eſt, iuxta vlceris diſpoſitionem, humorumq; naturam, & corporis. procuretur in hiſce morbis alui beneficium; & aliqua apparente pletoria, baſilica incidatur, deinde ſi fuerit opus, quæ genubus eſt vicina: & pro corporis lenitione, laudatur caſſia, manna, & ſyrupus roſ. ſol. nec vrina mouenda eſt, nec aliquod aliud excrementum violenter mouendum. vomitus pro reuulſione conuenire videtur; & ſi lotionibus vtendum erit, vino vti melius eſt, quàm aqua, ſępeq; vlcus abluendum; aliter nanque malignum euadit. Quia autem omnis Medici intentio eſt in hoc infelici morbo doloris prohibitio, idcircò pecten ex floribus meliloti in vino decoctis, luteis ouorum elixatorum nu. 4. olei violati, vnguenti roſati añ q. s. croci parum, miſce, & f. emplaſtrum. in reliquis, vlcus, quemadmodũ & alia vlcera, curandum eſt, maiori videlicet, minoriue abſterſione, prout opus fuerit.

ADDITIO.

EXoriuntur in obſcęnis partibus mulierum, fiſtulæ, innaturales tumores, multęq; excreſcentiæ, quarum licèt in ſubſequenti tractatu verba ſimus facturi; hoc loco tamen de his aliquid pertractare opportunum iudicamus, à thimo exordientes; id autem eſt excreſcentia quędam carnoſa, mollis, rubicunda, vel dealbicans, inęqualis, abſque dolore, quæ frequenter naturales hominum partes, necnon & mulierum, infeſtare ſolet, à Gręcis thymum dicitur; eoquòd thimĩ flori, vel epithimi perſimile ſit; ab Arabibus aſſe, vel alaſſe dicitur, quod eſt ſtecadis flos; licèt Auic. interpretes morum appellent, eoquòd cum moro Celſi ſimilitudinem habeat; Albucaſis batherem vocat, Celſus uerò fungum: Ait pręterea Aetius, excreſcentias iſtas, cum paruæ fuerint, thimos nuncupari; cum autem ſupercreuerint, ficus appellari, vulgo autem porrifichi dicuntur. Parui thimi benigni ſunt, & facillimè curantur, magni verò aliquando maligni, & incurabiles exiſtunt. Reperitur pręterea alia excreſcentiarum ſpecies hiſce in locis, à Gręcis ninpha dicta, ab Arabibus tentigo, à Latinis cauda dicitur; in magnam attollitur molem in aliquibus mulieribus, exiguiq; pudoris ſunt indicium, imò (vt aliqui aſſerunt) mulieres ſunt, quę hac parte mediante, maris munere in coitu funguntur, & Venerẽ cum alijs exercent: ninpha tamen à cauda differt, eò quia ninpha ſubſtantia quædam muſculoſa eſt, mouetur, & panni alicuius affrictu turget, cauda autem per ſe immobilis eſt, & aliquando ita excreſcit, vt totam vteri ceruicem adimpleat, ſæpeque ita egrediatur, vt vere caudà videatur. hoc accidens à Latinis cauda, à Græcis circòſim, ab Arabibus furſus appellatur; Archigenes autem aſſerit, excreſcentiam iſtam, æſtiuo tempore longam fieri, hyberno autem breuem, licèt aliter Hipp. & Gal. ſentire videantur. Solet, pręter prędictas, aliud excreſcentiarum genus haſce partes infeſtare, quod carnoſum, durum, immobile, pendens, & calloſum eſt, Græcis

condi-

condiloma dicitur, Arabibus althelit, Latinis verò veruca, in principio tuberculus dicitur; in ſtatu verò condiloma. differt à ninpha, ſubſtantia, motu, & operatione. Apparent pręterea in vuluę orificio venæ nonnullę, quæ tuberculi cuiuſdam duri, ſenſus expertis (præterquam vbi inflãmantur) effigiem referunt, cõmuniter ab omnibus emororoides dicuntur; Turgent, quando dolent; dolent verò, quando inflãmantur; inflãmantur autem, quando non ſuperueniunt debito tempore menſtruę purgationes; tunc enim rubicundę, durę, & doloroſæ euadunt: ſi autem repleantur, & exſiccentur, diutiuſq; durent, abſq; vlla humiditatis expurgatione, condilomata fiunt: tactu autem, ex apertione oris vteri, cognoſcuntur; fiſſuræ verò, quæ in vuluæ ingreſſu apparent, oculis patent; mulieres enim expurgationem huiuſmodi ſymptoma arbitrantur, non morbum. Harum omnium excreſcentiarum materia eſt ſanguis craſſus, & in carnis melancholicę, & inutilis naturam conuerſus; quę ſi abſque ordine curetur, in cancrum degenerare ſolet. Nos autem huiuſmodi affectus curationem in cap. de excreſcentijs pertractare decreuimus.

De Vlceribus Sedis. Cap. XVII.

SEDIS vlcera, anus videlicet, & recti inteſtini extremitatis, qui locus à Medicis podex ſphincter, vel perineon dicitur, varia ſunt, varijſq; modis exoriuntur, quędam nanq; benigna, ſimpliciaq; ſunt, alia verò longa, inęqualia, corroſiua, putrida, vermicoſa, oſtracoſa, fiſtuloſa, & canceroſa. horum autem aliqua extra, multa verò intus eueniunt, in occultis rectum inteſtinum afficitur. Extrinſeca vlcera ſenſu deprehenduntur, non multaq; difficultate curantur; indigent tamen validè exſiccantibus medicinis, quemadmodum in virgę, & vuluę curatione ſuperius propoſuimus: vlcera verò, quæ occulta, nec benigna ſunt, multis de cauſis cum difficultate curantur. cum.n. particula hęc admodũ ſenſibilis ſit, facillimè exaſperatur, acriorib. applicitis remedijs; iacet præterea in imo ventre, & ferè eſt in continuo motu; cibiq; excrementorum iter, ac via eſt, ipſaq; ex ſui natura mordicationẽ pati apta, quotieſcunq; vel bilis ipſa, vel ſaniei aliqua portio ibi detineatur. non datur etiam Medicis determinatũ aliquòd tempus, quo medicamenta applicari poſſint; ferè ſemper namque accidit, vt indeterminato tempore excrementa educantur. loci autem caliditas, & humiditas non paucam curationi difficultatem affert. Harum partium vlcera magna, mortalia iudicantur, cum nec caro ſupercreſcere, nec ad cicatricem perduci queant.

Hipp. lib. de fiſtulis. Celſus lib. 6. ca. 18. Gal. 1. de medicamentis lo. & 6 de affect. inter. & 5 Metho. in fine. c. 4. Aph 24. & 26. Aetius lib. 14. cap. 1. & 10. Paul. lib. 3. cap. 59. Auic. 18. f. 3. cap. vltimo.

PRAXIS.

IN vlcerum ſedis, & inteſtinorum curatione ea conueniunt medicamenta, quæ abſq; vlla acrimonia exſiccare, ac adſtringere poſſint; cuiuſmodi metallica ſunt, quę non acria, id operantur, quod in hac curatione conuenire videtur. Prius autem vlcus lauare proderit lacte, ſi dolor infeſtet; ſi autem non, aqua ordei addito melle, ſi opportunum videbitur, vel vino mellite, vel aqua marina, vel lixiuio dulci, vel aliquo magiſtrali decocto maioris, minoriſue abſterſionis. huius autem morbi eſſentia, lociq; natura optimè inueſtiganda eſt; ſi enim morbus abditus ſit, ſedes adaperienda eſt, eo inſtrumento, quod catopter à Gręcis dicitur, à Latinis ſpeculum anus appellatur; huiuſce nanq; partis affectus, ſi medicamentis non cedant, manu, ac inſtrumentis pertractandi ſunt; quando verò in propatulo fuerint, indicationibus neceſſarijs curandi ſunt, nec manuum operationes pertimeſcendæ, cum dicat Hipp. non offẽdi rectum inteſtinum, vel ex ſutura, vel inciſione, vel etiam ex aduſtione, licèt hęc grauia videantur. ſi igitur in prædicto loco aliquis tumor ſuppuretur, & ſanies appareat, ſtatim incidendus eſt, ne vniuerſa podicis pars ſuppuretur: non laudo tamen, vt omnino crudus incidatur; tunc enim inflãmatur, & maior ſaniei malę copia generatur, ſemperq; de fiſtulę generatione pertimeſcendum eſt. Localia remedia huic parti opportuna ſunt, quę & naturalibus partibus ſunt conuenientia. hoc autem ſummopere ſeruandum eſt, vt talia vlcera ſępe ſępius abluantur, & adſtringentia ſine morſu applicentur, quęq; ſine inflãmatione validè exſiccent, quemadmodum ſunt, quæ ex cartha combuſta fiunt, vel ex cucurbita exuſta, vel ẽt ex anetho exuſto, maximè verò, quando multa ſuperabundet humiditas; non minus etiam aliquando pollent, pompholix, vel piceę cortex ſolę, vel lapis emathites: maximè verò recentibus vlceribus prodeſt aloes exſiccatum, & in tenuiſſimum polinem redactum: ſi autem aliqua cauitas appareat, thus, & ariſtolochia addenda ſunt; vlcera verò inteſtini eiſdem indigent remedijs, liquidiora tamen paranda ſunt, vt per ſyphonem inijci queant, vel ſucco plantaginis, vel equiſeti, vel centinodię, vel aqua mellis, vel marina, vel aluminoſa, vel fabrorum, vel aurificum, vel etiam vino auſtero; emplaſtra autẽ huiuſmodi eſſe debent, vt ℞. vnguenti ex pompholige, vnguenti albi camphorati, añ. ℥. iij. ol. mirthini, ol. roſ. omphacini, añ. ℥. j. mannæ, thuris, aloes, añ. ʒ. iij. litargirij argentei, ʒ. j. ſucci ſolatri, verbaſci, plantaginis, añ. q. s. miſceantur in mortario plumbeo, & f. vnguentum S. A. vel ℞. ceruſſę, ſpumę argenti, añ. ʒ. iiij. thuris, aluminis ſciſſilis, añ. ℥. s. aloes ℥. j. croci. ℈. ij. cerę, ol. mirthini, añ. q. s. vel ℞. plumbi exuſti, & loti ʒ. iij. ſpummæ argenti ℥. s. lapidis emathitis, aloes, añ. ʒ. j. s. tutię præparatæ, corticum pini exſiccatorum, añ. ʒ. ij. ſeminum anethi exuſti, cucurbitæ exuſtæ, añ. ʒ. j. ol. roſ. omphacini ʒ. iij. ceræ albę, q. s. Hiſce, & ſimilibus remedijs ſedis vlcera ſanantur, quę cancri non redolent na-

tura n

turam, nec morbi gallici, de his etenim proprio loco tractabimus.

ADDITIO.

SEdes, præter prædictos affectus, alijs malis etiam infeſtatur, quibuſdam videlicet fiſſuris, quæ ragades dicuntur: hæ autem fiſſuræ quædam ſunt anguſtæ, longæ, in pelle exiſtentes. præterea etiam fungo, qui à Græcis thimũ dicitur, apud Vulgares porfico nuncupatur; hęmoroidibus etiam, quæ ora ſunt venarum, quæ turgeſcentes ſæpè dolent, & ex his ſanguis emanat, tandemq; inteſtini procidentia, ex multa humiditate eum relaxante procreata. hic autem affectus pueris morbus familiaris eſt. de horum autem morborum curatione partim verba facimus, partim alio loco facturi ſumus.

De Vlceribus, & fiſſuris Manuum, & Pedum. Cap. XVIII.

Hipp. 1. de mor. pop. Celſus lib. 5. ca. propriS. Aetius lib. 14. cap. 73. Paul. lib. 3. cap. 79. Auic. 7. 4. tract. 3. cap. 18.

EXORIVNTVR in digitis manuum, & pedum, & calce maximè puerorum, & hyberno tempore, vlcera quædam, à Græcis chimethla dicta, à Latinis perniones, communiter buganze nominantur, exoriturq; prius inflammatio quædam ſparſa cum acuto dolore, quæ ex ſe ipſa deinde exulceratur, abſq; ſanie, aridæq; fiſſuræ, vel vlcera plana, ſicca tamen ſine vlla digeſtione fiunt, ſtillant etiam aliquando humorem, qui in ſui ſubſtantia pus, ſaniemue reprȩſentat, illud tamen exiguum eſt. Affectus hic curatur in principio fotu aquæ gelidȩ marinæ, vel decocto blitis, vel lentium, vel ex cataplaſmate lentis in vino decoctæ, & contritæ, addita farina ordeacea, cum cera liquefacta, & modico olei: vel decoquũtur granata dulcia in vino nigro, & in tenuem maſſam redacta, cum vnguento roſato commiſcentur, &, madefacto prius infirmo loco ex decocto lupinorum, applicãtur. ſi autem ingenti vexetur dolore, alterci ſuccus, cum ordeacea farina, omnem remouet dolorem, ac inflammationem; maximo etiam iuuamento excipitur radix rapæ ſatiuȩ; & in medio cauitate facta, ol. lentiſcino impletur, ceraq; citrina, æneoq; vaſe decoquitur aqua marina, vel muria, uel ex decocto lupinorum, vel aliquando etiam ſub cineribus ſolum, liquefactumq; ceratum extrahitur, frigidoq; vtẽdum. In pernionibus verò exulceratis, ℞. thuris, aluminis ſciſſilis, minij, reſinȩ terebenthinȩ, añ. ʒ. iij. pinguedinis porcinæ ℥. vj. f. emplaſtrum; In hunc vſum commendatur ab Aetio, Oribaſio, & Paulo medicamentum exapharmacum, quod in hunc modum paratur, ℞. ol. roſati, ſpummæ argenti, mellis, añ. ℥. vj. pinguedinis taurinæ ℥. xij. ſilicis, colophoniæ, añ. ℥. iiij. miſc. laudant nonnulli etiam porcorum vngulas exuſtas, & puluerizatas. tandem emplaſtrum ex ſucco ſolatri, vel ex palma applicitum, idoneum eſt medicamentum.

In digitorum etiam extremitatibus, propè vngues, caruncula quædam ſupercreſcere ſolet, maximo dolore, quam Græci pterigion, Arabes dahaſſa appellant. Pterigion autem eſt excreſcentia quædã carnea, vnguem cooperiens, ſimptomataq; inducens ſæuiſſima, ſæpeq; in pedibus fit, ex aliqua eorum offenſione; in manibus verò ex neglecta rediuia, vel ex aliqua ſimili cauſa, requirit medicamenta ſicciſſima, veluti aduſtum alumen, vel mercurium præparatum: vel liquefiat alumen rotundum in aqua ad cõſiſtentiam mellis, & in pari doſi mel addatur, bulliantq; igne lento, quouſque croci colorem præſeferant, & vtere, vel ℞. calcithidis, corticis granatorum, ſquammæ æris añ. ʒ. ij. caricarum pinguium exuſtarum nu. 2. mellis parum, miſc. vel ℞. carthæ exuſtæ, auri pigmenti, ſulphuris viui, ol. mirthini, q. s. & f. vnguentum. ſi autem hæc non profuerint medicamenta, ſcalpello ſæpe ſæpius vtendum eſt, vel cautherio actuali. cauendum autem eſt, ne vnguis angulum pterigion moleſtet, ſed quamprimum ſcalpello remoueatur.

In eiſdem præterea partibus, exiturales quædam inflammationes exoriuntur, quæ maximè dolent, nec multum ſunt eminentes, ſed ita profundȩ, vt ſæpe ſæpius tendones, & oſſa corrumpant. febre neceſſariò corripiuntur patientes, & inquieti viuunt, & quandoq; ſpaſmantur, & intereunt. Affectus hic parenicchia a Græcis dicitur, ab Arabibus doggam, à Latinis rediuia, cõmuniter panarizzo, nuncupatur; huius cura eſt in principio, quæ in omni inflammatione conueniens eſt, idem in augmento, ſtatu, ac declinatione, omni tamen ingenio doloris mitigationi incumbendum eſt. præmiſſa igitur tenui dieta, & vniuerſo corpore euacuato, ſectione etiam venæ, in principio affectus digitus in aceto calenti ſubmergendus eſt, non tamen multum temporis ſpatium eſt detinendus; ex multa namque mora, periculum imminet, ne obſtrũantur cutis pori, materieſq; diſcuſſioni difficilior reddatur; quare damnant nonnulli vſum aquæ frigidæ, & niuis. doloribus autem apparentibus, infundatur aqua calida in oleo communi, & vt prius digitus ſubmergatur: ſi autem ſȩuiſſimi fuerint, mulceantur mucilagine ſem. pſilij cum aceto extractæ, opij addita portione: ſed quia aliquando ex ſe ſuppurantur, & aperiuntur, timẽdum eſt, ne in vlcera maligna euadant, & oſſa corrumpant. quare notanda ea erunt, quȩ in tractatu ſequenti de paronicchio dicentur. Solent prȩterea digitos, volas manuum, & pedum, fiſſuræ multæ infeſtare, ab humore acri, & aduſto procreatæ, quæ potius ragadum, quàm vlcerum, naturam ſapiunt. æedem etiam à vaporibus malignis exoriuntur. Animaduertendum autem, quòd quando nutrimenti fit cõmixtio cum atra craſſaq; bile, humor hic, cũ grauis ſit, deorſum tendit, in voliſq; pedum fiſſuras ta-

les

les procreat: quando verò flacca, amaraq; bilis cum alimento commiſcetur, ſanguine videlicet, eundẽ in manibus effectum producit, non autem in pedibus;cum enim leuis ſit hic humor,ſuperiora petit.ſimptoma hoc etiam ex ambientis aeris intenſa frigiditate accidere ſolet, ex longo continuoq; labore, aliculuſque rei duræ apprehenſione; hiſceq; temporibus à gallica lue fiſſuræ quædam fiunt albicantes, ſquamoſæ, & abſque dolore, de quibus ſuo loco pertractabimus. Fiſſurę igitur, quæ ab alijs exordiũtur cauſis,proprijs curandæ ſunt indicationibus, eorum humorum euacuatione, qui eas producere poſſint, victus humidi, & frigidi ratione inſtituta; & ſi nihil obſtet, ſecta vena, iecoraria primũ, deinde hæmoroides aperiendæ. præparetur aduſtus humor longa præparatione, præmiſſo tamen aliquo minoratiuo, vt electuario lenitiuo, vel diaſenne, vel confectione Hamech; cui additur aliquando Hyera logodionis. pro præparatione autem, optimus eſt ſyrupus de fumaria, ex biſantijs, ex epithimo, ex pomis, ex cicorea, & ſimilibus, diſſolutis cum aqua fumariæ, lupulorum, vel lactis: quando autem in vrinis aliqua apparuerit concoctio, purgandus eſt præparatus humor,ex floribus violarum, bugloſſæ, boraginis, añ. ℈.s. prunorum ſuſinorum, vel damaſcenorum, iuiubarum, ſebeſten, añ. nu. vj. tamarindorum vnc. s. ſennæ vnc.j.epithimi ʒ. iiij. polipodij vnc. s. liquiritiæ ʒ. iij. paſſularum vnc. j. mirabolanorum Indorum, citrinorum, añ. ℈. ij. ſem. feniculi, macis, cinamomi añ. ʒ. s. f. decoctio S. A. cuius exhibeantur patienti vnc.iiij.cum zuccharo in aurora.In hunc eundẽ vſum iuuat decoctio epithimi Meſ. vel Raſis,vel Auic. quæ mirabiliter operatur in euacuatione humorum aduſtorum, & melancholicorũ; Valent etiam pillulæ de fumaria, Indæ,aggregatiuæ,& de lapide lazuli: nos autem ʒ. j. ſennę præparatę exhibere ſolemus in iure, vel ſero; præparatur autem in hunc modum, ℞. foliorum ſennę vnc. jx. zinziberis vnc. vj. tartari vnc. j. s. ſalis gemei ʒ. ij. macis ʒ. j. ſcamonei præparati ʒ. xv. miſce, & f. puluis. Idem operatur diaturbith, hoc modo pręparatum, ℞. turbith albi, & gumoſi, hermodactilorum añ.ʒ. ij.zinziberis, maſticis, gariophilorum, galangæ, cinamomorum añ.ʒ.s. diagridij, aniſorum añ. ʒ j. miſce, & f. pul. Euacuato corpore, decoquantur folia caulium rubeorum, & maluarum, & ex hoc ſuffumigio incaleſcant rimæ, & vngantur cum ſtorace liquida, ſpuma argenti, & vnguento roſato, vel decoquatur medulla ſcillæ in ol. mirthino, ea autem optimè expreſſa, adde tantundem terebentinæ, & pinguedinis caprę in dimidia quantitate, & f. emplaſtrum; ſed ſi rimæ, maximè in calce, inueteratæ fuerint, ℞. calcis viuæ ʒ. x. ceruſſæ, ceræ añ. ʒ. xx. pinguedinis ſuillę recentis vnc. vj. colophoniæ vnc. iij. ol. ſem. lini vnc. j. s. olei communis vnc. xx. miſce, & f. lenimentum S. A. Exoriuntur & in calce vlcera quędam contuſa, maximè ex longa mora in lecto, quæ medicamento ex ſpuma argenti, oleo roſato, & cera in pari portione curantur, vel vnguento ex ceruſſa, vel ex palma. Accidunt præterea, pueris maximè, vlcera quædam in manuum, pedumq; digitis, cum carie oſſis commixta, quæ ſpineæ ventoſitates appellantur, de quibus ſuo loco pertractauimus.

In Antidot. cap. de melãcholia. 1. ad Almanſo. cap. 13.s.f. 4. tract. 2. cap. 1.

De Cutis excoriatione. Cap. XIX.

CVTIS à Græcis derma appellata, in ſuperficie leuiter exulcerari ſolet, vlcereq; puriſſimo, abſq; cauitate, duritie, vel aliquo accidenti. hic affectus à Græcis apoſioma dicitur, à Latinis excoriatio, vel eroſio, oritur à laborioſa cauſa, quæ ex incõmodo affrictu pellem erodit, vel ex contactu rei duræ, vt equitando, propere ambulando, & ſimilibus extrinſecis cauſis: Intrinſeca verò cauſa, ſunt humores acres, acuti, ſępe ſæpius ex aliqua criſi concurrentes, corpore cacochimo exiſtẽte, valida virtute humores ad cutim detrudente. hæc paſſio quando inter coxas exoritur, intertrigo dicitur, & ex longo itinere prouenit, vel ex aſperiori veſtitu. modus autem curationis eſt, vt corpore pletorico exiſtente, euacuetur, venaq; aperiatur, ſi opus fuerit, non exiſtente corpore bilioſo, nec in diebus canicularibus, victus pręterea tenuis iniungatur; ſi nanq; noua ſuboriatur inflammatio, exoriuntur cancrenæ, maximè verò, quando multa fuerit excoriatio, vel cum aliquo accidenti coniuncta; aliquando enim ex caſu excoriatio accidit, & talis periculo non vacat. quare dicebat Paulus, prohibeant Medici in excoriationibus humorum fluxum, & inflammationem, quare non modò excoriationem, ſed curare debent, ſed & viſcera principalia ab omni nocumento præſeruanda. ſic igitur vniuerſalia præmittantur, locoq; affecto defenſiuum aliquod applicetur, cuiuſmodi hoc eſſet, ℞. boli armeni, terrę ſigillatæ, ſanguinis draconis, añ. ʒ. j. cerę rubeæ, ſpodij añ. ʒ. s. aceti roſati, ſucci plantaginis, añ. vnc. j. ceræ rubeæ parum: ſi autem fuerit leuis excoriatio, ſufficiet applicatio emplaſtri ex ouo, quod iſti ex ceruſſa, vel ex litargirio crudo appellant, vel ex plumbagine, vel ℞. vnguenti roſati Meſ. vnc. j. ſandalini vnc. s. litargirij argentei, plumbi vſti, ceruſſæ añ. ʒ. iij. ſucci plantaginis vnc. j. aceti roſati, ol. mirthini, añ. vnc. s. agitentur omnia in mortario plumbeo ad conſiſtentiam lenimenti; & ſi ablutione fuerit opus, præparetur decoctio ex ordeo, roſis, lentibus, plantagine vermiculari, & folijs vitis, vel ſalicis: ea verò remedia applicentur, quę epulotica dicuntur, ideſt cicatrizantia; ſi vero aliquod inflammationis veſtigium appareat, iterum vena ſecetur, & fiat cataplaſma ex roſis, mirthis, balauſtijs, plantagine, farina ordei, ac fabarum, cum ol. mirthino, & roſaceo: ſi autem non ex toto lacera ſit cutis, aliquaq; pars pendeat, non ſtatim detruncanda eſt, ſed agglutinatio tentanda

Gal. 3. & 4. Metho.
Aet. lib. 14 cap. 12. & 17.
Paul. lib. 4. cap. 14.
Aui. 3. f. 1. doc. 1. cap. 4. & 4. f. 4. tract. 2. ca. 9.
Gal. lib. de atra bile.

tanda opportunis medicamentis, vel etiam futura, ſi autem nigra appareat, omnino incidatur : ſi verò articuli attriti, vel flagellis excoriati fuerint, vniuerſa curandi ratio conſiſtit in doloris remotione ; idcirco anodina medicaměta applicita conueniunt, interq; alia emplaſtrum ex ouo à Paulo cõmendatur, quod in hunc modum paratur, ℞.ceræ vnc. j. litargirij argentei, ceruſſæ, amili, añ. vnc. ij. ouorum nu. 4. ol.roſ.vnc.xij. omnia ſimul bulliant, ouis exceptis, quæ in fine adijciuntur. Excoriationes verò, quę in calce fiunt ex veſtimentorum duritie, curantur applicito pulmone caprino, vel ſuillo, vel etiam agnino. vel ℞. cineris calciamentorum veterum aduſtorum, cucurbitæ aduſtæ, ol. roſati, ceræ citrinę, q.s. vel ℞. excrementi plumbi, ceruſſæ, litargirij argentei añ. vnc.j. ordei torrefacti, amili añ.vnc.s. ſucci pſilij, ol. mirthini añ. vnc. j. ceræ q. s. & miſceantur. laudatur etiam emplaſtrum ceruſſatum, ex camphora, ex ſucco ſolatri, & palma : veſicæ autem, quæ ex adſtrictis medicamentis eueniunt, aperiědę ſunt, deinde aqua roſacea fouendę, & vino nigro, & tandem medicamento curandæ ex licio confecto, bolo armena, gallis, ceruſſa, & oleo roſato ; morbus hic in ſenibus inueteratur, habent enim partes illas à calore remotas, nec deſcendunt præterquam craſſę humiditates, & melancholicę, quapropter ſæpe cachoetica vlcera euadunt, & cum difficultate ſanantur.

excoriati calcanei

De exuſtis ab oleo, vel aqua feruenti. Cap. XX.

CCVRRVNT diuerſæ exuſtiones ab oleo, vel aqua feruenti, ſupra membrum expanſæ, quę veſicas multas producunt, & membri gignunt inflammationem, intenſum cauſando dolorem ; In hoc affectu accidunt veſicæ, non cruſtæ, quemadmodum in exuſtis ab igne; non enim ab agente calido & humido, cuiuſmodi eſt oleũ, & aqua feruens, conſumitur innata humiditas, quemadmodum in agente calido & ſicco, vt eſt ignis; imò ab oleo, & aqua attrahuntur tenues humiditates, & vapo roſæ, maximè verò quando exuritur membrum molle, alteratur, & inflammatur, quę humiditates ad pellem penetrantes, pro eius denſitate retentę veſicas, & huiuſmodi ampullas generant, quæ acri, tenuiq; humore replentur ; ſicq; fit, vt ab oleo, & aqua feruenti huiuſmodi ampullæ inducantur, non autem ab igne actuali, qui intenſa ſui caliditate, & ſiccitate humidũ membri ſubſtantiſicum conſumit, & cruſtam inducit, à Græcis eſcaram dictã. Oleum, & aqua, omniſq; conſimilis ſubſtantia ebulliens, inflammationem in membro inducit, intemperatumq; reddit, ignis verò corrigit, omneſq; intemperantiæ effectus remouet. harũm aduſtionũm aliquę ſunt ſimplices, & ſuperficiales, aliquę verò amplæ, & profundę, ſæpeq; ſępius venas, neruos, cordaſq; patientium afficiunt. Accidunt hæ diuerſis corporibus mollibus, nempè & delicatis, necnon duris, ac laborioſis.

PRAXIS.

PRima indicatio, quæ in aduſtionum curatione occurrit, eſt veſicę prohibitio, quo minus fiat; ſecunda eſt loci veſicati regimen; tertia eſt loci vlcerati, poſt veſicę curationem, curatio. Prima indicatio perficitur his medicamentis, quę ampullarum generationem impedire poſsint, cuiuſmodi eſt emplaſtrũ ex ſandalis, camphora, & aqua roſata. aduertendum autem eſt, ne exſiccetur medicamentum, ſed ſæpe ſæpius immutetur, vel locus panno, aqua frigida, vel roſata madefacto cooperiatur. prodeſt itidem oui albumen, cum aceto, & oleo roſato commixtum, quod operatur etiam portulacæ ſuccus, lactucæ, ſolatri vermicularis, & alterci, addita aliquando chimolea, ceruſſa, & ſpodio : nos autem ſępe experti ſumus, & felici cũ ſucceſſu, caulium rubeorum ſuccũ, vel lutum illum tenellum, qu ſub dolijs in cella vinaria reperitur, vbi vini guttæ cadere ſolent : idem etiam operatur & atramentũ ſcriptoriũ ; mel itidẽ & per ſe, & cũ ſucco lentium commixtum, maximè iuuat, itidem & milij farina, affecto loco inſperſa: factis autem puſtulis, in principio nòn ſunt diſrumpendæ, ſed his diutius perſeuerantibus, diſrumpuntur, exiens autem humor, citrinus, & virulentus erit, ſtatimq; cataplaſma tale eſt imponendum. ℞. foliorum maluarum, ſichæ, violarum añ. m. j. decoquantur in aqua, & contundantur, & adde litargirij argentei, climię, ceruſſæ, plumbi, añ. vnc.j. ol.roſ. mirthini, pul. coriandrorum, farinæ ordei añ. vnc.ij. miſc. ſi autem vlcuſculum aliquod remanſerit, vel excoriatio, huius medicamen, inquit Raſis, eſt vnguẽtum ex ceruſſa, quod in hunc modum paratur, ℞. ceræ optimę colatæ partem vnam, olei roſati partes quatuor, ceruſſæ quantũ capiant, miſceãtur igne lento : quando verò refrigerari incæperit, adde albumen oui, agitando, donec ſpiſſeſcat, & in fine adde camphorę parum, hoc autem eſt emplaſtrum albũ camphoratum, quod melius eſt remediũ, quàm fuerimus experti; In corporibus verò mulierum, vel puerorum ab antiquis huiuſmodi remediũ commendatur; bulliant internæ ſambuci cortices in oleo roſato, vel etiam communi; & facta diligenti expreſſione, adde cerę albæ, & pinguedinis hircinę añ. q. s. iterum bulliant, & adde ceraſiæ maſticis añ.q.s.ad mellis conſiſtentiam : Secundum autem Dioſcoridẽ paratur medicamentum ex ſucco caulium, cinere tamariſci, ceruſſa, & oui albumine; vlcere autem iam perfecto, celebratur emplaſtrum ex calce, quod varijs modis perficitur. Iuxta Raſim recipitur calx viua, & munda, & ſuper eam imponitur aqua, vt cooperiatur ab ea, & ita per duas horas maceretur; deinde coletur, denuo aqua imponatur, vt prius; quo per quatuor vices peracto, refrigeſcere permittatur,

Lib.7.ad Almã. cap.18.

tatur, & adde ol. roſ. & agitētur in vaſe, quouſque vniantur. Secundùm Actuarium verò hoc modo paratur, ℞. calcis viuæ decies extinctæ, & aqua frigida ablutę, deinde exſiccatæ vnc. iij. ceruſſæ lacte ablutę vnc.ij. camphorę ℈.ij. ol. roſ.vnc.xij. ceræ nouę vnc.iij. miſc. Iuxta autem Auic. hoc modo paratur, ℞. calcis viuæ, & ſepties lotæ, quouſque omnem mordacitatem amittat, deindę in ol. roſato cum modica cera maceretur, & adde chimoleę, albuminis oui, & vini modicū. Alio etiam modo paratur ex eodē Auic. abluitur ſepties calx, deinde cum folijs ſicchę, & caulium, & ol. roſato f. vnguentum; oleum autem, & omnia mineralia abluenda ſunt, vt ab omni mordicatione expolientur. Inquit Hipp. ſi morbus magnus fuerit, vel cum inflāmatione, ſi opus fuerit, ſanguis erit mittendus, & corpus medicamento ſoluendum, & dięta attenuandum; præterea vicinę partes inungendæ vnguento roſato, vel oleo violato, vel omphacino: vt autē pulchra ſuboriatur cicatrix, locus vino albo tenui abluatur, in quo decoctæ fuerint roſæ, plantago, æquiſetum cum modico alumine; deinde torrefiat hircina pinguedo, ardenteſq; guttæ in vino demittantur, ſupernatans autem pinguedo refrigerata colligitur, & adde litargirij argentei, & ceruſſæ q. s. pro inunctione.

Lib. de comp. medicamen.

4. f. 4. tract. 2. cap. 14.

De partibus combuſtis igne actuali. Cap. XXVI.

SI ſanum membrum ab igne contingatur, vel à corpore denſo exuratur, continuò eſcara apparet, quæ iuxta maiorem, minoremue aduſtionem magis, minuſue in corpore imprimitur. ex vehementi nanq; calore cutis porri aperiuntur, ſubſtātificuſq; humor ex exceſſiua ignis ſiccitate conſumitur, vnde exuſtus, exſiccatuſq; locus in eſcaram conuertitur. eſcara nanq; eſt pars pellis, & ſubſtantię carnoſæ, propria humiditate, ex violento calore, deſtitutæ, quare exuſta & ſicca remanet pars: temporis verò progreſſu, ſubcreſcente carne, vel naturæ impetu, vel humidorum medicamentorum virtute recedit, & à carne ſeparatur.

PRAXIS.

COrporum, necnon aduſtionum, varietas multa reperitur; corpora nanq; robuſta minus offendunt, medicamentaq; ferunt fortiora, imbecilliora verò corpora contrario modo ſe habent; facies præterea pulcherrimam cicatricem requirit, in manibusq; puerorum maximè eſt aduertendum, ne digiti ſimul coaleſcant, quemadmodùm ſæpiſſimè accidit: in articulis verò ſumma diligentia vitandum, nę articuli voluntarium motum amittant, in omnibuſq; partibus attendendum, ne turpes reddantur cicatrices; hæ autem primæ ſint Medici conſiderationes in aduſtis, quibus inſequitur, doloris mitigatio, fluxioniſq; prohibitio: ſi igitur magnus ſit morbus, corpus eſt euacuan. ouumq; integrū contuſum in principio parti affectæ eſt applicandum, vel olibanum in aqua diſſolutum, vel lentes in aceto decoctæ, vel bolus armena cū aceto, & oleo mirthino: In doloribus autē exceſſiuis opportunū eſt remedium vnguētū ex calce abluta ceruſſa, albumine oui, & lacte, addita opij portione, vel fiat emplaſtrū ex endiuia, farina hordei, luteo oui, & oleo roſato. vel ℞. ol. roſati crudi vnc. vj. ceræ vnc. iij. liquefiant lento igne, & adde calcis viuæ, ſepties lotæ vnc. ij. ceruſſæ lotæ, litargirij argentei añ. vnc. j. lactis muliebris vnc. j. s. albuminis ouorum nu. 2. opij ℈.ij. miſc. Qui autem, pro doloris ſedatione, frigidiſſimis vtuntur medicamentis in aduſtis, longè aberrant, tali nanque qualitate obcluduntur cutis porri, nec calidi vapores exhalare poſſunt, quare augetur dolor, & magis affligitur æger. quapropter, dicebat Paulus, in aduſtis ab igne, hiſce vtendum eſt remedijs, quę non intenſe refrigerent, nec manifeſtè calefaciant. Scribonius autem hoc emplaſtrum mirabili modo prodeſſe teſtatur; cum autem ego ſim expertus, nullum præſtātius, tutiuſue reperi; applicatum nanq; ſedat dolorem, ſummaq; celeritate leuat, affectumq; ſanat: cōficitur autem hunc in modum, ℞. ſpumę argenti, pinguedinis ſuillæ, ceræ añ. vnc. vj. luteorum ouorū aſſatorum nu. 6. quę ſunt contundenda, cera, & pinguedo liquefienda, deinde litargirium puluerizatū, & oua contuſa ſunt addenda, emplaſtrumq; fiat. Quia autē affectus aliquando altè penetrat, cruſtæq; admodum ſunt profundæ, tardeq; remouentur, remedia ſunt adhibenda, qualia ſunt butirum, vel porrum elixum, vel malua decocta cum axungia porcina. cruſtis autem ſemotis, vlcera ſunt abſtergenda medicamento, quod omni mordicatione careat, quemadmodum ſi reciperemus ſucci plantaginis, apij añ. vnc. j. ſyrupi roſati ſimplicis, farinæ hordeaceæ añ. vnc. ij. pulueris corticis thuris ʒ. iij. lutei ouorū nu. 1. ceræ q. s. quando uerò mundum apparuerit vlcus, regatur medicamento à nobis experto, ℞. ol. roſati crudi vnc. vj. ol. ex luteis ouorum vnc. ij. vitri albi ſubtiliſsimè pul. vnc. j. corticum interiorū ſambuci m. j. bulliant omnia, deinde colentur, & adde ceræ q. s. & f. vnguentum optimæ conſiſtentiæ. in reliquis vlcus, vlcerum planorum more, curandum eſt. pro cicatrice verò remouenda laudatur ol. ex vitellis ouorum, ex cera, ex melle, & ex frumento; itidem vnguentum ex pomo citri, vel alabaſtrinum, vel aſinina pinguedo: ſi autem fœdus ſit color, ℞. pinguedinis ſuillæ depuratæ vnc. iij. ol. ex luteis ouorum vnc. j. ceræ ablutæ vnc. v. laccæ optimæ ʒ. ij. arſenici ſublimati ℈. ij. ſucci limonum parum, & cū modica cera f. lenimentum.

Lib. de comp. med. deſcript. 221.

LIBRI TERTII.

TRACTATVS QVARTVS.

IN QVO DE FISTVLIS ABSOLVTE TRACTATVR.

De vniuerſali Fiſtularum natura. Cap. I.

Gal. lib. de tumorib. c.4. & 2. ad Glau c.8. & 2. progn. & lib. de diff. med. Aetius lib 14. c. 33. Cel. lib. 5. c. de fiſtulis. Pau. lib. 4. c. 49. Aliabas 8. Therapentices. c. 9. Albu. li. 2. c. 88. Aui. 4. f. 4. trac. 3. cap. 11.

ANTIQVI Scriptores de fiſtulis pertractantes, earumq; natura, aliquando à forma ita deſcripſere, dicentes, fiſtulam eſſe ſinum profundum, callo obductum in parte carnoſa; aliquando verò à forma, & accidentibus ſimul deſumpſere, vt puta à profunditate, anguſtia, & calloſitate, dicentes, fiſtulam eſſe ſinum profundum, anguſtũ, & calloſum, ſenſu expertem, à quo pauca, vel nulla apparet humiditas; ſæpe etiam à temporis antiquitate deſcripſere, præcipueq; quando ſinus male fuit curatus, & quadrageſimum pertranſiuit diem, aiuntq. fiſtulam eſſe ſinum, inueteratum, anguſtum, & callo obductum: Nos verò veram fiſtulæ eſſentiam, non in callo ſolum, non in antiquitate, conſiſtere arbitramur, ſed in forma ſinuoſi vlceris, anguſti, & callo obducti, ab vno pluribuſue ſinub. male curatis exordiens. Diuiditur fiſtula in nouam, & antiquam. Noua, quæ videlicet nuper eſt facta, ab Arabibus tochemen appellatur, eſt ſinus altus, anguſtus, non de facili ad ſanitatem deueniens; Antiqua verò fiſtula, quam Arabes Riſati appellant, eſt ſinus altus, calloſus, ſenſuq; priuatus; ex quibus patet, ſinum hoc loco generis vicem gerere, anguſtiam verò, & profunditatem eius differentias eſſe, cuius gratia à ſinu ſimplici, alijſq; vlceribus abditis, & cauernoſis, fiſtulæ formam referentibus, ſinus, quem Græci colpon, Latini ſinum appellant, originem ducit, quotieſcunque ſæpè ſępius in ſuppuratis tumoribus pus renouatur, parſq; ita excoriatur, & dilatatur, vt multoties pure euacuato, priſtinam vnionem acquirere non poſſit, & diſtantia, & cauitas remaneat, quæ ſi citò carne non impletur, calloſa fit, & temporis ſucceſſu in fiſtulam degenerat, quam Græci ſyringam vocant, Arabes verò Zuchemen: Callus verò ab omnibus cognoſcitur; eſt enim caro quędam continua, alba, humore priuata, & per conſequens abſq; dolore, vndequaq; ſinum cingens, nec venam habet, nec neruum ad eam attinentem, euenit autẽ propter antiquitatem calloſa. Quatuor reperiuntur profundorum vlcerum differentiæ, ſinus videlicet, abditus ſinus, cauerna, & fiſtula. Cauerna eſt vlcus flexuoſum, & ſub carne dilatatum: fiſtula verò eſt vlcus ſinuoſum, & profundum, anguſtum, calloſum, exigui ſenſus, non multæ humiditatis, & tardæ cõſolidationis. In quacunq; corporis parte fiſtula exoritur, quæ per metaphoram à cannis ſic nominatur; Fiſtula, dicebat Gal. ab eius figura ſic dicta eſt, eò quia fiſtulam, muſicale inſtrumentum, imitetur, illud verò eſt inſtrumentum longum, anguſtum, & concauum; ideò dicebat Auic. Omne vlcus profundum, in quo indureſcat caro, em cingens, fiſtula nominatur, & eſt veluti arundo, membrum penetrans: ſi verò prædictam formam non ſeruauerit, & occaluerit caro, ſinus abditus, vel abſconſio, vel ſecreta dicitur. Duobus modis vlcera calloſa deueniunt, quando ſcilicet humores ad partes decumbentes, diutius ibi retinentur, cum inde nec ſemoti, nec ſuperati fuerint, vel euacuati; & ſi euacuentur, ſæpe renouantur, maximè verò quando fuerint craſſi, præterea quando interiora vlcerum labia calloſa euadunt, & dura, propter natiuum calorem, vel extraneum etiam, à quo ſæpè vlcera afficiuntur, vel ob applicita medicamenta, quæ exſiccandi vim habeant, & tenues partes reſoluendi, & humidas, craſſis, & duris remanentibus.

Cel. lib. 1. Pau. lib. 5. c. 77.

Cel. li. 5. c. proprio. Albu. li. 2. c. 58. 2. progn.

De cauſis Fiſtularum, & quomodo generentur. Cap. II.

FISTVLARVM cauſæ in vniuerſum, iuxta peritiores Medicos duæ ſunt, altera interna, antecedens dicta, vt humorum expulſio ad ignobiliores partes, à virtute, corpus noſtrum regente, per criſim facta, vel etiã ex accidentali motu, à quo abſceſſus exoritur, qui poſtea in ſinuoſum vlcus conuertitur, vel cauſa, vel malè affecti corporis gratia, malis humoribus ſcatentis, vel ob Medici imperitiam, vel ob ægrotantis intemperantiam, malumq; victus regimen. quod vlcus, ſi per longum temporis ſpatium producatur, quin ſanetur, profundũ euadit, anguſtum, & calloſum, & fiſtula nuncupatur. hic idem morbus ab vlcere etiam ſicco cacoetico, quaq; in membro intemperato, tendonibus, veniſq; ſcatente, vel circa articulos, vbi corrupta oſſa reperiuntur. Secunda verò cauſa, vel primitiua, vel euidens dicitur, facileq; cognoſcitur; extrinſecus enim accidit, vt puta ſagitta aliqua, vel globulus corpori infixus; hocq; in pectoris, articulorumq; vulneribus apparet. Idem etiam ex mala cura accidere poteſt, vel ex immaturi abſceſſus inciſione, vel ex pauca cauorum vlcerum abſterſione, vel ex aliqua re præter naturam in abſceſſu relicta, vel Medici imperitia, vel ægrotantis timore ſinus accidit profundus, qui contracto callo, conuertitur in fiſtulam. quare dicunt Medici, ſi aliquam aperueris exituram, idq; omne euacuaueris, quod in ipſa reperitur, ſinum diligenter abſtergito, eiuſq; citam agglutinationem procurato, ne denuo renouetur materia, intuſq; occalleſcat, nec vnionem conſequi poſſit, antecedentiq; exituræ ſimilis euadat, & tandem in fiſtulã conuertatur. Accidit etiam aliquando, vt vlcera ad ſanitatem deueniſſe videantur, deinde ob paucam abſterſionem reuertãtur. quod ſi accidit ſæpius, in fiſtulam deſinit. multæ ſunt aliæ cauſę, quæ vlcera ſanatu difficilia reddunt, vt per conſequens in fiſtulam conuertantur, vt boni ſanguinis penuries, eius malities, & mala affecti mẽbri complexio, malus internorum viſcerum habitus, maximeq; nutritioni famulantium, oſſa alterata vel eroſa, vel ab aliqua occulta diſpoſitione affecta, vt quotidie in cacoeticis gallicis vlceribus apparet, malum ęgrotantis regimen, Medici imperitia, tardaq; manus applicatio; Hæc omnia mali habitus vlcera reddunt, quæ facilè (cum ſinuoſa ſunt) in fiſtulam conuertũtur.

Hipp. de fiſtul. Cel. l. de tumorib. c. 40. & 2. ad Glauconem c. de ſinu. Aet. l. 4. c. 54. Pau. l. 4. c. 49. Auic. 4. f. 4. tract. 3. c. 4.

Auic. 3. f. 4. c. 27. in fine. Gal. 2. ad Glauc. c. de ſinu. Auic. 4. f. 1. c. 26. & 3. f. 4. c. 29.

Gal. 3. Aph. 31 Auic. 4. f. 4. tract. 3. c. 1. Auic. 4. f. c. 27 Albu. l. 2. c. 58

De varietate, & ſignis Fiſtularum. Cap. III.

IN ſingulis humani corporis partibus, diuerſiſq; ex cauſis, fiſtulę oriri ſolẽt, vlcera nẽpè alta, anguſta, & calloſa, & ſingulis in partibus quid habent peculiare. earum verò differentię multæ ſunt, aliæ nanq; ſimplices, aliæ verò, vel cum alio morbo, vel cum propria cauſa, vel etiam cum aliquo diuerſo ſymptomate ſunt commixtę: ſimplicium nonnullæ paruæ ſunt, aliæ verò profundiores, nonnullæ rectà carnem penetrant, aliæ verò per tranſuerſum, pleræque autem tales ſunt. præterea nonnullæ ab vno orificio originem ducentes, duplices, tripliceſue euadunt, & in plures ſinus diuaricantur: aliæ verò flexuoſæ, & in pampani vicem retortæ: nonnullæ etiam faciles ſunt ſanatu, nonnullæ difficiles, & multę incurabiles. harum omnium aliæ ſunt nouæ, aliæ verò inueteratæ; hæ autem iam callum perfecerunt, aliæ verò duritiem ſolum quandam: quandoque etiam ab antiquis fiſtulis quædam fluit ſanies, eaq; diuerſa, ratione affecti loci, quando ſcilicet in oſſe eſt corruptio, vel pars eſt neruoſa, ſępe etiam omni humiditate ſunt expertes. Cognoſcuntur fiſtulæ, earumq; progreſſus ex impoſito ſtilo. ante omnia igitur ſtilus eſt imponendus, vt innoteſcat, & quò pertĩgat, & qualis, quãtaue ſit humiditas, quæ effluat, vel prorſus ſit omni humiditate immunis; cognoſcitur autem immiſſo argenteo, vel plumbeo ſtilo, vel etiam ex cera (vt magis flexibile ſit, & magis cuicunq; ſinui accõmodatum) cognoſcitur præterea, an vnus pluresue ſint ſinus. Cum igitur ſtilum immiſeris, ſi, quod extremitate tetigeris, molle videatur, affectum intimius penetrare erit indicium: ſi autẽ durum, ac renitens eſſe videatur, illud os eſſe, poteris coniectari; ſi ſtilus delabitur, ipſum nundum eroſum eſſe iudicato; ſi tantummodo adhęreat, ipſum leuiter eroſum eſſe erit indicium; ſi inæqualis appareat, magnam eſſe vtiq; corruptionem credendum, cariemq; altius penetraſſe: cognoſcitur autem, an fiſtula in vnam, vel plures diuidatur partes, ex purè ipſo: cuius ſi maior appareat copia, quàm ſimplici ſinui conueniat, plures ſinus eſſe credendum eſt. præterea fiſtula in ſola carne exiſtens pus album, lene, & copioſum reddit: ab ea autem, quę neruoſam partem occupat, pus quidem albũ, tenuius tamen, emanat, in minori etiam copia. præterea etiam quando neruum afficit, pus craſſum, oleoq; perſimile excidit; quando verò os penetrarit, coloratum pus, & nigricans, tetriq; odoris reddit, à quibus etiam fiſtularum loca, ſpatia, & nocumenta cognoſcuntur. Idem cognoſcitur etiam ex iniecto vino, vel ſimili aliquo decocto, eo inſtrumento, quod ſolent Chirurgi ſyringam, cliſtere oriculare, cotenchitam, clapſedram, canactiros, & plulcam appellare; à lotionis nanq; exitu natura, fiſtularumq; conditiones cognoſcuntur, an ſimplices, an verò diuerſos habeant ſinus. hoc idem ex corporis ſitu cognoſcitur, fit enim aliquando, ut ſituato corpore aliter, quàm prius erat, multa ſaniei copia exit, quæ prius ceſſauerat; un-

de facilè colligitur alterum eſſe ſinum, à quo deriuat, ipſum tamen aliam corporis partem occupare. In vniuerſum igitur ſigna fiſtularum ex ingredientibus, earum ſubſtantiam, ab accidentibus eas concomitantibus, maximè verò ex ſitu, figura, numero, magnitudine, & excrementis deſumenda ſunt.

De ſignis prognoſticis Fiſtularum. Cap. IIII.

Hipp. l. de fiſtu. & de coac præ not.
Cel. l. 5. c. proprio.
Paul. l. 6. cap. 77. & l. 7. c. 4.
Auic. 4. f. 4. tr. 3. c. 1. & 10.
Alb. l. 2. c. 80.

FISTVLARVM ſimplicium, recentium, & carnoſas ſolummodo partes occupantium, curatio facilis eſt, maximeq; ad hanc conducit iuuenilis ætas, robuſtum corpus, & optimi habitus: contrario modo ſe habent fiſtulæ laceratæ, antiquæ, & in corporibus mali habitus, antiquis, & melancholicis. ea itidem mala ſunt, quæ lacertorum capita offendunt, vel venas, vel artherias, vel articulos, vel oſſa. peſſimæ præterea ſunt, quæ ſpatia, concauaq; loca occupãt, pectus videlicet, ventrẽq; inferiorem, quæ itidem viſcera offendunt, pulmonem, vterum, venas, vel grandes arterias, & inteſtina: mala etiam fiſtula eſt, quæ ex calli duritie, non ſentit, nec in ea aliqua reperitur humiditas: quantò verò magis ſenſibilis eſt, & antiquior, tenuiſq; exit humiditas, colorata, & odoris ingrata, tantò magis eſt maligna, curatuq; difficilior. præterea quę eſt prope aliquod principale viſcus, timoroſa eſt, crudelia nanq; inducit accidentia. Antiquę etiam, & multæ profunditatis, lethales ſunt; latera nanq; earum, vel medicamento, vel igne, vel ferro ſunt eradicanda, vt poſſint curari; id autem timoroſum valde eſt, ſi ibi, præſertim prope, venę, vel nerui reperiantur. Ea fiſtula incurabilis eſt, quæ veſicæ ceruicem perforauerit, vel Ilij articulum, vel ad rectum inteſtinum pertingit; cum difficultate etiam curatur, quæ occultum habet orificium, ſæpe autem reuertitur, vel etiam, quæ ad os pertingit, vel in varios ſinus, & multa ſpatia diuaricatur. Sæpius etiam ex ſymptomatum vehementia, & excrementorum natura prognoſtica deſumuntur; dolor nanq; intenſus, neruoſas partes affici demonſtrat; ſanguis ſtillans venam aliquam corruptam eſſe demonſtrat; ſi tenuis exeat humor, obſcurus, & fætens, os corruptum eſſe manifeſtum eſt: qui affectus malæ carnis intemperiei cum tumore coniũctus eſt. Aliquando deſumuntur prognoſtica ab ægrotantis habitudine; melancholicæ nanq; cõplexiones, maliq; ſanguinis vlcera contumacia patiuntur, quod hydropicis, maliq; habitus corporibus accidit. Fiſtulæ, quæ ſenioribus accidunt, propter eorũ ſiccitatem, ſanatu ſunt difficiles: quæ verò pueris ob immoderatã humiditatẽ, ſicut & quæ mulieribus, & iunioribus accidunt, ob eorũ exquiſitũ ſenſum, difficiles reperiuntur. Tortuoſę fiſtulæ, & obliquæ, multarumq; cauitatum, difficiles ſunt, cum non facilè poſſint medicamenta applicari, vt vnamquãque partem attingant. In ventre nullum os reperitur, fiſtulæ tamen huiuſce partis ita ſunt pernicioſæ, vt Soſtratus inſanabiles iudicauerit. oriuntur fiſtulæ loco quocunq;, omneq; vlcus, quod ſanatur, deinde reuertitur, facilè in fiſtulam degenerat. dicit tamen Hipp. fiſtulas ſæpè peioris morbi remedium eſſe.

Cel. l. 7. c. 4.
Auic. 4. f. 1. capite 28. l. de humoribus.

De modo curationis Fiſtularum. Cap. V.

IN omnibus præternaturalibus affectibus curandis, communis eſt Medicorum obſeruatio, vniuerſalia prius applicare remedia, deinde ad particularia deuenire. pro altero igitur generalium remediorum, conueniens dieta iniungenda eſt, de qua ex abundanti ſuperius loquuti ſumus. pro nunc nouiſſe ſufficiat, an multis ſcateat corpus humoribus, an pletoricum ſit, & vno tantum abundet humore, an verò cacochimũ ſit, vt conueniens poſſit adhiberi remedium, pro euacuatione abundantis humoris. cum verò ſanguinis adſit copia, vena ſecetur, vnàq; dieta inſtituatur, fiſtulaq; pro eius natura gubernetur. Victus igitur ordo eſſe debet, vt optimum corpori apponatur alimentum, morbiq; qualitatibus contrarium. In euacuationibus autem à fortitudine virium ſumenda eſt indicatio, & fiſtulæ ſitu; ſi enim fiſtula à viſceribus erit remotior, vomitus optimum eſt præſidium; ſi verò anus orificio, purgatio eſt infeſta: ſed de hiſce obſeruationibus proprijs locis ſumus verba facturi, pro nunc ſufficiat hoc in generali tetigiſſe. hiſce peractis, plumbeo ſtilo, cereaue candela, qualis, quantaue ſit fiſtula, eſt indagandum, quæ ſit profunditas, & quis ſit eius progreſſus, quiſue ſit finis, ſi humore ſcateat, ſiue ſicca ſit, ſi aliquo ſit concomitata accidenti, cui prius ſit attendendum, deinde fiſtula curanda: cui operationi quatuor ſunt neceſſariæ indicationes. prima eſt cauſarum remotio. ſecunda opportunorum remediorum ad hanc operationem inuentio. tertia eſt accidentium tàm præſentium, quàm futurorum propulſio. quarta eſt, vt ita fiſtula conſolidetur, vt non amplius reuertatur. Prima indicatio conſiſtit in totius calli remotione, vſque ad fundum: quod perfici non poteſt, niſi orificium, vel ferro, vel igne dilatetur, vel lichinijs, à Græcis themata, à Latinis penicidia dicta, quę ex varijs materijs formantur, nunc ex tela lini, nunc ex ſpongia bene compreſſa, nunc ex medulla cãnarum ſorgi, vel ebuli, vel ſambuci, nunc ex radicibus gentianæ, vel ariſtolochiæ, vel brioniæ, vel dictami, vel dragontij: hæc autem penicilla, vel lichinia in fiſtulam immiſſa, niſi callũ inueniant, præ humiditate incraſſantur, & ita pedetentim anguſtum orificium dilatare valent, abſq; dolore; quare deinceps melius poſſunt applicari

plicari remedia, vt fundum attingant, omnemq; duritiem, & callum conſumant, oſſa corrupta patefaciant, vel varios ſinus, cauſas occultas, & putredines, vt ea Medicus facilius remouere poſſit. Si autē callus impediat dilatationem, is remoueatur ferro, vel igne, vel cauſtico medicamento. & quia ſectio in anguſto loco, vt fiſtula exiſtit, parum eſt tuta; idcirco de hac paucam fecerunt antiqui mentionem. Ignis autem operatio licèt præclarum, tutum, & nobile ſit remedium, adeò tñ homines perterrefacit, vt pauci huiuſmodi facilè ſubeant remediū. de hac igitur pertractabimus, cū de cauterijs verba faciemus. Inter fiſtulas igitur nonnullę duriori callo obducuntur, nonnullæ verò tenuiori. antiquæ duriorem habent callum, & medicamenta requirunt valentiora: qui verò tenuior eſt, benignioribus etiam remouetur remedijs. Faciunt pro tenuioris calli remotione ſpondilij radix circumcirca abraſa, radix veratri nigri, aſphodelli, ſerpentarię, & brionię; puluis atramenti ſutorij aduſti, hydrargirium præparatū, auripigmentum; cortices etiam pini, nucum, cartæ combuſtę, radicum filicis rubeę, & bucinorum; ſuccus præterea cucumeris agreſtis, veratri, titimali, virga aurea, & theriaca; mulſum pręterea, vinum videlicet mellite, aqua aluminis, ſublimati, decoctum lupinorum, oleum ex calcite, ex ſulphure; trociſci ex alumine, aſphodillo, minio, & arſenico. præterea damaſcenum vnguentum, iſis, ceraſeos, ex centaureo, ægyptiacum, & cauteria: hiſce igitur, & ſimilibus remedijs, tum ſimplicibus, tum compoſitis fiſtularum calli abſumuntur. quę ſi ita altè penetrent, vt remedia fundum attingere non poſſint, & ſi tortuoſę ſint, multorumq; ſinuum, maius in manuum operatione inuenies iuuamentum, quàm in medicamentis. ſi igitur cutim permeent, ſtilus eſt intromittendus, & ſuper ipſum aperiendę. ſi in multa ſpatia, ramoſq; diſtribuantur, eoſq; in pampani modum retortos, eodem modo etiam incidendę ſunt: cum autem ad finem fiſtulæ ventum fuerit, callus omnino eſt detruncandus: ſi autem vitium in os deſinat, at ſectus hic non aliter, quàm manu, curandus eſt, longoq; temporis interuallo, ſi tamen ex ſe os non decidat, vel eius ſquama. cum igitur hoc pacto terminauerit, hiſce medicamentis eſt procedendum, q̄ callum, oſq; remoueant, vlcuſq; agglutinent. Proſunt aliquando ſimplicibus vlceribus potiones nonnullę, vt puta, ℞. agrimonię partes tres, plantaginis partes duas, foliorum oliuæ partem vnam, incidantur minutim, & contundantur, & in vino albo decoquantur. vel ℞. oſſis mundi, quem iſti filicem appellant, partes tres, gentianę partes duas, centaurei partē vnam, decoquantur, vt prius, & colentur, & in aurora poculum exhibeatur.

Lib. 3. ca. 88. & l. 4. c. 152.

De Fiſtulis lachrymalibus. Cap. VI.

PROPE nares, in angulo interiori, vel domeſtico oculi, locus, quem Græci encanthis appellant, Arabes almacheni, vel almaſeni, ſæpe tuberculus quidam inflammatus, & valde dolens exoritur, hunc Gręci anchilopa, Arabes aſcilo, vel bacilo nominant, qui facilè in abſceſſum degenerat, veſicamq; inducit, quæ diſrumpitur, vlcuſq; oſtracoſum generat cacoete, paucę profunditatis, & fiſtulare, à Græcis ægilopa dicitur, ab Arabibus garab, & algarab, Latinè fiſtula lachrimalis. hæc, vel ob carnis tenuitatem, quæ ibi reperitur, vel ob continuum pituitæ fluxum, vel ob oculi vicinitatem, quòd malè adaptentur medicamenta, vt permaneant, vel quia os eo loci corruptum, uariceſq; perforatæ cum difficultate ſanentur. Aliquando (dicebat Celſus) fiſtula cancri redolet naturā, quando videlicet turgentes venę ſunt factę, fuſcus color, pellis dura, & ex leui tactu indignatur, in partibuſq; continuis inflammationem inducit. horum vlcerum ea, quę ad cancrum iam deuenerunt, cum periculo curantur, mortem namq, accelerāt. Fiſtulæ ad nares declinantes incurabiles ſunt, ita etiam, quę in interiore angulo oculi expurgantur: earum verò, quæ extrinſecus ſunt, quantò magis orificium oculi angulo eſt prope, tantò curatu ſunt difficiliores, anguſtus enim locus eſt, quem Medici manus pertractare debet, facilior tamen eſt cura, quando vlcus eſt recens. Solent aliquando tuberculi quidam exoriri in oculi angulis, qui vndequaq; mouentur, nec vnquam ſuppurantur, ſed in numero ſunt glandularum, & diutius perdurant. Abſceſſus haſce partes occupantes, aliquando extra oculum, aliquando intus, aliquando ambobus in locis diſrumpuntur; ſæpe etiam humorum acredo, & acuties oſſa corrumpit, & ad narium cauitates pertingit; corroditur etiam palpebræ inferioris cartilago, continuoq; multa puris copia moleſtatur, & in oculo inflammationem inducit. Hæ fiſtulæ, quæ iam ſunt inueteratæ, vel mala loci intemperie commixtæ, vel humidiora capita nanciſcuntur, vel mulieres, pueroſue infeſtant, vel criticè oriuntur, ſæpeq; innouantur, cum difficultate ſanantur.

Cel. l. 7. c. proprio.
Gal. 5. loc. 1.
Aet. l 3. c. 85.
Paul. l. 3. c. 22.
Raſ. l. diuiſio. cap. 34.
Auic. 3. f. 3. tra. 2. c. 14.
Albu. l. 2. c. 19.

PRAXIS.

QVi in oculi angulo vel inflammationem, vel abſceſſum patiuntur, caput inclinare non debent, nec varijs cibis repleri, nec vino, curationiſq; principium à corporis euacuatione exordiri debet. quare, cum nihil obſtet, vena ſecanda eſt communis, ab oppoſito brachio, deinde corpus expurgandum, vel hyera, vel pillulis cochijs, vel aſſaiareth, vel ſine quibus. quia autem morbus in longum aliquando protrahi ſolet, neceſſariò conſequitur, vt materiæ multæ, craſſę, & indigeſtæ abundent. quare, præmiſſa minoratione, reſiduum præparetur, coctioniſq; ſignis apparentibus, præparata materia euacuetur. hoc

Auen. 1. theiſ. trac. 8. c. 16.
Auic. 3. f. 3. tract. 2. ca. 15.

hoc interim ſedes inflammata, & dolens apocruſticis regatur medicinis, nempè quæ fluxiones inhi-

Lib. 7. cap. 85.

bere poſſint; nam ſæpè humor talis hoc methodo diſcuti ſolet. quare ex Aet. commodum erit præſidium, cum puſtula, aut tuberculum apparere incęperit, adhibere ſuccum ſilueſtris portulacę, aut ſemperuiui, aut ſaltem oui albumen contuſum cum vino nigro auſtero: ſi verò inflammatio perſeuerare videatur, ea, quæ diſcutiunt temperatè, competere videntur, expoliata nempè omni mordicatione; nam

Gal. 5. de comp. m. ſecund. loc. & 7. de comp. m. per genera. Scribonius de-ſcri. 207. Gal. 2. krag. in fine. Pau. lib. 7. c. 17.

acria medicamenta dolores irritant, & inflammationem commouent, ob id ab antiquis probatur emplaſtrum barbarum ſimplicioris temperaturæ, aut ex ſalice, aut diapirites, Aſclepiadis emplaſtrum. ℞. olibani, mirrhę, ceræ an̄. ℥. iiij. aluminis plumæ, coaguli leporis, ſpumæ nitri an̄. ℥. ij. laudani ℥. j. omnia ſubtiliſsimè triturentur, & cum oleo irino paretur emplaſtrum ſub bona forma: ſi inflammatio medicamentum ſuperauerit, & ad ſuppurationem deuenerit, opus eſt omni celeritate vomicam fieri, & aperire, ne perioſtios à coluuie ſanióſa corrumpatur: at ſi tarda fuerit humoris concoctio, aut quia craſſus, aut quia etherogeneus, eum maturāt carices pingues cum aſſungia gallinacea, fermento, & croco, aut medulla panis cum ſemine marubij, olibano, & mulieris lacte. aperto abſceſſu, materia tota euacuetur, & ſinus, ſi expedit, abluatur decocto roſarum, mirtillorum, rodomelle, & vino nigro. & ſi qua adeſt cruditas, aut durities, præparetur vlcus medicamento ex terebentina, oui luteo, corticibus thuris, & rodomelle; abſtergatur poſtea emplaſtro damaſceno, aut iſide, aut ceraſeos; repleatur poſtmodum vnguento aureo, aut citrino; poſtremò cutis inducatur cerato Græco, aut ixminio, aut diaphinicine: cumq; pluries materia diuerſa ex noua fluxione in eo ſinu innouetur, aut praua adhibetur chirurgia, fiſtula ibi oritur vnà cum ſuis eſſentialibus conditionibus: quod dum occurrit, conſiderare oportet, quanta ſit eius penetratio, & profunditas; an tantum carnoſam partem occupet, vel os teredine afficiat: nam recenti re in carne tantum, mederi facilius eſt: attamen, vt ait Auic. canon in cura garab eſt perfecta mundificatio. ergo primò ſpecillo menſuretur. ſecundò aliquo ingenio dilatetur vſq; ad imum. tertiò callus ex toto tollatur, & omnis mala temperatura abſumatur: callus verò tollitur,

Archigenes in 1 medic. Aſclepiades in 1. exter. lib. de facile acquiſibilibus, & lib. 1. kragení.

ſi debilis fuerit, alumine liquido, aut cinere vitis cum recenti ſtercore columbino, & aceto, aut aloe, nitro, & vrina pueri, ex Gal. fele hirci exſiccato, & caluaria humana in puluerem redacta: nos verò hydrargirium præparatum perpetuo felici ſucceſſū adminiſtramus: ſi durus, vnguento ægiptiaco, aut trociſco illo celebri de minio, aut ex Auic. præſidio tali. ſumatur arſenici rubei, atramenti, cantaridarū, calcis, ſalis ammoniaci, aluminis cum æquali portione; terantur omnia cum vrina pueri, & ſiccentur: verum hęc, quia cauteria ſunt, modeſtè, & cautè adminiſtranda ſunt. conſumpto callo, inde citò tali puluere ſanantur, ℞. mirrhæ, ſarcocollę, aloes, corticum thuris, memitę an̄. miſce, & fiat puluis ſubtiliſs. qui vſq; ad vlceris fundum peruenire poſſit. & ſtude, ne medicamentorum ſubſtantia ad oculum tranſeat. Quare, vt docet Auic. ſi fiſtula profunditatem habet, inuoluatur radius cotto in medicamento ſubmerſo, & ponatur in fiſtula, ſiue ſit medicina currens, aut puluis; & cū tale adminiſtratur medicamē, ſtringatur cum panno, & adhibeatur quies. ſed quia multi patientes ſunt, qui nullo modo cauteria admittere videntur, aut timore doloris, aut quia oculum amittere credunt. Ideò, dicebat Auic. In his exprimatur à fiſtula humiditas omnis diuerſa, & vino nigro ſtiptico abluatur, poſtea ſecetur, & inſtilletur intus collyrium algarab, quod Maumeth, Zachariæ filius, ſuę inuentionis atteſtatur, hoc à Raſi

9. ad Al. cap. 30 lib. diuiſionum cap. 54. in anti. lib. diuiſ. c. 29 Auic. 3. 3. trac. 2. cap. 15. lib. 3. ſu. 2. trac. 2. vbi de colirio al. arab.

plurimis in locis probatur. Ait ipſe, medicamen, ſi adhibitum fuerit, lacrimalem fiſtulam per multos menſes adeò tardare facit, vt æger ſanus videatur. ſic paratur, ℞. aloes, thuris, ſarcocollę, ſang. draconis, balauſt. antimonij, aluminis an̄. ziniar quantum eſt quinta pars vnius, fiat ex his ſief. cumque neceſſe fuerit, fiſtula adeo exprimatur, vt quicquid purulentę ſaniei in ea continetur, egrediatur; deinde infirmus ſuper latus ſanum ſe voluat, & de prædicto ſief aliquid diſſoluatur, de quo in angulo lacrimali tres, aut quatuor guttę inijciantur, magno exiſtente interſtitio inter proiectionem vnius guttę, & alterius, quo facto, per tres horas æger quieſcat; in ſequenti die pariter ſummo mane fiſtula bene prematur, & eadem fiat cura per vnam hebdomadam ſic agendo: aut tandiu, donec fiſtula ex toto exſiccata fuerit. huiuſcemodi præſidia in pura, recenti, & carnoſa affectione conferre poſſent; in antiquata, aut alio morbo adiūcta ad acriora deuenire oportet. igitur ſi os iam carie vexatum eſt, fiſtulam ad imū vſq; dilatare oportet, & carnem omnem malam abſumere, inde os totum dubitatum ſcooperire. quòd ſi eius cortex, aut ſuperficies tantum alterata fuerit, quæ viriliter exſiccant, adhibeantur, nempe attramentum ſutorium, vel calcitis, vel ærugo raſa: aut, ſed cautè, oleum de ſulphure, aut ex calcitide, oculo, & cæteris iunctis partibus benè obtectis: ſi verò hæc alicuius fuerint ſuſpicionis, os abradere oportet, donec tota nigredo abſumatur, & hic eſt primus Auic. operandi modus. porro quia affectus in anguſto eſt, in loco concauo, & angulari, res difficillima eſt, & magno labore celebranda, nec

Lib. 1. cap. 19.

communia ſcalpra, ſiue raſpatoria adhiberi poſſunt, ſed ea magis probantur, quæ ab Albucaſi, limata, aut aſperi capitis vocitantur. pariter & quæ duabus alis ſecantibus munita ſunt. Dum inſtrumentū ad os peruenit, & vna tantum manu hincinde auoluitur, nigredinem, & omnem alterationem deſtruere poteſt, quod fit, & citò, & tutò: ſi verò teredo manifeſta oſſis ſubſtantiam occupauerit, & morbus nigredinem tranſierit, opus eſt os totum cauterio ignito adurere, & hic eſt ſecundus modus operandi,

Cel. lib. 7. cap. 7. & Pau. lib. 6. c. 22. [illegible]

quem clarè antiqui probarunt, aſſerentes ante hanc operationē neceſſariò tres præcedere operationes, quarū prima eſt, ne oculus lædatur, ideò aliqui, vt Hiſaac, iubent, vt oculus argenteo cocleari coope-

riatur,

riatur. Aetius, & Auic. cum ſpongia frigida aqua madefacta, aut linteolo lineo niue infuſo, Ieſu hali cum fermento frigido, Albucaſis cum bombace in oui albumine contuſo madido, aut in pſilij mucilagine. nos verò vnà cum recentioribus, ſtupis oui albore infuſis contenti ſumus, aut aceto roſato: aut vino nigro ſtiptico. His peractis ad ſecundam conſiderationem tranſire opus eſt, nempe ne oculi angulus deſtruatur; ſi quidem conſolidationem non recipit, aut turpis remanet cicatrix. & ne hoc ſequatur incommodum, oritur tertia conſideratio, & eſt inſtrumenti forma, & ſubſtantia, ac operandi ratio, & in hoc omnes Albucaſim ſequuti ſunt. Ait ipſe, quando curas fiſtulam cum eo, quod diximus in diuiſionibus ægritudinum, & non confert curatio tua: tunc oportet, vt cauterizes ipſam ſecundũ hũc modum. Præcipe infirmo, vt ponat caput ſuum in ſinu tuo, & teneat caput eius miniſter inter manus ſuas taliter, vt non moueatur, neq; agitetur cum capite ſuo. deinde fac, vt oculus, & eius vicina loca ſint bene obtecta, & tunc fac igne cauteriũ, aut ex auro, aut ex ferro Indo, quod radioli formam præſeferat; & ne oculũ offendat, cãnulo eget, quod longitudinis medietatis vnius digiti eſſe debet, aut ęneũ, aut ferreum, groſſitudinis vt decet. cumq; operando cauterio vti volueris, exprime fiſtulã ab omni humiditate, & exſicca ipſam; inde cannulum intromitte ſic, vt ad os perueniat, quod cauterio optime igni to vehementius adurendum eſt, & inclina manum tuam cum cauterio ad partem oculi, ſic vt eius ignita extremitas inclinet ad partẽ naſi, & diſtet ab oculo. & nõ erret manus operantis in hoc, ne oculi angulus laceretur, & inquietetur infirmus. ſi vno cauterij adactu os aduritur, ſat erit; ſin minus, eum bis, & ter reiterare oportet, donec noueris os ex toto ſiccum eſſe, ſtatimq; lana, aut ſtuppa oui candido imbuta applicetur, totaq; regio circumuicina vnguento roſato Meſues liniatur; in ſequentibus poſtmodum butirum cum lenticula, donec eſchara ceciderit, adhibeatur. cumq; os aduſtum exierit, quod inter dum tardius euenire ſolet, curatio ſequitur eadem, quę in cæteris vſtis. Alter cauterizandi modus apud ſeniores reperitur, qui, eo quia non ſine timore eſt, à modernis non probatur. per cannulam dragmam vnam plumbi liquefacti ſuper os infundebant, diligentia multa adhibita, ne plumbum liquefactum ad oculum penetret; plumbum enim, ait Albucaſis, comburit locum fiſtulæ, & ſanat ipſam ſanatione mirabili: ſi fiſtula duobus his prædictis ſuffragijs, nempe medicinis, aut cauterio cedit, bonũ eſt, & terminus quadraginta dierũ eſt. ſi non, tunc neceſſe eſt os nariũ terebris perforare, & fiſtulam ad naſi curſum reducere, & hæc eſt tertia via, qua garab curari ſolet. cum ergo ſcoopertum fuerit os, eum terebrato, vſq; quo ab ore, & naribus, aut ſanguis, aut pus emanauerit. operando caue, ne aſcendas cum terebro ad ſuperius, & cadat perforatio in capſula oculi; nam inde nullum ſequetur beneficium. ſit igitur perforationis progreſſus ad nares: cumq; penetrauerit perforatio, obturatis naribus, & ore manu infirmi, ab orificio & aer, & humiditas diuerſa exire, & videtur, & ſentitur, ibiq; poſtmodum perpetuus & internus ſinus reſidet, ab Arabibus ariſſati vocitatur. poſtremò exterius vlcus conſolidetur, ſiquidẽ omnis humiditas, quæ continuo ibi gignitur, per nares expurgatur, & minus patientem moleſtabit, & vlcus curationem recipit. facta igitur optima loci mundificatione, aut, ut iubet Auic. leui aduſtione, tale ex Galeno ad Hierę mentem, adhibeatur remedium; ℞. mirrhę, calcitis, añ ʒ. vj. aloes, thuris, aluminis plumæ añ. ʒ. vij. ariſtolochiæ, gallæ inmaturę. añ. ʒ. viiij. malicorij contriti ʒ. x. miſ. & contundantur ſubtiliſſime, & arida utitor, aut cum cera fiat vnguẽtum, ſæpe idem facit emplaſtrum palmulatum, aut diacadmias, aut Gręcum.

Aet. lib. 7. cap 86. Pau.
Raſis in anti. lib diui. cap. 29.
Albu lib. 1 ca. 19. & lib. 2. capite 19.
Ieſu hali tract. 2. cap. 32. Aui.

De Fiſtula Maxillarum. Cap. VII.

IN inferiori maxilla, tuberculus, ſiue paruus quidam tumor exoritur, qui ut plurimum ad ſuppurationem deuenire ſolet, & ex eo fit vlcus curatu difficile, ob id quia ſæpiſſime cum oſſis teredine complicatur, cui perpetuo dentis dolor pręceſſit aliquis, ac tractu temporis in fiſtulam permutatur, quæ cum corruptione radicis dẽtis annexa eſt; quare, niſi dente extracto, curationem tentare non oportet. & ſi interdum vlcus ad ſanitatem deueniſſe videtur (quod perinde recidiuam facere ſolet) ſæpe vidimus; quòd nonnulla vlcerum cicatrice obducta frequenter, haud magno temporis interuallo iterum inflãmatione tentantur, rumpunturq;; ſi qui dem oſſe quodam affecto interdum caro circundata ex facili cicatricem recipit, ac ſana ex toto eſſe videtur: verum curſu humoris valido paulatim ex oſſe in alto contabeſcente, tum inflammatio, tum pus oboritur, quod cicatricem deradit, & vlcus innouatur. hac ratione harum fiſtularum curatio eſt, vt os affectum decidat, & vt patiens dente priuetur: memini, dum publico ſtipendio Feltriæ eſſem ſtipendiatus, quendam iuuenem curaſſe Vallis ſuganę, Georgium comitẽ, nominatum, ac ex nobili familia natũ, qui abſq; vllo dentis dolore annis iam tribus menti vlcere vexatus fuit; & quamuis complurium medicorum ope vſus fuiſſet, non deprehendentibus illis morbi cauſam, ſanitatẽ conſequi minime potuerit: at cum aliqui altum, & calloſum vlcus viderint, citra vſtionem nequaquam tolli poſſe affirmabant, alij quia calloſa vlcus habebat ora, chyroneum eum eſſe credebant, & ob id omnes curatu difficillimum arbitrabantur: verum cum ad manus noſtras ſe contulit, & fiſtulę naturam, & locum conſiderauimus, nullis id malum medicamentis vinci poſſe prædiximus, niſi dente cum eius carioſa radice prius euulſo, ſic enim

Cel. lib. 6. cap. 13. & lib. 7. capite 12.
Aet. lib. 8. capite 26.
Pau. lib. 4. capite 50.

enim dentem extrahere iuſſimus, & eius teredinoſam radicem inſpeximus, & non multis poſt diebus, remoto vlceris callo, reſtitutus ſanitati eſt. indicium huius affectus erat pus multum ab vlcere proflues. ſi patiens fortè fortuna dentis euulſionem non admiſerit, caries tota candenti ferro aduratur; inde ea peragenda ſunt, quæ in cura aliorum vlcerum ſimilium probantur.

De Fiſtulis Thoracis. Cap. VIII.

Cel. l. 7. ca. 4. Gal. 7. de agg. anat. 6. inter. cap. 4. 5. inter. cap. 2. Gal. 5. metho. cap. 8. Auic. 4. 4. tra. 3. cap. x.

AVT poſt tumorem pituitoſum, aut calidum, abſq; methodo curatum, aut poſt thoracis vulnere penetrante, in pectore, aut dorſo, aut lateribus vlcus fiſtulare remanere ſolet, quod cacoetes eſt, ideſt difficilis conſolidationis, id ve magis ſi oſſa ſternonis, aut ſpinę, aut coſtarum male affecta fuerint, vt illi adoleſcentulo marullo occurrit, qui cum ſectus eſſet, cordis motus manifeſtè patuit, & tandem ſanatus eſt; facillimè dignoſcuntur, ſed difficillimè ſanātur; partes hæ perpetuò mouentur, & cauitas plurimis ſuperuacaneis ſuperfluitatibus repletur; vapores, & ſpiritus multi non ſine crepitu, ac humiditates variæ cum tuſſi per vlcus exire ſolent, id ue magis retento aere. ſimplices fiſtulæ remoto callo tutò curantur, nempè præſidijs omni mordicatiōe expoliatis: quæ verò aut teredine, aut prauo alio ſymptomate complicantur, niſi ad puritatem, & temperiem deuenerint, ſanari nequeunt, egent ſtudioſo, ac ſolerti operatore; ob id; quia affectus prope primarium membrū occurrit; ſi in interiori parte, vbi lacerti quamplurimi, ac venę locantur, timere oportet; ſi in dorſo, venarum, arteriarum, ac neruorum copioſo, res abſq; diſcrimine non eſt: ſi coſtas pertranſit, ſæpè ſeptū trāſuerſum offendit; hac ratione, & ſectiones, & vſtiones, & vnaquæque operatio, quæ in his ſedibus celebrantur, conſiderandę ſunt, vt ſi non iuuent, ſaltem non noceant. porrò ſi aliqua opportuna fuerit dilatatio, turundarum operatio magis, quàm ferrum, probatur, ſi oſſis corrupti remotio, abraſio magis, quàm cauterium, laudatur. pro curatione harum fiſtularum, lotiones exterius adhibitæ, & potiones interius aſſumptę competere videntur: præcedant quippe has operationes exquiſitæ corporis ſecundū indigentiā euacuationes, ac viuēdi modus, qui qualitatib. aduerſetur, curationē prohibentib. potiones, q̄ in his affectibus probantur, ſic parari ſolent, ℞. arimonij m. iij. foliorum plantaginis m. ij. foliorū oliuæ m. j. centau. mi. erinodani m. s. contundantur groſſo modo, & bulliant in vino albo, donec tertia vini pars euanuerit, coletur, & adde mellis albi ℥. vj. iterum parum bulliat, & da ſummo mane patienti ℥. viij. huius decocti tepidi. aut ℞. centau. ma. m. j. minoris pimpinellæ, betonicæ, ęquiſeti, gariofilatæ, eritrodani, agrimonię, hederæ terreſtris añ. m. s. fiat decoctum in vino albo: cui adde mellis clari ℥. xij. da huius ſyrupi patienti quotidie in mane ℥. vj. lotiones verò, quæ in pectore per ſyringas, aut iniectorium imponuntur, vt tota eius cauitas abſtergatur, & exſiccetur, & vt omnis tollatur immundities, ſic fieri ſolent. paretur primò hydromel, poſtea mulsū, vltimò tale decoctū, ℞. valerianæ, gariofilatæ, caudę equinę, piloſellę, ſalbię, roſarum ru. centaureę mi. conſolidæ, millefolij, eritrodani añ. m. s. fiat decoctum in vino montano claro, & adde mellis albi odorati ℥. x. miſce, & coletur, & iterum adde mirrhę, ariſtrolochiæ, irios añ. ʒ. ij. parum bulliant, & vtere, toties vulnus, & cauitatē abluendo, donec lotio clara exierit, tunc. n. indiciū eſt, pectoris clibanum inanitum eſſe; ſic enim procedendum eſt, vſquequo materia ex totò fuerit exſiccata.

Gal. 5. par Aph. com. 64.

De Fiſtulis Ani. Cap. IX.

APVD extremitatem inteſtini longanonis, ſiue recti, locus, qui ſphinctera, & podex nuncupatur, ſæpè inflammationes, & tubercula oriuntur, aut poſt chronicos affectus ob aliquam criſim, aut poſt longas equitationes, aut remigationes fatigoſas, aut quandocunq; partes, quæ ano proximę ſunt, aliqua exercitatione atteruntur, aut fortiter contunduntur, aut vulnerantur, aut dolores hęmorroidales, aut variarum ſuperfluitatum retentionem, quæ per eam ſedem expurgari ſolitæ erant, patiuntur, aut ob nimiam corporis repletionem, aut cauſam occultam; quæ, aut ex mala medendi ratione, aut patientis timore, qui opportunam ſectionem non admittit, ſed vomicam, & vltimam maturationem, ſeu potius ſemimalam corruptionem expectat, in fiſtulas permutantur; quarum altera ſimplex eſt, ideſt tantum in carne conſiſtit; altera verò non ſimplex, ideſt penetrans in inteſtino, aut componitur cum alio morbo, aut diuerſa cauſa, aut non ſolito ſimptomate. porrò quæ penetrat, aut ambientem, ſiue anularem muſculum ſuper equitat, qui totam inteſtini extremitatē circumuoluit, cuius officium eſt exitum fæcum retinere, ac anum perfectè ab eis expurgare: alię verò ſub eo terminantur. In ſimplici fiſtula ſæpe expedita curatio eſt, vt ſupra explicauimus: quæ autem in extremo inteſtini, & ſub lacerto ipſo ſunt conſtitutę, non multo labore, & ſine periculo, ſanantur: Timoroſę verò ſunt, quæ altè progrediuntur, & ſupra lacertum tranſeundo inteſtinum perforant; & quantò altius terminantur, tantò magis timendę ſunt, nec ſanitatem recipiunt, ſi diuerſimodæ, aut plurimis ſinibus, & orificijs ſunt munitæ. earum, quæ non penetrant, aliquę ſunt multę profunditatis, aliæ tortuoſæ, ac

Hipp. l. de fiſtulis. Cel. l. 7. ca. 4. ſect. 2. Aet. l. 14. c. x. Paul. l. 6. c. 78. Auic. 17. 3. capite 18. Albu. l. 2. cap. 80. 88. Gal. l. qui med. nuncupatur.

ſæ, ac pampàni modo procedunt, aliȩ ad dorſum, aliȩ ad matricem, aliȩ ad veſicam, aliȩ peritoneũ verſus inclinantur, quæ omnes longo egent curationis tempore, ac Medico magnum negotium faceſſunt: dantur & ani fiſtulȩ latentes, eoq; ore non apparente dolor ipſis oboriatur, & purulenta humiditas per anum expurgetur: verum plurima abſceſſus indicia prȩceſſerunt, & digiti impoſitione facillimè dignoſcuntur. Communiter ſedis affectus magis in manu, quàm in medicamentis, præſidia expectant, & maxima cum difficultate ſanantur. primò ob eius nimium ſenſum, quare ab omni medicamento acri, & auſtero irritatur, & inflammationem excitat. ſecundò, quia calis eſt immundarum ſuperfluitatum totius corporis, quæ interdum bilioſæ, & mordaces ſunt. tertiò, quia Chirurgi tempus determinatum non habent, in quo tutò opportuna medicamenta adhibere poſſint, locus inuerſus eſt, & quotidie patientes diuerſimodè, ac horis varijs aluum expurgare tenentur. quartò, eſt affectȩ ſedis habitudo, calida nempè, & humida, in qua etiam perpetuò excrementiceæ humiditates congeruntur. quintò eſt motus podicis, qui crebro conſtringendo, & dilatando dimouetur. ſextò eſt ſitus decliuis, ad quē continuò variȩ defluunt humiditates, & id magis dum malè afficitur, & dolore tentatur. duo potiſſima indicia manifeſtȩ penetrationis habentur, vnum ab exeuntibus ſumitur; nã materiæ tenues, coloratȩ, & fætentes exire ſolent, interdum feces, aut earum odor, aut lumbrici, aut ventoſitas rugiens, aut res cõmeſta, vt vuarum acini, aut granatorum ſemina, aut res ſimilis. dignoſcuntur interdum ex ſpecilli plumbei, aut candelæ cereȩ, aut recentis allij caulium ex Hipp. aut ſetȩ porcinȩ. ex Paulo, impoſitione exterius, & digiti indicis interius, prȩſertim ſiniſtrȩ manus; nam ſpecilli extremitas digitum reperire ſolet. & hæc vera eſt methodus in fiſtulis, quȩ per rectam lineam inteſtinum offendunt: ſed quæ tortuoſæ, & oblique procedunt, alio perquiruntur ingenio ex Albucaſi, & Auic. nempè alicuius decocti, aut liquidi, & currentis corporis impoſitione per iniectorium exterius, aut rectum ſiphonem interius, nam vtrobiq; exire poteſt. & hoc verum indicium eſt penetrationis.

Gal. 9. de cõp. m. ſecundũ loc vbi de vitiis ſedis. & 6. de lo. loc. aff. Auic. 17. 3. c. ..

PRAXIS.

IN cura fiſtularum ſedis, prima Medici indicatio eſt, ſcire, an ex tali morbo patiens aliquod commodum agnoſcat: nam ſȩpè affectus hic nullo modo curari debet, idq; magis ſi penetrans non fuerit, aut copioſo fluxu humorum non affligatur, aut nimium fætorem non inducat; natura ſiquidem interdum per hanc partem multas expurgat ſuperfluitates, & corpus à varijs ſimptomatibus liberat, vt in corporibus mali habitus, ſenũ, & quȩ doloribus vexantur articularibus, aut hæmorroidalibus occurrere contingit. Aliquæ etiam reperiuntur, quæ tantùm præſeruationem, aut paleatiuam curationem expoſcũt, nempè antiquȩ, oſtracoſȩ, aut quæ in carcinomatis naturam tranſierunt: quæ verò regularem curationem deſiderant, ſunt fiſtulæ ſimplices, recentes, & quȩ partem tantùm occupant carnoſam, hȩc quippe multis medijs, ac indicationibus curari ſolent. Porrò cum tuberculus, aut paruus tumor ani orificium occupat, eius vltimam maturationem expectare non licet; ſed crudus aperiatur, non tamen tantȩ cruditatis, quòd nulla reperiatur ſanies; ſed aperiatur, antequam ad inteſtinum ſuppuret: vlcus inde, ſicut & cȩteri ſuppurati phlegmones, regatur: ſi verò fiſtula, aut vlcus fiſtulare ſimplex apparuerit, in quo callus exquiſitus non reperitur, ſat eſt interdum vino maluatico cauitatem abluere, & iſide medicamento, aut hydrargiro præparato calloſitatem tollere, vt ſinus vel glutinari, vel impleri poſſit. ſi validiori opus fuerit medicamento, fiat lotio cum aqua marina decocta cum hordeo, & alumine, & parum quid viridis æris; poſtmodum lichinium cum ægiptiaco imponatur: conſumpto callo vlcus, vt cȩtera, regatur: ſi autem fiſtula alicuius fuerit profunditatis, aut anguſtiȩ, expedit orificium dilatare, commodè quidem, ac ſine moleſtia, & timore, aut turundis diuerſimodè paratis, aut ferro, ſic vt medicamenta ad imum vſq; peruenire poſſint. igitur in has demiſſo ſpecillo, ad vltimum eius caput incidi cutis debet, ſi altè peruenerit intra ſedem, & fiſtulȩ terminus demiſſo ſpecillo percipiatur; partes enim, quȩ molles ſunt, facilè ſinuantur, atq; eroduntur, & hoc interdũ ſatius eſt, vbi fieri tutò poſſit, cum magis medicamentum admittant, & inde facilius glutinentur fiſtulȩ, quæ hac ratione & cultro inciduntur, quàm quȩ topicis tantùm à callo vindicantur: ſed quia in profundis fiſtulis, aut diuerſorum ſinuum, operationes aut admodum doloroſȩ eſſe ſolent, aut longum requirunt tempus; igitur, vt iubet Gal. in huiuſmodi caſibus ab ægrotante requirendum eſt, an tardius, ac ſine magna moleſtia: an celerius, & cum maiori tormento ſanari malit: qui verò ex timore dilatationem non admittunt, lotionibus, & vnguentis curari debent, & Arabes omnes colliriũ algarab, de quo ſupra, vbi, cũ de lachrimali fiſtula ageremus, multa explicauimus, mirũ in modũ cõmendant, præſertim vbi fiſtula proximè ad inteſtini tunicam accedit, quæ nondum tamen perroſa eſt, ſed integra manet, aut ad vterum tendit, vel ad eius ceruicem, aut ad veſicam; tunc enim dolores atroces percipiuntur, & interdum locij expurgatio prohibetur, aut ad os ſacrum, aut ad coxȩ acerabulum, vbi multæ, ac diuerſȩ humiditates perpetuò defluunt. & tunc, ait Albucaſis, non datur curatio omnino, & talis eſt vanitas rei, & labor ſtultorum Medicorum curare cum vnguentis; quare ad fortiores operationes tranſire oportet. & quod in rectis fiſtulis magis probatur, cauterium actuale eſt: cognoſcere igitur primò eorum profunditatem oportet, deinde accẽdas cauterium radiolatum, iubetoq; prȩparari ferramenta ſeptem, aut octo magnitudine palmi, craſſitudine ſpecilli craſſi, quorum aliqua in ſumma parte reflexa ſunt; deinde intromitte ipſum ignitum in

Auic. 17 3. capite 19.

Hipp. l. de fiſtulis.

Cel. l. 7. c. 30

Albu. l. 1. c. 38 l. 2. c. 88.

fiſtula

fiſtulam, & itera ſuper eam cauterium donec omnia eius latera comburantur, nempe ſemel, aut bis, aut ter, prout opus requirit. & caue, ne nerui, aut venæ magnæ adurantur, nec auſus ſis ſuper cauteriū, niſi quando fiſtula eſt in parte carnoſa, abſq; penetratione: ſed quia hęc curandi ratio nec ſemper tuta, nec abſq; periculo adimpletur, communiter non approbatur. & ideò dicebat Albucaſis, quòd fortaſſe ſanatur cum cauterio: de quo nec Celſus, nec Paulus, nec Auicenna vllum verbum protulerunt, nec nos ipſum probamus, quia difficile, & timoroſum eſt. Quare ad aliud ingenium tranſire expedit, & eſt eius totalis diuiſio vſq; ad inteſtinū, ferro ſcilicet ſecante, quam ſummè probat Gal. in lib. qui medicus, ſiue introductio vocatur. & huic operationi duæ præcedunt conſiderationes. prima, vt muſculus ipſe anularis non lædatur, & id, quod primò concipitur, adimpleatur. ſecunda, inſtrumenti opportuni forma, & magnitudo: porrò variæ ſunt formæ, & vario modo ab antiquis nuncupantur, à Celſo manubriolum, à Galeno, & Paulo, quia formam tenet curuam, aut ſemilunarem, ſcolopomacherion; aut quia facit ad ſecandas fiſtulas, quas Græci ſiringas vocant, ſyringothomon, ab Aetio accicula vocitatur, & ab Albucaſi ſpatumen curuum. reſupinato igitur homine, ſi fiſtulæ extremum in ſummo ſub labitur, ſpecillum per orificium demittatur, ſuperiorque cutis ſimplici linea excidatur. ſimplices igitur fiſtulæ, adminiſtratione hunc in modum adhibita, facile curantur, præſertim ſi callus non multū prominet, nam medicamenta commodè adhiberi poſſunt: ſecus verò tortuoſæ, aut quę labyrinthi modo flexuoſæ ſunt, aut antiquo callo induuntur: cumq; fiſtula ad inteſtini corpus deuenerit, ac ipſum ſanū inuenerit, niſi ſecetur, curationis modus minimè datur; quare totum inteſtinum vſq; ad eius cauitatem ſecare oportet; nam ſicca, & denſa eſt eius ſubſtantia, quæ augeri, nec conglutinari poteſt; ideo vnà cum ſupraiacente carne ſecare oportet. nam, dicebat Hipp. lib. 6. de hęmorroidibus, rectum inteſtinum, & ſecans, & reſecans, & conſuens, & vrens, etiam ſi grauiſſima hæc eſſe videantur; nihil læſeris. ob id accommodatum inſtrumentum eſt illud, quod ſemiſpatam Paulus appellat. Cum verò fiſtula totam inteſtini ſubſtantiam perforauerit, eam totam ſecare oportet, quod duobus modis perficitur, nempè laqueatione, aut ſectione. laqueatio à Medicis communiter deſcribitur, & in hunc modum ab Hipp. perficitur, linum crudum quàm tenuiſſimum, ad palmi longitudinem tortum, in ſpecilli ſtanei perforatam caudam conijciendum, ipſumq; ſpecillū in fiſtulam demittendum. eodem autem momento ſiniſtræ manus index digitus in anum indatur, & ſpecillum, quum occurrit, educat, extrema parte inclinatum, cum quo lini caput extrahitur, quod in id coniectum erat; & cum altero capite bis, aut ter vinciatur ſtrictè. hactenus quotidie coarctari, atq; intorqueri linum debet. in hoc verò præcipito homini, vt ſe ipſum ſecet: ſi verò linum putreſcat, antequam fiſtulā exederit, alter ſimilis laqueus ex ſeta alligetur, traiectuſq; vinciatur, ſeta enim non putreſcit. probant hanc Hipp. deligaturam & Celſus, & Paulus in his, qui timidiuſculi chirurgiam fugiunt. interim autem licet negotia agere, nempè ambulare, ac cibum capere, perinde atq; ſaniſſimo: ſed committendum non eſt, vt linum putreſcat, ſed tertio quoq; die nodus reſoluendus eſt, & ad caput alterum recens linum alligandum, ac in fiſtula cum ſimili modo relinquendum. ſic enim id paulatim cutem, quæ ſupra fiſtulam eſt, incidit. Hęc curationis ratio longa eſt, & ideò fieri poterit, vt ad ſcalpelli curationem tutò veniendum ſit: nam, vt ait Hipp. homo ſanus non fit, ſi non ſecetur, cultelli ſiquidem fiſtulares, aut falſiculæ, ſiue fauceoli ad hoc parantur, vt vno adactu totam fiſtulam ſecare poſſint. eorum vſus talis eſt ex Hippocrate, expurgato toto corpore, vt decet, aut ſanguinis miſſione, aut pharmaco bilem ducente; nam ex ſectione nihil accidet, quàm dolor, & inflammatio: quæ ſi corpus, ut conuenit, purum fuerit, antequàm ad ſcalpellum veniatur, vel nulla, vel leuis admodum inflammatio ſuperueniet. preterea inanito inteſtino à fęcibus, & lumbricis, vbi priore die purgatorio medicamento purgaſti, ſectionem aggredere: ac homine ſupino reclinato, & puluinari ſub lumbos ſubiecto, & podice ſubleuato, vt in conſpectu bene ueniat, ſedem quàm maxime per digitum indicem ſiniſtrum foras extrahito, inde per fiſtulam cultelli radiolum imponito, donec ad digitum, qui in ano eſt, peruenerit: qui cum radioli extremum inuenerit, eum flectendo verſus anum ducat, ac dextera manu viriliter falſiculam impellendo, in cauſa eſt, vt cultelli acies tutò, & citò totam diuidat fiſtulam, muſculum, qui anum conſtringit, ſphincter dictum, vbiq; vitando; nonnulli ſi quidem rudius, dum in alto ſectionem molirentur, ipſum conuulnerarunt, atq; inde inuoluntaria ſtercoris excretio homini accidit, & hæc horum affectuum vera curatio eſt. Aliqui inſtrumentum, quod ad ſedem diducendam ſit aptum, dioptrion Græci vocant, prius in ſedem imponebant, vt fiſtulæ os interius clarè appareret. hic adminiſtrationis modus à multis reprobatur, cum ex eius impoſitione operatio magis adumbretur: nec laqueatio multum laudatur ob id, quia & ingentes dolores, & ardentes inflammationes commouet, aut longo operatur tempore; ideò iubet Auic. vt, ſi praua apparuerint accidentia, illicò laqueus, ſiue lineus, ſiue ſericus fuerit, ſecetur, & ea adhibeantur medicamenta, quæ dolores lenire poſſint. ſecta fiſtula quomodocunq; ſeruari aperta debet, donec ex toto callus fuerit conſumptus, & medicamenta commodè adhiberi poſſint. &, ne oris, ac labris glutinatis fiſtula reuertatur; ideo iubet Hippocrates, quòd ſtatim ſecta fiſtula, mollis ſpōgia tenuiſsime inciſa imponatur; deinde, ut callus tollatur, florem æris vſti per ſpecillum copioſe in fiſtulam conijce; nam medicamentum tale facultatem maximam exedendi callum habet, nos verò, quia ſatis acre, ac mordax medicamentum eſt, eius loco hydrargiro præparato (pręcipitatum iſti vocant,

Lib. 7. cap. 19.
14 Meth. c. 17
6. Meth. ca. 4.
Lib. 6. c. 52.
Lib. 15. ca 86.
Lib. 2. cap. 80.

Hipp. lib. de fiſt.
Cel. l. 7. c. 4.
Aet. l. 14. c. 10
Pau. l. 6. c. 78.
Auic 17. 3. capite 19.

cant,uti ſoliti ſumus. ait Hipp. id faciendum eſſe ſeptem dies. nam intra hoc tempus fiſtulæ tunica calloſa conſumitur, ac ſi huius curationis vis tota in calli amotione conſiſtat: qui ſi antiquus, ac durus fuerit,abſumitur mirabiliter ab oleo ſulphuris,rodomelle admixto,ea quippe quãtitate, vt non adurat. cumq; tali, aut ſimili vtimur pręſidio, exterius ea adhibeantur, quæ fluxiones inhibeant. nam timere oportet,ne ſub exedentibus medicamentis inflammatio ad proximas partes concitetur; & ideò pãnum, aut linteolum,oui candido contuſo, aut aceto madentem,ſuperimponatur: at vbi callus ceciderit, & fiſtulæ vlcus purum fuerit, regatur ea curatione, quæ puris vlceribus admouenda eſt, exſiccantibus quippe pręſidijs, nempè emplaſtro diacartu, aut pſaro, quod ſic paratur. myſios quincunx, gallarum triens, calcitidis ſextans, ſquamæ æris tantundem, attramenti ſutorij vncia, ęruginis raſæ ſextans,ſed prius locus marina aqua abluendus, cui addimus parum quid vini ſublimati, quod aqua vitæ appellãt. Aut tale fiat decoctum, ℞. centa.mi. m. j. maio. ariſtrolochię, caudæ equinę añ. m. s. aloes, irios, maſtic. añ.ʒ.ij. vini optimi q.s. fiat infuſio per horas vigintiquatuor, inde bulliant ad mellis conſiſtentiam. & ℞. prædicti decocti vnc. iij. vini ſublimati vnc. ij. mellis crudi vnc j. aquę maris vnc. vj. miſ. & iterũ parum bulliant: abluatur vlcus, inde linteolo exſiccatum, cooperiatur emplaſtro aliquo exſiccante, quale illud eſt ex carta combuſta, aut ex aneto combuſto, aut ex mirto ſilueſtri, aut ex cadmia, aut tuna, aut diaphinicine; nam ani vlcera medicinis multa exſiccatione præditis curari ſolent.

Paul. lib. 7.
Hipp. li. de vlce.
Gal. 5. Metho. in fine.
Aet. l. 14. c. 10.
Pau. lib 5. c. 59.
Auic. 17. 3. c. vl.

De Fiſtulis colli Veſicæ. Cap. X.

POST calculorum extractionem, aut diſrupto abſceſſu, aut ſoluta recenti continuitate, aut longum ſeminis fluxum inuoluntarium (affectus à Græcis gonorea vocitatus) aut internam excoriationem, quę magnum vrinæ ardorem ſequi ſolet, aut alteram ſimilem rationem, inter teſtes, & anum (ſedes quippe, quæ à medicis femen, fiterim, & perineon dicitur) tuberculus, aut inflammatio gignitur, quę in vomicam, ſiue exituram permutatur, & tandem tractu temporis in fiſtulam conuertitur, quæ à Græcis corhyada, & rhyada nuncupatur. præcedit hiſce inflãmationibus, quę tardè ſuppurantur, dolor intolerabilis, durities intenſa, & febris aſſidua; teſtes tumeſcunt,& ſæpè patientes crura extendere non poſſunt, dolent in regione ani, & veſicę, antequam inflãmatio apparere incipiat: quę cum in vomicam tranſierit, ex longa humorum, ac vrinæ diſtillatione, ac quia huius ſedis vlcera tarde cicatricem admittunt, in fiſtulam vertitur: quæ, autore Paulo, & Albucaſi, cum ad ceruicem peruenerit,curationem non recipit: aut, ut ait Celſus, nunquam ante tertiũ,aut ſextũ menſem,interdũ tranſacto anno, nec pp hoc deſperãda ſalus eſt; niſi ſi ceruix multũ rupta fuerit,aut inueteratus callus fiſtulam induerit.rarò fiſtula,niſi penetrãs, hanc ſedẽ occupare ſolet, q̃ facilè dignoſcitur,aut ſpecilli impoſitione,aut aſſiduo vrinæ ſtillicidio, dũ patiẽs lotiũ expurgare deſiderat.

Cel lib. 7. c. 26. & 27.
Aet. lib. 16. cap. 103.
Pau. lib. 6. cap. 70. 78.
Alb. li. 2. c. 80.

PRAXIS.

CVM dolor hanc ſedem moleſtare incęperit, & durities aliqua eam occupare, & inflãmationis initium dignoſcitur, rationalis Medicus omni ingenio materiam reuellere tenetur, & ſi qua coniuncta fuerit, illam diſcutere, antequam ad morbi ſtatum, & ad ſuppurationem deueniat. igitur ſi concedit occaſio, ut ſanguis mittatur, vena axillaris dexteri ſitus aperiatur,& ſanguis copioſè effundatur. victus regimen tenue ſit,& parcum, ſiccum potius, quàm humidum: vinum omnino, ſi febris eſt, interdicito, aqua cocta illis potus eſto: verum ſi calor ingens apparuerit, potus eſca copioſior ſit. ſi enim patiens parum bibit, magis accenditur locus, & vigilia vrget, & vires corporis minuuntur: non tamen nimius potus probatur; nam ſi plus æquo aſſumitur, ſubinde veſica impletur, & locus inflammatus irritatur, ac vrinę magna copia gignitur: nec ambulare, nec ſtare, his iubendum eſt, imò quieſcere, & ſilere: neq; cum vel circa ſedem, vel aliquam huic vicinam partem, inflammatio ſuboritur, aluum deijcies: neq; cum in veſica,vel cole, vel renibus eſt cæpta, pharmaca, quę vrinas prouocent,bibenda dabis; ſed ad partes, quæ maximè longinquæ ſunt,ſemper auerſionem facies: attamen ſi corpus humorum copia ſcatuerit (plethoram Gręci, Latini plenitudinem vocant) aut aliquo particulari humore refertum fuerit, nempè flaua, aut nigra bili; vel pituita,quem habitum cacochimiam Græci appellant, plethora ſanguinis miſſione curatur, cacochimia purgatione;quæ,cuiq; ſuperanti ſucco ſit accõmodata, corrigitur.porrò purgatio talis lenitiua eſſe debet, ne ad ſedem decliuem materię multæ ducantur; hac ratione ænemata magis probantur, quàm pharmaca. iubent aliqui; vt patiens in balneo ſedeat decoctionis marubij, mirthi, cupreſſi, lactucæ, & plantaginis, ac vt loco affecto cataplaſma adhibeatur ex lenticulis, coriandris, corticibus granatorum, ſolano, vino nigro, & oleo maſticino: nec non in colo, ſeu vrinario meatu oleum roſatum crudum, cum ſucco cimbalariæ, vt fluxionibus inhibeatur: ſi horum pręſidiorum virtute, tumor augeri non videtur, ſat erit; ſin minus, digerentibus, ac diſcutientibus procedere oportet, nempè cum oleo camomillę, anethino, & de ſanſucco: aut tale paretur cataplaſma. ℞. medullę panis fermentati, florum camomillæ, farinæ ſem. lini añ.℥.j.olei maſticini, roſati completi añ. ℥. s. vnguenti dialtheæ ℥. ij. rob. parum miſ. ſi verò inflammatio ad ſtatum, & ſuppurationem tendit, omni methodo inquirendum eſt, ut materia citò,& exterius ſuppuret, nec vltima expectetur maturatio, ſed ſubcrudum ſecetur apoſtema, ne ſanies ceruicem corrumpat; & illi perperam agunt, qui, vt

Gal. 13. Meth. cap. 3.

ex ſe

ex ſe rumpatur, expectant. euacuata materia,locus aliquo digerente regatur medicamento, donec optima apparuerit concoctio; ob id probatur terebentina clara, cum vitello oui, croco, & olibano; inde illi addatur rodomel, farina hordeacea, & parũ quid iſidis, epigoni, & erit abſterſiuum mirabile: quare poſtmodum ſinus facilè replebitur; qui, ſi profundus fuerit, aliquo currente, & abluente medicamẽto abſtergatur,& exſiccetur, quale eſt mulſum, hoc eſt vinum mellite, aut decoctum centaurij, æquiſeti, foliorum oliuæ, & mirthillorum,addito rodomelle : lichinia etiam cum emplaſtro aureo, aut vaſilicone minori imponantur, ac deſuper lintea cum cerato de minio, aut diacalciteos, & erit cura. ſi autem vlcus contracto callo,in coriadam tranſierit, aut nunquã, aut cũ magno labore ſanitati reſtitui poteſt. & hac ratione fortaſſe antiqui de hac re parcè loquuti ſunt, nec nos adhuc aliquam methodum curatiuam legere potuimus: & admirati ſumus, cum hæc pars colli veſicæ carnoſa ſit, curationem non recipiat. nam collum veſicæ,ait Galenus,videmus quotidie ſanari,cum lapis extrahitur, quoniam carnoſum eſt. addere etiam poſſumus & vulnus recens: ſed cum antiquatur, aliam acquirit naturam, & fit cacoethes, ideſt,difficilis conſolidationis.

6. par. Aph. cõmento. 18.

Di Fiſtulis Vuluæ, & colli Matricis. Cap. XI.

IN ſinu pudendi muliebris, interdum abſceſſus ſubſultant, qui poſtquam ad vomica deuenerint, & ſuppurati ſunt, ſinus ob illius ſedis nimiam humiditatem,ſero replentur: ſed contracto callo,in fiſtularem ſinum permutantur, qui à Græcis rhyada nũcupantur. affectus hi magno cũ labore, & ſicciſſimis remedijs curantur, nunq̃ verò, ſi ad inteſtinũ tendũt, aut ipſum perforant: maximo ſenſu præditę ſunt hæ partes,ideo fortia medicamenta ferre non poſſunt. Ait Hipp. ſi vlcus in vtero, aut eius collo factum fuerit, & non ſtatim ſanatum, ſed impurum euaſerit, permanet ad multum tempus, & male olet, & quandoq; ſanies male olens ipſi ex pudendo fluit: ac interdum dolor acutus corripit lũbos,& inguina, & imum ventrem,& coxas,& ad ſcapulas tendit: non curantur,ait Auic. fiſtulę, quæ in fundo matricis ſunt, aut quæ ad veſicam perueniunt, & illæ deteriores ſunt, quæ pectinis pillos abradunt.

Aet. l. 16. cap. 103.
Pau. l. 6. c. 70
Lib. de ſterilib. & l. de morbis mulieb.
21. 3. tract. 3. cap. 17.

PRAXIS.

CVRA, inquit Auic. eſt ſectio,quæ multotiens propter neruoſitatem membri perducit patientem ad ſpaſmum, abſciſſionem vocis, & permixtionem rationis, quæ tamen interdum non eſt poſſibilis, niſi in ea parte, quę ſenſui manifeſtatur, cuius carnem malam tollere eſt poſſibile: quare melius eſt poſt corporis mundificationem,adminiſtrare medicinas exſiccantes,& confortare matricem: porrò, vt corpus euacuatione mundificetur,ea ſeruanda ſunt, quæ in cura fiſtularum ani ſeruanda fore iuſſimus: exſiccant poſtea huius ſedis fiſtulas, & calloſam ſeperficiem abſumunt,aloes, radix paucedani, aſphodillorum, veratri, & ſpondilij, alumen liquidum aduſtum, alumen rotundum, puluis agarici, reubarbari, calcitis aduſti, æris ſquama aduſta, hydrargirum præparatum, trociſci de alumine, de minio,& de arſenico; oleum ex calcitide, ex antimonio, ex ſulphure, in modica tamen quantitate, humido cera to admixtum, vnguentum damaſcenum, ceraſeo, iſidis, ęgiptiacum, & cauterij.

De Fiſtulis Articulorum. Cap. XII.

POST recentes articulorum ſolutas continuitates, aut abſceſſus malè curatos, ob id quia ſedes ſunt ob earum compoſitionem frigidæ, & humidę, in eis ſinus remanent mali modi, qui poſtmodum fiſtulas euadunt, difficilis curationis. cum ſæpè aliqua oſſium teredine complicantur, ac tumore duro, ęquali, ſcolorato, & ſine dolore moleſtantur, facilè ſenſu viſus, & tactus dignoſcuntur: nam membra hæc pauca carne prædita ſunt, prohibent interdũ articuli motũ arbitrariũ, & membrũ ancilosum faciunt, aut curuatum, & durum reddunt.

PRAXIS.

CVRANTVR hi affectus methodo non multum diſſimili ab ea ratione curatiua, qua cæteræ fiſtulæ teredine oſſis complicatę curari ſolent, nempe oſſis corrupti ablatione, calli orbiculatim remotione, aut medicamento, aut vnguibus, aut ſcalpelli acie, vlceris abſterſione, tumoris diſcuſsione, cauitatis repletione, & cutis indutione.

De Fiſtulis cum oſſis corruptione. Cap. XIII.

Cel. l. ca. 2.
Act. l. 14. c. 56
Pau.
Auic. 4. 4. tra. 4. ca. x. xi xii. & xiii.
Albu. l. 2. c. 88

OCCVRRIT interdum,quòd aliqua vlcera fiſtuloſa,iam debili obducta cicatrice, & noua accedente inflammstione. propter nimiam humorum repletionem, ſponte, & ex ſe rumpuntur: nam caro, quæ iam purgata eſt, & ab omni ſorditie denudata,ex facili quidem cicatricem inducit: ſed ſucco aliquo vitioſo ſubnaſcente,ab oſſe male affecto, vitiato, aut corrupto, iterum laceratur, & fit vlcus cacoethes, & male morigeratũ, quod ſanitatem adipiſci nequit, niſi poſt vitiati, aut corrupti oſſis ablationẽ eius mala diſpoſitio agnoſcitur, ſi quidem primo pingueſcit, ſecundò nigrum, tertio carioſum fit, caroq; eũ circundans alteratur, & per eam de facili ſpecillum ad os venit, ip

ſum

uſſumq; non lubricum, ſed inęquale, & corruptũ inuenit: humiditas verò, quæ ab vlcere emanat, tenuis eſt, nigra, ac fętens, & multa: quod euenire etiam ſolet, ſi fiſtula ad neruum, aut tendinem, aut ſindeſmum attingit, quod in ſimplici ſecus apparet. Triplici modo oſſa teredinoſa fiunt, vel eorum cortex, ſiue ſuperficies tantum alteratur, & nigreſcit, vel altius caries deſcendit, & oſſis ſubſtantiã in parte corrumpit, vel ex toto os carioſum eſt: quod dignoſcitur ex ſpecilli demiſſione, quod magis, minusue intrando, vel in ſummo cariem eſſe, vel altius deſcendiſſe teſtatur: ſed quia multa ſuperius de hac re à nobis explicata ſunt, hæc pro nunc ſufficiant.

PRAXIS.

OPORTET ante omnia os nudare; & ſi latius eius vitium eſt, quàm vlcus fuerit, carnem ſubſecare, donec integrũ os vndiq; pateat: tum id, quod tantũ nigrum, aut pingue fuerit, ſcalpris ad hoc accõmodatis eradere oportet, donec iam aliquid cruoris oſtendatur, & os album ſe offerat; nam finis vitij eſt, vbi nigrities eſſe definit: ſi quando altius deſcenderit caries (nam tunc eius eſſe expedita cognitio eſt) primò os radatur, donec ſolidum appareat; poſtmodum ſemel, iterũue admoto ferramento igni-to, ipſum adurere oportet, vt ex eo ſtatu ſecedat, donec integrum id ſit, quod relinquitur: neq; alia facienda ſunt, vbi nigredo, aut caries in ſummo oſſe eſſe dignoſcitur: ſi verò caries alte deſcendit, per terebrum multis foraminibus, quæ altitudine vitium æquent, primo tollenda eſt: tum per ea foramina candentia ferramenta demittenda ſunt, donec inde ſiccum os ex toto fiat; ſimul enim poſt hæc & reſoluetur ab inferiore oſſe quodcunq; vitiatum eſt, carne ſubnaſcente, & ſinus carne replebitur: ſi caries ad alteram quoq; partem oſſis tranſierit, quod totũ vitiatum eſt, totum eximere oportet, ſiue capitis, ſiue pectoris, ſiue coſtæ, ſiue alterius partis os corruptum percipiatur; ante inflammationem enim omnia tutius tractanda ſunt. itaq; quantum fieri poteſt eodem momento cutis incidenda eſt, os detegendum, & ab omni vitio liberandũ: poſtremò callus tollendus eſt indicationibus, ac ſuffragijs ſuperius pluries enarratis, quamuis ab ignito cauterio omnia, quæ in hac curatione requiruntur, perfectè adimplentur.

Cieliſca cana excìſoria.

De Fiſtulis diuerſorum ſinuum. Cap. XIIII.

SI ab vno tantum ore plures ſinus oriantur, facilè ab exeuntis humoris copia cognoſcuntur, quæ ſemper magis, quàm à ſola, & ſimplici fiſtula, expurgatur. ex patientis etiam decubitu deprehenduntur; ſi quidem ſub vno ſitu viæ ſæpe obſtruſæ fiunt, nec humor emanare poteſt: ſub alio verò dilatantur, & materia commodè emanare poteſt: interdum ex tranſitu clyſteris, an vna, an plures ſint fiſtulæ, percipimus, ſi cum iniectorio, aut recto ſyphone aliquod decoctum inijcimus. nam vbi vna tantum eſt via, pauca decocti quantitas recipitur: ſecus verò vbi quamplurimę inſident. at ſi per varios ſinus effluit liquor, diuerſarum fiſtularum indiciũ eſt: multotiens etiã hunc in modum manum admoliemur, cerea candela, aut ſpecillo inflexo (huiuſmodi autem ſunt quæ ex ſtagno, aut plumbo, aut ære tenuiſſimo fiũt) an duæ, pluresue horæ habeantur, & viæ, vel rectè intus tendentes, vel obliquè, percipimus: contingit etiam, vt prima via adaperta, ſtatim reliquæ ſe oſtendant, & eorum dignoſcitur progreſſus, ſi in os definit, aut in articulum, aut in quampiam principalem particulam.

Vide Cel. lib. 5. cap. de fiſtulis.

PRAXIS.

ADVERSVS fiſtulas, ſi altius penetrant, ſi tortuoſæ ſunt, ſi multiplices, maius in manu, quàm in medicamentis, pręſidium ſpectare oportet: porrò quæ plures ſunt, aut oſſa, aut grandes arterias, aut neruos, aut tendines notatu dignos, aut membranam coſtas ſubcingẽtem, aut aliquam principalem particulam læſerint, vel nequaquam, vel certè cum multa, artificioſaq; diligentia attingere debemus: quæ verò carnoſas tantum ſubſtantias occupant, tribus modis curari ſolent, nempè primarium orinciũ dilatando; indè calloſitatem omnem demendo, aut medicamento, aut vnguibus, aut ferro, aut igne; poſtremò ſinus omnes optimè abſtergendo, cauitates replendo, ac cutim inducendo ſic, ne amplius morbus innouetur. Ergo primò callus conſiderandus eſt, an recens, an inueteratus ſit. recens ſi quidem faciliter lotionib. & pulueribus tolli poteſt: durus verò vetuſtate contrahitur, & fortioribus eget remedijs, quæ in recenti fiſtula praua, & inquieta ſunt, nempè cauteria, & ignis. in duplici igitur, aut multiplici ſinu (ſic tamen ut breuis, intraq; carnem ſit) medicamentis vti non debemus, quę vnam partem curent, alteram dimittant. decet ergo omnes ſinus per oricularium clyſterem eluere. ſi plus puris fertur, vino mellite: ſi callus durior eſt, ærugine raſæ, aceto liquata. Aut ℞. ſucci agrimoniæ. ℥. ij. radicum paucedani vnc. j. baurac, aluminis liquidi añ. vnc. ſ. aquæ ardentis vnc. 1. ſ. aloes, myrrhæ añ. ʒ. ij. mellis crudi vnc. iij. miſ. & bulliant, donec ſucci, & aqua abſumantur, & quod reſidet, liqueſcat in vinò maluatico, & vtere. Aut ℞. ſucci agrimonię vnc. iij. aſphodillorum vnc. ij. celidoniæ vnc. j. ſalis communis, ſalis armoniaci añ. ʒ. iij. ſublimati ʒ. ij. Ziniar, aluminis liquidi añ. ʒ. 1. ſ. aquæ arden-

tis 3. x. bulliant omnia ſimul, donec medietas euanuerit, & ſeruetur in vaſe terreo vitreato, & vtere cũ vino nigro ſtiptico: porrò ſi aridum fuerit medicamentum, in calamum ſcriptorium conijciendum eſt, idq; ori fiſtulæ aptandum, inſufflandum, inſpirandumq; vt intus compellatur, atq; intus infundatur quicquid inditum eſt. & quia ferè, quę circa has fiſtulas ſunt, aliquid inflammationis habent, ſuperponenda ſunt, quæ refrigerent, & reprimant, quale eſt medicamentum diafinicine, mirthino oleo liquatũ: neq; alienum eſt, vbi quis fiſtulam denudauerit, anteq̃ alia rurſus medicamenta conijciat, ipſam abſtergere, aut vino maluatico eluere, ac ſinus orificium ita conſtituere, vt deorſum ſpectet; talis enim ſitus certè ad ſanitatem faceſſit: quandoquidem per os eius facilè ſanies effluit: quę ſi ad latus declinet, aut intrò fertur, aut deorſum vergit, ſi ſedes afflicta ita locari poſſit, inciſſione ex aduerſo facta opus erit, vt liberè ſanies è ſinu emanare queat, & collirium vtrinq; dimitti poſſit, quòd diuerſimodè, ex mẽbrorum diuerſitate paratur: cumq; ergo fiſtula longior, & tranſuerſa eſt, nec vtrolibet perforare videtur, demiſſo ſpecillo alterũ caput incidere commodiſsimum eſt, vt lotio vtramq; partem abluere poſſit, & medicamenta æqualiter exſiccare: vnde poſtmodum celerius ſinus ipſi glutinantur, quàm repleantur: poſt hæc igitur glutinantia imponenda ſunt, nempè conſumpto callo; neq; verendum eſt, ne purũ corpus, puro corpori iunctum, non coeat, adiectis quoq; medicamentis ad id efficacibus: ſi ſub cute tranſuerſæ, ſed diuerſę fiſtulæ fiunt, immiſſo ſpecillo, ferro ſecandę ſunt, idemq; faciendum, ſi plures ſe quaſi ramuli oſtendunt, & poſtmodum ex toto callus exrahendus eſt. & ſi partes admodum ſeparatæ videntur, fibulę ſuperdandę ſunt, & medicamentum, quo glutinentur: mortificatæ autem fiſtulæ euidens argumentum eſt, cum pus, quod ante multum, & crudum apparuerat, nunc paucum, & coctũ demonſtratur; ita vt ſinus ipſe purus, & ab omni ſorde mundus dignoſcatur, & viuę, ac probę carnis prę ſentia deprehendatur: interdum ſi fiſtula multiplices habuerit meatus, adeò ut linamenta intromitti nequeant, medicamenta aceto liquanda ſunt, & clyſtere oriculario, aut recto ſyphone infundenda, veluti linimentum hoc, quod acre eſt. ℞. vnguenti ægiptiaci vnc. s. arſenici ℈ j. lixiuij vnc. iiij. aquę roſatę vnc. ij. ſublimati 3. s. bulliant ad conſumptionem tertię partis, & iniecto medicamento, fiſtulæ os occludatur. ne quod iniectum eſt, refluat.

De aliquibus experimentis in Fiſtularum curatione. Cap. XV.

TRIA præſidia in fiſtularum curatione à Medicis potiſſimum deſcribuntur; ſiquidem quæ recentes, ac tenellæ ſunt, nec dum callum denſum contraxerint, topicis remedijs, nempè pulueribus, emplaſtris, ac ſimilibus, ſanari ſolent, de quibus varias formas, ac ſatis debiles denotabimus: quę autem callum durum continẽt, acrioribus, ac fortioribus egent ſuffragijs, nempè cauterijs potentialibus: antiquatæ verò fiſtulę, & calloſæ, aut diuerſorum ſinuum, aut oſſe teredine affecto coniunctæ, non niſi ſectionibus opportunis, & actuali cauterio curari ſolent: quanuis dicat princeps hoc ingenium prauum eſſe, & inquietum, à topicis propterea initium capiemus; poſtmodum parum infra loco proprio de cauterijs ad plenum ſermonem habituri ſumus. quod primo occurit eſt.

Aqua maris.
Aqua aluminis.
Acida muria.
Mellicratum.
Mulſum.
Lixiuiũ ex cinere ficuũ.
Aqua agrimonij, cum ſale armoniaco.
Aqua plantaginis, cum arſenico.
Aqua alchimiſtarum.

Sucus cucumeris agreſti
Sucus agrimonij, cũ ſale
Sucus veratri, cũ lacte.
Sucus titimali, cũ melle.
Sucus celidoniæ, cum tartaro.
Sucus virgæ aureę cum aloe,

Theriaca antiqua.
Decoctum centaurij.
Decoctum celidoniæ.
Decoctum draguntij.
Decoctum lupinorum.
Decoctum calcis viuæ.

Oleum de tartaro.
Oleum ex calcite.
Oleum ex antimonio.
Oleum ex ſulphure.

Cinis corticum pini.
Cinis oſſiũ crematorũ.
Cinis oſtracordematũ, bucinorum, &c.
Cinis corticum nucũ, cum ſale, & pinguedine hirci.
Cinis radicum filicis, cũ ſucco paucedani, ſale, & aloe.
Cinis cartarum aduſtarũ, aceto acri infuſus, & exſiccatus, poſtea mixtus cum lacte titimali, & melle.

Fel caprę cũ ſucco porri
Fel Vrſi cũ agarico.

Puluis calcitis aduſti.
Puluis radicũ centaurij.
Puluis agarici.
Puluis reubarbari.
Puluis radicum aſphodillorum.
Alumen rotundum.
Alumen liquidũ exuſtũ.
Sulphur.

Aurum pigmentum.
Hydrargirum prępparatũ.

Trociſci de alumine.
Trociſci andaracharon.
Trociſci de aſphoddelo.
Trociſci de minio.
Trociſci de arſinico.

Radix aſphodillorum.
Radix ſpondilij circumraſã.
Radix nigri veratri.

Vnguentum damaſcenum.
Vnguentum ceraſeos.
Vnguentum apoſtolorum.
Vnguentum iſis.
Vnguentum ægiptiacum.
Vnguentum cauterij.

LIBRI TERTII.
TRACTATVS QVINTVS.

De Cutaneis, & ſuis affectibus. Cap. I.

NVNC ad earum affectionum cognitionem, quæ in extima corporis humani ſuperficie contingunt, & eam aut infeſtant, aut corrumpunt, aut dedecorant, tranſeamus. dicimus itaq; quòd inter affectus cutaneos, pruritus, pſora, lepra, & quæ à Latinis, tanquam ſcabiei differentiæ, proponuntur, & lichen, quam impetiginem vocant, enumerantur: horum enim ferè omnium ſimptoma, eſt deſideriũ quoddam ſcalpendi, quod manifeſtum eſt argumentum, eos eſſe qua ſi vitioſorum humorum ſobolem, nempè acrium;& mordacium, qui ad cutim tranſmisſi ibi retinentur, & remanent, propterea quia aliqua conſtant craſſitie. ſi enim omnino tenues eſſent, cutim perinde, vt ſudor, tranſirent, cuticulamq; abradere poſſent; neque tamen adeò craſſi ſunt, vt illi exiſtunt, ex quibus phagedenę, ideſt vlcera corroſiua, aut cancri gignuntur; nam non modò extimam cutim abraderent, verum & ſubiectam carnẽ exulcerarent, exederentq;. Hi cutanei affectus inter ſe differre videntur, craſſitie, & tenuitate materiæ, vnde concitantur: ſiquidem à craſſiori materia lepra ortum habet, vt pote in qua ſeparantur veluti ſquamæ quædam, & quaſi ſerpentis appellatum ſcorium diuiditur; à pſora verò veluti furfures, quæ quidem ad abraſionem ſummę, & extimæ ſolæ cuticulæ referuntur. Profundior verò abraſio in lepra apparere ſolet, ſicuti craſſiores ſunt ſquamę ab ea refactæ, quàm furfures, his vtriſq; adhuc tenuiorẽ materiam impetiginis, vel lichenis, commune autem his omnibus eſt cutim reddere aſperiorem: ſed pruritus materia alijs tenuior. Quæ autẽ, aut qualis ſit materia, quæ horũ omniũ affectuum fomentũ eſt, non videntur omnes in idem conſentire, præterquam quòd eam acron eſſe affirmant. Arabes enim (vt Auic. Ali, Alb. & Raſis) videntur voluiſſe pſoræ, & lepræ materiam eſſe ſanguinem vitioſum, aut quia illi admixtus ſit melancholicus humor exuſtus, aut quia pars aliqua ipſius, quæ per putredinem, uel aſſationem in melancholicum humorem ſit conuerſa, aut etiam quia interdum ſanguini pituita ſalſa ſit admixta. vnde ſequitur, quòd ſi ex humore melancholico ſcabies orta ſit, ſicca illa eſt: ſin autem ex mixtione pituitæ ſalſæ, pinguior illa eſſet. Gal. verò, & cæteri Gręci hos affectus non in ſanguinem, ſed dũtaxat in melancholicum humorem, & pituitoſum ſalſum referunt. nam in lib. de atra bile, & lib. de tumoribus præter naturam. hos affectus melancholicos eſſe, cenſere videtur, cum eos ſæpè mutuam tranſmutationem cum elephante habere viſum eſt, ſi aliquando elephantiaſis curationem habet, prius in lepram, poſtea in pſoram mutatur; ſicuti ſæpè ſi commutetur lichen in pſoram, mox pſora in lepram, tandem in elephantiaſim ſit tranſitus: At Gal. lib. 2. de ſimpt. cau. ait pruritum à tenui, & ſalſo humore ortum habere, pſoram verò, & lepram à multo, craſſo, & ſalſo, & non moto, quia humores, qui in motu ſunt, & per partes ſenſu prędit as feruntur, horrorem, aut rigorem concitant: attamen ibidem exponens quid pruritus ſit, cum prius dixiſſet eſſe ſenſum excrementorum, pruritum mouentium, id magis particulatim explanare volens dicit, niſi quis ea nitroſa, ſalſa, vel amara nominare velit, quibus inſinuare videtur, & bilem pruritum concitare poſſe, amaritudo ſiquidem bili propria eſſe videtur: ſed ſi rẽ rectè examinare velimus, cũ frequentiſſimè hi affectus, prę ſertim verò pſora, & lepra, reddant cutim & aſperam, & ferè aridam, ſępiſſimè à ſicco, & exuſto, ac melancholico humore originem ducere videtur, interdũ verò quia in his cutaneis affectibus papulæ quædam paruę exoriuntur, à quibus tenuis quidam quaſi ichor exprimitur, ater quidem, & mordax, ob id putarem eas à tenui, & ſalſa pituita excitatas eſſe: quandoq; verò papulæ maiores, quæ tandem ſuppurantur, & inde pus ſatis craſſum effluit, quas vulgus pinguem ſcabiem vocant: ſed harum duplex eſt differentia, aliquę enim doloroſę ſunt, & rubeæ, antequam ſuppurationem aſſequantur, vt quaſi inflammationes imitentur: alię verò tandem & ipſę ad ſuppurationẽ veniunt, neq; tamen ita inflãmatæ ſunt, neq; etiam adeò doloroſæ, putarem equidem priores ſanguinis mixtionem habere, alias verò potius in ſalſam, & craſſiorem pituitam eſſe referendas: impetiginẽ verò ex tenui ichore cũ craſſione, & acri humore generationem habere, vt 3. de compo. m. ſecundũ genera cap. 6. concedit Gal. porro cõmunis omnium ſententia eſt eos, qui vitioſis vtunt cibis, in primis cutaneis hiſce affectib. obnoxios eſſe, ac ſenectutẽ frequẽter ab illis exerceri, &

adeò cruciari, vt aliquando pruritus in ſene ſi inueterauerit, aut nunquam curari poſſe, aut ita agere, vt illis ſatis eſſe poſſit, ſi leuietur, & mitigetur.

De Pruritu. Cap. II.

2. de ſimpt. cã. Gal 5. decomp. m. ſecun. loc. Aui. 7.4. tra. 3. cap. 6. Pau. lib. 4. c. 4. Aet. lib. 13. cap. 126.

PRVRITVS ſummæ cutis aſpredo, ac deſiderium ſcalpendi magnum eſt, cum eius cauſa ſit humor quidam ſubtilis, pruriginoſus, non admodum acris, ac leuiter mordicans, partem cutis tantum infeſtans, ac per eam expanſus hac ratione puſtulas, ſicut ſcabies, non excitat, & in hoc ab ea differre videtur (attamen ab vna ferè met cauſa originem ſuam hi duo affectus trahunt) diuerſitatem quandam ſuſcipiens à maiori, & minori tenuitate; aut aduſtione, aut admixtione, ex genere ſimptomatum eſt, qui ad actionem animæ ſentientis læſam reuocatur: porrò pruritus excoriationem, nec vlcera producit ob id; quia eius cauſa materialis ſicca eſt, & inter duas reſidet cutes: ſecus verò de ſcabie dicendum eſt, præſertim cum ab humore acuto, corpulento, aut corrupto oritur, in emuntorio totius tranſmiſſo; ſiquidem interdum vlcera mali modi gignere ſolet: materia ſcabiei ſæpè ſanguis eſt bili admixtus, aut humori melancholico, aut pituitæ ſallæ: vnde oritur, quòd ex prima mixtione ſit ſicca ſcabies, ex ſecunda humida ex ſubtili humiditate, tertia craſſa eſt. pruritus qui ſenibus accidit, aut antiquatur, ex toto nunquam conſaneſcit, & in autumno augeſcit. obſcænas partes vtplurimum occupat pruritus, interdum verò & faciem vniuerſam ſerpit, & oculos attingit, & turpiſſimum affectum excitat; ſæpè in ſcabiem, quę pſora dicitur, aut lepram, niſi diligentius curationi inſiſtatur, degenerat.

PRAXIS.

IN omni pruritu victus frigidus, & humidus inſtituatur. ſanguis interpolatè mittatur, & corpus opportuno pharmaco euacuetur. ergo imperanda ægris talis victus ratio eſt, quæ tenuis ſit, bonumq; & minime melancholicum ſuccum generet. quòd ſi ob iecoris caliditatem, & ſiccitatem excedentem prohiberi non poſſit, quin aut acutus, aut melancholicus in corpore ſanguis procreetur, cibis, vt dictum eſt, refrigerantibus, & humectantibus vtendum erit, quibus hepatis intemperies paulatim corrigatur, veluti eſt ptiſanæ cremor, lactisq; ſerum, piſces ſaxatiles, aues omnes, præterquam paluſtres, caro hædina, veruecis iuuenis, pullorum, &c. ex oleribus, malua attriplex, blitum, cucurbita, atq; id genus alia. acrium vſus, & repletio omnis vitanda: vinum verò pauciſſimum, & aquoſum ſit: ſanguis, niſi quid obſtiterit, interpolatè mittatur, ſiquidem dictum eſt; In rectificatione ſanguinis, melius eſt multiplicatio numeri, quam quantitatis. ſic enim ſuccus ille prauus, qui in venis colligitur, ex interuallo, vena adaperta, euacuandus eſt: & ſi decet per hæmorrhoidas detrahendus. Refocillatis viribus, ait Aet. corpus pharmaco leniendum eſt, & humor, qui peccat, educendus. conſideretur ergo primò, quis humor ille ſit, quæ eius natura, & vnde oriatur. bile igitur peccante, caſſ. aut manna, aut ſy. roſato ſolutiuo minoretur: quod verò reſidet, præparetur ſy. de endiuia, ex intibo, violato, acetoſo, & ſimili, longa quippe pręparatione, donec in vrinis concoctio apparuerit; & tunc euacuandus eſt humor manna, reubarbaro, tamarindis, & ſy. roſato, aut violato ſolutiuo. & ſi aliqua apparuerit aduſtio, præparetur ſy. de fumaria, biſantino, & de epithimo; poſtea euacuetur elect. lenitiuo, de ſucco ro. roſato M. aut cum pillulis aureis, aut de fumot. aut aſſaieret: ſi verò humor ſuperuacaneus pituitoſus fuerit, præparetur, præmiſſa minoratione, cum elect. lenit. ſy. biſantino, oximellite, rodomelle, ſy. de biſantijs. euacuetur poſtmodum elect. diafinicone, diaſcene, agarico, & hyera, aut pillulis de aloe, aut de hyera, aut de fumot. cum verò materia craſſa fuerit, præparetur ſy. de eupatorio, acetoſo comp. de calamẽto, de praſſio, de fumot. ma. probatur ſummoperè decoctum epithimi Meſues, aut Auic. aut Raſis, pręſertim in humorib. aduſtis. facit ad hoc aqua lactis cum 3. iiij. epithimi, confectio amech, & hyera diacolocintidos. hoc peracto, ad externam curationem deuenire oportet, homo igitur, aut ieiuno ſtomacho, aut modico ſumpto cibo lauandus eſt, nempe fœnugręci decocto, aut betarum, aut furfurum, aut maluæ agreſtis, aut ſatiuæ, aut hordei. facit ad hoc aqua maris, & aqua Termarum. ſudare copioſè multum confert.

Gal 5. de cur. per ſang. miſſ. Aui. 4. 1. c. 25.

In Antidot. c. proprio. 5. 4. tra. 2. c. 1. 9. ad Al. c. 13

De Scabie. Cap. III.

Cel. lib. 5. c. de ſcabie. Paulus lib. 4. c. 4.

SCABIES affectus pruriginoſus intimæ cutis eſt, & contagioſus, in quo puſtulæ multę oriuntur, modò humidiores, modò aridiores. ex humidioribus interdũ exeũt puſtulę multę ſanioſę; ex ſiccioribus pruritus intolerabilis, & ſquamæ exoriuntur. fitq; multoties ex his exulceratio pruriens, ſerpitq; in quibuſdam citò, in alijs verò ſero, atq; in alijs quidem ex toto deſinit, in alijs verò certo tempore reuertitur: que ſiccior eſt, prurit magis, ac difficilius tollitur: que verò talis eſt, agriam, ideſt, feram Græci appellant. cauſarum quædam ſunt primitiuæ, nempe vſus ciborum calidorum, ſalſorum, & acutorum, ac meri potentis, olei multi, & mellis, tardaq; mutatio indumentorũ, aut contactus alicuius ſcabioſi corporis: antecedentes, veluti mala temperatura membrorum nutritionis; à qua mali, & corrupti humores gignuntur: coniunctæ ſunt, humores

ipſi

ipſi acuti baurachini, ad cutis ſuperficiem vi naturæ tranſmiſſi, ſicut ſanguis eſt, cui miſcetur cholera, aut pituita, retinens virtutem baurach, aut humor aduſtus in naturam humoris melancholici conuerſus, vnde pſora producitur. & hac ratione altera ſcabies humida eſt, dum ſanguis craſſus putreſcit, & puſtulę quamplurimę ichore plenę producũtur. alia verò eſt ſicca, ſi humor baurachinus fuerit, ideò magnus apparet pruritus, & ſquamæ furfureæ ab ipſa cuti ſeparantur: alia verò vlceroſa eſt, ſi humor fuerit aduſtus, & hęc mala eſt, & in impetiginem, aut lepram permutatur. porrò cum affectus hi cutanei cutis ſuperficiem offendunt, & furfuraceas ſquamas producunt, à Græcis pſoræ, & à Latinis ſcabies vocitantur: cum verò aſpredo, & pruritus cutim occupant, à Græcis lichenas, & à Latinis impetigo nuncupatur. cumque in his affectionibus ſquamæ manifeſtæ producuntur diuerſorum colorum, & affectus ſerpendo progreditur alicuius profunditatis, communiter lepra vocitatur. in ſcabie ergo hæc duo ſimptomata apparere ſolent, aut puſtulæ quamplurimæ, quæ interdum exulcerantur, aut pruritus cum ſquamis furfuraceis, quę minores, ac tenuiores ſunt, ac varia figura conſtantes: ſi profundam cutim depaſcitur huiuſcemodi affectus, & ſquãmæ craſſæ, & quales piſcium rotundæ, maximoq; cum pruritu excitantur, pſora vocitatur: cumq; cutaneus hic morbus aſperrimus eſt, maximoq; cum pruritu, & corporis colliquatione, ac manifeſtis ſquamis profundius in orbem depaſcentibus, ac à corpore decidẽtibus, non abſq; aliquo malo odore, lepra propriè dici debet; & omnes iſti affectus, ſicuti formam, ita & nomen mutare ſolent; & cõmuniter papulę prurigînoſæ, aut pruritus ſalſus, ſiue phlegma baurachinũ, aut albaras, aut ſatraſati, interdũ & derbia nuncupatur, & morbi eſſe non videntur, ſed affectiones cutaneæ, quæ ad decorationem ſpectare videntur; ſiquidem circa cutis colorem, & ſubſtantiam huiuſce modi genus affectuum ſpectare videatur.

PRAXIS.

EX omnium Medicorum communi ſententia, in horum affectuum curatione, ſi nulla cauſa ſanguinis miſſionem prohibet, vena aperiatur, idue magis, ſi corpus iuuenile fuerit, & tempus Veris; nam cauſa materialis eſt ſanguis craſſus, qui putreſcit: confert etiam, vt ægrotus tenui vtatur victu, & cibis frigidis, ac humidis. aluus ducenda, nempè medicamentis aduſtos humores euacuantibus, quale eſt electuarium lenitiuum, diaſcene, diafinicon, amech, aqua lactis cum ſcena, aut epithimo. verùm ſi expedit, prius, vt materia fuerit tenuis, præparetur, & facit ad hoc ſyrupus de fumot. de endiuia, & violatus, cum decocto endiuiæ, boraginis, & lupulorum. ſi craſſa, ſyrupus acetoſus, oximel, mel roſatum. adhuc ſi plenitudinis apparuerint indicia, humores tum bilioſi, tum aduſti, nempe præparati, purgandi ſunt, & ſic ℞. cõfect. amech ℥.s. diacat. ʒ.vj. electu. de pſilio ʒ.ij. ſacchari q.s. fiat b. aut ℞. rabarbari electi in decocto ſcenæ infuſi ʒ.xv. elect. diaſcenæ hamec. ań. ʒ.iij. ſir. roſati ſolut. ℥.ij.s. aquæ borag. q.s. fiãt p.6. euacuato corpore inungatur; ſiquidem à Gal. dictum eſt, quòd corporis plenitudo cutanei affectus curationem non admittit. tentare etiam non inconuenit per balnea, aut ſudorẽ copioſum, corpus inanire, interdum adhibitis cucurbitulis, & ſcarificationibus: abluatur corpus totum à fordibus decocto tali, ℞. foliorum maluæ, acanti, parietariæ, fumot. hordei ań. m. j. ellebori nigri m. ij. fiat decoctum in aqua maris. paretur hoc interim pro inunctione vnguentum, & tale pro pueris probatur. ℞. terebentinæ nouies lotæ ℥. iiij. butiri ℥. ij. ſalis ℥. j. ſucci citranguli q. s. vitellos duorum ouorum, ol. roſ. ℥. j. fiat vnguentum. Aut ℞. axungiæ ſuillę ℥. iiij. ſulphuris viui ℥. j. ſalis albi ℥.s. terebent. in aqua roſarum lotæ ℥. j. albumina ouorum nu. 2. butiri recentis ℥. j. muſci odorati g. 2. miſce, & fiat vnguentum. Pro conſiſtentibus, ℞. pinguedinis porcinæ ſalitę lib. j. tere optimè, terq; ablue roſacea aqua, ſulphuris triti ℥. j.s. ſucci limonum ℥. ij. miſce optimè. Aliud fortius, ℞. pingued. por. vitulinæ ań. ʒ. ij. olei maſticini, laurini, roſati ań. ℥.s. terebent. ℥. ij. litarg. aurei, ceruſſę, ellebori nigri ań. ʒ. ij. ſtiracis liquidæ ℥. s. ſublimati ʒ. ij. miſce diu in mortario, & vtere.

De Impetigine. Cap. IIII.

IMPETIGO, vt Latini dicunt, ac lichenas, vt Græci, ſiue volatica, vt vulgares, affectus cutis eſt, ſuperficialis, aſper, & pruriginoſus, omnes corporis partes dedecorans, potiſſimum verò & faciem, & manus: nam interdum per vniuerſam faciem ſerpit, & oculos attingit, & ferè ſupremæ deformationis cauſa efficitur. ab acri, & tenui ſucco producitur, interdum à mixto, & craſſo. differt à pſora, & lepra; ſiquidẽ impetiginis aſpredo, ſuperficialis, rotunda, & plana eſt; ſed non ſquãmoſa, aut furfuracea, ſicut in pſora, & lepra apparere ſolet: permutatur tamen facillimè ex prauo victus regimine, & nimio coitu, in pſoram. communiter, dum reſidet, nec permutatur, impetigo vocatur, ſecus verò ſerpigo. ambę tædę diſpoſitiones ſunt, & maximum excitant pruritum: ſub duplici modo videri ſolent; aliquæ.n. humidæ, & ſanguineæ ſunt, quæ dum agitantur, inflammantur, & velocius apparẽt, tales facillimè ſanãtur: aliæ verò ſiccę à phlegmate ſalſo productę, quod ex vlteriori aduſtione in bilem atram conuerſa eſt, nec curationem admittunt: nonnullæ etiam excoriatę, à cauſa ſicca, & multum aduſta genitę, in quibus ſquamæ, quemadmodum in leucę Gręcorum, aut albaras Arabum videri poſſunt, & promptè in lepram permutantur. Horum affectuum nonnulli ambulatiui,

Gal. 5. de cõp. med ſecun. loc. Aet. lib 8. c. 16. Pau li. 4. ca. 3. Cel. lib. 5 c. 28 Plin. lib. 26. c. 1 Anic 7. 4. tract 3. ca. 3.

& maligni ſunt. multi verò immobiles, & ſaluberrimi, alij recentes, & multi inueterati, & antiqui. Apud Celſum impetiginis ſpecies quatuor ſunt, & ea minimè mala, quæ ſimilitudine ſcabiem repręſentat, nec ob hoc eſt malę naturæ, quamuis ſit rubicunda, & durior, & exulcerata. diſtat autem ab ea, quia magis exulcerata eſt, & puſtulas ſimiles varias habet; videnturq; eſſe in ea, quaſi bullulæ quędam, ex quibus interpoſito tempore ſquamulæ reſoluuntur; ſi euaneſcunt, certioribus temporibus reuertuntur. Credunt aliqui hanc impetiginis ſpeciem, eum affectum eſſe, quem Auic. ſahafati vocat, ſiquidem notę, &

7.4.tra3.c.1.

accidentia admodum ſimilia ſunt. Secunda ſpecies peior eſt, papulis fere ſimilis, ſed aſperior, ac rubicundior, figuras varias habens, ſquamulæ ex ſumma cute diſcedunt, celerius, & latius procedit, certioribusq; etiam nonnunquam prior temporibus & fit, & definit, rubricaq; cognominatur. Dicunt aliqui hanc Celſi ſecundam impetiginis ſpeciem ſecundum ſahafati Auic. eſſe, humidum quippe, ab eo refrengi vocitatum; nam vtriuſq; affectus ſigna valde ſimilia ſunt, nec de hoc dubitare oportet, & ſi poſt Hiſtoriam de ſahafati, de impetigine pertractauerit Auic. ibi enim aſſerit, nullam, aut paucam diuerſitatem inter hos duos affectus reperiri; & ſi qua eſt, illa occulta dignoſcitur, nec aliud eſt ſahafati, quàm impetigo maligna, & corroſiua, & vtriuſq; morbi vna met eſt cauſa. Tertia ſpecies apud Celſum deterior eſt; nam & craſſior eſt, & durior, & magis tumet, in ſumma cute finditur, & vehementius rodit, ipſa quoq; ſquamoſa; ſed nigra procedit, & late, & tarde, & minus ſerpit; in aliquibus temporibus aut oritur, aut definit, neque ex toto tollitur, nigraq; cognominatur: hæc eſt illa diſpoſitio cutanea, quam Auic. Albaras nigra appellabat, cum aliud non ſit hic affectus, quàm impetigo excoriata, pruriens, & ſqua-

7.4.tra2.c.9.

mas emittens, ac lepram præcedens, quæ dum antiquata fit, curationem non recipit. Quarta ſpecies impetiginis apud Celſum, illa eſt, quę nullo modo curationem admittit, & differt à tertia ſolum in colore; nam hęc alba quaſi eſt, & nouę cicatrici aſſimilatur, & ſquamulas pallidas, aut ſubalbidas, ſępè etiam aliquas ſimiles lenticulas producit, quæ dum tolluntur, ſanguinem effluunt, alioquin earum humor albidus eſt, cutis dura, atq; fiſſa eſt, proceditq; latius. Hæc verò maximè omnia genera oriuntur in pedibus, & manibus, & vngues quoq; infeſtant. hanc vltimam ſpeciem impetiginis vocat Auic. balchiari, & eſt de genere ſahafati malę.

De Serpigine. Cap. V.

Cel.l.5.c.vlt.
Aet.l.13.c.132
Pau.l.4.ca.6.
Auic.7.4.tra.2.ca.9.

INTER has met cutaneas, ac ſuperficiales pruriginoſas exulcerationes, à Celſo quædam deſcribitur diſpoſitio, quæ vitiligo nuncupatur. hæc quamuis ex ſe nullum indicet periculum, tamen fœda paſſio eſt, ſeu fœdus cutis color, & ex malo corporis habitu proueniens. Eius tres ſpecies ſunt, nempe Alphos, Melas, & Leuce; at quia hi omnes affectus ſerpendo progrediuntur, à Latinis ſerpigines nuncupantur. Alphos vocatur, vbi color albus eſt, ferè ſubaſper, & non continuus, vt quædam quaſi guttæ diſperſæ eſſe videātur: interdum etiam latius, & cum quibuſdam intermiſſionibus ſerpit. de ſimili affectu inquiens Aetius ait, quòd Gręci Alphus eum appellant ob id, quia cutis colorem permutat, & antiqui hanc cutis permutationem alphenein vocabant. ab vna met ratione cum Leuce, & lepra producitur: Alphos tamen non niſi cutim ſolũ permutat, in qua ſquamulæ quædam gignuntur. duæ eius ſpecies reperiuntur, vna quidem alba, altera verò nigra; in alba ſquamę à pituita fiunt, in nigra ab humore melancholico; Altius Leuce cutem mutat, inquit Paulus, vt pilos quoq, ſibi ſimiles procreet, Alphi ſummam cutem infeſtant, quamquam cũ vetuſtatẽ ſentiunt, penitus recedunt, in eisq; albi pili enaſcuntur, idq; humoris, qui ſubeſt, ratione; etenim ex pituita albi ducũt originem, nigri ex atra bile. Credunt multi, quòd Alphos, ſeu vitiligo, Græcorum ſit; Morphea alba, & guada, Arabum; ſiquidem vtraq; morphea cutis paſſio eſt, non multum profunda: alba tamen à pituita, nigra verò ab humore melãcholico originem ducit, ac eorum pili, aut flaui, aut nigri ſunt: ſerpigo, quæ Melas vocatur, non niſi in colore ab Alpho differre videtur. nam Melas nigricat, & vmbræ ſimilitudinem præſefert, Alphus albeſcit, & in reliquis multum adinuicem conferunt. porrò Melas Celſi, Alphos nigra Aetij, & Pauli, ac Morphea nigra Auicennæ eundem effectum eſſe manifeſtò cõſtat. Leuce Celſi in aliquibus ſimptomatibus Alpho aſſimilatur, magis tamen albeſcit, & profundius progreditur, in eaq; albi pili ſunt, & lanugini ſimiles. omnia hæc ſerpunt, ſed in alijs celerius, in alijs tardius. Melas, & Alphos in quibuſdam varijs temporibus & oriuntur, & definunt; Leuce locum, quem occupauit, non facile dimittit. Melas, & Alphos curationem non difficillimam recipiunt; Leuce verò vix vnquam ſaneſcit: at ſi quid ei vitio demptum eſt, tamen non ex toto ſanus color redditur. à permutatione ſedis affectæ in albedinem affectus Leuce nuncupatur: at ſi in parte pilis ornata oritur, eam non denudat, neque ſcabroſam reddit, ſed eos in canitiem permutat, ſecus verò, affectum inſanabilem prędicit. Leuce igitur Gręcorum, Albaras alba Arabum eſt, ait Celſus. vtrum autem aliquod horum ſanabile ſit, an non ſit, experimento facile colligitur; incidi enim cutis debet, aut acu pungi. ſi ſanguis exit (quod ferè fit in Alpho, & Melas) remedio locus eſt. ſi humor albidus, aut lactea humiditas, ſanari non poteſt; itaq; ab hoc quidem abſtinendum eſt. docet Paulus panniculo laneo aſperiore cutim fricare. nam ſi rubicundior euaſerit, medicinæ locus eſt; ſin idem color remanet, non con

ſaneſcit

ſaneſcit. Leuce, quæ plura corporis loca occupat, difficilius tollitur, quàm quæ pauca deturbarit; item vetuſtior, quàm recens, minus in medicina ſpei habere cẽſenda eſt. epilogando itaq; aſſerere poſſumus, albam Albaras Arabum, Leucem Celſi, & omnium Grȩcorum eſſe, & Morpheã Arabum, Græcorumq; Alphos. differunt quippe colore, prout colorata eſt eorum cauſa materialis: qui verò horum affectuũ lenes ſunt, & non aſperi, peiores iudicantur, ob id, quia magis ſepulta reſidet mareria, & magis cruda eſt, præſertim in albis, quod ſecus in nigris apparere ſolet; nam cauſa ita aduſta non eſt, & ſi longo trahuntur tempore, in leprã degenerare ſolent.

PRAXIS.

HI duo affectus, quia materialem cauſam continere videntur, eorum curatio à totius corporis euacuatione inchoanda eſt. corpore igitur toto, ſi opus fuerit, euacuato, aut ſanguinis miſſione, aut pharmaco, ſuccum malum exuberantem educente, ad remedia valde ſiccantia confugiendum eſt. & à leuioribus inchoando, probatur à Paulo, præſertim in pueris, ſaliua hominis ſtomacho ieiuno, aut oleũ de nitico, quod à Gal. 5. Meymir. ſic paratur; tritici grana multa accipiens, incudi alicui imponito, deinde laminam ignitam æream tritico ſuperimponito, & quod ex eo defluit liquidum, adhuc calidum exceptum impetiginibus illinito, hoc ſolo remedio, ait Gal. multos curatos vidimus. facit ad hoc flos cineris cum aceto, ſuccus ſ. malue ſilueſtris cum ſulphure viuo, ſuccus portulacæ cum aphronino, ſuccus corticis lapacij ſilueſtris cum veratro, ſuccus radicum aſphodelli cum alumine, & melle, ſuccus hepaticȩ cum nitro, & ſulphure: medicamenta verò ea in vniuerſum competere videntur, quæ ad ſcabiẽ pertinere dictum eſt.

De Pſora. Cap. VI.

PSORA ſummȩ cutis aſpredo pruriens eſt, imbecilliter exedens, varias figuras habens, furfuracea magis, quã ſquamoſa ex ſuperficie emittens. igitur eã multi ſcabiẽ agram, & feram vocant. ab humore aduſto, aut melancholia admixto producitur; & hac ratione corpora ſic affecta, paulatim abſumi videntur. differt à communi ſcabie, & pruritu, in quibus tantum ſcalpendi deſiderium apparet, & eorum cauſa eſt humor tenuis, non admodum ſalſus, in cutis poroſitatibus inſertus, qui nec puſtulas, nec furfuraceas ſquamas, nec vlcera producit. differt à lichene; ſiquidẽ pſora interdum totius cutis affectus eſt, impetigo verò ſedem particularẽ occupat. cõmuniter apud Medicos, affectus, qui cutis ſuperficiem tantũ alterant, & aſpredinem gignunt, pruritus, aut ſcabies, aut impetigo vocantur; ſi eam corrumpunt, & furfures gignunt, pſora dicuntur; ſi verò ſquamas emittunt, aut lepra, aut elephantiaſis nuncupantur.

PRAXIS.

IN cura huius affectus in primis inſtituto victus regimine, nempe frigido, & humido, ſed temperatè, ac præmiſſa purgatione, præſertim ſanguinis miſſione; qui ſemper malus eſt, primò à vena baſilari, ſecundò à venis podicis, quas Græci hemorhoidas vocant, ac attenuato humore ſuperuacaneo aduſto, pharmaco purgandus eſt, idq; duab. aut trib. vicibus, medicamẽtis nẽpe ad ſcabiẽ tollendã ꝓbatis. poſtmodũ ꝑ multos dies exhibeâtur patienti sũmo mane ℥. viij. ſeri caprini, aut ouini, aut aſinini, quod omni tẽpore dari põt, aut ſolũ, aut cũ ſaccharo, aut ſerapio violato, aut de fumaria, aut de intubo: vel vtatur ſequenti, ℞. fumot. borag. buguloſſȩ añ. m. iij. cicorij, florum violarũ añ. m. iiij. mercurij añ. m. ij. foliorũ ſenȩ Oriẽtalis ℥. j. fiat decoctio ad lib. 2. in qua diſſolue ſacchari albiſſimi ℥. iiij. triaſantalorũ ʒ. ij. & fiat apozema clarificatum; aut ℞. ſucci mercurialis lib. s. ſucci borag. tantundem, ſenæ ʒ. s. ſacchari q. ſufficit, fiat ſyrupus. cumq; aliqua ſanguinis rectificatio apparuerit, ad localem affectionẽ deuenire opus eſt; & primò balneum paretur, à quo cutis ipſa humectari poſſit, ac laxari, ad hoc vt vitioſi ſucci euaporentur, & inſenſibiliter diſcutiantur, ac eorũ tollatur acrimonia, & ad hoc valet aqua fontis pura. aut ℞. foliorum maluæ, fumot. lapathi aũ. m. iiij. hordei furfurum aũ. m. ij. miſce, & bulliant in ſufficienti aquȩ quantitate pro balneo. hoc facto ad ea medicamenta tranſeundũ eſt, quæ poſſint detergere, attenuare, atq; ex alto reuocare materiam, & illam ſiccare; quare alterum paretur balneum, in quo patiens ingrediatur horis matutinis, & ℞. radicum, & foliorum lapathi acuti m. iij. radicum elenij, enulam cãpanam vocant, lib. s. radicum accori, brioniæ aũ. lib. j. foliorum maluæ, violarum, ſcabioſȩ, fumariȩ, chelidoniæ, ſaponariȩ, calamenti, hederȩ aũ. m. ij. hordei integri, lupinorum, fabarum, lentiũ aũ. lib. j. s. furfuris lib. j. ellebori m. ij. coquantur in aqua pro balneo conficiendo, & per triduum hoc vtatur balneo; inde adde ſalis communis lib. ij. aluminis lib. j. & iterum per triduum balneũ ingrediatur per horam; poſtmodum in lecto modicum ſudet, & tali inungatur linimento, ℞. radicum enulæ campanæ, lapathi acuti aũ. ℥. ij. coquantur in aceto acerrimo, terantur, cribroq; traijciantur, & adde ſulphuris viui ʒ. ij. ſalis communis torrefacti ʒ. j. s. ſucci limonum ℥. ij. vnguenti ceruſſati, mercurialis aũ. ℥. iij. butiri, olei de tartaro, ceræ albæ aũ. q. s. fiat linimentum, quo liniatur poſt vſum balnei: his non conferentibus, ad aquas medicatas, quas termarum, aut balnei iſti vocant, aluminoſæ eſſe debent, quales Apponi, aut Conſenȩ, aut ex agro Piſano, aut ex agro Veronenſi Calderianȩ appellantur, ſe conferant.

DIGRESSIO.

HORVM affectuum omnium, qui cutim, & cutaneas partes infeſtant, cauſæ quamplurimæ eſſe ſo-
lent, nempe internę, externæ, & coniunctæ. inter internas imbecillitas virtutis alteratricis,& aſſi-
milatiuę enumeratur, quę nutrimentũ cutaneis partibus pro earum alimẽto à virtute regitiua tranſmiſ-
ſum alterare, ac ipſum nutriendo membro, ſicut illi decet, aſſimilare nõ poteſt; ſiquidem à Medicis di-
ctum eſt, quòd bona nutritio tribus adimpletur potentijs. Prima eſt permutatiua, quæ ſanguinem, aut
Gal. lib. 1. virt. nat. & 3. de cau. ſympto. Aet. li. 13. c. 133. Aui. 1. 1. Doct. 6. cap. 2.
alterum ſimilem humorem in propinqua potentia conſtitutum, vt in nutrienda ſedis ſubſtantia permu-
tetur, alterat, & permutat: quę, cum in hoc deficit, illa oritur diſpoſitio, quę à Latinis conſumptio, &
rabiditas, & à Gręcis atrophia dicitur, in qua patiens ex nutrimenti penuria macreſcit. Secunda eſt ap
poſitio, hæc nutrimentum iam ſic præparatum membro adhibet, & appodiat, vt eius euadat ſubſtan-
tia,& partes. hæc ſi aberrat, eius dignoſcitur error in hydrope, & hernia carnoſa. Tertia eſt aſſimilati-
ua, cuius officium eſt aſſimilare nutrimentum acceptum, & iam pro parte permutatum in partibus mẽ-
bri membro nutriendo in ſubſtantia, & colore: quæ errat interdum, aut ob eius imbecillitatẽ, aut nu-
trimenti malitiam, vt in morphea, & pſora apertè dignoſcimus. nec potentia nutritiua ab aſſimilatiua
multum differt, niſi in nomine: ideò ambæ ſimul pro quarta potentia in nutritione numerantur. & hęc
deficit, aut quando ſuo non fungitur officio, aut quando non rectè operatur: deficit in operatione,
deficiente nutrimento conuenienti, & determinata materia: imperfectè agit, dum nutrimentum, &
materiam corruptam, aut à naturali extraneam, adminiſtrat: dum verò non agit ob alimenti defectũ,
fit corporis conſumptio. ſi ob eius malitiam, ſcabies, aut pſora producitur: ſi enim ſanguis, qui carnis
materia eſt, ex prauo generatur nutrimento, tunc & caro, quæ ab eo producitur, talis erit; quippe ſi
ſanguis pituitoſus fuerit, caro pituitoſa erit; ſi melancholicus, melancholica. nec obſtat dicere, eſt caro
pituitoſa, ergo eſt caro; ſi quidem caro eſt, ſed deprauata,& ſic de alijs dicendũ eſt; permutantur enim
eius propriæ qualitates, & color,& alimentum, quod illi ab ea potentia, quæ noſtrum regit corpus, de
mandatur. in rubeam carnem non permutatur, ſed liuida, aut cinericea fit, idue magis ſi nutrimentum
continuum pituitoſum eſt, vt in conchiliis, oſtracordematibus,& polypis, aut ſimilibus pituitoſis ani-
malibus videtur. huiuſcemodi actio,& permutatio dignoſcitur in his, qui leuce, aut vitiligine affligũtur;
vbiq; enim dum caro mala eſt, & ſanguis optimus ad eam demandatur, ibi permutatur, & corrum-
pitur. nec negari poteſt, ait Gal. de mente Ariſt. quòd id, quod nutritur à proprio nutrimento permuta
ri poſſit, vt de animalibus, & plantis experimentum commoſtrat, dum & locum, & alimentum per-
mutant: ergo in affectibus cutaneis, nutrimentum, ambientis qualitates, & debilitas virtutis aſſimilati
uæ, ſunt cauſę potentes permutare & membri ſubſtantiam, & eius proprium colorem; vnde varij mor
bi apparent, nempè pruritus, vt in ſcabie ſicca; puſtulæ,& excoriationes, vt in ſcabie humida: interdũ
aſpredines pruriginoſæ, planæ, ſine ſquamis, vt in impetiginibus; modò prurigines aſperæ, & ſquamo-
Gal. lib. de col. nig. c. 6. 2. virt. nat. 5. de inua. med. cap. 4.
ſæ, vt in leuce, albaras, & lepra. interdum cutis ſuperficiem inęqualem, aſperam, ſquamoſam, & ni-
gram, vt in elephantico morbo apparet: facit etiam ad cutis defędationem melãcholicã alicuius viſce-
ris mala habitudo, aut obſtructio, dum ſanguinem ab humore melancholico expurgare non poſſunt,
praua victus ratio, veluti cibaria ſalſa, cruda, acria, acuta, valde calida, vina potentia, nimius coitus,
præſertim ſupra repletionem,& eorum cõmertiũ, qui aut affecti ſunt morbo aliquo cutaneo, aut para-
ti ſunt ad affectus ipſos pruriginoſos, & melancholicos.

De Lepra. Cap. VII.

QVIA lepra cancer vniuerſalis eſt, ac inter famoſas cutis defędationes numeratur,
facilis cognitionis, ſed difficillimæ curationis, longam de ea ſcriptores Græci,
Gal. 2. de ſymp. cau. 12. Aet. Pau. li. 4. cap. 2.
& Arabes hiſtoriam protulerunt: Nos verò in hoc loco breuiſſimo de ea vſi eri-
mus ſermone, ſic Gręci lepram deſcribunt. Lepra cutis affectus eſt, aſper, pruriens,
& ſerpiginoſus, piſcium modo ſquamulas ex ſe emittens, circularibus eroſionibus
cutem altius depaſcens, originem ex atra bile trahens, & corpus paulatim abſu-
mens, differt à pſora ob id, quia pſora ſummam illam corporis cutem exedit, va-
rias figuras habẽs, quæ furfuracea magis, quàm ſquamoſa ex ſuperficie deſcendũt,
de facili verò in lepram couuertitur. Auicennam lepram ſic deſcripſiſſe, legimus. lepra eſt infirmitas ma
3. 4. tract. 3. c. 1.
la, proueniens ex ſparſione choleræ nigrę in corpore toto. quare corrumpitur; complexio, & figura
membrorum, & fortaſſe eorum continuitas, ita vt corrodantur membra, & cadant caſu, qui fit ab vlce-
ratione, & eſt ſicut cancer communis toti corpori: cuius duæ reperiuntur differentiæ, alia quæ vlcera-
tur, & alia, qua non vlceratur; alia citò terminatur,& alia cum patiente manet tempore longo valde;
& hæc leonina, quia leonibus accidit, vocatur, eius indicia ſunt, quoniã terribilem facit patientis faciẽ,
& eam ponit in forma leonum, & rapaciter tenet, quod capit, rapacitate leonis, & de ea curationis
ſpes nulla relinquitur: nam confirmata eſt, & inobediens, & non ceſſat corrumpere complexionem
mem-

membrorum qualitate contraria qualitati conuenienti vitę, donec perueniat ad membra principalia, & interficiat: incipit in primis in extremitatibus, & membris leuibus, & ibi cadunt pili, & alteratur color eius, & interdum exulceratur, deinde paulatim ad totum corpus extenditur; & ſi eius prima origo eſt in viſceribus, primum veſtigium in extremitatibus, & ſuperficie apparet. A Medicis dictum eſt; quã do melãcholia expellitur ad vnum membrum, ſecũdum eius diſpoſitiones, facit accidere in eo ſcirrhum, ideſt duritiem, aut cancrum: quæ ſi fuerit ſubtilis denominans, prouenit eſtiomenus, ideſt cancer vlceratus, & manifeſtus: ſi verò expellitur ad ſuperficiem cutis, euenit baras, ſeu albaras Arabum, quæ leuce Græcorum eſt, aut morphea nigra, quę alphos eſt, aut impetigo, quæ lichenas eſt, & his ſimilia: ſi ſpargitur in corpore toto, & putreſcit, facit febrem melancholicam: ſi autem vnitur, & non putrefit, ex ea euenit lepra, cuius apud Auic. tres ſunt ſpecies. vna quæ mitis eſt, paucorum accidentium, quæ non exedit, ſed tantum cutis diſpoſitionem alterat, & diu perdurat. & hæc verè eſt lepra Græcorum; à ſanguinis fece producta, & eſt mala pſoræ ſpecies, profunda, & furfuracea. Secunda mala eſt, à qua ea omnia reſultant accidentia, in eius definitione deſcripta, & hæc cancer vniuerſalis eſt, à melancholia ex bilis aduſtione genita, quæ omnium peſſima eſt. Tertia peſſima iudicatur, & leonina vocatur, hanc credo, elephantiaſim Græcorum eſſe; ſiquidem & nomina, & cauſæ, & effectus, idem ferè eſſe videntur; & quid de elephantiaſi ipſi dicant, audiatis Fracaſtorium fol. 177.

Gal. 3. de ſimpt. cau. lib. de bile atra c. 5. & lib. de tumo. c. 15. Aui. c. de lepra.

Gal. 3. Prog. cõmen. 29. & lib. de colera c. 4. Auic. 1. 1. c. de humori. & 3. 4. c. de lepra.

De Elephantia. Cap. VIII.

RARO, ſed in aliquibus regionibus, affectus quidã cutaneus vniuerſalis apparere ſolet, qui elephãtiaſis, elephanticus, leontiaſis, & ſatyriacus, & vulgò morbus ſancti Lazari vocitatur. eius indicia hæc ſunt, patiẽtes in aſpectu horribiles fiunt, prauũ emittunt odorem, atri euadunt coloris, eorum caro obſcura, inæqualis, aſpera, & dura efficitur, extrema tumeſcunt, magnæ deformitatis, elephantiaſis ob eius magnitudinem nuncupatur; ſicuti enim elephans animal magnum, cætera magnitudine excedit; ſic elephantia inter morbos maximus eſt. ſatyriacus vocitatur ob id, quia patientis facies permutatur, & faciei ſatyri formam pręſefert. ait Aetius de mente Archigenis, morbus elephanticus, ab aliquibus leontiaſis, & ſatyriaſis dictus. leontiaſis, quia frons, & facies patientis tumida, aſpera, & inæqualis redditur, leonibus admodum ſimilis: ſatyriaſis, quia facies eleuatur, & tumet, ac in latum extenditur, ac ſi ridere videatur, & more ſatyrorũ ad Venerem parantur, qui ob coeundi appetitum, læti, & ridentes ſemper videntur. Ait Celſus, Ignotus pene in Italia, frequentiſſimus in quibuſdam regionibus is morbus eſt, quem elephantiam Græci vocant, iſq; longis annumeratur. Totũ corpus afficitur ita, vt oſſa quoq; vitiari dicantur. ſumma pars corporis crebras maculas, crebroſq; tumores habet. rubor harum paulatim in atrum colorem conuertitur; ſumma cutis inæquabiliter, craſſa, dura, & quaſi ſquamis quibuſdam exaſperatur; corpus emacreſcit, ſuræ, manus, & pedes intumeſcũt. vbi vetus morbus eſt, digiti in manibus, pedibuſq; ſub tumore conduntur, febricula oritur, quæ facilè tot malis obrutum hominẽ conſumit. ex India elephãtem originem duxiſſe affirmat Gal. 9. de compo. med. ſecun. loc. & auctore Lucretio, ob Nili flumina, & praua diæta. Credit Plinius, hãc horrendam affectionem nouam eſſe, nec prius in Italia notam, quàm tempore magni Pompeij, quæ eius faciem primò moleſtare tentauit, potiſſimum in naribus ad lenticulæ modum; inde totum corpus occupauit maculis diuerſorum colorum, inęqualiter procedentibus, ac ſi aſpera, & nigra ſcabie affligeretur; poſtremò digiti, manus, & pedes, tumidi facti ſunt, quod eſt ſimptoma proprium huic morbo. Aegyptijs peculiaris affectus eſt, ac regionibus Septentrionalibus, ac rigoroſis frigoribus ſubiectis; faciliuſq; viros, quàm mulieres; pueros, & adoleſcentes, quàm conſiſtentes, & ſenes offendit. timoroſus morbus eſt non ſolum patientibus, ſed affinibus, amicis, & inimicis, ità vt familiares ab eorum conuerſatione ſe alienent, eius abhorrentes cõtagium. nam Aet. dicebat, malum eſt ſecum cõmercium tenere; ſiquidẽ aer à fętore alteratus, ex vitioſorum ſpirituum exhalatione attractus, & inſpiratus, alios facillimè infeſtat. Inter contagioſas diſpoſitiones, nempe quę tranſeunt de ſubiecto in ſubiectum, & inter hæreditarias, ac eas, quę à primo genio in vtero materno, aut à patris genitura, aut ex ſanguine menſtruo producuntur, enumerantur: Huic morbo multi affectus precedere ſolent; nempe pruritus, impetigo, pſora, & lepra.

Gal. 3. de cau. ſimpt. lib. de tumoribus. c. 15 lib. de colera nigra c. 4. Cel lib. 3. c. 25. Plinius lib. 4. c. 1. Aet. lib. 13. cap. 120. Pau. lib. 4 c. 1. Aui. 22. 3. tra. 1. c. 16. & 2. 1. c. 8. in fine & lib. 20

De cauſis Lepræ, & Elephantiaſis. Cap. IX.

QVamplurimæ poſſunt horum affectuum eſſe cauſæ, nempe intern, & externæ. internæ, & efficientes ſunt mala temperatura membro nutritionis (hepatis videlicet) ac lienis, à temperie lapſa per nimiam caliditatem, & fortem ſiccitatem, vnde humores, & ſanguis aduruntur, propriam non ſeruant naturam, & fiunt melancholici, aut complexio totius corrupta: vnde ſequitur error in virtute, & potẽtia alteratrice, & aſſimilatiua; & nutrimentũ, nec appodiatur, nec permutatur, nec aſſimilatur, aut ambæ iſtę cauſæ ſimul ad eundẽ effectum concurrunt, nempe vt ſanguis, aut ceteri humores adurantur, nec interdum ceſſat huiuſcemodi praua operatio, vitæ qualitatib.

contra-

contraria, donec alteret, aut corrumpat aliquod principalium membrorū: extrinſecus tamen eius actio apparere incipit; nam pili cadunt, & cutis color permutatur, aut exulceratur: inde paulatim per totū corpus ſerpendo expanditur. poſſunt & aliquæ cauſæ iuuatiuę ad hoc conferre, quales ſunt fortis quędam obſtructio membrorum internorum, aut cutis, & carnis; quare perfocatur innatus calor, & ſanguis infrigidatur, & craſſus fit; aut lien ſuo fungi nequit officio, ſanguinem videlicet ab humore terreſtri, & melancholico denudare; aut viſcerum expulſiua facultas imbecilla eſt, & ſanguinem melancholicum in venis podicis (quas hæmorrhoidas Græci vocant, aut matricis) expellere non poteſt. facit pariter ad hoc habitudo patientis frigida, & ſicca, plurimo ſanguine craſſo, & viſcido ſcatens, aut ea cōplexio, quæ multum de pituita acida, & ſalſa producit. Cauſæ externę ſunt defectus in regimine omnium ſex rerum non naturalium, pariter & contactus rei tali morbo affectę; praua dięta, ac vſus cibariorum difficilis concoctionis, & praui nutrimenti, prout eſt panis non fermentatus, & malè coctus, piſces magni paludoſi, oſtracordemata, & cōchilia, carnes aſſatę, & ſale conditæ, aut magnorum animalium, boum antiquorum, aſinorum, camellorum, caprarum, leporum, & ſimilium; fabæ, lentes, caules, vina nigra craſſa, & ſimilia cibaria, quę melancholicum ſuccum gignere poſſunt. Vitanda eſt nimia qes, & exercitium immoderatum, & laborioſum; coitus ſupra repletionem, potiſſimum nimius; repletio mali cibi vſque ad nauſeatiuam ſacietatem; prauæ cogitationes, & negotia multa, ac vnaquæq; actio, quæ cibum in ventriculo corrumpere poteſt; aut ambientis aeris æſtuoſa caliditas vnà cum corruptibili eſca. Hæc enim omnia, tenuiores partes nutrimenti diſcutiendo, craſſiores in melancholici humoris naturam permutare ſolent. Atra bilis, de qua elephantiaſis origo eſt, duplici modo generatur; vel enim ex melancholico ſanguine, fœculentioreq; & veluti eius limo, vel bile flaua, vtriſq; inuicē mixtis, naſcitur: hinc eſt, quòd accidentia ſęuiora ſunt, quā in lepra, & affectus magis turpis, & magis periculoſus. rariſſime huiuſmodi morbus oritur, & iuuenes ob malam viuendi rationem, vt Alexandrię occurrit, aut in ſanguine menſtruo procreati, aut à paterno ſemine male affecto geniti, aut à contagione corrupti, moleſtare ſolet; & ſeniores ob nimiam atrę bilis copiā in eis repertam lædit.

De ſignis Lepræ, & Elephantiaſis. Cap. X.

VARII ſenſus concurrunt in cognoſcendis ſimptomatibus, tùm lepræ, tùm elephātiaſis, ob id quia in propatulo ſunt, & extrinſecas ſedes occupant; viſus quippe, nam in lepra incipit color cutis fieri rubeus, inde tendit ad nigredinem, & in oculis offuſcatio apparet, ad nigredinem decliuis; poſtea cutis complexio corrumpitur, & pili attenuantur; & poſtquam eorum radices corrumpuntur, cadunt; poſtea verò permutatur cutis habitudo ad diſpoſitionem diuerſam, & forma patiētis turpis fit, & facies terribilis, ſquamoſa, & nigra; tactus, ob id quia aſpera cutis eſt, & ſquamas emittit, ac glandibus plena: auditus, quia vox patientis rauca fit, & apparet in anhelitu ſtrictura, & multum ſternutat; odoratus, quia odor corporis, & propriè in ſudore, & anhelitu, ad fœtorem declinat. dignoſcuntur etiam leproſi à multis eorum operationibus lęſis, animalibus, vitalibus, & naturalibus; ſiquidem eorū mores melancholici ſunt, mali, & doloſi. multiplicantur in ſomno ſomnia melancholica, & ſentiunt in ſomno, quaſi ſuper eos ſit grauedo maxima, & ſuffocari timent; pulſus debilis eſt, & tardus, vires imbecilles, ac tardi, & pigri ſunt; in eorū operationibus puſillanimes ſunt, & timidi; non appetunt, nec perfectè cōcoquunt: hinc eſt, quòd prauo nutriuntur ſucco, & peſſimum generant ſanguinem: excrementa ſtinguntur, & cruda, ac ſcolorata fiunt; vrinę albæ ſunt, & claræ, ac in eorum fundo trumbi ſquamoſi, furfuracei, & arenoſi apparent: at cum corporis totius forma, & habitudo corrupta eſt, etiam interiora leproſa fiunt: vnde poſtea ſimptomata ſæuiora euadunt, & patientes fiunt elephantici, & ſatyriaci; & adeo deformes apparent, quod fugientes ab eorum aſpectu, amicos, & affines relinquendo ſe abſcondunt, & mori cupiunt; varijs eminentijs cooperiuntur in toto corpore potiſſimum, & primò in fronte; deinde in labijs, & mentho, obſcuris, nigris, & duris; venæ ſub lingua nigræ tument, & varicoſæ fiunt; poſtremò pedes tumidi fiunt, ac varicibus replentur, & nares ob reſpiratum aerem corruptum exulcerantur vlcere inſanabili: cum verò ad vltimam malitiam huiuſcemodi deuenerit diſpoſitio, ſi patientes punguntur, non ſentiunt; & ſi ſecetur eorum caro, non exit ſanguis, ſed humiditas pituitoſa, latea, craſſa, & nigra. corroditur cartilago naſi, deinde cadit naſus, & eius extremitates, & currit virus fætens: ſi verò phlebotomantur, egreditur ſanguis ita aduſtus, vt arenæ formam præſeferat. & hoc eſt indicium vltimæ malignitatis.

De cura Lepræ, & Elephantiaſis. Cap. XI.

PRO confeſſo habetur, Aetio, & Paulo affirmante, quòd auxiliorum vim morbis fortiorē eſſe oportet. hac ratione elephantiam nunquam curari, vt quia nulla ſuperior medicina reperiatur, credendum eſt. hoc ſic probatur. ſi cancer, veluti elephantiaſis quædam, vni oborta particulæ inter morbos inſanabiles ab ipſo Hipp. relatus eſt: quantò magis elephātia, ceu totius corporis cancer aliquis, ab omni abhorrebit remedio? id ve magis ex Auic. cum can-

cer,

cer, qui eſt lepra membri vnius, ſit de illis, quibus non eſt ſanatio:tunc quid dicemus de lepra, quæ eſt cancer corporis totius? ergo quantò minus, ſi lepra non ſanatur, ſanabitur elephantiaſis, qui morbus deterior eſt, & fortius non cognoſcit præſidium? pauca ideò de eius curatiua methodo explicaturi ſumus: ſed lepræ curationem deſcribentes, dicimus, quòd ſi materia iam ex toto extra venas fuerit, & in muſculorum ſubſtantia expanſa, & imbibita (quod ex corruptione formę dignoſcitur) phlobotomiam nullo modo competere, nec minus pharmaciam; ſiquidem materia talis reuocari non poteſt, iuuabit tamen, ne augeatur, antecedentem cauſam minorando; pharmaca enim fortiora in materia inobedienti, & non præparata, magis nocere, quàm iuuare, videtur: attamen nec balnea, nec vnguenta ante corporis perfectam euacuationem adminiſtrare oportet. talia enim pręſidia porros obſtruunt, & morbum augent: multa igitur in hac curatione conſideranda veniunt, nempe optimus vitę modus, qui diæta nuncupatur, materia longa, & conueniens concoctio, ſiue præparatio, opportuna totius corporis euacuatio, præſertim ſanguinem mittendo, aut elleborum exhibendo, ac topicorum (veluti lauacrum, aut balneorum vſus) adminiſtratio; vltimò accidentium correctio.

Quod ad victum ergo attinet, vitanda quęcunq; craſsi, maliq; ſucci ſunt, & concoctu difficilia: bonis ergo, quantum fieri poteſt, veſcendũ carnibus; quales ſunt inter volatilia, gallinacei pulli, perdices, phaſiani, atq; auiculæ omnes, in montanis, & non in aquoſis locis victitantes. inter quadrupedes, vituli, hædi, verueces, oua gallinarum recentia, mollia ac tremula, ſaccaro condita: piſces verò parui ſint, & petroſi, aut littorales. omnia autem, tam carnes, quã piſces, ſint potius elixa, quàm aſſa, & cum petroſcelini radicibus, odorataq; menta condita; datur beta, attriplex, & ſpinacia, omnibus in bono iure decoctis. poſſunt fercula communi modo parata miniſtrari, ad quem modum hordeo optimè cocto, ſolo aneto adiecto, veſci poterit; nec non & farre ſimiliter poteſt vtiliter iuſculum ex oui vnico vitello parari: ex fructibus, paſſulę, piſtacia, & fici: potus ſit vinum clarum, tenue, odoratum, fuluumq; potius, quàm rubrum, vel nigrum, nec dulce, nec acidum: quod etiam ſi eſſet abſinthio, ſcena, & boragine vindemiarum tempore conditum, non potus ſolum, ſed magni medicamenti vim haberet. Aer eligendus, quantum poſsibile eſt, temperatus: ſi ad alterum tamen extremum vergit, ad tenuẽ potius, quàm ad craſſum, inclinet: turbulentus, nebuloſus, atq; obſcurus fugiendus: ſolitudo, tenebræ, aſſidua cogitatio dimittantur: aſpectus rerum viridium, & iucundarum, odores ve, & res gratæ probantur. Euacuatio totius corporis per hunc modum procuranda. ℞. elect. lenit. catolic. añ. ℨ. vj. ſy. de pomis ℥. j. decocti paſſularum, foliorum ſcenæ, polipodij. q. ſ. præparetur quod reſidet ex humoribus, longa quippe præparatione, ſy. de fumaria, de epithimo, biſantino, cum aqua lactis. & vltimò purganda eſt Hiera pachi, aut Hiera Gal. confert amech, decoctio epithimi, pillulæ indę, de lapide lazuli, de fumaria.

De Combuſtione, quæ fit ab Aqua, vel ab Oleo feruentibus.

QVANDOQVE, teſte Auicenna, euenit, quòd ſuper aliquod membrum hominis effunditur, aut oleum, aut aqua feruens, & ſtatim in illo cauſſatur operatio ignis; nam inflammatur, & in eo bullæ, ſeu ampullæ diuerſę oriuntur. Et ratio cur ampullæ, & veſicæ ab huiuſmodi vſtione, & non ab igne, generentur, hæc eſt. Natura, & operatio caloris eſt attrahere; & tantò maior fit attractio, quantò potentior eſt agens in opere: quando igitur membrum carnoſum læditur ab aliqua re feruenti, tunc illa pars accenditur, ita vt in loco illo attrahantur multæ materiæ, humidæ, tenues, & vaporoſę, quæ facillimè partes carnoſas penetrant, ac permeant vſq; ad cutẽ, quæ denſa, & dura eſt; quam cum non poſſint penetrare, ſub illa vniuntur, & eleuantur puſtulę, ſeu veſicæ diuerſæ, quę aere, & aqua repletę ſunt. Et huiuſmodi effectus facilius ab aqua, & oleo feruentibus producitur, quàm ab ipſo igne. nam ignis naturali ſua qualitate calida, & ſicca, humidum ſubſtantificum membri conſumendo, faciliùs in illo eſcharam, quàm veſicam, generat. Et hinc fit etiam, vt oleũ, & aqua, aut quæuis alia ſimilis res humida, in membro intemperiem introducit, quod non fit ab igne. nam ipſe omnes diſcraſsias, & malas intemperies rectificat. Huiuſmodi autem vſtionum aliæ ſunt momentaneæ, magnæ, & profundę cum læſione nedum ipſius cutis, verumetiam carnis, neruorum, venarum, & aliorum membrorum: aliæ verò ſuperficiales, & cutaneæ tantùm ſunt: alię ſimliter lædũt homines iam ætate prouectos, laborioſos, fortes natura, & durę carnis: alię verò lędunt pueros, mulieres, corpora mollia, & tenellę carnis. Hoc autem à nobis dicitur; nam iuxta varietatem ætatum, exercitiorum, ac complexionum, debent etiam variari medicamenta in forti, & debili operatione.

In 4. 4. tract. 2. cap. 15.

DE CVRATIONE.

IN curatione huiuſmodi vſtionum tres neceſſariò requiruntur intentiones. Prima, iuxta Auicennæ ſententiam, eſt opem ferre, ac ſuccurrere membro aduſto, antequàm veſicæ generentur. Secunda eſt regere locum iam veſicatum. Tertia eſt mederi vlceribus, quæ poſt veſicas quandoq; remanere ſolẽt. Quò ad primam operationem, opus eſt, teſte Auicenna, ſtatim ſuccurrere, & auxiliari, antequàm veſicę oriantur, cum ſantalis, aqua roſacea, & camphora: neq; oportet permittere, vt medicamentum huiuſmodi exſiccetur, ſed ſępe, ac ſæpius iterum apponere pannum lineum in aqua valde gelida, benè ma

Vide Hippocratem de Vlceribus.

Ita ſentit Celſus in 5. lib. in cap. de Aduſtionibus.

defactum; nam hoc remedium impedit,quò minus locus ille lęſus veſicetur.Huiuſmodi curatio eadem
In 7. ad Almã, cap. 18. eſt , quam ponit Raſis, qui aſſerit,quòd ſi aduſtio fuerit magna, fiat phlobotomia in oppoſito latere ,
ſubtilietur ratio victus, & applicentur medicamenta infrigidantia . Inter recentiores , multi pro eadem
Celſus commẽdat farinam lentis cum Melle. intentione probant albumina ouorum quaſſata cum aqua roſacea,& oleo roſaceo ; & alij addunt ace-
tum . Dioſcorides,& Plinius pro huiuſcemodi operatione vtuntur ſuccis portulacæ, lactucæ, plantagi-
nis,ſolatri, vermicularis, & ſemperuiui:quibus ſuccis addi poſſunt bolus Armenus, terra ſigillata , chi-
molea, ceruſſa, ſpodium, lytargirium , plumbum vſtum, aut aliud ſimile medicamentum . Et ego te le
ctorem moneo, me in leuibus aduſtionibus pluries vſum fuiſſe ſucco braſſicę , ſeu (vt vulgo dicitur)
caulium, à principio vſq; ad finem,cum maximo honore, aut luto illo , qui reperitur in cellis vinarijs ,
vbi continuò vinum in terrã diſtillat, & cadit . Inquit Auicẽna,quòd multi de Paulo Aegineta in lib. 4.
cap. 11.loquentes, ſolliciti ſunt in hac operatione irrorare aduſtiones ab aqua feruenti factas , cũ aqua
oliuarum, vel cum aqua cineribus admixta. & probat quidẽ Paulus hęc remedia, & alia quamplurima ;
& Auicenna teſtatur bonũ eſſe ijs admiſcere farinam hordei,& vnguentũ ex calce. Sed cum veſicę re ve
Lib.14.cap.64. ra apparere cæperint, dicebat Aetius;Noli eas ſtatim aperire, ſeu rumpere : ſed poſtquã aliquantulum
perdurauerint, aperi, ſeu rumpe illas, vel deſuper impone huiuſmodi medicamentum. ℞.foliorum mal
uę,plantaginis , violarum,añ.M.1.decoquantur in aqua dulci,& contundantur, addendo litargirij argẽ
tei, chlimiæ , ceruſſæ plumbi añ ℥.i.pulueris coriandri,farinæ hordei añ.℥.ij.olei mirtini,violati,ompha-
cini añ. ℥. i. s. vitelli oui numero.1. & fiat emplaſtrum . Et veſica rupta , ſeu aperta , ſtatim humiditas
quædam ſubtilis , & citrina emanabit , & in loco illo excoriatio quædam , ſeu vlcus cutaneum re-
manebit , cuius remedium , & curatio (inquit Raſis) erit vnguentum de ceruſſa , quod , iuxta eius
doctrinam , hoc pacto præparatur . ℞. cerę colatæ ℥. ij . olei roſati ℥. viij. & bulliant , & adde ce-
ruſſæ quantũ ſufficit,& miſce optimè, & cum frigefieri incæperit,adde albuminis oui q.ſ.ad inſpiſſandũ,
continuò agitando . Et ſubiungit Raſis, quòd huic medicamento multi modicũ camphorę addere con-
Lib. Diuis. ſueuerunt . quare forſan euenit , vt à multis vnguentum albũ camphoratum appelletur . Nihilominus
idẽ Raſis inquit; Volo te monere,quòd medicamentũ pro aduſtionibus à nobis poſtremo loco exper-
tum,eſt ipſum vnguentum album, quod ex ceruſſa,oleo roſato, & cera tantum , & non ex alio confici-
tur, & hoc eſt vnguentum album Pauli , Oribaſij, Actuarij,& Auicennę. Apud quàmplurimas mulieres
in ciuitate Venetiarum medicamentũ quoddã in vſu eſt , quo in leuibus aduſtionibus , & in tenellis , &
mollibus corporibus vti ſolent, & eſt mirabilis operationis . Accipiunt autem interiorem ſambuci cor
ticem,quam in oleo ebullire ſinunt; poſthęc,facta forti expreſſione, addunt cerã albam cũ modico pin-
guedinis hirci;& cum omnia liquefacta fuerint,addunt ceruſſæ,maſticis, & olibani añ.q.ſ.pro reforman
do vnguento tenui . Dioſcorides nobis etiam hoc medicamentũ reliquit,quod ex ſucco caulium,cinere
tamariſci, ceruſſa(quæ vulgo biacca dicitur)& albumine oui paratur. & ſi locus exulcerabitur (ait Ra-
ſis)ipſumq; vlcus magnum ſit, cura eius erit vnguentũ ex calce, quod hoc modo cõponitur . ℞. Calcis
albæ,& mundę, aquæ claræ, & dulcis,quantum ſufficit, vt tota calx mergatur , & inſimul per duas ho-
ras maneant. Aqua coletur,& alia recens ſuperimponatur , & ſic quatuor vicibus fiat , & colata vltima
aqua,fac calcem frigefieri,& cum oleo roſaceo in mortario plumbeo omnia miſce diligenter, & conti-
Lib. de comp. med. nuè, donec fiat linimentum . Actuarius hoc idem vnguentum de calce hoc modo præparat . ℞. calcis
viuæ decies in aqua extinctæ, & lauatæ in aqua frigida, & exſiccatæ ℥.iij.ceruſſæ in lacte lotæ ℥.ij. cam-
phoræ ℈ ij. olei roſati ℥. xij. cerę nouæ ℥.iij. & ſ. artem fiat vnguentum. Auicenna autem idem vnguen-
4.4. tra. 2. cap. 4. tum ex calce hoc modo parari iubet. ℞.calcis viuę, quam ſepties in aqua frigida laua, donec omnis acui
tas ab ea remoueatur, & cum modico ceræ, & olei roſati, aut ſimplicis , longa miſtione , & agitatione
fiat vnguentum, cui nonnulli addunt chimoleæ , albuminis oui, & parum vini. Alij quoq; alio modo pa
rant,nempe,℞. calcis, vt ſupradictum eſt, præparatæ,& cum ſucco betæ,vel ſucco caulium , oleo roſa-
to,& cera fiat vnguentum. Animaduertendum eſt autem, Medicorum ſententiam eſſe, quòd quodlibet
oleum in hac operatione debeat ſemper eſſe lotum: idem etiam verificatur in mineralibus,& in cera.Nã
teſtibus Paulo,& Auicenna,huiuſmodi medicamenta ab omni acrimonia,ac mordicatione omnino im-
munia eſſe debent . Ego quoq; in vlceribus ab aduſtione genitis oleũ de calce parare conſueui : cui quan
doq; addidi vnguentum de ſucco ſolatri,de litargirio crudo, de ceruſſa, de minio, aut illud tam à Gale
no celebratum diapalma . Cùm autem in membro affecto inflammationes apparuerint : tunc inunctio
ex vnguento roſato Meſue, multum conueniens erit, aut ex diapalma cũ oleo omphacino , vel mirtino
ad formam linimenti redacto . Cùm verò cicatrizandi opus fuerit,locum cum vino rubeo tenui lauato,
in quo ebullierint roſę, mirtylli, balauſtia, plantago, cauda equina, & alumen rocchæ , poſtea vnguen-
tum, vel diacadmium, applicato .

De

De Combuſtione ab igne facta.

CVM aliquod membrum ab igne actualiter læſum fuerit, illico, & quàmprimum in in illo quædam cruſtę cauſantur, quas Græci eſcharas vocant: quæ tantò maiores, & profundiores fiunt, quantò fortior, & longior fuerit ipſius ignis operatio, membro immediatè applicata. Hoc autem dicitur, quoniā ſi læſio fiat ab aliqua re denſiori, & duriori vehementer calefacta, ſed non ignita, & rubea: tunc nō eſcharæ, ſed ampullæ generabuntur; quia agens illud non eſt potens in conſumenda humiditate membri, ſed tantum in attractione propter ſuam caliditatem. Cauſantur autem veſicę, ſicut dictum eſt de aqua, & oleo: & ob id dicebat Auicenna, quòd pruna, & ignis perſicus, hoc eſt herpes, generant eſcharas, ſicut & ignis, & cauterium. Sunt autem eſcharæ partes carnoſæ, aut cutaneæ mēbri, quæ à propria humiditate derelictę, & priuatę remanent, propter calidi vehementis, & violenti applicationem: vnde euenit, vt pars læſa arida, & ſicca remaneat; quę poſtmodum à membro ſeparatur, vel ex naturæ operatione, vel quia ſubtus oritur saniés, aut propter applicationem medicamentorum humidorum putrefactibilium. Sed quia alibi iuxta mentem Ariſtotelis, copiosè de modo generationis eſchararum, quæ à Medicis Ephelcides vocantur, dictum eſt, ideò nunc dicendi finem faciam.

DE CVRATIONE.

POSSVNT combuſtiones lædere corpora diuerſimode, & etiam membra diuerſa: quare debent Medici diligenter combuſtionum diuerſitates curare, iuxta patientum varietatem, idq; non ſolū ætatis reſpectu, verumetiam ſexus, exercitij, & habitudinis corporis, necnon diuerſitatis membrorum: nam facies in cicatrizando, quàm diligentiſſimè poterit fieri, ad maximam ęqualitatem, & naturalē paritatem reduci debet: & manus ita diſponi, ne motus arbitrarij impediti relinquātur: & ſicut in quibuſdam pueris obſeruaui, ne digiti ſimul adhærentes, aut diſtorti remaneant. Sit ergo hæc primaria intentio. Secunda ſit in ſedatione dolorū, ſunt.n.accidentia hæc nimis moleſta: & ob id Galenus dicebat, quòd quotieſcunq; paſſiones diuerſæ complicatæ ſunt, cura principalis ad illam conuertenda eſt, quæ maiorem ruinam, & damnum minatur. Tertia verò ſit in eſcharis auferendis. Et quarta in curandis vlceribus, prout eorum neceſſitas poſtulabit. Vt autem prima exequatur intentio, probat Paulus applicari totum ouū benè quaſſatum, aut atramentum, quo ſcriptores vtuntur, aut olibanum in aqua limpida liquefactū, aut lentes coctæ, & contuſæ. ſuntq; medicamenta hæc commendata ab Aetio, & ab Auicenna, qui cùm curam aduſtionū ab igne genitarum pertractat, pro prima intentione vnguentum quoddā probat, quod ex oleo roſato, & vitellis ouorū conficitur, vel bolum Armenū cum aceto. Inquit Raſis, quòd ſi fortiſſimus dolor adfuerit, tunc vitelli ouorū cum oleo roſato quaſſati, & agitati applicandi erunt: ſi verò dolor vehemens non fuerit, emplaſtrum cum lentibus decoctis, contuſis, & excorticatis, ceruſſa, & aceto paretur. Eſt etiā aliud medicamentum Auicennæ ex oleo roſato, & cera q.ſ. addendo calcem optimè lotam, ceruſſam, albumen oui, lac, & modicum opij. Eſt pariter emplaſtrum Auicennę mirabile ex endiuia, farina hordei, albumine oui, & oleo roſato. ego autē pluries hoc medicamentū expertus ſum. ℞.olei roſati crudi ℥.vj. ceræ ℥.iij. totum liquefiat in vaſe aheneo ad ignem, cui adde calcis viuę ſepties lotę ℥.ij. ceruſſæ, litargirij argentei aā. ℥.i.ſ. albuminū oui nu.ij. lactis muliebris ℥.ij. opij.ʒ.s. & fiat vnguentum. Cùm verò remiſsi fuerint dolores, ſi eſcharæ fuerint adhærentes, itaut non ſeparentur, opus tunc eſt adhibere medicamenta, quę habent vim emolliendi, & putrefaciendi; ſunt.n.aliquando nimis profundæ, & ob id probant Medici ea medicamenta, quæ ſaniē generant. quapropter à multis laudatur vitellum oui cum oleo roſato; & ab alijs butirum cum melle, aut malua decocta, & contuſa cum axungia porcina, & melle, Auicenna autem ſolo butiro vtitur. Cùm verò cruſtulæ ceciderint, non erit extra rem aliquo leui mundificante vlcera abſtergere, quod hoc modo parari poterit. ℞. ſucci plantaginis, apij, aā ℥.j. ſy roſati ſimpl. ℥.ij. farinę hordei, olibani aā. ℥.j.ſ. vitelli oui nu. 1. cerę q.ſ. ad reformandum vnguentum tenue. &, ſicut ait Celſus, vlcere mundificato, & purificato, pro illius repletione prædictum medicamentū, quo ſæpius vti conſueui, erit mirabile, vel aliud ſimile. inquit Scribonius in libro de compoſitione medicamentorum, deſcriptione 221. Emplaſtrum in aduſtionibus mirabilis eſt operationis, quo, poſt multorum experientiam, nullum melius adinueni; nam quàmprimū læſæ parti applicatum fuerit, ſtatim dolorem demulcet, & ſucceſſiuè in totū aufert, & quàm citiſſimè vlcera ſanat. ℞. ſpumæ argenti, adipis porcini purgati, ceræ albæ aā. ℥.vj. vitellorum ouorum aſſatorum nu. vj. liquefiat cera cum adipe, & ſinatur refrigerari, poſtea adde litargirium puluerizatum, & oua contuſa, & confice medicamentum. Multa alia remedia ab antiquis probata adducere poſſem, prę ſertim à Celſo, pro huiuſcemodi vlcerum curatione: ſed quia multa ex illis mihi non ſatisfaciunt; quia vel ſunt nimis fortia, vel nimis longæ compoſitionis. & quia etiam ſatis abundè de his dictum eſt à nobis ſuperius, ſilentio hęc præteribo. Hoc vnum monebo, quòd cum leuis aliqua cōbuſtio in facie occurrerit, vt optima, & ęqualis inducatur cicatrix, erit hoc admirabile remedium, nempe accipiendo porcinam axungiam, & ad aſſandum ponatur in veru, & fac, vt guttulæ in vaſe, in quo ſit vinum album, recipiantur: cū verò refrigeratum fuerit, colligito pinguedinem, cui ceruſſam, litargirium argenteum, & modico camphorę addito, & fac vnguentum tenue, vel vnguento ex pomo citri confecto vtere.

ADDITIO.

ESt etiã aliud remediũ mirabile, quo vti ſolitus ſum. ℞. olei roſati ℥. vj. vitellorum ouorũ nu.ij. vitri albi ſubtiliter.pul.℥.i.ſ. cerę albæ. ʒ.j. corticis mediani ſambuci m. 1. bulliant ſimul, & poſtea colentur: Huic autem medicamento in combuſtionibus nullum ſimile reperiri poſſe, certò ſcias. Omniũ Medicorum ſententia eſt, quòd in combuſtionibus, vt omnino prohibeatur, ne veſicæ oriantur, oportet remedia valde frigida adhibere, à quibus duæ profectò operationes emanãt. Prima eſt, repercuſſio fluxionum, & prohibitio, ne fluant materiæ ad locũ iam inflammatũ, & doloroſum. Secunda eſt, inflammationem auferre, & dolores ſedare: tamen videmus multoties per huiuſmodi medicamentorum applicationem dolores augeri. Hoc autem euenit, quia à frigiditate exteriori poroſitates clauduntur, & calor intus concluditur, & cum in ſuis actionibus magis vigoretur, maiores etiam dolores cauſſantur.

De morſu canis rabidi.

Cel. lib. 5. c. 27.
Dioſc. lib. 7. c. 1
Gal. in ſuo Anti. lib. 2. ad Cęſ. cap 10.
Aet. de comp. med.
Auic. 6. 4. tra. 4. cap. 5.
Raſis 8. ad Almanſ. cap. 10.
Aet. lib. 6. c. 24.
Pau. lib. 5. c. 3.

MISERABILIS, & periculoſa eſt ea paſſio, quæ à canum inſanorũ, & rabidorum morſu oritur. Miſerabilem appello, quia, teſte Celſo, lib. 5. cap. 27. lęſi ſiti pereũt, & aquas odio proſequuntur: Periculoſam verò dico, quia, auctore Dioſcoride in lib. 7. cap. 1. quamuis vulnus paruum, & cutaneum ſit, tamen ſi remedia pręſentanea non ſint, incidit patiens in timorem aquæ, quam paſſionem Græci hydrophlogiam, & hidrophlobogiam nuncupant, & in prædicta miſeria pereunt. Inquit Dioſcorides, cuius hiſtoriam omnes alij Medici recenſent, Galenus in ſuo Antidotario lib. 2. ad Cęſarem. & in libro de Theriacha. cap. 6. Aetius lib. 6. cap. 24. Paulus lib. 5. cap. 3. Raſis in 8. ad Almanſorem cap. 10. Actuarius de compoſitione medicamentorũ. Auicenna in 6. 4. tract. 4. cap. 5. quòd in hac forti, atq; terribili paſſione, quia canis eſt animal domeſticum, atq; homini familiariſſimum; & quia ſępè rabidus fit, ob id difficulter ab ipſo cauere poſſumus; & læſiones, quæ ab eo fiunt, valde periculoſæ, & quandoq; ineuitabiles fiunt. Et eius rabies alia non eſt, quàm ſuæ cõplexionis permutatio in malignam, & venenoſam malitiam. Hæc autem conuerſio, vel ab aere, vel à cibis corruptis, vel à potus inopia originem ducit. Ab aere rabies hæc oritur, teſte Auicenna, quando in temporibus maximè calidis humores in cane aduruntur. & ob id, iuxta Aetij ſententiam, in Autumno fit inſanus, & rabidus: aut cum in maximis frigoribus, & algoribus in eo humiditates congelantur, & præſertim ſanguis ipſe, ducendo ipſum ad nigredinem, & ad atrę bilis naturam: quapropter Vere aduenien te rabidus efficitur. Hanc etiam rabiem generant cibaria, ſicuti quando canis occiſorum ſanguinem lambit, aut corporum mortuorũ, ac putridorum carnes deuorat, aut aquas putridas ſorbet, & ſic melancholia putrida totus repletur. Dignoſcuntur autem canes, quando ſunt rabidi, ex hoc, quòd cibum & potum aſpernunt: & licèt ſitim patiantur, aquas tamen odio habent; ita vt cum illam viderint, vel ei obuiam iuerint, timent, tremunt, & horrent: hoc autem, teſte Paulo, fit, quia in eis partes omnes à veneno obſeſſæ ſunt. Alij verò aſſerunt, eos aquas timere ob maximam eorum ſiccitatem, cũ eorum acquiſitæ complexioni ſit aqua penitus contraria, & aduerſa: anhelant fortiter, aures demiſſas tenent, & decliues: ſunt ferè in totum taciti, & muti: & extra os tenent aſſiduè linguam, maximam ſpumoſę ſaliuæ copiam emittentes: nunqam quieſcunt, ſed veluti dementes huc & illuc feruntur: ita vt neq; proprios dominos, neq; familiares, aut domeſticos agnoſcant: ſine latratu, aut alio rumore homines inuadunt, & beſtias: raró latrant, & eorum vox rauca efficitur: & ſi aliquando latrare audiuntur, cæteri canes ab eis aufugiunt. Sunt quoq; læſiones huiuſcemodi à proprijs patientum operationibus permutatis, vel corruptis manifeſtæ. Nam, ſicuti dicebat Dioſcorides, ipſi quoq; rabidi efficiuntur, & quandoq; in primis diebus vulnus tantum cum nullo, aut paruo dolore apparet: poſt hæc corruptæ cogitationes manifeſtantur, promptitudines ád iram, murmurationes, & clamores: irrequiſiti reſpondẽt, aut extra propoſitum loquuntur: lucem odio habent, eorum facies inflammatur, & oculi eorum rubicundi fiunt: ſingultus, & ſitim inextinguibilem patiuntur: nihilominus aquam timent, & continuò eam cupiunt: quietem non inueniunt, imò conuelluntur, & quandoq; more canum latrant; poſtremò maxima ira commoti cæteros homines mordent, qui etiam poſtmodum rabidi efficiuntur. Paulus, doctrinæ Oribaſij inhęrens, quædam experimenta docet, vt verè dignoſci poſſit, an paſſio rabida ſit, nec ne. Hoc autem vnum eſt, quod etiam Aetius, Raſis, Auicenna, & alij probant, vt accipiatur nux, quę per horam continuam, ſuper ipſum vulnus applicetur, & contineatur, ita ut ſtrictè ſuper vulnus alligetur, & poſtea gallinis exhibeatur: quam ſi manducauerint, ſcies nocumentum non eſſe venenoſum: ſi verò illam recuſauerint, tunc tutus eris, quòd nocumentum à rabido cane proueniet. Idem quoq; continget, ſi vulneri fruſtrum panis alligaueris; aut cum eodem pane virulentiam, aut aliam quamuis humiditatem, à vulnere emanantem, abſterges, illumq; gallinis in cibum dederis, aut alteri cuilibet animali: ex cuius morte certo ſcies nocumentum illud venenoſum eſſe. Cenſentq; Medici omnes, quòd hæc, vel alia huiuſmodi experimenta in principio morbi fiant. Nam, teſte Dioſcoride, & alijs, nocumenta hęc quandoq; manifeſta non fiunt, niſi poſt ſeptimam diẽ, aut decimaquartã, aut vigeſimãprimã, aut vigeſimãquartã, aut poſt annum. &, vt multi aſſerunt, etiam poſt ſeptimũ annum; quapropter tempora hæc

expe-

expectanda non ſunt: ſed ſtatim cum opportunis remedijs ſuccurrendum eſt. Communis eſt omnium Medicorum ſententia, quòd raró patientes illi curentur, qui ad hydrophlobogiam, hoc eſt ad aquæ timorem, & aliarum rerum humidarum odium peruenerint: cùm eorum complexio omnino in naturam venenoſam, & in ſiccam habitudinem conuerſa ſit, & humoribus melancholicis corruptis repleta ſit. Quod omnino verum eſſe, multis exemplis, & experimentis Dioſcorides, & Aetius teſtantur, aſſerentes, quòd multi hac paſsione affecti ante huiuſmodi timorem ſeruati ſunt.

DE CVRATIONE.

QVONIAM paſſio hæc à cauſis extrinſecis prouenit, & oritur, & à venenoſo dente imprimitur, qui locum vulneratum immediatè lædit, & poſtea venenum ſerpendo totũ corpus occupat, patientiſq; complexionem ſuæ venenoſæ, & mortiferæ æqualem reddit; ita vt, teſte Auicenna, alteretur, ſicuti in leproſis euenit. Ideò prima operatio in hac curatione erit, locum affectum corrigere, & venenoſam cauſſam abſumere, quæ in loco illo reperitur. Quapropter Dioſcorides lib. 7. in proæmio, & Galenus in libro de Theriaca ad Cæſarem. cap. 6. dicebant, quòd venena bibita aſſiduis vomitibus conſumuntur: ea verò, quæ à dente imprimuntur, ſcarificatione, & cucurbitularum applicatione tolluntur: necnon medicamentis acribus, cauterizatione carnis, & quandoq; totius membri amputatione. Et huius nocumenti particularem curam pertractans Dioſcorides, in lib. 7. cap. 2. aſſerit, non magis timenda eſſe magna vulnera, quàm parua; ſic quoque magis magnas ſcarificationes, quàm paruas: nam à magnis vulneribus maior ſanguinis alterati, ac venenoſi copia effluit. quapropter affectũ locum profundis ſcarificationibus ſcarificare opus eſt, vt totum venenum exire poſſit, neq; in aliqua parte cõtineatur: poſthęc ſuper ſcarificatione cucurbitulæ applicandæ ſunt, cum multa flamma, vt ſint in attractione potentiores. Idem quoq; Celſus in libro 5. cap. 27. aſſerebat, inquiens, quòd ſi nocumentum à Cane rabido productum fuerit, ſtatim venenum virulentum cucurbitulis extrahere oportet: poſtea verò, ſi locus affectus neruis, venis, & muſculorum capitibus priuatus fuerit, igne cauterizandus erit. Dioſcorides in lib. 7. cap. 3. vſtionem quàm maximè commendabat, hæc autem eſt, actuale cauterium, quod quidem præſtantiſſimum eſt remedium contra virulenta, & venenoſa nocumenta. Nam ignis in virtute, & potentia cæteras omnes operationes excellit; nam venenum abſumit, malam loci affecti intemperiem corrigit, & nocumentum vlterius produci non permittit. Probant Aetius, Paulus, Auicenna, & omnes alij Medici has duas operationes in principio morſus. & inquit Auicenna, quòd cauterij attractio in veneno corruptionem non producit, ſicuti alia attractiua medicamenta efficiunt. Et licèt ſint pręſtantiſſima remedia, nihilominus dicebat Dioſcorides (quod pariter à Galeno in libro de ſectis, textu & commento. 8. & 15. & ab alijs comprobatũ eſt) quòd, poſtquàm eſcharæ à cauterio ceciderint, non oportet permittere, vt cicatrices in vlceribus inducantur, niſi ad prefixum, & determinatum tempus, quod ex Dioſcoridis, & Galeni ſententia vſq; ad quadrageſimum diem produci intelligitur. Nec timendum tibi eſt, dicebat Dioſcorides, ſi vlcera vſq; ad tempus illud virulenta, & inflammata fuerint. & ob id dixit Auicenna in 6. 4. tract. 4. cap. 9. Non opus eſt, vt vlcera in principio conſolidentur, ſed dilatanda ſunt, & ſuper illa cucurbitulæ applicandę ſunt, & vlcus apertum manere minus 40. diebus non poteſt, & ſecundùm Paulum, 42. apud Aetium verò 60. Et ſi euenerit, iuxta omnium Medicorum placita, quòd vulnus concluſum fuerit, opus erit ipſum aperire, & apertum ſeruare, eiq; iuxta doctrinam Dioſcoridis, ſalſamentum quoddam ſuperimponere, quod ex allio ſilueſtri contuſo fit, & ab eodem in lib. 2. cap. 169. ſcorodon vocatur: quod aduerſus venena, & animalium venenoſorum morſus mirabile, & efficaciſſimum eſt: aut ex cæpis, quæ, ipſo in lib. 7. cap. 168. teſte, multum proſunt canum morſibus, ſi cum aceto, ruta, & melle terantur. Idem Dioſcorides triticum manſum, & erucam ſatis ſuperq; commendat. & Aetius panem cum ſale laudat, maximè verò radicem acutæ rumicis, quæ oxylapatum, vel vulgo lapatium acutum nuncupatur, probat. Eſt verò verecunda, & periculoſa vulnerum venenoſorum curatio, teſte Commentatore Alexandrino in libro de ſectis. commento 15. ante determinatum, & ſuſpectum tempus: ſcribitq; multos ob talem curationem perijſſe, & ob id omnes Medici, & Galenus in 2. de Antidotis. multa acria medicamenta recenſent: & quæ attrahendi vim habent: conferunt autem, quia vulnus apertum manere faciunt. Medicamentum Galeni. x1. de ſimplici medicina. cap. 27. & in 2. de Antidotis. & in lib. de ſecretis ad morsũ canis rabidi, quo vſus eſt Eſchiron, & quod probatur à Paulo, hoc eſt. ℞. aceti acris ℥. vi. picis liquidæ ℥. iiij. opoponacis ℥. i. s. maceretur opoponax in aceto, & fiat medicamentum. Auicenna remedium hoc mirificè probat, ſubdens; Forſan tibi ſufficiet alliũ, cæpa, eruca, & alia huiuſmodi medicamẽta, quæ à ruſticis pro tutiſſimo experimento in vſu habentur. Hæ ſunt operationes, quę in primis diebus celebrandæ ſunt. Quo tẽpore, dicebat Auicenna, neceſſariũ eſſe, ipſum ægrotantẽ, aut per vim motus, aut per balneũ ſudare, quæ fuit etiã antiquorũ opinio. Dioſcorides ipſos ante, & poſt cibũ ſudare iubet. Celſus verò dicebat aliquos poſt morsũ canis rabidi conſueuiſſe ipſos ęgros balneo immittere, permittentes eos vſq; ad laſſitudinẽ ſudare, vulneribus apertis, & detectis manentibus, vt veneni virus facilius effluere poſſet: Cũ verò à balneo exibant, eos optimo, & puro vino nutriebant. quod, teſte Celſo, omnibus canonibus omnino contrariũ eſt. Auicenna dicebat, Medicũ non oportere in primis diebus circa euacuationem ſollicitũ eſſe, ſed tantum materias ad partes externas attrahere debere: nã euacuationes ipſę multoties in

Dioſco. lib. 7. in proœm. Gal. lib. de theriac. ad Cæſ. c. 6.

Dioſco. lib. 7. cap. 2.

Cel. lib. 5. cap. 27.

Dioſco. lib. 7. cap. 3.

Auic. 6. 4. tract. 4. cap. 9.

Gal. 11. de ſimp. med. cap. 27. & 2. de Antid. & lib. de ſecre. ad mor. can. rab.

cauſa eſſe ſolent, quòd venenũ à circumferentia ad centrũ penetret, & feratur ad partes internas vnà cũ humoribus alijs,qui educendi eſſent . Cùm verò poſt duos, aut tres dies cũ medicamentis, vel alio auxi lio optime, iuxta vires, attraxeris:tunc ſi aliquã materię portionẽ penetraſſe dubitaueris, poteris eã eua cuare.Quòd ſi euenerit,inquit Auicenna, ꝙ ob aliquã cauſsã fortis attractio facta nõ fuerit , tũc ſtatim euacuatio fortis neceſſaria erit, nẽpe vt humores ipſi melãcholici, & venenoſi educãtur.Et ob id, cũ fue rit neceſſaria euacuatio per pharmacũ , laudantur à Medicis catartica, ex elleboro cõpoſita . Et inquit Dioſcorides,nobis tutò licere,non ſemel,atq; iterum, ſed ſæpius vſq; ad 40. diẽ elleboriſmis vti , quæ ſunt medicamenta ex elleboro cõpoſita,ſubdẽs in hoc remedio tantã reperiri fiduciam,ꝙ multi læſi,qui iã ad aquę timorẽ peruenerant,ſumpto elleboro,ſeruati ſunt. Et Paulus dicebat , ꝙ omniũ euacuationũ efficacior illa eſt, quæ ex elleboro componitur . Et ob id cẽſebat Auicenna,ꝙ catarticũ eſt illud,quod melancholiã purgat,ſicut eſt elleborũ,vel pillulæ,quę ex elleboro cõponuntur . Aliqui vero pillulas de tribus Ruffi,ex myrrha,croco, & aloe confectas, & cũ cortice radicis ellebori nigri vigoratas, exhibent: quæ aduersùs venena mirificè probantur. Dioſcorides quoq; teſtatur euacuationes eſſe maximi iuua- menti,& quòd vnà cũ euacuatione, vim veneni corrigere oportet.quapropter in hiſce cõbinatis opera- tionibus hierã diacolocinthidos probat:quia verò valde amara eſt, lac ſciſſile addit. Celſus dicebat, ꝙ ſi medicamentũ ſua amaritudine ægrotũ lędit, ipſum mel addere poteris . Paulus verò monebat , ꝙ ante aquę timorẽ fieret purgatio cũ hyera,addito lacte ſciſſili. Auicenna autẽ hyerã Ruffi mirabilẽ eſſe dixit , cuius ʒ.j.cũ vino optimo exhibetur:Quantùm verò attinet ad euacuationẽ, quæ fit per ſanguinis miſſio nẽ,nullũ de ea verbũ fecit Dioſcorides:Celſus verò cenſuit ,ꝙ cũ vulnera in principio cauterizari nõ po terunt,ſanguinẽ ex vena detrahere nõ erit inconueniẽs.Ob id Auicenna dicebat ; Si in principio magna plenitudo apparuerit, fac phlobotomiã; aliter,hoc eſt, ſi non fueris in principio , vel corpus valde re- pletũ non inueneris , noli phlobotomiã facere. Cùm verò phlobotomaueris, dicit Auicenna, noli per- mittere ægrotanti, vt ſuũ ſanguinẽ inſpiciat.& cũ phlobotomiã facis ,caue, ne materia à partibus exter- nis ad cordis regionẽ ducatur;& propterea venã vulneri quã maxime propinquã ſecabis. Quò verò ad motũ, & quietẽ, inquit Raſis,ꝙ tranſactis tribus diebus ęgrotans nullo pacto laborare debet; tunc.n.ve nenũ per vniuerſũ corpus diffuſũ eſt. Quieſcat ergo,ſitq; lęto animo,& horis ſuis conſuetis dormiat, &, vt inquit Auicenna, caueat à frigore; eſt enim huiuſmodi paſſionibus valde inimicũ, & noxiũ.Quod ve-

Dioſc. li. 7.c 4.

rò ad cibũ,& potũ attinet,omnes Medici cũ Dioſcoride concordant, qui ait lib.7.cap.4.ꝙ eorũ victus ra tio huiuſmodi eſſe debet, vt vno, eodemq; tẽpore, contraria ſit veneno, & eius malitiã obtundat , eiuſq; penetrationi obſtet, ob idq; alliũ,porrũ,cæpas,& alia cibaria acuta, acetoſa, & valde aromatica cõmen- dat.pro potu probat vinũ merũ,& purũ, laudat quoq; lac, & paſſum, nẽpe vinũ coctũ, aut dulce . Pau- lus vinũ vetus, purũ,& dulce exhibet. Celſus vinũ dari merũ iubet; eſt.n.omnibus venenis valde cõtra- riũ,& inimicũ.Eundẽ ordinẽ ſeruat Auicẽna, aſſerens,quòd alliũ,cæpæ,& ſimilia cibaria ſunt medicinæ, & cibi,qui venenis optimè reſiſtunt,illaq; ex corpore expellunt,quando ægrotus ab eorũ vſu non impe ditur . Quòd ſi euenerit, ꝙ patiens hæc cibaria renuat, cùm multi alliũ, & cępas abhorreãt , iuxta Aui- cennæ ſententiã,theriachã magnã exhibeto, & medicamenta ex cancris fluuialibus,cancroſq; in cibũ ex hibeto.Probant quoq; Medici theriacam,diateſſaron, mitridatũ, & inter ſimplicia medicamẽnta gentia nã,chamedriũ, nigellã, abſinthiũ, poliũ, bolum Armenũ,& terram Lemniã. & hoc eſt regimen victus , quod in primis diebus obſeruari debet, vt præſeruetur æger à veneno,& à timore aquę: Quibus primis diebus elapſis,forſan ratio victus tantę caliditatis non erit conueniens;nã facillimè in ipſo ęgroto calor febrilis accenderetur, qui potens eſſet ipsũ cor inflãmare,& ad eã partẽ venenũ attrahere.&, ſicut ex lõ ga Medicorũ doctrina conſtat, in venenoſis paſſionibus multũ ea conferunt, quæ frigiditate , & ſiccita-

Raſis 8. ad Al- manſ. cap. 10.

te veneno obſtant, & cor ipſum defendunt, & ob id forſan Raſis 8.ad Almans.cap. 10.iubebat,ꝙ aliquot diebus tranſactis,æger in loco frigido quietus teneretur, eiq; in potu daretur vinũ cũ multa aqua , & la- cte, præcipiens,ꝙ carne,& melle nutriatur,& impinguetur, ne exſiccetur.vultq; ꝙ totus oleo roſato inũ gatur, & ꝙ exemata ex aqua hordeacea , ſucco pſillij, portulacæ,& oleo roſato ei imponantur. & iubet, ꝙ tale regimen ſimile ſit illi, quod melancholicis exhiberi ſolet . Iubebat quoq; Auicenna, ꝙ facta eua- cuatione cũ catarticis, ægroti auibus, & pullis pinguibus alerentur, exhibito vino,dulci, veteri,& lacte , nec non auiũ montanarũ iuſculis,& alijs cibis humidis.& Aetius lib.6.cap.24.qui mirabiliter hanc cura-

Aetius lib.6.ca. 24.

tionẽ pertractauit,inquit,ꝙ in ratione cibandi indigentia,& repletio vitandæ ſunt, ſed multò magis in- digentia, hęc autẽ eſt valde tenuis diæta ; nã hæc in humoribus malignitatẽ multiplicat, quod in vlceri- bus malignis minimè conuenit; quare opus eſt alimentũ moderari,qđ ſit facile ad concoquendũ, & ad corpus alendũ, cũ magna ſucci nutritiui quantitate, qui quotidie alui excrementa moueat, & pariter lo tiũ educat.& propterea Auicenna cibaria diuretica, ſubtiliatiua, ac vrinã potenter prouocantia, dari præ cipiebat, ſic quoq; conſentientibus Dioſcoride, & Celſo. Pro hac etiam operatione probabat Aetius radicẽ lapathi , feniculi, aſparagi, & braſsicæ:laudabat pariter piſces mollis carnis, cuiuſmodi ſunt gam- mari, cancri, echini recentes, cũ vino, & melle . Inter carnes verò, partes extremas animaliũ, omnes aues montanas boni ſucci, & facilis coctionis, cũ vino tenui, albo, & non admodũ veteri. Inſuper vult Aetius, neceſſariã eſſe per multos annos præſeruationẽ, viuendo in timore: quolibet autẽ anno, appropinquan- te tẽpore nocumenti, facienda eſt euacuatio cum hyera,& quandoq; theriaca ipſa vtendum eſt.Hoc au

tem

tẽ totum eſt, quod Medici de hac tędioſa, & moleſta curatione, ante aquę timorem locuti ſunt. Cùm verò euenerit, ꝙ ęgrotus in hydrophlobogiã incurrat, & omnia humida timeat, &, vt ait Celſus, aquas fugiat, & ſiti crucietur, tunc ſpes ſalutis dubia eſt. de his autẽ ſermonẽ faciens Dioſcorides, inquit, ꝙ Eudemus, de quo ſepius mentionẽ fecit Galenùs, vnicum tantùm liberauit ab hoc morbo, dicitq; ꝙ Themiſon aliquos curatos vidiſſe affirmat: neq; curationis poſſibilitatẽ negat Dioſcorides lib. 7. cap. 1. ſed tantùm morbum hunc moleſtũ, & periculoſum eſſe, proteſtatur, quod etiã ab alijs Medicis omnibus cõprobatũ eſt. Et Celſus dicit huic affectui vnicum tantùm remedium reperiri: hoc autem eſt, vt patiens ex improuiſo in aquam proijciatur, & taliter alligetur, vt ſi natare ignorauerit, poſſit modò ſubmergi, vt multũ bibat, & modò ex aqua extrahi: ſi verò æger natandi artem calluerit, tandiu in aqua detinendus erit, donec inuitus multum bibat, & ſaturetur. nã hoc auxilio, inquit Celſus, vno & eodẽ tẽpore perdet ſitim, & aquæ timorẽ. Hoc autẽ verũ eſt, quòd in hac operatione ſuboritur timor, ne corpus patiens ex timore, & aquæ frigiditate, conuulſionẽ incurrat. vt autẽ ab hoc periculo tutus ſeruetur, inquit Celſus, ꝙ quàm primũ ex aqua exierit, oportet, vt in oleũ calidũ immittatur, hoc autẽ experimentum apud alios Medicos non inuenio: ſed vtiq; reperio antidotũ à Dioſcoride poſitum, quod ab omnibus alijs ſcriptoribus, & veteribus Medicis, à Gal. in 2. de Antidotis. & in xi. de ſimpl. cap. 27. Aetius in 6. cap. 24. Paulus in 5. cap. 3. Actuarius in lib. de cõpoſ. medicam. Raſis in 8. ad Alm. ca. x. cõprobatũ eſt, ponitq; illud in lib. 7. cap. 2. & in lib. 2. cap. 12. vbi de cancris ſermonẽ habet, inquiens hoc eſſe particulare, & peculiare remediũ ad morſũ canis rabidi, quando ęgrotans iã hydrophlogus, hoc eſt aquæ timidus, factus eſt. vocatq; illud antidotũ ex cancris fluuialibus, & hoc modo paratur. ℞. cancros fluuiatiles, eoſq; cũ lignis vitis albæ cõbure, & ſerua cinerẽ, eamq; in ſubtiliſſimũ puluerẽ redige, ſumito quoq; puluerẽ ſubtiliſſimũ radicis gentianæ benè cribratũ; & cùm medicamentũ cõponere volueris, accipito pulueris cãcrorũ duo cochlearia, & vnũ pulueris Gẽtianæ, & vini optimi cyathos quatuor, & miſce, & hunc potũ in mane in quatuor vicibus patienti exhibe. ꝙ ſi antidotũ citò ſumere incæperit, quantitas hæc ſufficiens erit: ſi verò duo, aut tres dies elapſi fuerint, opus erit quantitatẽ triplicare. & aſſerit Dioſcorides, hoc medicamentũ adeò præſtans eſſe, vt vnica potio multis ſatisfecerit: quapropter cũ maxima fiducia eo vti opus eſt, neq; prohibet hoc medicamentũ, ꝙ pro tanti periculi cautione nõ poſſint etiã alia in vſu haberi, & ſeruari; nã multò melius eſt medicamentorũ multitudinẽ ferre, quàm ob negligentiã ad necẽ tendere. Galenus in 2. de antidotis. medicamentũ hoc Democriti fuiſſe, teſtatũ reliquit, aſſerens inſuper, ꝙ Niceratus medicus, eo, tanquã medicamento probato, in amicorũ curatione sẽper vtebatur. laudatq; Galenus hoc ipſum medicamentũ iuxtà Dioſcoridis doctrinã ſic cõpoſitũ, abſq; vlla diuerſitate; ſubdens multos Medicos laudare, ꝙ patienti per viginti duos dies continuós drachma ſemis pulueris gentianę cũ vino exhibeatur. quod etiã ab Actuario ſcribitur, nec non à Paulo, qui multos huic antidoto perdicũ ſanguinẽ addere teſtatur. Aetius hoc idẽ antidotum deſcribit, ſed alio modo, cõpoſitioniſq; modũ à Galeno in xi. de ſimplici medicina cap. 27. deſumpſit: qui de huiuſmodi antidoto verba faciens ſecundũ vſum Eſchironis Empirici, eius conciuis, & præceptoris, ſenioris, & in medicamentis valde experti, inquit, ꝙ Eſchiron pro hoc faciendo medicamento frixorium rubicundi ęris tenebat, in quo cancros viuos ad ignẽ ponebat, eoſq; aſſabat, quouſq; in ſubtiliſſimum puluerẽ reducere poſſet, quem vſui continuo reſeruabat: aſſeritq; ipſum Eſchironẽ hunc puluerẽ in diebus canicularibus, Sole exiſtente in ſigno Leonis, præparare conſueuiſſe, ipſumq; ſolũ in aqua ad cochlearis menſurã per quadraginta dies continuos ad rabidi canis morſum exhibuiſſe. ꝙ ſi in primis diebus ęgroti ad eius manus non perueniſſent, tunc quotidie eis duo cochlearia eiuſdem pulueris in potu exhibebat; ſuper vulnus autẽ cerotum hoc imponebat, nẽpe ℞. picis lib. j. opopanacis. ℥. iij. aceti fortiſſimi lib. j. s. dicitq; Galenus ſe hanc hiſtoriam recitaſſe; quia multum in hoc medicamento confidebat. nullus. n. eorum, qui eo vſi ſunt, vnquã perijt. exiſtimatq; idem Galenus, quòd cancri fluuiatiles hoc eorum occulta proprietate operentur, à qua effectus hic mirabilis prouenit. & licèt hoc ex ſe medicamentum huiuſmodi operetur, quando ſolum applicatur: tamẽ multò efficacius eſſe ſolet, quãdo gentianæ, & olibano miſcetur, ſumendo ſcilicet olibani partem vnam, gentianę partes quinq;, & cineris cancrorum partes decem. Et ego quidẽ (aſſerit Galenus) nunquã medicamento hoc vſus ſum, niſi ſecundùm formã, & rationẽ ab Eſchirone traditã. Quapropter Aetius lib. 6. cap. 24. & lib. 2. cap. 175. dicebat, fieri medicamentum quoddã, antidotum ex cancris appellatum hoc modo. Vrantur cancri fluuiatiles magni, & viui in vaſe æreo rubicundo in mẽſe Auguſti, 18. die mẽſis, ad ignem ex lignis vitis confectũ, & eius pulueris ſume ℥. 10. pulueris gentianæ ℥. 5. pul. olibani ℥. j. omnia miſce, & patienti per 40. dies cochlear vnum eius cum aqua exhibetos, dummodo curatio in primis diebus incipiatur, aliàs verò menſuram duplicato. Aſſeritq; idem Aetius, quòd ſola puluis cancrorum vſtorum ad morſum canis rabidi valde efficax eſt. Componebat autem Raſis in 8. ad Almanſorẽ cap. x. hoc antidotũ ex mente Galeni, ex partibus decẽ pulueris cancrorum fluuiatilium in clibano vſtorum, & vnica parte olibani, gentiana nullo pacto adiuncta. Auicenna verò diuerſimodè hoc medicamentum ſecundùm duas deſcriptiones ordinat, inquitq; non eſſe exhibendum in primis diebus antidotum ex cancris, niſi cum aquæ timor aduenerit. laudat inſuper Auicenna pro vrinę vijs aperiendis trociſcos ex cantharidibus ad pondus drachmæ vnius, cum aqua tepida, multaq; alia antidota probat iuxta varias compoſitiones: ſed ante omnia theriacã magnã ad fabę Aegyptiacæ quan

Lib. 7. cap. 1.

Gal. in 2. de Antid. 11. de ſimp. cap. 27. Aetius in 6. ca. 24. Paulus in 5. c. 3. Actuarius lib. de comp. medi. Raſis 8. ad Almanſ. cap. 10. Et lib. 7. cap. 2. & lib. 2. cap. 12.

Gal. 2. de antid.

Gal. 11. de ſimp. med. cap. 27.

Aetius lib. 6. ca. 24. & lib. 2. cap. 175.

Ra. 8. ad Alm. cap. 10.

titatem cōmēdat, quam etiam Galenus, Aetius, Paulus, & omnes alij Medici celeberrimi extollunt: Aetius vero quoniã omnes rabie affecti, (vt etiam aſſerebat Gal.) ſiti, & ſomno cruciantur: vt in eis ſomnum induceret, mane antidotũ ex cancris exhibebat, veſpere autē antidotum ex nucibus. quod hoc modo pręparatur, ℞. Sagapeni, opij Thebaici añ. ʒ.ij. croci. ℈.s. licij ℈.ij.s. pulpæ nucum iuglandum, hoc eſt cõmunium, non multum vetuſtarum ʒ.40. & fiat mixtura, ex qua ʒ.j. cum aqua pluuiali calida in nocte patienti propinato. Et quia nimis tędioſa eſſet hæc digreſsio, ſi vellē tot generoſa remedia localia, & tot glorioſa antidota, à Galeno, Aetio, & alijs deſcripta, recenſere; negotium Medicis illis, qui eis indigebunt, relinquam, vt ea in locis pręallegatis requirant.

ADDITIO.

QVIA priſci Medici in cura diuerſorum morborũ ſub diuerſis formis quibuſdam animalibus aquatilibus vti conſueuerunt, quæ non minus in aquis dulcibus, & fluuiatilibus, quàm in marinis, & ſalſis vitam degunt, quæ cancri appellantur, animalia quidē deformia, & ridicula, de illis hoc loco mentionem facere opportunũ erit: nec tædioſus forſan erit ſermo iſte, licèt ſit de animali turpi, & valde vili; cum apud Medicos valde celeber ſit, & in eius operatione vita, & ſalus multorum hominum conſiſtat. Quoniam verò multi decipiuntur, exiſtimantes gammarum, ſeu gambarum in fluuijs naſcentem, & degentem, animal illud eſſe, toties à Medicis citatum, & vſitatum ſub cancri fluuiatilis nomine, ſicuti à Galeno in 4. Catageni ad Cancorſim. ab Aetio lib. 16. cap. 47. à Paulo lib. 6. cap. 26. ab Auicenna in 3.4. tract. 2. cap. 18. in carcinomatis, ſeu cancri exulcerati curatione, & in cura morſus rabidi canis à Dioſcoride, Galeno, Aetio, & alijs omnibus, & in vlceribus pulmonis, quæ paſſio phthiſis appellatur, à Gal. & Aetio lib. 8. cap. 67. & ab Auicēna in 10.3. tract. 5. cap. 6. & in alijs morbis. ſuntq; moti ad credendum, quòd gambari ſint cancri fluuiatiles ex hoc, quòd non vident alios cancros in fluminibus, præterquam gambarum, & hoc quia ignorauerunt, & non viderunt, quòd in Syria, & in Hetruria, & in multis alijs locis inueniuntur cancri marini in maxima copia, qui etiã in fluuijs, & in aquis dulcibus naſcuntur, viuunt, & nutriuntur. & de his cancris, quos Gręci carcinos vocant, intelligebat Dioſcorides in lib. 2. cap. 12. & in lib. 7. cap. 2. quòd autem hoc verum ſit, dicebat Dioſcor. in lib. 7. in principio cap. 12. cinerem cancrorum fluuiatilium eis, quos canis rabidus momordit, plurimùm conferre. In fine vero capituli aſſerebat eandem operationem fieri quoq; à cancris marinis, ſed multò debiliorem. Ex quo patet, Dioſcoridem de ſpecie illa cancrorum intellexiſſe, qui & in Mari, & in fluuijs victitant, cum gambari fluuiatiles, non in mari, ſed tantum in dulciſſimis aquis vitam degant, & à Græcis aſtaci appellentur. Sunt autem cancri, & gambari animalia ſpecie, & forma valde diuerſa; nam (teſte Ariſtotele in 4. de hiſtoria animalium cap. xi.) inter animalia cruſtacea ſolus cancer eſt ſine cauda, & eſt figurę rotundæ: ſicuti autem omnes norunt, gammari ſunt caudati, figuramq; oblongam retinent. Cortex quoq;, ſeu operculum cancrorum continuum eſt, & inæquale, gambarorum vero interruptum eſt, & leue. Gal. ſimiliter cancrum, & non gammarum intelligebat xi. de ſimpl. medicina, quando dicebat, quòd Peloys doctor in morſu rabidi canis cancros fluuiatiles, & non marinos commendabat, aſſerens, quòd marini in aquis ſalſis degentes plurimũ ſalis admixti habebant: qui vero in dulcibus aquis viuunt, ſunt multò minoris ſiccitatis; & ob id inter cancrum, & gammarum maximam diuerſitatem eſſe affirmabat. Aetius in lib. 6. cap. 24. & in lib. 2. cap. 145. quia in cibãdis hydrophlobogicis cãcros, & gammaros probabat. & recēſens quę ſint animalia cruſtacea teneri corticis, cancros, & gãmaros enumerat, mihi facillimè ſuadet, quòd cancri, qui in fluminibus, & in mari vitã degunt, ſint veri cancri, poſita à veteribus ſimilitudine inter carcinoma, & cancrum animal. dicebat.n. Gal. in 2. ad Glauconem, in cap. de cancro. Vidimus pluries in mãmis mulierum tumores quoſdam figurã, & effigiem cancrorum animalium in omnibus ſeruare; quapropter nulli dubium eſt, quòd cancri, qui in mãmis oriuntur, & in alijs partibus, ſunt figuræ rotundæ, & ſic cum cancris rotundis hanc cõparationem faciebat Gal. quod Paulus in 4. cap. 26. confirmat. aſſerit.n. quòd venæ carcinomatis ita apprehendunt membrum, eiq; affixę inhærent, ſicuti faciunt pedes cancri aquatici, & marini. Sciuntq; omnes illi, qui piſcationi operam præbent, quòd gãmari non eo modo inhęrent, ſicuti cancri. Medici ergo in hac hiſtoria cancrum, & non gãmarum intelligere volebant. Hæc verò ſimilitudo inter carcinoma, & cancrum animal vera eſt non ſolũ quò ad rotunditatē, ſed etiã quò ad ſuperficiei inęqualitatem. Et Paulus in lib. 6. cap. 45. inter carcinomatis notas ponit ipſum eſſe tumorē inæqualem, quæ forma in cancrorum corticibus apparet, & non in gãmaris. Intelligebat ergo Paulus de cancris, & non de gãmaris, qui in cortice lenes, & æquales ſunt. Huius opinionis ſunt etiam moderni, exiſtimantes hos eſſe veros cancros. Nam Virgilius Marcellus, Florentinus, vir quidem doctiſsimus, in ſuis traductionibus, & Cõmentarijs in Dioſcoridē, in lib. 2. in cap. de cancris inquit cancrum etiã animal ridiculoſum, & deforme, & quòd pueri cum illo ludunt, & iocantur, ipſum irridentes: quia verò hoc cum gãmaro non faciunt, ſed ipſum manducant, ideò credendum eſt, fluuiatiles cancros non eſſe gãmaros. Ita quoq; ſtudioſus, & diligens Matthiolus Senenſis in ſuis Cõmentarijs ſuper cap. 12. 2. libri Dioſcoridis, & in commento ſuper curatione morſus canis rabidi, in lib. 7. hanc hiſtoriã diſſerens, firmiter tenet cancros fluuiatiles hos enumeratos veros eſſe, & non gãmaros. Ioſeph Struthius Polonus, iuuenis acutiſsimi ingenij, in ſuis Cõmentarijs ſuper ſecundũ librum Galeni de antidotis. exponēs medicamentum Cratippi, inquit, quòd etiam aliqui recentiores vſum cancrorum fluuia-

Gal. 4. Catag. ad Canc. Aet. lib. 16 cap. 47

Paul. lib. 6. cap. 26.

Auic. 3.4. tract. 2. cap. 18.

Gal. & Aet. lib. 8 cap. 67.

Auic. 10.3. trac. 5. cap. 6.

Lib 2. cap. 12. & lib. 7. cap. 2.

Gal. lib. 7. in princ. cap. 12.

Aui. 4. de hiſto. animal. cap. 11.

Aet. lib. 6. cap. 24. & lib. 2. cap. 145.

Gal. 2. ad Glau. cap. de cancro.

Paul. ca. 4. ca. 26

Paul. lib. 6. cap. 45.

fluuiatilium, & non marinorum probāt,cùm marini ſint ſiccioris temperaturæ. in hoc autē hallucinantur, quia hæc cancrorum operatio ab occulta eorum diſpoſitione, & proprietate proficiſcitur, quę ab eorum ſubſtantia emanat. Gal. xi. de ſimplici medicina. cap. 27. Aetius lib. 2. cap. 175. & Paulus in lib. 7. in cap. de cancro, idem teſtantur. Quare optimi ſunt etiam cancri marini, & Cratippus in ſua compoſitione tantummodo dixit, ℞. cancrorum ℥. 20. mirrhæ ℥. ij. croci ℥. j. s. gentianæ. ℥. j. piperis albi gr. 20. neq; idem Cratippus magis elegit cancros fluuiatiles, quàm marinos. Nā Galenus deſcriptionem tradens medicamenti Claudij Apollonij, inquit, accipiendas eſſe cancrorum marinorum vſtorum libras tres, nullam de fluuiatilibus mentionem faciens. Auicenna in 6.4. tract. 4. cap. 9. aſſerit, quòd aliquando fit etiam antidotum cum dimidio gentianæ, & duplo cancrorum marinorum. Auic. 6.4. tr… 4. cap. 9

De Vlceribus, & morſibus venenoſis.

VLNERA venenata dupliciter conſiderantur, vel quatenus ab armis infectis veneno cauſantur, vel à quopiam alio inſtrumento; cuiuſmodi ſunt cultrum, enſis, lancea, ſagitta, aut aliud ſimile: vel quatenus læſio hæc à morſu oritur alicuius venenoſi animalis, nēpe viperæ, phalangij, canis, aut alicuius piſcis venenoſi: aut à quauis alia cauſa ſimilis naturæ: quæ paſſiones omnes, niſi opportunis, & præſentaneis remedijs tollantur, patientibus mortem, & Medicis infamiam afferre ſolent. Dignoſcitur autem horum vulnerum venenum ex hoc, quòd mortalia accidētia apparere ſolent, nempe, quòd nocumento illato, ſtatim patiens locus inflammatur, dolet, tumidum efficitur, primoq; fit liuidi, & poſtremò nigri coloris, corrumpitur, & facillimè ſphacelos generatur: Necnon circa locum vulneratum oriuntur ampullæ, & tubercula diuerſa: patientis mens ſana perturbatur, ſæpiuſq; illi ſuperueniunt vomitus, nauſea, inquietudo, febris, ſudores copioſi, eroſiones in inferiori ventre, tremores, & conuulſiones; nec propterea Medicus aliam manifeſtam cauſam horū ſimptomatum agnoſcit. Hinc fit, vt dum ipſe in remedijs applicandis moratur, ægrotus ad necem perducatur.

CVRATIO VVLNERVM VENENATORVM.

PRIMA operatio, & intentio, quam Medicus in curatione vulnerum venenatorum habere debet, eſt inquirere, an telum lædens, aut ſagitta, aut ſpina, aut alia res exigui corporis in vulnere remanſiſſet, & ſtatim illam extrahere. Secunda verò operatio, eſt ſpeculari, an corpus læſū ſit valde repletum, & an in illo ſint omnes conditiones, quæ liberè euacuationem per ſanguinis miſſionem admittant. Nam his duobus ſtantibus, Medicus ſanguinem per venam vulneri propinquiorem, quę haberi, & ſecari poſſit, euacuare tenetur. Quòd ſi euenerit, corpus non eſſe valde repletum, aut eſſe adhuc diem læſionis, aut aliam cauſam hanc operationem non admittere; multò melius eſt à venæ ſectione abſtinere. Aſſeruntq; Medici, quòd extracto à vulnere telo, ſi ipſum anguſtum ſit, nullum ſecurius remedium inueniri, quàm ignito ferro pluries ipſum vulnus cauterizare. Quòd ſi locus ob compoſitionem, aut ob ſitum, vſtioni opportunū, & aptum non fuerit, cenſent Medici, quòd non apparente magno ſanguinis fluxu, loco ipſi aliquam cucurbitulam applicare optimum ſit præſidium: aut præcipere, quòd aliquis homo vilis ore proprio venenum hauriat, & exugat, illudq; labijs vulneri appoſitis extrahat: ſed prius præparetur, ſicuti inferius dicetur. Facta autem huiuſcemodi operatione, oleū ſambucinum, vel Iaſminum feruens vulneri imponendum eſſe, probant, ſuperq; imponi aliquod attrahens medicamentum validū. & inter omnia affirmo in medicina nullum tutius reperiri, quàm medicamentum meū ſanctum, in curatione vulnerum neruorū deſcriptum. Aut adminiſtretur hoc medicamentū ab omnibus recentioribus approbatum. ℞. Ceræ, picis nigræ, axungiæ porcinæ veteris, olei vetuſti añ. ℥. iij. galbani ℥. j. & ſecundum artem fiat vnguentum, aut ℞. Galbani, ſagapani, opopanacis, aſſæ fetidæ, mirrhæ, piperis, ſulphuris añ. ℥. s. ſtercoris columbini, & anatini, añ. ℥. ij. pulueris calaminthę, mentaſtri añ. ℥. j. diſſoluantur gummæ in vino, & poſtea cum modico mellis, terebenthinæ, & olei antiqui fiat emplaſtrū. Et ſi euenerit, quòd venenū ſerpat, & loca circumuicina inflāmari incęperint, docent Medici, quòd illico fiant profundæ ſcarificationes, & cucurbitulæ cum magna flāma applicentur: quibus ablatis locus patiens cum aceto, & ſale, aut cum aqua marina, aut cum decoctione lapathi acuti, aut minoris draconteæ lauetur. Iubentq;, quòd poſtea parti affectę applicetur Theriaca Andromachi, vel Mitridatū. cenſent quoq; patienti ipſi exhibendam eſſe Theriacam magnam ad quantitatem fabę Aegyptiacę, quæ eſt ʒ. 1. s. cum lacte, aut vino odorifero. Cōmendantq; aliqui, quòd membrum in parte ſuperiori alligetur, ſi aptum fuerit, cum arcto ligamento, ita tamē ne membrum torpeat. i. ſtupidum efficiatur, ſenſumq; amittat, ne venenum permeare, & ad mēbra principalia, & nobilia penetrare valeat. quòd ſi cauſa aliqua ligaturam impediat, huiuſmodi defenſiuum applicetur. ℞. ſucci tormentillę, dictami, ſerpentarię, lanceolę, plantaginls añ. ℥. 1. aceti ℥. iij. olei maſticini, mirtini, omphacini añ. ℥. s. coral. alb. ſpodij añ. ʒ. ij. oſſis de corde cerui ʒ. s. croci ℈. s. boli Armeni, terrę ſigillatę ſang. draconis añ. ℥. s. cerę q. s. & fiat vnguentum tenue. Dicebat Celſus in lib. 7. cap. 5. circa finem, omne venenatum vulnus indigere velociſſimo auxilio, & cuiuſmodi ſolet veneno infectis adhiberi, & morſibus animalium venenoſorum. Quia verò Cel. lib. 7. …

poſt cauteriũ, aut poſt huiuſmodi emplaſtra, ſolent hæc vulnera putrida fieri, & immunda, & eſcharis, vel alia immundicie repleri, aut ob attractionem medicamentorum inflãmari; ob id debet Medicus, elapſo tempore ſuſpicionis, vlcera, ſi putrida ſint, mundificare, & ad temperiem deducere, ſi alterata ſint, aut ſecundũ aliã neceſſitatem prouidere, & curare, ſicuti in correctione accidentium ſuis in locis abundè à nobis dictum fuit.

CVRATIO VENENOSI MORSVS.

NONNVLLI opinantur, quòd vulnera illata ab animalis venenoſi viuentis morſu ſint multò grauiora, ac periculoſiora illis, quæ à venenato telo cauſantur. Nam venenum, quod ab animali prouenit, valde acutum, & penetrabile eſt, cùm, autore Celſo in lib. 5. cap. 27. [Cel. lib. 5. cap. 27.] quilibet morſus virulentia quadam lædere ſoleat, quæ propria malignitate membri complexionem turbat, ac corrũpit, & ex intrinſeca qualitate cordi nocumentum afferre quærit. Quapropter in horum morſuum curatione Medicus apprimè diligens eſſe debet. & licèt Medici omnes aſſeuerent multum differre curationem morſus ſingulorum animalium (etenim Dioſcorides, Celſus, Aetius, & alij ſigillatim diuerſis animalium diuerſorum morſibus particularia medicamenta tradunt) nihilominus omnes iſtæ operationes ad duas principales intentiones reducuntur, nempe ad veneni euacuationem, & ad cordis defenſionẽ. Prima (ſicuti Gal. in 5. de ſimplici medicina in diſtinctione 4. cap. 4. docet) [Gal. 5. de ſimp. med. diſtin. 4. cap. 4.] non fit niſi medicinis extrinſecus adhibitis, quæ aut per fortem attractionem reſpectu vehementis caliditatis, aut per ſimilitudinem totius eorum ſubſtantię operantur. Et inter vehementiora, & potentiora remedia ad euacuandum venenum in morſibus, dicunt omnes Medici, præſertim Dioſcorides in lib. 8. cap. 16. [Dioſc. lib. 8. ca. 16.] Celſus in lib. 5. cap. 27. [Cel. lib. 5. c. 27.] Paulus in lib. 5. cap. 2. [Paul. lib. 5. ca. 2.] Auicenna in 6. 4. tract. cap. 1. [Auic. 6. 4. tract. cap. 1.] eſſe extractionem factam ab aliquo homine ore proprio, labia vulneri applicando, & exugando, qui non debet eſſe ieiunio ſtomaco, ſed prius bene cibandus eſt, & os eius optimo vino lauandum eſt; intuſq; modicum olei aſſumat, & opus ipſum faciat, & vulnere optime exugato, omnia foris expuat, & iterum os vino, aut aceto abluat, priuſq; vulnus ipſum ſpongia in aqua, aut aceto madefacta, abſtergat, iterumq; vulnere labijs apprehenſo, exugando, ſanguinem, & virulentiam veuenoſam extrahat. Hac autem euacuatione facta, iubẽt ſtatim ſecundam intentionem ſuccedere, quę profunda loci alterati ſcarificatione fit. Animaduertendum verò eſt, inquit Celſus, ne homo ille vlcera in ore, aut in gingiuis, aut in palato patiatur: nam huiuſmodi venena vlceribus, & non guſtui, nocent; & illi, qui abſq; vllo timore hanc operationem faciunt, Pſylli appellantur. Tertia verò operatio fiet cum cucurbitularum magnę flammæ applicatione, aut alio quouis ſimili inſtrumento: Nã ab huiuſcemodi operationibus duæ vtilitates proficiſcuntur: quarum prima eſt, quòd venenum virulentum, vel ſaltem magna eius pars euacuatur. Secunda verò quòd venenum vlterius non procedit, nec locum magnum, nec ſanguinis magnam quantitatem occupare, aut lædere poteſt. Fit quoq; quarta euacuatio per carnis circa vulnus circularem inciſionem, quam operationem cæteris potentiorem eſſe affirmat Dioſcorides. ad hanc autem neceſſariò ſequitur vſtio, & cauterium, quod eſt remedium incomparabile, & tutiſsimum. Quandoq; etiam totius membri inciſio neceſſaria eſt, quando illud inciſioni commodum eſt. ita. n. docet Dioſcorides, & in 3. de locis affectis cap. 7. [Gal. 3. de lo. aff. cap. 7.] aſſerit Galenus, quòd ruſticus quidam vinitor, dum vindemiam faceret, & à Tyro in digito morderetur, ipſemet, vt à morte tutus eſſet, falce digitum abſcidit. Probant quoq; Gal. Celſus, & Auicenna ſtrictam ligaturam in parte, quæ eſt ſupra vulnus, dummodo ne huiuſmodi ſit, vt per eam membrum ſtupidum reddatur, aut vitam amittat. Optimum quoq; eſt, iuxta Dioſcoridis, Galeni, Celſi, Pauli, & omnium aliorum antiquorum doctrinam, pullum gallinaceum per medium ſcindere, ipſumq; ſic calidum cum parte interiori vulneri ſuperimponere. Idem quoq; pręſtant hædus, agnus, catulus, aut paruula felis, aut anas, aut aliud ſimile animal; nam dolores ſedat, & virulentiam venenoſam extrahit. Multi quoq; podicem, ſeu anum, aut extremitatem inteſtini vnius galli, ſeu gallinæ viuentis vulneri applicant; nam ſua potenti caliditate, & actuali attractione, hãc intentionem exequi ſolet. quod etiam Celſus in lib. 5. cap. contra morſum Phalangij, [Cel. lib. 5. cap. contra mor. Phal.] fieri iubet. Multi quoq, affirmant, quòd ſi mẽbrum tale erit, quod commodè in puram terram immitti poſſit, vt manus, pes, aut brachium, ſi in illa trium dierum ſpacio permanſerit, pro certo à terra ipſa, à qua venenum oritur, erit extractum, & conſumptum. Alij verò exiſtimant optimum eſſe remediũ, ſi medicamentis valde acribus, & calidis in loco vulnerato phlegmone irritetur. Ex quibus aſſerere poſſumus, quòd omnes Medicorũ operationes in huiuſmodi affectionibus ad hunc finem tendunt, vt venenum ad partes exteriores educatur, & euacuetur. & Gal. in 13. Methodi medendi. [Gal. 13. Meth. med.] inquit, ꝙ qñ ex animalis venenoſi morſu, & vulnere ſequitur dolor, tunc duæ occurrunt intentiones curatiuæ, venenum euacuare, & doloris cauſam alterare. & ob id dicebat Auicenna (ſuntq; poſtrema verba illius capituli) quòd inter pręcepta à Medico obſeruanda, & in morſibus venenoſis conſiderata, eſt vulneris conſolidationem prohibere, vſq; ad vltimam veneni, & eius malitiæ ſecuritatem: quam ob cauſam tot medicamenta cõmendabat Dioſcorides, quæ à Galeno opiſpaſtica nuncupata fuere. Inter quæ multum, iuxta Aegyptiorum ſententiam, liquidam picem cum ſale, aut caprinum ſtercus in vino decoctũ extollebat. Quæ medicamenta, quando Aegyptij fruges ſecant, & metunt, ob ſerpentũ timorem ſemper cum quibuſdam faſcijs parata tenent. & quando euenit, quòd à ſerpentibus lęduntur, aut in ſecandis frugibus, aut dum in vmbroſis antris, maximi æſtus tempore, requiem captant (producunt. n.

Arabia,

Arabia, & Aegyptus multá animalia venenoſa, & peſſimæ qualitatis) faſciás illas in pice infūdūt, & mē brum ſtrictè, præſertim ſupra vulnus, ligant vno, vel pluribus inuolucris, quę etiā vulnus ipſum operiunt, & ſuper illud faſcias incidunt, vulnus detegendo, & aliam picem calidam ſuper ponendo, & hoc eſt eorum tutiſſimum, & vnicum remedium. laudat præterea Dioſcorides vſum allij, & cęparum minutim inciſarum, ſi ſupra locum morſus applicentur, iubetq; ſæpius locum eundē aceto calido, aut aqua marina, aut aceto, & ſale, aut decoctione calaminthæ ſæpius lauari. Probat Aetius valde applicationem theriacæ Andromachi, alij verò emplaſtrū ex fermento, iuxta Democriti traditionem: nonnulli autem emplaſtrum ſacrum Ditimi, ſecundum deſcriptionem Galeni in lib. 5. ſecun. gen. inuentum in templo Vulcani, quod eſt in Inſula Memphis. innumerabilia quoq; medicamenta pro hac operatione à veteribus deſcripta ſunt, à Dioſcoride, à Galeno, & à Celſo in citatis locis, quæ prolixitatis, & tædij euitandi gratia omittemus, afferentes in medium ea tantummodo pręſidia, quibus cor ipſum defendi, & veneni malitia corrigi poſſit. Fit ergo hęc operatio iuxta Medicorū ſententiam, cum opportuna victus ratione, cum euacuationibus, & cum pharmacis, quæ antidota cōntra venenum appellantur. Dicamus igitur primò ea, quæ ad regimen ſex rerum non naturalium ſpectant. & primò quò ad aerem, inquit Celſus, quòd peractis huiuſmodi operationibus, patiens in loco calido ponatur, & locetur, taliterq; ſituetur, vt vulnus in decliuiori loco inclinatum maneat. quòd ſi euacuationes veneni ab vlcere, aut cucurbitulis, aut alio præſidio calido non pręceſſerint, vult Celſus, quòd vomitus omninò prouocetur: pro quo laudat pinguiſſimum ius aut anatis, aut agni, aut vituli. Paulus verò aſſerit, quòd ſi contigerit, venenum ipſum per totum corpus diſperſum eſſe, ſtatim neceſſariam eſſe ſanguinis miſſionem, & eò magis, ſi corpus ipſum plethoricum, hoc eſt omnibus humoribus abundanter repletum, fuerit. Exiſtimatq; Celſus in huiuſmodi affectibus maxima ab ipſis antidotis ſuffragia expectanda eſſe. quòd ſi forte non ſucceſſerint, plurimi facit potionem ex generoſo vino, & pipere confectam. Paulus autem dicebat maximè opportunū eſſe, in cibarijs pipere, & allijs vti, in potu verō vino potentiſſimo, & hoc, quia omnes iſti affirmant neceſſarium eſſe, quòd calor ipſe naturalis moueatur, & augeatur vnà cum totius corporis temperamento, vt veneno obſtare, ipſumq; ab internis, & nobilibus partibus ad ignobiles, & externas pellere poſsit. commendatq; Celſus ipſe nutrimentum valde calidum, cum maior pars venenorum maxima frigiditate noxia ſint. Cenſebat pariter Dioſcorides in lib. 8. cap. vltimo, quòd ijs, qui à ſerpentibus vulnerati ſunt, plurimum prodeſſent purgatio alui, id eſt corporis per medicamenta mundificatio, copia lotij, hoc eſt vrinæ prouocatio, & copioſus ſudor. Celſus quoq; laudat omnia vrinam mouentia, cum materiam ipſam tenuiorem, & ſubtiliorem reddant. Dioſcorides verò pro medicamentis cōmunibus huiuſcemodi intentionibus, & cibis, probabat cicorium, erucam, aſtragalum, & pauarinam in aceto decoctas, fructus platani, radices ariſtolochię, & eringij decoctas, baccas lauri comeſtas, piper, rutam, anethum, capita porrorum cum pane, allium, cæpas, origanum, fænicu- lum, pulegium, & calamentum, & quàm plurima alia ſimplicia medicamenta ab ipſis plantis deſumpta. Nonnulla quoq; commendat, quæ ab ipſis animalibus excipiuntur, nempe cerebrum gallinarum, capita teſtudinum terreſtrium, coagulum leporis, & caſtoreum. Inter compoſita verò plurimi faciebat opij, mirrhæ añ. ℈. s. piperis ℥. ij. s. & cum melle fiat mixtura, de qua ſumatur ad quantitatē fabæ Aegyptiacę. Aut ℞. ſeminum rutę ſylueſtris, nigillæ, cumini, ariſtolochiæ, galbani, añ. ℥. s. & cum ſucco erucæ fiant paſtilli, ex quibus pro qualibet vice drachma vna cum vino ſumatur. & Galenus in lib. 2. de antidotis laudat, & ponit multa antidota aduerſus morſus venenoſos iuxta multorum ſententiam, inter quę eſt theriaca de hera hoc modo parata. ℞. Ariſtolochiæ longæ ʒ. j. cimini ℈. j. s. ſeminis rutæ ſylueſtris ʒ. vj. laſerpitij ʒ. iij. s. terræ ſigillatæ ʒ. 10. mirrhę ʒ. vij. opobalſami ʒ. viij. piperis albi ʒ. ij. ſem. roſmarini ʒ. iiij. fiat ſubtiliſſimus puluis, & cum melle fiat ellect. de quo ad quantitatem fabæ Aegyptiacæ ſumatur, cum aqua calida. Aut ℞. ariſtolochiæ rotundæ, dictami, gentianę, ſtaphiſagriæ añ. ʒ. iij. piperis, ſeminum rutæ ſylueſtris, erucæ, apij, cachris, hoc eſt ſeminis roſmarini, añ. ʒ. j. s. caſtorei, opij, mirrhæ, terrę ſigillatę añ. ʒ. j. diſſoluantur gummæ in aceto, & poſtea cum melle fiat electuarium. Deſcribunt inſuper Medici alia multa huiuſmodi medicamenta: ſed quoniam aliquando nocumentū, cum ſit peracutum, & mortale, tempus non expectat, in vſu pro actu practico theriacam magnam Andromachi, & mitridatū tenent, & ſimilia antidota, quæ ſint pręparata, fermentata, & longiſſima experientia comprobata. Dicebatq; Dioſcorides, quòd Eraſiſtratus non ineptè arguebat eos, qui medicinas incognitas laudabant, quæ pro his vſibus expertæ non eſſent, & quę non poſſunt, niſi à Regibus, aut à magnatibus inueniri, cuiuſmodi ſunt Elephantis, oua Crocodillorum, ſanguis teſtudinum, & ſimilia. Hinc fit, vt multò melius ſit, medicamenta ſcribere, & parare, quæ nota, & probata ſint, & pro imminentibus neceſsitatibus parabilia ſint. Et ob id practici dant, vt tutiſſimum, antidotum, ijs, qui à venenoſis animalibus morſi fuerint, drachmam vnam, & ea plus cum optimo vino, & ſuper ipſum vulnus tandem theriacham applicant. Nec timendum eſt, ſicut quidam inexperti dicunt, quòd per huiuſmodi theriacæ ſuper locum vulneratum applicationē venenum ab illa fugiens ad cordis regionem permeet. nam ex tali applicatione vis veneni ſtatim extinguitur, & calor mēbri vigoratur, & omnis eius mala intēperies corrigitur. Quia verò apud veteres non inuenio, quòd pro cordis corroboratione, & defenſione aliquod epithema, vel aliud medicamentū foris applicarent, exiſtimo remedia

Dioſco. lib. 8. cap. vlt.

Gal lib. 2. de antid.

hæc

hæc eſſe modici iuuamenti, & ob id ſuper ea ſermonem longiorem non habebo, ſed tantummodo curam aliquorum particularium morſuum pertractans, quæ apud veteres, nempè apud Dioſcoridem in lib.6.apud Celſum in lib.5.Galenum, Aetium, Paulum in lib.5.& Auicennam in 6.4.recenſebo.

De morſu Scorpionis.

INQVIVNT Dioſcorides, Celſus, & omnes alij, quòd ſcorpio ipſe tritus, & vulneri ſuperimpoſitus, ob quandam eorum antipathiam eſt optimum remedium. laudant quoq; lac ficus immaturi ipſi vulneri inſtillatum, aut ſulphur viuum cum rèſina mixtum, aut rutam cum allio, aut galbanum in forma ceroti. Inquit quoq; Celſus ſe aliquos Medicos cognouiſſe, qui vulneratis à ſcorpionibus tantummodo à vena brachij ſanguinem mittebant. Raſis verò aſſerit, allij ſuccum in potu ſumptum huiuſcemodi veneni frigiditatem extinguere.

De ijs, qui veneno infecti ſunt.

CVM in præcedentibus digreſſionibus, nōnulla de nocumentis, quæ à cauſis exterioribus, nempè à venenoſorum animalium morſibus, proficiſcuntur, à nobis enumerata fuerint, nunc opportunum erit, vt de venenis in potu, aut in cibo ſumptis ſermo fiat. Eſt ergo Medicorum opinio, multa eſſe venena, quę in cibo, aut in potu ſumi poſſunt, & formas, ſubſtantiaſq; diuerſas tenent: quandoq; .n. ſunt ſub forma tenui, quandoq; verò ſunt duræ ſubſtantiæ: aſſeruntq; quòd aliqua venena in plantis, aliqua in animalibus, multa in minera, & multa quoq; artificiosè fiunt. Inquiuntq;, quòd inter venena, quæ in plantis naſcuntur, alia ſunt in ſemine, ſicuti hyoſciamus, cataputia, peonia, papauer nigrum, cicuta, coriandrum humidum, dracontium, & alia huiuſmodi ſemina, quæ, cum humanum ventriculum ingrediuntur, aut mortem, aut morbum grauem afferunt. Alia ſunt in fructibus, cuiuſmodi ſunt rhododendron, anacardus, nux metella, ſeu vomica, nuces putridæ, pomum mandragoræ, ficus Pharaonis, fungus, collocinthis, & alij huiuſmodi fructus. Alia verò in ſuccis ſunt, ſicuti meconiũ quod opium dicitur, & ex ſucco papaueris nigri paratur; ſcamonium, quod fit ex ſucco conuoluuli lactiferi, ſuccus apij riſus, napelli, rhododendri, mezerei, brionię, hellebori nigri, & ſimilium. Alia verò in radice conſiſtunt, ſicuti aconitum, luparia, tithimalus, helleborus, cicuta, & ſimlia. Alia verò in tota planta permanent, quemadmodum in multis exenarratis videtur. Ab animalibus autem venena cauſantur in diuerſis eorum partibus, ſicuti eſt in cerebro felis, & veſpertilionis. In cauda cerui, ſcorpionis, aſpidi, theri, & ſimilium, veſpæ, apis, & aliorum animalium exanguium. In ſanguine buffonis, hominis rubei irati, & colerici, leproſi, aut menſtruati. In ſaliua, & dente viperæ, buffonis, ſimiæ, hominis ieiuni, & ſimilium; & in felle leopardi, et in toto animali, ſicuti ſunt cantharides, ſalamandra, & baſiliſcus. Inter mineralia verò valde venenoſum eſt argentum viuum, gypſum, æs viride, ſcoria ferri, ærugo, magnes, & ſimilia. Inter artificialia verò ſunt arſenicum, riſagallum, & alia quàm plurima, quę ſunt apud Principes, & magnates, de quibus cum aliquam profectò notitiam non habeam, de illis ſilebo: ſed tantummodò inceptam hyſtoriam proſequens dico, quòd venena ſunt ſubſtantię quædam omnino cibo, & nutritioni hominis oppoſitæ; cùm cibus ſumptus pars, & ſubſtantia corporis viuentis efficiatur, & per operationem natiui caloris, partibus, quæ continuò ab eodem calore conſumuntur, approximetur, & aſſimiletur: venenum verò totum oppoſitum operetur. nam intus ſumptum mēbra alterat, & in ſuam propriam venenoſam naturam permutando tandem corrumpit; eſt.n.hoc agens paſſo multò potentior. & hoc pacto ventriculus, & cor vnà cum alijs nobilibus partibus, quòd veneno miſcentur, aut ab illo tanguntur, facillimè corrumpuntur; ex quo peſſima accidentia, & mors ipſa ſequuntur. Quapropter affirmant Medici, quòd venenum eſt vna ex cauſis complexionē, cōpoſitionem, & multoties vnitatem corrumpentibus. Hinc eſt, quòd à venenis ægritudines communes, & non propriæ, eo tempore, quo in partibus intrinſecis humanorum corporum operantur, cauſatæ ſunt; licèt multoties deſtructis, diminutis, aut alteratis eorum operationibus, aliquas particulares ægritudinarias diſpoſitiones in ſubiectis relinquere ſoleant; cuiuſmodi ſunt paralyſis, cordis tremor, ventriculi imbecillitas, & alia huiuſmodi. Dicunt inſuper Medici, quòd ex venenis alia qualitate eorum occulta operantur, quæ prouenit, & oritur à primis formis elementorum, quæ eorum conſtitutionem, & complexionem ingrediuntur vi, & influxu quarundam ſtellarum fixarum, quę compoſitionem corporũ mixtorum inferiorum ordinant, mediantibus lineis pyramidalibus, & rectis, quæ ab eorum lumine oriuntur, & in illo fixæ permanent: compoſitis autem quaſdam ſpecificas virtutes impertiuntur, iuxta merita compoſitionis eorum. huiuſmodi verò virtus forma ſpecifica, & proprietas occulta à Medicis nuncupatur. Et ob id dicebat Auiceñna, quòd forma hęc ſpecifica per primam complexionem elementorũ in cōpoſito in rebus ortum trahit. Quia verò, iuxta Philoſophi doctrinā, ignoramus, & in æternum ignorabimus quantitatē, & menſurā horum elementorum, & eorum formarum in compoſitis, à quibus

huiuſmodi formæ ſpecificę proficiſcuntur, ob id de earum operationibus nihil amplius nobis notũ erit, quàm illud, quod ab experimentis cognoſcitur. Alia quoq; ſunt venena, quę qualitatibus, & complexionibus eorum manifeſtis operantur; quædam.n.ob maximã eorum frigiditatem operantur, à qua mẽbra alterata, & ſtupida permanent, ſicuti eſt opium: quædam claudendo vias ſpirituum, & anhelitus, aut obſtruendo meatus, & vaſa, per quæ nutrimentum pertranſit, ſicuti facit plumbum vſtum: quædã vero ob ingentem caliditatem operantur, quia interius corrodunt, donec ad cordis ſubſtantiam perueniant, & continuum ſoluunt, quemadmodum faciunt lepores marini: quædam autem ita fortiter inflammant, vt natiuum calorem, & humidum radicale deſtruant, ſicuti helleborus, & euphorbium: quædam verò extrema eorum ſiccitate operantur, humidum ſanguinis cordis conſumendo, aut condenſando, illudq; in ſubſtantiam denſam, aut duram conuertendo, ſicut calx viua, & colcotar: aut ſeparant ſanguinem, aut ſubſtantiam humiditatis cordis in partes diuerſas, illudq; poſtmodum deſtruunt, ſicuti riſagallũ, & arſenicũ. Alia verò venena ob humiditatem in quarto gradu operantur, ſicuti Argentum viuum. Aliqua verò operantur à tota eorum ſubſtantia ſimpliciter venenoſa, ſicuti fel leopardi, napellus, & aliqua ex artificialibus. Aſſeruntq; Medici, quòd quædam reperiuntur venena, quæ cùm ſumpta fuerint, primariò aliqua membra particularia, & poſtremò cor ipſum lædunt, & deniq; totum corpus, ſicuti cantharides veſicam, lepus marinum pulmonem, & opium ipſum cerebrum. dicunt inſuper, quòd ex venenis quædam quaſi immediatè operantur, quædam verò aliquo temporis ſpacio. Docent quoq; modum cognoſcendi per accidentia quędam, quod nam ſit veneni genus, quod aut in cibo, aut in potu ingeſtum ſit. Nam cùm patiens mordicationes, puncturas, corroſiones, & huiuſmodi accidentia perceperit, manifeſtum eſt ſignum, quòd venenum ſit ex calidis, acutis, & mordicantibus, cuiuſmodi eſt arſenicum. Cùm verò magnæ inflãmationes, ſudores copioſi, rubedo in oculis, anguſtię, & ſitis apparuerint, venenum eſſe ex ſiccis, ſicuti eſt euphorbium, exiſtimandum eſt. Cùm verò patienti profundus, & ſuperfluus ſomnus, aut intolerabile frigus, aut ſtupor ſuperuenerint, venenum eſſe ex narcoticis, & valde frigidis, ſicuti eſt opium, clarum eſt. Quòd ſi euenerit, alia accidentia non apparere præter anguſtias, ſudores frigidos, & virtutis deiectionem, ac ſyncopem, tunc venenum eſſe ex illis, quæ à tota eorum ſubſtantia operantur (hæc.n. cæteris peiora ſunt) manifeſtum erit. Inter venena quædã ſunt adeò vehementis operationis, vt omnibus antidotis, & remedijs reſiſtant: aliqua verò ſunt adeo debilis operationis, vt à conuenientibus medicamentis, quantũuis debilibus, corrigantur, reſoluantur, aut euacuentur. In his autem, qui veneno correpti ſunt, cùm ſyncopis ſuperuenerit, & pupilla in eorum oculis permutabitur, & pars eorum nigra occultabitur, nulla in eis amplius erit ſpes ſalutis. cum verò pulſus ceciderit, ſudores frigidi apparebunt, & lingua extra os exibit, quàm celerrimè interibunt.

De Vniuerſali curatione eorum, qui à venenis correpti ſunt.

PRIMA operatio in venenatorum curatione conueniens eſt non morari, ſed ſtatim prohibere, ne venenum ad partes nobiliores penetret, aut per vniuerſum corpus diffundatur. Et ob id laudant Medici, nempe Dioſcorides in proemio 6. libri, Celſus in 5. libro. cap. 27. vbi remedia generalia aduerſus venena declarat. Gal. in 2. de Antidotis, ex Aſclepiadis ſententia, Aetius in 5. libro. Paulus in lib. 5. cap. 29. Auicenna in 6.4. tract. 1. cap. 4. & Raſis in libro diuiſionũ, cap. 141. quòd quamprimum venenum in ventriculo fuerit, vomitus prouocetur. ob id dicebat Dioſcorides, inter omnia aptius medicamentum non reperiri, quàm citiſſimè venenum extrahere, antequam noxam ſua mala qualitate imprimat: Quapropter ſtatim patienti oleum calidum in potu propinare opus erit. quòd ſi oleum non reperiatur, dandum erit butirum cum aqua calida: aut ſecundũ Dioſcoridem decoctio maluæ, aut ſeminis lini, aut tragi, aut vrticę, aut fænugręci. Hæc.n. medicamenta non ſolum relaxando, ſed etiam nauſeam mouendo, vomitum ciunt, & aluum quoq; per inferiora ſoluunt, itaut ipſum exonerent, & purgent; & cum huiuſmodi operationibus acrimoniam, & vim veneni obtundunt. Inquit etiam Celſus, quòd ita faciliter non poſſumus cognoſcere, aut remediũ præſtare venenis in potu, vel in cibo ſumptis, ſicut illis, qui partes exteriores lædunt: hoc autem euenit, quia interius ſumpta quandoq; non ita celeriter cognoſcuntur, ſicut illa, quæ à morſibus animalium proficiſcuntur; & ob id illis conuenientia remedia ſtatim exhiberi non poſſunt. Sunt quoq; venena epota, multò perículo ſiora; quia noxia in cute non eſt, ſed in partibus interioribus: quapropter remedium aptiſſimũ eſt, quàm primum vomitum mouere, multum olei calidi ſorbendo. Teſtantur Dioſcorides, & quamplurimi alij, qui poſt ipſum fuerunt, quòd pro forti vomitu faciendo multum confert aqua mulſa cum modico nitri quàm ſubtiliter triti, vel iuſculum pinguiſſimum gallinæ, aut cum butiro, aut pinguedine paratum. Galenus lac vaccinum, aut aſininum pinguiſſimũ probat. & Auicenna aſſerit, quòd ſi patiens aliquam in ventre cõmotionem ſenſerit, nullo pacto lac dimittat; & cum (teſte Dioſcoride) vomitus fuerit diligenter promotus, ne in ventre aliquid ſuſpicionem afferens remaneat, quod inteſtinis noxiam afferre poſſit, opus eſt acuto clyſtere vti, & illius præſidio huiuſmodi materiam ad euacuationẽ per inferiora deducere.

Dioſco. in proæm 6. lib.
Cel. lib 5. cap. 27.
Gal 2. de ant d.
Aetius 5. lib
Paul. lib. 5 c 29.
Auic. 6.4 tract. 1. cap. 4
Raſ. lib. Diuiſ. cap. 141.

deducere. Inquit Celſus, quòd cum præcordia inflammãtur, hoc eſt ſigna, quæ in veneno infectis conſpiciuntur, apparere incipiunt, tunc antidotum aliquod ſumere oportet. Quòd ſi fortè non reperiatur, tunc vinum purum, & generoſum bibendum eſt. Dicebat quoq; Galenus in primo libro de antidotis. circa principium, quòd remedia illa, antidota nuncupantur, quæ affectiones non naturales prauæ conditionis corrigunt, & ſanant, non ea quæ foris applicantur, ſed quæ in potu, aut in cibo ſumuntur. Quorum tria reperiuntur genera: nam quędam venenis mortiferis in potu ſumptis aduerſantur: quædam venenoſorum animalium morſibus obſiſtunt: quædam verò eas ægritudines tollunt, quæ à peſſimo victus regimine ortum trahunt. Quę autem ſint hæc antidota, docet Dioſcorides in proæmio ſexti libri, vbi multa ſimplicia medicamenta enumerat, nempè terram lemniam, quæ etiam ſigillata appellatur, agaricum, abrotanum, iridem, calaminthani, nardum gallicum, quod vulgo ſpica nardi appellatur, caſtoreum, ſemen paſtinacæ, radix eryngij, medulla ferulæ virentis, ſuccus marubij, laſerpitium, qui eſt ſuccus cirenaicus, ſagapenum, ariſtolochia longa, ſemen rutę ſyluestris, betonica, & quàm plurima alia ab eodem in ſuis Commentarijs deſcripta, ſicuti eſt dictamum, hypericon, chamaleon, quæ alio nomine carlina dicitur, biſtorta, ſcordeum, zedoaria, gentiana, & ſimilia, quarum quęlibet in neceſſitate vrgenti theriacę æquiualens eſt. Veteres enim Medici aliquo horum ſimplicium, aut multis eorum vti conſueuerant, cum adhuc theriacę, aut mitridati cognitionẽ non haberent. Dioſcorides autem alicuius horum in puluerem redactorum drachmam vnam cum vino exhibebat. Poſt hos autem fuit Mitridates rex, qui, vt Galenus recitat, multum in dignoſcenda ſimplicium natura diligens fuit, & eorum contra venena operationem inquirens, multorum ſimplicium mixturam compoſuit, contra multorum venenorum profectò efficaciſſimã, & mirabilem, quæ Mitridatis antidotum à proprio Regis, & componentis nomine appellata fuit. & Galenus vnà cum Paulo teſtantur, quòd ita Mitridates hoc antidotũ in vſu habebat, vt cum à Romanis captus eſſet, & mortem per multorum venenorum operationẽ optaret, virtute huius antidoti ſemper pręſeruatus fuit, ita vt ſpe omni deſtitutus ſe ipſum gladio interfecit. Andromachus poſtea, Neronis Imperatoris Medicus, huius antidoti compoſitionem inſpiciens ab illo quędam extraxit: quædam verò appoſuit, ſicut trociſcos de Thiro, vnde antidotum theriacam appellauit, quæ aduerſus Thyri morſum valde efficax eſt: quia verò venena necantia diuerſa ſunt, opus eſt Medico ante omnia, cuius ſint generis, dignoſcere: an ſcilicet corroſiua, & inciſiua ſint, aut ſtupefacientia, aut ex ijs, quę a tota eorum ſubſtantia noxia ſunt. nam ſi acuta fuerint, tunc medicamentis epotis curanda erunt, quę eorum acuitatẽ retundant, & remittant, ſicuti eſt lac copioſum, aut butirum crudum. Quòd ſi venenum fuerit ex calidis, & inflãmantibus, tunc accenſionem talem remittere opus erit cum camphora, aqua coriandrorum, roſacea, & ſimilibus, cordi, & cæteris membris epithemata applicando, & ſuper illa ſæpius frigida medicamenta reiterando. Auicenna inquit, quòd ſi phlebotomia neceſſaria erit, nullo pacto dimittatur. & ſi venenum in ſuo genere fuerit ex frigidis, & ſtupefacientibus, tunc medicamentis calefacientibus curandum erit, cuiuſmodi ſunt theriaca, aſſa fætida, & vinum purum, ac generoſum, & ſimilia. Cùm verò venenum à tota eius ſubſtantia operatur, aut à forma ſpecifica, tunc antidoto theriacali curandum eſt, aut mitridato, aut diamoſco, aut terra ſigillata, aut alio huiuſmodi venenum foras impellente. Nam omnes Philoſophi, & Medici affirmant, quòd ab antidotis, aut medicamentis bezoarticis epotis aliquod horum pręſidiorum expectandum eſt, aut acuitatis veneni obtuſio, & refractio, aut eius ſubſtantię conſumptio, & reſolutio, aut eiuſdem per aliquam regionem, aut partem conuenientem expulſio, & euacuatio, aut aduerſus eius naturam obſtaculum, & oppoſitio, ſicuti pręſtat allium aduerſus ſcorpionis ictum. Cùm igitur Medicus generalem veneni cognitionem habuerit, tunc ſpecies eorum diſtinguere, & notas habere tenebitur, illiſq; particularibus, & opportunis præſidijs obſtare, & reſiſtere. Et nos hoc loco breuiter aliqua illorum, iuxta veterum ſententiam, recenſebimus.

FINIS TERTII LIBRI.

IOANNIS ANDREAE A CRVCE MEDICI VENETI.

Officina Chirurgica.

In qua inſtrumenta Chirurgo conuenientia delineata videri poſſunt.

Addita etiam ſunt ſcamna, gloſſocomia, ac alia eiuſdem functionis machinamenta, quæ apud veteres Medicos in continuo vſu obſeruabantur.

AD LECTOREM.

AD Chirurgiam, quod ex vi nominis colligitur, ſolùm illi morbi pertinere videntur, qui manus operam requirunt: idcirco ea præſidia, quę manu dumtaxat adhibentur, non niſi quorundam inſtrumentorum auxilio celebrantur, quorum aliqua antiquitus, principum auctoritate, ac ære publico in magnis ciuitatibus extructa conſeruabantur: quare cum ego quamplurima horum ap prime neceſſaria, & quę in quotidianum vſum veniunt, delineauerim, ea quidem tibi vir clariſſime donare decreui, cui quantum ars medica debeat, quan tumq; pręſtiterit, & quid de te in poſterum ſperandum ſit, velim equidem omnes candidos naturalium rerum ſtudioſos, cunctoſq; huius artis cultores, ex re ipſa potius, quàm mea prædicatione agnoſcerent. Accipe igitur Medice celeberrime munuſculum hoc, vbi varia inſtrumenta, eorum vtilitates, ac operandi modos, quibus veteres Medici in paſſionibus carnis, ac oſſium fracturis, & luxationibus opportunæ vtebantur: & ſi infinita apud eos literis tãtum tradita reperiuntur, quę pręſertim ad oſſium curationem pertinere videntur, ſicuti ferramenta varia, cauteria, exciſoria, cultellos, ſcalpra, raſoria, limas ſpecilla, terebrarum genera, modiolos, forfices, volſellas, phacotos, meningophilacas, cycliſcha, ferrę, & ſimilia: ligneaq;, vt ſcalas, ſcamna, tripaſta, plinthia, repagula, vectes, canales, gloſſocomia, ſpheria, ſtathmia, trochiſcos, penas, canaliculos, ac huiuſcemodi: linteauè, ac mollia, linteola, faſcias, hypodeſmidas, ſplenia, apodeſmos, tegulas, ferulas, ſpatulas, habenas, laqueos, mitellas, puluinos, nodos, acus, acies, & alia quamplurima, quorum aliqua impręſentiarum vſui ſeruantur: multa verò quia antiquata, & recentiores magis accommodata, nec tam operoſo egent labore, inuenere non vſitantur, quę omnia tamen oculis ſubiecisse volui, vt quę commodiora videbuntur, in vſum conuerti poſſint. Vale igitur, animiq; mei propenſionem accipe.

INSTRVMENTA, QVAE A CHIRVRGO CONTINVE CIRCVNFERRI DEBENT.

MEDICVS, qui à manuum operationibus Chirurgus vocitatur, varijs in forma, & materia, ac diuerſis in numero, & magnitudine eget inſtrumentis, quorum aliqua in quotidianum vſum illi veniunt, & ſemper ab eo circunferri debent. Porrò hæc ſex ſunt, & primũ forfex dicitur, cuius vtilitas in humano corpore eſt ad diuidendum, quod continuum eſt, vt in lacerosis vlceribus excidendum, quod ſuper additum reperitur, vt in morbo, quod Græci ſarcoma,


& thimum, & Arabes alhaſe vocant, & remouendum extranea, & quod non naturale eſſe videtur: cō-muniter verò ad pilos, ſiue capillos denudandos, ſed eius propria operatio eſt ad formandum penici-lia, lichinia, ſiue turundas, quas Græci tæmota vocant,& vulgares tentas appellant; eſt inſuper accom-modatum inſtrumentum ad lineas petias incidendas, aut ſimile aliud negotium, quod Chirurgis neceſ-ſarium fuerit, peragendum: forfex, aut forficula dicitur, cuius effigies talis eſſe debet.

FORFEX.



Aliud inſtrumentum Chirurgo aprime neceſſarium illud eſt, quod ad multa facit, nempe cū depreſ-ſa, & latiori eius parte perioſtios, ſiue pericranion, aut vt Arabes dicunt almocatin, in caluaria fracta ab ipſa diuellit, ſæpe etiam fracta oſſa, aut depreſſa, elleuat, & commodè medicamenta extendit, at cum oppoſita, & duplicata parte, fruſtula oſſium, aut vt Arabes dicunt ſatagiæ, piloſuè, ac minima hu-iuſcemodi à vulneribus, & cauernis eripit. communiter tamen lichinia, & turundas à plagis extrahit: vocitatur ab antiquis volſella, aut vulſella, à Neotericis pincetta, aut pincicarola; Venetijs verò moleti-na, forma hæc eſt.


Hipp li. de me-dico. Cel. lib. 7. c. 11. & 30. Gal. comm. 1. lib. Hipp. de med. vul. Pau. li. 6. ca. 90. Albu. li. 2. c. 6.




Inſtrumentum, quod tertio loco Chirurgo ſummę conuenit, teres rectū, ac longitudinis vnius quar tæ eſſe debet, & eius materia, aut aurea, aut argentea, aut ex auricalco, dum firmum, ac valens deſide-ratur; valet quippe ad vulnerum cruentorum vias inquirendas, occultas oſſium, caries, ſiue teredines inueſtigandas: caluariæ fracturas, depreſſiones, rimas, & ſquāmas manifeſtandas, ac vulnerum recon-ditorum penetrationes dignoſcendas: vnde ab aliquibus explorator dicitur quaſi occultorum affectuū manifeſtatur. Hoc neq; craſſum, neq; nimis tenue eſſe debet, ſed mediocre; eius adhuc vtilitas ſatis ac cōmodata eſt, dū aliqua aut lanæ, aut xili, ſiue bōbacis portiuncula: in eius extremitate appoſita ſit ca-ua vlcera, aut ſordida, aut cōtinui ſolutiones abſtergimus, aut ab omni alia re non naturali denudamus. Veteres Medici cum ſpecillum, radium, & radiolum vocant; recentiores verò aſtillam tentoriam, expertorem, exploratorem, ſiue exploratorium nominant; Veneti autem ſtilum. Interdum verò, vt flexibile ſit, aut depreſſioni idoneum, ex plumbo fabricatur, ad fiſtulas quas Græci ſiringas vocant, aut ſinūs diuerſos perquirendos: interdum acus formam imitatur, ad vlcera diuerſorum anfractuum, aut antiquas fiſtulas podicis præcipuè laqueandas. Horum omnium imago variæ delineatur.

Hip. lib. de calu. curat. li. 1. de mor-bis. li. de medico Cel. lib. 8. ca. 4. Gal. com. 2. de art. Pau. lib. 6. c. 77. Auic. 4. 1. c. 27. 3. 4. tract. 1. ca. 29. Albu. lib. 2. c. 46. Auic. c. de fract. cranei. li. 3. c. 3.


RADIOLVS.



Vt




RADIOLVS · PLVMBEVS.



Hipp.l. de fiſtu. Pau.lib.6.c.25. & 77.


Vt partes, quæ ictu ſecte ſunt, vnitati reſtituantur, quod cæant opus eſt. Quare quartum inſtrumentum non ſine ratione, ac multæ vtilitatis à Chirurgo circunferri debet, quamuis munus hoc naturæ ꝑprium ſit. attamen quia non ita concinæ, & delicatę id agere ſolita ſit: ſicuti Medicus auxilio acus: ideò inſtrumentum neceſſarium eſt, eius forma triplex reperitur, ob diuerſas actiones: nam in duris, & affaticatis corporibus veluti ruſticorum, militum, & nauigantium, aut in memibris naturaliter, vel ex labore duris, vt pars illa infimi ventris, à Græcis epigaſtrium, ab Arabibus mirach, & à Latinis abdomen vocitata; acus hæc ad faciliorem penetrationem triangulata eſſe debet: in facie verò, aut membris in propatulo exiſtentibus, vel in membris mollibus, ac effeminatis. acus illa ſit rotunda, ſubtilis, æqualis, & acuta; in partibus verò abſconſis, aut anguloſis, acus ex tenui ferro ut flecti, ac recuruari poſſit, multum conuenit: fiunt interdum ex plumbo ob ſupradictas vtilitates. acus nominatur, & hęc eſt.



Cel.lib.7.c.16. Gal.6.meth.c.4 Pau.lib.6.c.52. Aui.4 4.cap.7. Albu.li.2.c.46. & 87.

Non ſolùm Chirurgus prædicta inſtrumenta apud ſe continuo ferre debet, ſed quamplurima alia; vtpote ad pilos deradendos cutis, & carnis dilatationem, vt in caluaria fracta, & anguſtis vulneribus; ad profundas ſcarificationes, eſcreſcentias remouendas, additamenta demenda, emortuas particulas reſecandas, & corrupta membra amputanda: hoc inſtrumentum ab antiquis nouacula, & culter exciſorius vocatur, communiter verò raſorius dicitur, & ſecundum hos modos fabricatur.

NOVACVLA.




Hipp.li.de medico.

Inter opportuna inſtrumenta, quę quotidie Chirurgis occurrunt, ea porro ſunt, quæ primo in ſanguinis miſſione operantur: ſunt adhuc accõmodata. in ſectione abſceſſuum locorum carnoſorum nõ multæ profunditatis; cum ea etiam fiunt leues ſcarificationes, à priſcis Medicis gladiolum, ſcalprum, ſcalpellum Chirurgum flebothomum, & lanceola vocatur; à multis ſagitella, & à Venetis lanceta dicitur. horũ alterũ quia in latitudine folijs mirthi aſſimilatur, à Medicis flobothomũ mirthinũ vocitatͣ, eo vtuntur Chirurgi ſanguinem craſſum à vena emanare cupientes; aliud verò quia acutum eſt, & folio rum oliuæ formam præſefert, flobothomũ oliuare nuncupatur, hoc pari modo vtuntur Chirurgi ſubtiliorem ſanguinem à vena effundere volẽtes, hoc hebetis illud acutè aciei eſt. ecce quomodo facta ſunt.

Hipp.li.de medico. Cel lib. 7.ca.2. Gal 6.meth.ca. 4. & 14. meth. c. 17. Aet.li.14.c.32. Pau.lib.6.c.34

FLOBOTHOMV OLIVARE   FLOBOTHOMVM MIRTHINVM



Aliud ferè eiuſdem operationis inſtrumentum, apud Chirurgos in continuum venit vſum, non tamẽ eiuſdem figurę. potiſſima tamen eius vtilitas eſt aperire magnos, ac profundos abſceſſus; præſertim in membris duris, & anguloſis, aut affaticatis corporibus. valet etiam ad remouenda additamenta; verũ quia curuum eſt, ac ſemilunarem formam imitatur, à Gręcis ſcolopomacherion, ab Arabibus gamediti, & a Latinis ſpatumen curuum, & accicula vocitatur; ab aliquibus ob falcis ſimilitudinem falceola, & à Venetis gamaut nuncupatur.

Gal. 14. meth. cap. 17. 8. de aggreſsib. anat. Act. li. 15. c. 86. Pau. lib. 6. c. 23. & 74. Aui. 3. 4. tra. 2. cap. 5. Albu. li. 2. c. 80.


SCOLOPOMACHIRION



Alterum non multum diſſimile à ſupradicto, neceſſariò à Chirurgo circunfertur, quòd ex eo, quia in ſiringarum, ſiue fiſtularum ſectione opportunum eſt, à Græcis ſiringotomon; ab Arabibus embula, & caiada, & a Latinis manubriolũ, ſiue ſpatumen ſpinoſum vocitatur; fabricata ſunt hec huiuſcemodi.

Hipp. li. de fiſt. Cel. lib. 7. c. 19. Gal. 6. meth. c. 4 Pau. lib. 6. c. 52. Auic. 4. 4. c. 7. Albu. lib. 2. c. 80 & 87.


SYRYNGOTOMVM.



Quia ſæpiſſimè hominum caluaria frangitur, aut deprimitur, & Chirurgus eo eget inſtrumento, qđ ad oſſis fracti, aut depreſſi eleuationem opportunum eſt: ideò apud prædicta, ſecum continuo illud habere debet. Tale eſt diuerſarum formarum; vtile quidem ad diuerſas operationes, & quamuis locandum eſſet inter ea, quę craneo fracto conueniunt. nihilominus ob prædictam rationem, cum affectus talis inducias non expectet, hic eum locauimus: ſimile inſtrumentum habent noſtri Chirurgi continuè paratum, & cum eo attollunt oſſa, quę ferè tota exciſa ſunt, & iam labent, ac cerebri membranam cuſtodiunt; eſt enim lamina ferrea, anguſtior ab ea parte, qua os tangit, aut aſpera, aut conuexa ab altera, leuis, non recta, ſed media, duabus extremitatibus recuruata, cumque depreſſa ſunt cranei oſſa, aut fracta, nec manibus euelli, aut ſubleuari poſſunt. valde vtile hoc inſtrumentum eſt; à Græcis oſtagran, à Latinis vectis, communiter elleuatorium, & à Venetis leua nuncupatur: eius forma talis eſt.

VECTES.

Hipp. lib. 3. de fract. Gal. 6. meth. cap. vltimo.




Hæc ſunt ea inſtrumenta, quæ à Chirurgo continuo circumferri debent; ac vnicuiq; membro communiter accommodantur: nunc reſtat, vt de ea, quę ſingulo quoq; membro appropriantur, imagines, ac operationes ſingulatim deſcribamus.

INSTRVMENTA FRACTO CRANEO OPPORTVNA.

Multa, ac diuerſarum formarum ferrea inſtrumenta ea ſunt, quæ paſſionibus partium capitis accõmodantur; ea tamen prius delineare decreui, quæ craneo fracto opitulantur: quippe ſimplices rimę, quæ ad diploidem, ſiue vitream, aut, vt iſti dicunt, ſecundum tabellam perueniunt, aliquibus anguſtis ſcalpellis remouentur: de eis ergo impreſentiarum ſermo habeatur. Sapientes antiqui, vt rimæ, aut ſciſſuræ huiuſcemodi, fracturęue deleantur; nonnulla ſcalpra reperiere, quæ à malleolo plumbeo percuſſa, oſſa ſic affecta effodiebant. rectum, aut curuum inſtrumentum eſt, ac ima parte, qua acies continetur, in canaliculi ſpeciem vtrinq; à lateribus ſinuatum, ſic enim, & cauum eſt, & ad circuli figuram accedit; huiuſcemodi ſcalpris credo ligna à fabris lignarijs excauari: verum cum caput multum concutiant, quod

quod potius quietem deſiderat præcipuè ex malleoli percuſſione, à Gal. non approbantur, & quia talem ſeruant formam, à Græcis cycliſcha dicuntur, à Latinis ſcalpra exciſoria caua, & quia literæ C. aſſimilantur, à Celſo ſcalpra lunata nuncupantur, communiter ſcalpra caua dicuntur, egent omnino malleolo; ideò eorum delineationes hæ eſſe creduntur.


CYCLISCHA.



Hipp.lib.de calua. curat. Cel.lib.8 ca.4. Gal.6.meth.ca. vltimo. Pau.lib.6 c.90.


Non deſunt alia ſcalpra, quæ apud antiquos vſitabantur: cunq; igitur aliqui illorum craneum perforare cupiebant, diuerſis foraminibus anguſtis, fracturã circundabant, id verò quod de ſano inter foramina remanebat, aliquibus ſcalpellis, & malleolo diuidebant; plana ſunt huiuſcemodi ſcalpra, ideò ſua planitie oſſa abradere poſſunt. interdum etiam propria acie ea ſcindunt, & ſeparant: nam eorum vtilitas propria eſt oſſa adinuicem diuidere, aut os magnum in plures partes diſgiungere, ac ſeparare. ſcalpra, ſeu ſcalpella plana vocantur, & ſub duplici forma fabricantur.

SCALPER CONVEXVS. SCALPER RECTVS.



Scalpra hæc omnia ſuperius delineata, nullius ferè momenti ſunt, citra malleoli operam: nam mouentur plerunq; malleolo adacto: malleoli materia duplex eſt, aut lignea, aut plumbea.

MALLEVS PLVMBEVS.




Gal. Cel. Pau. Auic.

Opinantur nonnulli, quod cycliſchus, cuius imago ſuperius impreſſa eſt, illud inſtrumentum ſit, quo recentiores Medici in caluariæ curatione crebro vtuntur, & falſo imaginantur, nam illud à multis reprobatur; hoc verò ſecurè, commodè, ac citò operatur, nec eget malleolo: porrò hoc inſtrumentũ illud eſt, quod ab Hipp. raſorius ſcalper dicitur, & mirum immodum in cranei perforat. commendat, à Paulo ſcalper arcuatus vocitatur, à Latinis ſcalper adunchus, & ſcalper anguſtus nuncupatur, apud certas nationes caractoria, communi ſermone ragnolæ, & à Venetis eo quia raſpando, & fricando oſſium rimas delere ſolent raſpatoria, & fricatoria denominantur, ſicuti variantur in forma, ita diuerſa eſſe debent in numero, & magnitudine, & latiora, & anguſtiora; recta ſunt, ac fere vnius palmi magnitudinem implent, in imo recuruantur, ſic vt paruum ſinum in orbem oſtendant. ore autem, quæ à lateribus ſunt aciem acutam præſeferunt: nonnulli hoc ſolo ferramenti genere, caluariam perforando cõtenti ſunt, ne ſcalpro malleolo adacto cerebrum concutiant, nec terebre mucrone membranam, quæ ſub caluaria cerebrum tegit lædant, complura enim harum formarũ parata eſſe debent; in operatione verò à latiori initium capiatur, & ab anguſtiori totum opus perficiatur.

SCALPRA LVNATA.

Scalper anguſtior. *Scalper med us.* *Scalper latius.*



Et ſi antiqui varia ſcalpra conſcripſere, Medici tamen huius ætatis aliquibus vtuntur, quæ commodiſſima, ac ſecura eſſe creduntur: ſeruant quatriplicem formam, & nomina trahunt ab eorum forma; nempè acuta ab acutie, plana à planitie, ſpherica ab rotunditate, amygdalina ab amygdalę effigię: ſcalpra raſoria dicuntur: videatis formarum diuerſitatem.

SCALPRA RASORIA.

Scalper ſphericus. Albucaſis. *Scalper planus. Celſi.* *Scalper acutus. Auic.* *Scalper amygdalinus. Raſis.*



Inter ſcalpros, aliqui in ſuo manubrio ita firmiter inſerti videtur, qđ nullo modo inde dimoueri poſſunt; alij verò, & ſi plures ſunt, vno tantum manubrio ægent, nam eorũ caudę torculatę procedunt: ſunt quippe vnius formæ, & magnitudinis; in fundo pariter manubrij, torculum quodam effęminatum locatur, quod aptiſſimæ inſtrumenta recipit. Tale etiam manubriũ interdum ſub cannuli forma fabricatur, in imo cuius torculus adeſt, reliquum verò intus omnia terebrã recipit, & conſeruat. hæc omnia ſint ad commodum operantis, & proprijs nominibus vocentur, ne tempus in operatione conteratur.


Soliti



Soliti erant primarij Medici rimas, aut longas ſciſſuras, quæ obliquæ procedunt, aliquibus ſerrulis remouere, dum tamen alicui parti adhęrent; accõmodatum pariter inſtrumentum eſt, ad æquanda latera oſſis fracti: variæ ſunt harum ſerrularum imagines, & ſerre, aut ſerrulę nominantur.

SERRE.

Serra limata. Serra duplicata. Serra arcuata. Serrula. Serra plana.




Hipp. lib. de cal uar. curat. Aui. c. de fract. cranei.

Reliquum ſcalpri genus, quod in imo lenticulæ ſpeciem habet, atq; hanc hebetem, in longitudinem verò aciem acutam, apud Chirurgos antiquos commendatur, quo vtuntur noſtrates, in oſſe cranei val de comminuto, aut arte pluribus in locis terebrato, ſed non vbiq; ſeparato: cum lata lenticulæ parte membranam attingit protegitq; æger malleolo, cum excidendo præire debet, quàm excidendi rationẽ Gal. præter cæteras approbauit, vtq, celerrime effectum præſtet, idq; ſine vlla membranæ cerebri noxa. Hoc inſtrumentum Græci phacotum vocant, à Latinis lenticulatum, & communiter lenticulare, & lentititium, & à Venetis, quia lenticulam præſefert, lenticula nuncupatur.

PHACOTVS.


Gal. 6. meth. cap. vltimo.



Qui Gal. præceſſere, in chirurgia præſtantiſſimi, vt cerebri mẽbrana ab angulo ſcalpri, ac omni noxa tuerentur, inſtrumentum eius cuſtodem imaginarunt, illudq; operando ſub caluaria demittebant: lamina ænea, aut argentea eſt firmà, paulum reſima ab exteriori parte leuis, quæ demittitur, ſic, vt exterior pars eius cerebro proprior ſit, ſubinde autem ei ſubijcitur, quod ſcalpro diſcutiendum eſt, ac ſi excipit eius angulum vltro tranſire non patitur; eoq; & audacius, & tutius ſcalprum malleolo ſubinde Medicus ferit, donec exciſum, vndiq; os, eadem lamina leuetur, tollique ſine vlla noxa cerebri poteſt: quapropter à Græcis meningophilacas, à Latinis ſpatomelis, & communiter cuſtos membranæ vocitatur. imago huius, hæc eſt.

MENINGOPHILACAS.

Cel. lib. 8. c. 3. Gal. contrario. 1. de off. me. & 4. de loc. aff. c. 2. Pau. lib. 6. c. 77. & 90. Aui. 4. 4. tra. 4. cap. 12. & 5. 4. tract. 3. cap. 1.



Cunq; caluariæ oſſa depreſſa, fracta, aut comminuta dignoſcuntur, & manibus euelli, aut ſubleuari nequeunt, aliquo vti inſtrumento opus eſt, & quamuis ſimile deſcripſimus ſuperius. eiuſue operationẽ narrauimus, effigiem delineauimus, & multa, quæ ad eum ſpectant diximus; nihilominus quia locus eorum hic eſt, nonnulla huiſcemodi accõmodata inſtrumenta, pingere hoc in loco decreuimus.

OSTAGRAM.


Gal. 6. meth. c. 6



Poterant plura alia de ſcalpris adduci, ſed his contenti eſſe voluimus, quæ ad hanc rem maximè pertinebant, reſtat modò, vt de terebris aliqua enarremus. Terebri autem proprium eſt perforare, cum acutum mucronem habeat: eius duo genera ſunt, alterũ ſimile ei, quo fabri vtuntur, ac à Celſo in primo loco deſcriptum videtur: cum eo foramen fit in ipſo fine vitiati oſſis, atq; integri; deinde alterum nõ ita longè; tertiumq; donec totus hic locus, qui excidẽdus eſt his cauſis cinctus ſit. tũc exciſorius ſcalper ab altero foramine, ad alterum malleolo adactus, id quod inter vtrunq; medium eſt excidit, fitque ambitus ſimilis ei, qui in anguſtiorem orbem modiolo imprimitur: aptatur propriæ cum oſſa plurimũ firma ſunt: ſed metuendum eſt, ne dum agitur, mucrone cerebri membrana violet; qua de cauſa Hipp. imperauit, vt in ipſo vſu caueamus, ne nimis altè deſcendat. ſcire adhuc licet vſum eius alienum eſſe, vbi oſſa vehementer ſunt perfracta, aut vbi per ſe imbecilla ſunt.

Quia


TEREBRVM, QVO FABRI VTVNTVR.



Hipp. li. de cal. curat. in fine. Cel. lib. 8. ca. 3. Gal 6. meth. ca. vltimo.

Quia terebrum primo loco delineatum, dum circumagitur, periculum imminet, ne cerebri membranæ violentur, ideò nonnulli, inquit Gal. vt quominus vſquam aberrent, & hoc periculi genus euitent, eiuſmodi terebras excogitarunt, quæ mergi non poſſunt, quas ob id abaptiſta Græcè dicuntur: circuncurrit enim parum ſupra terebelæ acutam cuſpidem circulus quidam parum extans: ſanè expedit complures id genus paratas habere, quę omni caluariæ craſſitudini ſufficiant: nam craſſiori ea conueniunt, quæ inter extantem circulum, & mucronem longius ſpatium habent. Tenuiori contra, quæ breuius: Huc etiam pertinere videntur terebrę ſecundo loco à Celſo deſcriptæ, capituli longioris, quod ab acuto mucrone incipit, dein ſubito latius fit, atq; iterum ab altero principio paulo minus, quàm æqualiter ſurſum procedit. prohibet enim capitulum, quod ſuper mucronem ſubito lateſcit, ne terebra altius deſcendat: terebra hæc habena ducuntur, cum in tranſuerſarium inſeruntur, quod medium perforatum ē, ita vt facilè ſurſum, ac deorſum per ipſam feratur, dum habena per ipſam obuoluitur, & circumagit, ac impetu per ſe in contrariam partem conuertitur.


ABAPTISTI.



Gal. 6. meth. c. 6. Pau. lib. 6. c. 90. Aui. 5. 4. tract. 3. c primo. Albu. lib. 3. c. 3.


Triplici habenæ modo terebra circunducuntur, vno per tranſuerſarium, & duplici habena: alio per ſimplicem, mediæ terebrę arctæ alligatam, ac ſæpius circa ipſam obuolutata: tertiò cum exiguus arcus admo-

admouetur, ſic vt corda ſemel circa terebram voluatur: quæ autem terebra per ſimplicem habenam, aut arcum circumagitur, pilam mobilem in ſummo continent, & vt dignoſcatur horum potentia. videatis imagines.




Pila, quæ ſiniſtra firmiter continetur.

Inter nautas imaginati ſunt nonnulli Chirurgi, credo inſtrumentorum penuria, quibuſdam terebris oſſa cranei perforare, quæ vna tantum manu auoluuntur, & in ſummo pilam firmam, aut tranſuerſariũ continent: in imo verò valde acuta ſunt, quare non approbantur: poſſent fortaſſis à viro perito commodè vti: videatis eorum formas.



Magnus ille Arabs Chirurgus Albucaſis, in caluariæ perforatione quoddam commendat terebrum, quod duntaxat digitis tantum auoluitur: id equidem eam perforationem operatur, quàm ſupradicti terebri facere ſoliti ſunt, & quia digitis circunfertur admodum tenuis eſſe credo: porrò à principe etiam aliqua terebra memorantur, quæ magnis acrubus triangulatis aſſimilantur. his præcipuè, quæ ad ſubaſcelia, aut ſcamna reſtauranda accommodantur: veruntamen quia facillimæ ad membranas deſcendit, non multum in vſu oſſeruatur.

TEREBELLA TRIANGVLARIA SIMILIA ACV.



Albu.li.2.c.46. & lib. 3.c.30. Aui. 5.4. tract. 3.cap. primo.


Acuti terebri multas, & anguſtas perforationes circa fracturas circulariter cauſare ſoliti ſunt, quæ porrò longiſſimo tempore, ac magno timore celebrantur, ideò ad rem eſſe non videntur: attamen, vt ſenſatè dignoſcatis proceſſum huius actionis, videatis hæc duo capita, quorum craneum fractum, aut depreſſum apparet: & puncta nigra circa fracturas, terebratas perforationes manifeſtant, quod verò integrũ inter orificia reſidet, phacoto ſine lẽticulato, aut alio ſcalpro, malleolo adacto, ſecare expedit.

CAPVT TEREBRO PERFORATVM.




Expoſitis quæ ad terebram acutam pertinebant, reſtat vt ad alatam tranſeamus, quibus oſſa radi, ac excauari poſſunt: aciem hinc inde acutam habent, & imam partem oualem, aut ſemicircularem: hæc in ſuo vertibulo, aut manubriolo poſita, ac conuerſa os excidunt, nec à cerebri membranam deſcendunt; quum ale, quæ prominent cæteras partes penetrare non permittunt: huius autem generis complura habenda ſunt latiora, & anguſtiora. primò quidem latius admouendum eſt, deinde anguſtius, ſic vt quum os dimidium exciſum eſt, maximè anguſtum adhibeatur: accommodatiſſimum inſtrumentum eſt in teredine, & carioſis oſſibus, non autem rimis, & ſolis ſciſſuris: tardè tamẽ operantur, ac magno rumore, & diuerſimode fabricãtur nẽpe duarũ, aut quatuor, aut pluriũ alarũ, vt hic videri poſſunt.

TEREBRA DVABVS ALIS MVNITA.



Diuer-

TEREBRA QVATVOR ALIS CIRCVNDATA.




TEREBRA PLVRIMIS ALIS AVOLVTA.



TEREBRA LIMATA




TEREBRA IMAGINATA



Diuerſa alia inſtrumenta, ad varios capitis affectus opportuna, veluti cauteria, ſetania, forpices, tenaculæ, & ſimilia delineaſſem, ſed quia alijs etiam diſpoſitionibus communia ſunt, ideò ea loco ſibi proprio deſcribam: ne mireris Lector ſi adeò pauca de horũ inſtrumentorum vtilitate, ac operatione enarrauerim, cum in tractatu de caluariæ curatione ad plenum omnia ſint explicata, reſtat tamen, vt qua ratione caudata terebra circumagantur, apud Chirurgos, dicamus: porrò quia eorum plurima caudata ſunt, nec per ſe ſola, niſi vertibuli, aut manubrioli auxilio verti poſſunt, hac de re vertibulorum, aut manubrioli imagines, ſub ſenſata cognitione, reddamus.


Hoc inſtrumentum ferreum eſt, ima parte quadratum, vbi cauum habet, cui terebri cauda inſeritur, in medio flectitur, & in ſummo annexa mobilis pila eſt: oſſi affixo terebro, altera manu pila continetur; fiſtula altera circumagitur. ſic enim os perforatur, terebro acuto; aut in orbe præcinditur modiolo; vertibulum nuncupatur.

VERTIBVLVM COMMVNE.



Quia longiſſimo experimento noui, vertibulum ſuperius delineàtum , dum auoluitur , ſiniſtra ſuper pilam adapta, ac dextera id in girum vertendo, opus laborioſum eſſe, ac multò egere tempore, nec tutum ab omni noxa fore , cum ſatis altè operatur , aliud ferè ſimilis operationis fabricaui : hoc argenteum, aut æneum, aut ligneum eſſe debet, formæ oualis totum perforatum , per quod medium tranſit manicus ferreus mobilis , qui ſuperius in girum auoluitur in imo cauus, vbi terebri cauda inſeritur , in ſummo reflexus, vt dextera conduci poſſit : ouus verò in ſiniſtra ſuper caput infirmum firmiter accommodata, immobiliter teneri debet, & hoc pacto terebro in cauo affixo craneum perforatur: manubriolus oualis vocitatur.

MANVBRIOLVS OVALIS.



Superius varia delineauimus terebra, ac qua ratione auoluerẽtur explicauimus : reſtat mòdo , vt de modiolis, non ſecus à ſerra, ſermo habendus ſit: modiolus(inquit Celſus) ferramentum concauũ teres eſt, imis oris ſerratum, per quod medium clauus ipſe quoq; interiori orbe cinctus demittitur, vt eo inſiſtente modiolus delabi non poſſit, ac vbi iam iter modiolo preſſum eſt medius clauus educitur , & ille per ſe agitur . Hoc inſtrumentum ſerra teres eſt, qua vtebatur Hipp. dum caluariæ os ſecaret, cum eius circui-

circuitum conſiderari iuſſit : antiquiſſimum quippe eſt, & à Græcis chynicida., aut chænition vocatur : à Latinis modiolus, & à Principe voce corrupta anichades : apud nos eſt in continuo vſu : apud multos verò reprobatur. veruntamen ſi circunſpectè oſſi adhibeatur, eaq; ſeruentur, quæ Hipp. voluit in eius vſu ſeruari, proficit omnino : eius forma talis eſt.

CHYNICIDA.

Hipp. li. de calu. curat. lib. de locis in homine. Cel. lib. 8. cap. 3. Gal. 6. meth. ca. vltimo. Pau. lib. 6. c. 90.



Nouam modioli formam, Medici huius ætatis inuenere, hæc duabus alis circundatur, quę modiolū mergi nequeunt, ſatis tuta inſtrumenta ſunt, & vbiq; obſeruantur, alę quidem operando latiorem orificium reddunt, ita quòd quanta penetratio, apertiſſime dignoſcitur.

Iacobus Berengarius Carpẽſis Vidus Vidius Florentinus. Leonardus Botalus Aſtenſis.




MODIOLI DVABVS ALIS MVNITI



Alij recentiores, ac huius ſæculi Chirurgi, vt tutior magis aperta, & velocior fiat horum modiolorum operatio, quatuor alis eos circumuoluerunt, ad horum ſimilitudinem.


MODIOLI QVATVOR ALIS CIRCVNDATI.



Et ſi prædicti modioli vbiq; ferè in continuo vſu ſeruentur, attamen mihi videntur aliqua continere incommoda, vnde nomen ſecuritatis omnino non merentur, quemadmodum multis ſic eos appellare placuit : nam inſtrumenta ſecuritatis, quæ eo quia mergi non poſſunt, abaptiſta vocantur circulo, & nō alis muniuntur : hac de re nonnulli diligentiores, circulatos modiolos fabricarunt. circuli verò parum extantes, ac gradatim circuncurrentes à cuſpide acuta, ſiue tereti ſerra, diſtent ; vt craſſitudini oſſis cranei adaptari poſſint : Porrò hæc inſtrumēta verè ſancta, ſecura, incomparabilia, & abaptiſta vocari merentur : Nos autem inſtrumenta ſecura nuncupamus : hæc ſimilia in forma, ſed diuerſa in diſtantia circuli, à ſerra, eſſe debent, videatis imagines.

Galli


INSTRVMENTA SECVRITATIS.



VENETIIS.

Galli modiolorum numerum, ac varietatem euitantes, modiolum cannulatum, teres, ſerratum ſine ala, aut circulo, ſed pluribus in locis gradatim perforatum conſtruxere: & ne mergi valeat, tranſuerſarijũ, ſiue defenſaculũ quoddã parũ extans. in eis cauis locant, qui ad cranei craſſitiẽ permutari aſcendẽdo poſſit: ſic.n. ſolo vno modiolo, oĩbus craneis accõmodato oſſa perforant: videatis quæſo ſimilitudinẽ.


MODIOLI PLVRIBVS IN LOCIS PERFORATI.



LVTETIAE.

Itali admodum diligentes in manuũ operationibus (circa caluariæ curationem) nouos quoſdam inuenere modiolos cannulatos, ſerratos, & torculatos, quibus exterius ſuccedit alter cannulus breuis interius torculatus, qui paullatine aſcendendo prohibet. ne vi modiolus deſcendat, diſtat verò modioli torcular à cuſpide ſerre, policis groſſitudine, vt ſerra perforando deſcendere valeat: videatis adhærentiam horum cannulorum.


MODIOLI TORCVLATI.




ROMAE.

Nec deſunt præter hos alij modioli, apud Teutonicos ad cranei perforationem de nouo reperti, veluti hic conſeruntur duæ ſerre vtrobiq; in manubriolo ligneo recto, cauitatibus quamplurimis, ordinatè inſertis, referto: cui exterius cannulus quidam applicatur, qui eum profundari nequit: à cannulo verò duæ æquales oriuntur auriculæ longitudinis medietatis vnius digiti, cum duobus paruis tranſuerſarijs, à media fere eorum regione tranſmiſſis, qui cauitates manubrioli ingrediendo, ac cannulum firmiter tenendo, modiolum violenter mergi prohibent: exterior verò cannulus, ad libitum operantis extollitur, ac deprimitur: eius exemplum hoc eſt.

MODIOLVS CANNVLATVS.




CANNVLVS.



Inter modiolos cannulatos, ac ſerratos, quoddam inſtrumentum non ſine artificio ex duplici cannulo contextum reponitur: quorum primus eſt ſimplex, teres, ſerratus, ſemiuacuus in immo, ac longitudinis medietatis digiti, à quo duæ reſultant alæ eiuſdem dimenſionis: in quarum medietate duo parui tranſuerſarij exterius eminent: in ſummo verò orificium quoddam impreſſum eſt, vbi vertibuli torculata acuties inſeritur: alterum teres latior, ac primò breuior, & ſine ſerra conſtruitur, duabus alis pariter munitus, interius multis cauitatibus plenus, in quibus primi cannuli tranſuerſarij ingrediuntur. ſic enim ſerratus modiolus deſcendendo tuto omnē cranei craſſitiem perforare poteſt: auoluitur modiolus iſte, cuiuſdam vertibuli munere: ſed quomodo fiat talis compoſitio, videatis.


Cannulus interior.




Cannulus exterior.




Cannulus integer.




VERTIBVLVS.



Quendam modiolū Noribergenſem vidi magno quippe magiſterio conſtructum, manubriolum eſt ſuperioribus ferè ſimile, cui tres formæ modiolorum cannulatæ, teretes, ac ſerratę inſeri poſſunt: hi quidē latitudine variant, nā alter, altero, latior videtur: in ima verò vertibuli parte, ſeptē rami oriūtur, medius verò clarius eſt, in alijs autem anguſtioribus, anguſtior modiolus locatur, in latioribus magis latus, in amplioribus latiſſimus applicatur: aſpiciatis quæſo huius inſtrumenti pulchritudinē, ac vtilitatē.




Nunc vobis duo oſtendam vertibula, vna cum ſuis modiolis, quibus in cranei perforatione vti ſolitus ſum; vertibulum vnum eſt in medio reflexum, ac in ima parte cauum quoddam quadratum cõtinet, in quo modiolus teres cannulatus, ſerratus, ac quatuor alis munitus, vel terebrum multis alis circundatum inſeritur: alterum verò torculatũ videtis, in cuius extremo duo pariter modioli interius torculati, inſeri poſſunt: quorũ vnus ſerram adeò breuem continet, quod vix veſtigium ſerraturæ imprimit: alter verò ſerrã teretem habet, ab alijs non diſſimilem primus fœmina, ſecundus maſculus vocitaẽ.



Vt autem oſſa cranei ex toto vſque ad membranam perforentur, inſtrumento ſimili Veneti continuo vtuntur: aſtula recta eſt longitudinis palmi, quæ inter duas manus ducitur: hinc inde verò modiolum teretem, planum ſerratum, ac concauum retinet, quorum vnus aculeum continet, alter verò fœmina eſt, hoc cum circulariter auoluitur oſſa cranei mirabiliter penetrat: à Græcis chænition, à Latinis modiolus planus vocitatur: eſt quippe ſubtilis ſerra Hipp. hæc eius vera effigies.

CHÆNITION.




MODIOLVS PLANVS.




Velox admodum eſt, horum modiolorum operatio, veruntamen non ab omni noxa liberatur: hac de re nonnunquam timetur eorum operatio, cum facillimè emerguntur: & ea magis laudatur, quæ à modiolo neſpulato reſultat: porrò, nec ab omnibus hæc laudatur, cum tarde, nec ſine aliquo ſtrepitu, ac rumore agat: modiolus eſt pluribus alis circundatus, quæ in operatione latius orificium reddunt manifeſta eſt horum modiolorum forma, in inferius delineatis.

MODIOLI NESPVLATI.



Non deſiſtam aliquos modiolos delineare, qui apud nautas præſertim Hiſpanos exercentur, apud Italos verò quia tardè operantur, dum vna tantum manu auoluuntur raro reperiuntur: videatis tamen imagines, & operationes eorum.

MODIOLI, QVI VNA TANTVM MANV DVCVNTVR.



Nonnulli Chirurgi diligentia pleni, modiolum quendam habent cannulatum ſerratum, formæ quaſi oualis, qui ad medietatem vſque, ſemper ampliando procedit, quare ad meningas de facili non deſcendit: eius exterior pars aſpera eſt, ideo dum auoluitur omnes terebrati oſſis ſatagias, ac aſperitates adequat: continuo etiam operando amplius orificium reddit: formatur modiolus aſper, hoc modo.

MODIOLI ASPERI.




Vt pariter æquentur aſperitates oſſis perforati, aliqua inuenta ſunt inſtrumenta ſine cannulo, & ſerra, ſed aſpera, & limata: in quorum immo lenticula quædã inſerta eſt, non multum deſidens à modioli latitudine: qua membrana noxa tuetur, & quia eorum operatio eſt æquare, ideo æquatoria dicunẽ.

MODIOLI AEQVATORES.



Multa de terebris, ac modiolis hactenus explicauimus, qui crebro, cum craneum perforauerint os in orbem terebratum, in ſede propria reſidet: qua de re eo vti opus eſt inſtrumento, quod eleuatorium vocatur, quod abſque aliqua noxa non iudicatur, nam eleuando os in una parte, id deprimitur in alia, & periculum imminet, ne eius aliqua particula ſua acutie membranas offendat: quare cannulatam quãdam tenaculam fabricaui, æqualiter ſecundum eius longitudinem dipartitam, aliquãtiſper modiolo anguſtiorem, eiuſdem formæ, & ſine ſerra, vt terebratam diploydem, æqualiter, ac firmiter amplectatur, ac tuto extrahat, nullam interius ſquilam, aut ſattagiam relinquendo: eius fractura talis eſſe debet. ſed varia in latitudine, vt modiolum ſequatur.

TENACVLA CANNVLATA.



In quoddam codice Albucaſis, nonnulla vidi inſtrumenta ad eleuanda oſſa depreſſa, quæ ex eo quia

quodam artificio ſunt fabricata, non tamen ſecura ea delineare decreui: eſſet quippe longiſſimus ſermo, ſi quis eorum narrationes aſſignare decreuerit: quare ſat eſt, vt videatis quo modo picta ſint.

Vbi caput ĩ ſummo contuſum eſt, & oſſa fracta, aut depreſſa videntur.







Vbi caput in lateribus contuſũ, oſſa fracta, aut depreſſa oſtendit.

Operatores, quamprimũ caluariã fractã dignoſcunt, os totũ dubitatũ in propatulo tradunt, vt fracturæ modum, quantitatemuè, intelligant: quare apprime eſt neceſſaria, carnis, ac pericranei ab ipſo craneo cõueniens ſeparatio; quę tripliciter celebratur, vt in his tribus capitibus apertè videre poteritis.

Linealis, ſiue recta. Trigona, ſiue orthogonalis. Tetragona, ſiue crucialis.









Multa de terebris, modiolis, & his ſimillimis inſtrumentis vſque adhuc enarrauimus, opportuna quidem in caluariæ curatione, & perforatione: quorum opus leue, ac quietum eſſe debet: nunc reſtat, vt nonnulla fortiſſime operationis delineamus: cogitur ſæpè Chirurgus aliquam oſſium partem diſrumpere, vt membranæ à noxa liberentur, id magis cum in plures partes diſecta ſunt, nec digitis, aut debili quodam inſtrumento dimoueri poſſunt: vt in ea fractura, quæ thlaſma, aut engiſoma vocatur, videri poteſt; valent inſuper mordendo oſſis duri parietes abſumere, aut os diuidere, ipſumq; faciliori extractioni reddere, ac latius orificium cauſare, vt commode humiditates expurgari valeant: ſortiuntur propria nomina ab eorum forma: ab antiquis ſcalpra ecciſoria oppoſita vocantur, cõmuniter forcipes, & vulgari ſermone mordenti: vtiliſſima quippe apùd expertos inſtrumenta creduntur, & continuo vſui ſeruantur; videatis eorum varias effigies, & fabricas.

SCALPER ECCISORIVS OPPOSITVS.




Gal. 8. de vſu par. ad coſtas incidendas. Auic. c. de fract. cra.

FORCEPS ECCISORIA.




Pau. li. 6. c. 88.


MORDENS.




SERPENTINA.



GRVINVM.




OSSI FRANGENS.










INSTRVMENTA OCVLORVM PASSIONIB VS ACCOMMODATA.

PAVCAE admodum ſunt oculorum paſſiones, quæ ferreis egeant inſtrumentis, ideò non multa ab antiquis deſcripta reperiũtur: veruntamen affectus ille, quem Græci hypochimia, Arabes cataractã, Latini ſuffuſionem, & Vulgares aquam appellant, cum humor glaciei modo concretus. inter corneam, & criſtaloydem circa pupillam, quo viſus eatenus ſaltem impeditur, vt non poſſit diſcretas rerum ſpecies, & colores apprehendere, non niſi medica manu, & inſtrumento remouetur, cuius materia aut aurea, aut argentea, aut ænea eſſe debet: forma verò acuta, more acus, præcipuè in tenui coniunctiua: quare ſub duplici forma fabricatur, ac diuerſimode vocitatur.


Acus Cel. lib. 7. c. 7. ſect. 13. Acus acuta Gal. de of. m. com. 1. Stilus punctorius Pau. lib. 6. cap. 21. Halmedech Ieſu Hali. tract. 2. cap 68. Mucadanati. Auic. 3. 3. tract. 4. cap. 20. Almagda. Albu. lib. 2. cap. 23. Deponens aquã Modernorum.

ALMAGDA.




Si autem non obedit tibi almagda ad introitum in oculo, propter eius duritiem, nam ex hominibus eſt, cuius oculus valde durus percipitur: tunc quippe oportet vt vtaris alberid, donec perforetur cõiunctiua tantum, & fiat locus ad almagda: eſt enim acuties alberid triangulata.

ALBERID.




ALMHET



Aliqui de regione Alayrach Arabię diuerſas vias imaginati ſunt, in aquæ extractione, & imam corneæ partem perforant, inde canulum quendam argēteum, minimum quidem, in orificio imponunt, donec ad aquam peruenerit, quo labijs proprijs eam ſuggere poſſint: porrò via hæc noua eſt, nec pręterea more: nam ſi aqua craſſa fuerit, vna ſecus albugineus humor exiret: magdaham vocatur canulus iſte, cuius hæc eſt imago.

MAGDAHAM, ET MAGDAM.

Auic.3.3.tract.4.cap.20.in fin. Albu.li.2.c.32.




IN ANGVLIS DOMESTICIS OCVLORVM.


In internis oculorum angulis, loca Gręce enchantis, Arabice almacheni, ſeu almekni, Latine anguli oculorum nominata, aliqui parui abſceſſus, à Græcis anchilopa, ab Arabibus haſcili, & bachili, & à Latinis lachrymales tuberculi vocitati naſcuntur: qui diſrupti, ac ſine methodo curati, in eam tranſeunt diſpoſitionem, quam Græci ægilopas, Arabes garab, & algarab vocant, à nonnullis ariſlati, & à Latinis lachrimales fiſtulæ nuncupantur: cumq; diu protrahuntur, teredinem in oſſe gignunt, nec vnquã remota teredine cicatricem contrahunt: remouetur autem caries ipſa, aut longo tempore virtute medicaminum eſiccantium, aut breuiter opere aliquorum terebrorum, aut igne: terebra verò duobus modis fabricatur, aut duabus alis circundata, aut ſpherica, & limata: potentia terebrorum non ſolũ operatur cariem oſſis abradendo, ſed interdum totum os vſq; ad narium cauitates perforando: talia ſunt hæc terebra.

TERERRVM ASPERI CAPITIS. ALBVC.


TEREBRVM ALATVM. CELSI.

Cel.lib.7.ca.7. ſect.7. Gal.5. de cõpo. medic. ſec. loc. cap. primo. Aet.li. 7. ca.85. Paul.li.3.ca.22. & lib.6.cap.22. Auic.3.3.tract. 2.cap.14. Albu.li.2.c.19.







Cumq; tali remedio caries ex toto nõ remouetur, vt ſucci ad narium cauitates facillime defluant, & expurgentur perforare os neceſſe eſt, & eo tutiori modo quo poteſt: quare terebra acuta, triangulata inuenta ſunt: quæ opus hoc tuto, cito, & ſine dolore peragunt: horum effigies talis eſt.



Quia extremis morbis extrema exquiſitaq; remedia optima ſunt, hac de re interdum cogimur cauterio actuali, ideſt ignito, vti; & ne oculus lædatur, aut vaginam, aut canulum, ipſi fiſtulæ adaptamus, aut coclearem ipſi oculo applicamus: quare experti Chirurgi canulos conſtruxerunt, per quos igniti radij ad os affectum percurrere poſſint: canuli ad hoc opus accommodati ſic facti ſunt.

In

CAMAHAM. ALBV. VAGINA. AVIC.

CAVTERIVM. RADIVS.



IN NARIVM MEATIBVS.

In narium cauitatibus, aliquę carnoſę excreſcentię oriuntur, à Græcis ſarcomata, & polypi, ab Arabibus alarnabet, & alarbiam, à Latinis tubercula carnoſa, & hemorrhoides narium vocitatę: nomen aſſumunt à piſce illo maritimo, qui polypodus vocatur, ratione ſubſtantiæ, ac tenacitatis, pluralitate pedum, quibus membrum amplectitur: horum alter durus, ac malignus eſt: alter verò mitis, & benignus iudicatur ille curari nequit: hic ſanatur ſola manuũ operatione, auxilio tamen alicuius inſtrumenti curui, ac ſemilunaris, & diuerſarũ formarũ, ſæpeue actuali cauterio: formæ verò inſtrumentorũ hæc ſunt.

Hipp. lib. 2. de morbis. Cel. lib. 6. ca. 8. & li. 7. ca. 10. Gal. 3. meymir. cap. 30. Aet lib. 6. c. 90. Paul. li 6. c. 25. Raſis lib. diuiſ. cap. 24. Auic. 3. 3. tract. 2. cap. 11. Albu. li. 2. c. 24. & 87.

LVNARE. AVIC. CAIADA. ALBVC. Spatumen curuum commune.



SPATA ACVTA. CEL. SPATVLA ACVTA. PAVL. Spatumen rectum. Albuc.

Si polypus occultus fuerit, ac in ima parte immerſus, vt tutius apprehẽdatur, & radicitus extipetur, aliqui vncini, ſiue hamuli fabricantur: quorum effigies tales videntur.



VNCVS. CELSI. HAMVLVS PAVL.

CIATHISCVS. PAV.

Interdum cogitur operator polypum incidere, ac vna eius radices adurere, ne denuo concreſcat, & augeatur: quare duo præparentur inſtrumenta, alterum ad ſecandum, & vrendum; reliquum verò tãtum cauterium ſit.

CVLTELLVS, QVI IGNIRI DEBET. CAVTERIVM LINGVALE.





IN MEATV AVDITORIO.

In auribus pauci admodum ſunt affectus, qui manuum opere egeant: ideò non multa inſtrumenta à veteribus delineata vidẽtur: ſolent tamẽ euenire, vel à prima natali die, vel protinus facta exulceratione, ac inducta cicatrice, vt nullum remaneat in aure foramen, quare audiendi vſu priuatur: quod vbi accidit. ſi altæ, & tenuis cicatrix eſt, acuto medicamento, aut ſcalpro accommodato diuidatur-


Cel. lib. 7. c. 8. Gal 3 de cõp. med. ſecundum locos. Aet. Paul. li. 6. c. 23. & 24. Auic. 4. 3. c 21. Albu. c. 6. & 7.

CVLTELLVS ALNESIL. SPATA TENVIS





Facta ſectione, coijcienda in vulnere pinna eſt, illita medicamento cicatricem inducente, vt cutis circa pinnam ſaneſcat, quo fit, vt ea remota, poſtea facultas audiendi, remaneat.


PINNA AVIS.



CANNA ARGENTEA.




CANNVLVS.




Solent etiam in aurem incidere non modo calculus, ſed & faba, & ſiliquarum ſemina, & ſimilia, quæ extrahi debent ſpecillo, lana, aut xilo in ſummo auoluto, ac in reſina, aut tali glutinante medicamēto demiſſo, eoq; in meatum auditorium leniter coniecto, donec adhæreat rei ingreſſę, eamq; extrahat: ſin iſta nihil proficiunt: arundineum cānulum, aut galli, vel aquilæ, aul alterius magnæ auis pinnam accipere oportet: & cera arundinis, aut argentei cannuli, aut pinnæ ambitum, quo auri inijcitur obturare, ne necubi ſpirare poſſit, ac in auditorium meatum imponere, inde ore fortiter exugentes, ea quæ inciderunt extrahimus, aut ſaltem ad orificium euocamus.

CANNA RECTA. ALBV.




EMBVBA. AVIC.




Si hæc non iuuant expedit vel hamulo, vel vncino ceco, aut geſti, aut roſtro Arcadię hæc apprehendere, & paullatine euellere: horum inſtrumentorum effigies ſimiles ſunt.

HAMVLVS.


Paul. l. 2. c.6.
Albu. lib 2. c.6.




VNCINVS CECVS.



GESTI.



ARCHADINVM.




IN PASSIONIBVS ORIS, ET GVTTVRIS.

Gutturis intimæ adenes, quas Græci antiadas, Arabes algodad, & Latini tonſillas vocant, inflammationum expertes, aut ſupra modum auctę: ac cibi, potuſq;, & ſpiritus iter impedientes: ante completam ſuppurationem interdum ſeccari debent: porrò cautè inſtrumentum admouere oportet, quod Græci agchilotomon, Arabes ſpatumil, & Latini ſcalpellum lunatum appellant: ad has ſimilitudines facta ſunt.

AGCHILOTOMON.

Cel. lib. 7. c. 12.
Gal. 5. de cõp. med ſecun. locos.
Paul. lib. 6. c. 30.
Auic. 9. 3. c. 15.
Albu. li. 2. c. 36.





Cunq;

Cumq; in ore, aut gutture tumorem ſeccare volueris, linguã inferiorima xillę ap primère decet, quare illud eſt accommodatum inſtrumentum, quod Græci gloſſocatochon, Arabes ſpatam, & Latini ſpeculum oris vocant.


GLOSSOCATOCHON.

Paul. li. 6. c. 30.






SPATA.



Deuorantur interdum edendo ſpinæ, oſſicula, & ſimilia, quæ gutturi ita infiguntur, vt vix euelli poſſunt: ea verò quæ in conſpectu veniunt, eo extrahuntur inſtrumento, quod Græci acanthobolon, Arabes geſti, & Latini volſellam dicunt.

ACANTHOBOLON.

Paul. li. 6. c. 32. Albu. lib. 2. cap. 6. & 38.




Sunt qui dicunt maiores moles deuorandas eſſe, exempli gratia caulem, lactucarum, aut bucellas panis biſcocti, alij ſpongiam puram, molemq; exiguæ magnitudinis lino alligatam deglutire iubent, apprehenſoq; lino retrahi, idq; frequenter efficere: quidam vaccinæ carnis portiunculam non plene coctam, filo annodant, ac eam deglutire præcipiunt, inde eam extrahunt, ſimulq; & ſpinam.

IN DENTIBVS MALE AFFECTIS.

Eximuntur dentes in pueris, cum hi qui ſubnaſcuntur, alios cõmouent: cõmoti verò aut ſpontè cadunt, aut faciliter digitis euelluntur: in adultis verò aut quia crudeliter dolent, aut carie affecti, alios inficiunt, aut anhelitui, ac ori prauum præſtant odorem: aut exulceratę linguæ ſanationem prohibent: vel fiſtulam maxillarem procreant, aliquibus ferreis inſtrumentis extirpari debent: veruntamen, vt debiliores reddantur, ante operationem à gingiuis aliquantiſper ſeparentur: quare in hunc vſum ſimilia pręparentur inſtrumenta.

Cel. lib. 7. c. 12. Gal. 5. de cõp. med. ſecundum locos. Aet. lib. 2. c. 34. Paul. li. 6. ca. 28. Auic. 7. 3. c. 17.


Cel.lib.7.c.12. Gal. 5. de cōp. med. ſecundum locos. Aet. lib. 2. c. 34. Paul. li. 6. c. 28. Auic. 7. 3. c. 17. Albu. lib. 2. cap. 30. & 31.



Cum à gingiuis dentes diuiſi fuerint, ac à propria ſede aliquantiſper moti, in eos forcipes magnos locare oportet, porrò locatione bona, ne apprehenſi fugiant, aut frangãtur: ob hoc igitur forcipes iſtius figuræ operatores inuenerunt, & communiter ab eis cagnoli vocitantur.

CAGNOLI.

FORCEPS EVVLSORIA. Pau. — ATRACTORIA FORCEPS. Cel.



Si verò non dens aliquis, ſed eius radix prauum aliquod ſynthoma produxerit, omnino ſed tutò, ac citò eximenda eſt, quare hæc inſtrumenta ſatis idonea eſſe creduntur: pellicani vocantur.

PELLICANI.

ALGESTI. ALB. — RIZAN. CEL.



Non deſunt alia inſtrumenta ad dentium radices eximendas, fortiſſimæ operationis, vt ſub his formis videri poſſunt.

RAMIFICATA. ALB.




PALANCA. ALB.



Accedit interdum Chirurgia ex actuali cauterio in dente, aut ferrato, aut carie affecto, aut triſti ſenſu prædito; porrò præſentaneum remedium eſt, & diuerſimode aduritur, ſed quod magis expedit, ſunt cauteria ſpherica ignita, vna cum cannulo, aut ſine eo; fabricantur in hunc modum.

CAVTERIA.


Albu. lib. 1. cap. 23.



Si vermis, aut humor aliquis acutus dolorē dentibus præſtauerit, ore aperto, alterci ſemine, ignitis carbonibus aſpero, dentes affectos ſuffire oportet: interdum enim quaſi vermiculi quidam eijciuntur, & vt dentes vaporem recipiant: hoc inſtrumentum accommodatum eſt, à Gal. & Pau. infundibulum, à Principe traiectorium, & ab Albu. canulum nuncupatur.

INFVNDIBVLVM.


Gal. 5 de med. cōp. ſecundum loco. d egilope.




Occurit ſæpe, vt linguæ alter latus exulceretur, & fit vlcus difficilis conſolidationis, quare videndū eſt, num contra dens aliquis acutior ſit, qui vlcus eo in loco ſanare nequit: quapropter eū limare expedit: interdum etiam dentium inęquales exceſſus apparent, qui pariter limaturam requirunt.

Hipp. lib. 2. prędictionū
Cel lib. 6. ca 12.
Aet. li. 13. c 30.
Paul. lib. 6 c. 28.
Auic. 6 5. c. 30.
Albu. li 2. c. 32.

RHINARIVM. PAV.



Quandoq; aggregantur in dentium ſuperficie, interius, ac exterius, cortices aſperi, turpes, & mali odoris, qui dentes nigricant, corrumpunt, & fędos faciunt, vnde eos radere neceſſe eſt. & ad hoc varia raſpatoria parantur.





IN COLVMELLA.

Sæpe gargalio, aut columella, ſiue vua, catarro repletur, tumetue, ac elongatur, quare quod fluxum eſt diſcutere, & quod fluit inhibere expedit: facit ad hoc interdum piper, mirthus, & roſa, in puluerē minutiſſimum redacta: applicatur hic puluis cum eo inſtrumento, quod Græci ſtaphileparton, Arabes frenum, & Latini ſpatulam vocant: aliqui canulo vtebantur, quos Gal. reprehendit, quippe pulueres per fiſtulam applicati, in aſperam arteriam, aut ſtomacum delabi poſſunt, quare proſtat interdum in coclearium coniecta medicamenta, columellæ applicare.

STAPHILEPARTON. COCLEAR.

Gal. 6 de comp. med. ſec. loc.
Pau. lib 3. c. 26.
Auic. 9. 3 c 14.
Albu. li. 2. c. 37.






IN OCCIPITIO.

Vt ſucci diuerſi à capite, præſertim ad oculos fluentes, reuelantur; periti Chirurgi in occipite, ſeu occipitio, quod Græci opiſtocranion vocant, diuerticulos, aut funtanellas, ſiue ſedanios, quos Arabes ſectorios dicunt, facere ſoliti ſunt: vlcus quippe eſt, quo diu ſeruato, fluxiones ad id reuellũtur, tria ſimul concurrunt inſtrumenta, nempe tenacula perforata, quam iſti ſedaneum, aut ſectorium vocant: perforatorium, ſiue punctorius ſtilus, & funis ſirica opportuna.

Pau. lib. 6 ca. 2. Albu li. c. Raſis lib. de cauterijs.




IN COLLO.

In collo, ſiue gula, aliquæ adenes craſſo, ac viſcido humore repleri ſolent, quare indurantur, & ad naturam ſcirrhi conuertuntur, à Græcis cherades, ab Arabibus altheeltil, & à Latinis ſtrumę, & cõmuniter ſcrophulę vocantur; proprio foliculo, aut velamento, quod Græci chiſtim vocant conſeruantur: curantur interdum totali extirpatione cum ſua tunica: pari modo abſceſſus illi magni, qui in collo naſcuntur, à Græcis broncoceles, ab Arabibus hernia gutturis, & à Latinis botium vocitati; manuum opere curari ſolent: potiſſimum inuolueri totius extirpatione, vnde interdum, aliquorum hamulorum, aut vncinorum occurrit neceſſitas: ſic equidem facti ſunt.

Auic. 3 4. tract. 2. cap 4 Albu. li. 2. c. 46.


HAMVLVS SIMPLEX.



INSTRVMENTA, QVAE PASSIONIBVS MEDII VENTRIS OPITVLANTVR.

IN THORACE.


In vulnere caſſali, quod vt plurimum penetrans eſt, pectoris, ſiue thoracis cauitas, ſæpe aut ſanguine, aut ſanie, aut alia catarrali humiditate repletur, quare vt talis ſuccus delabi poſſit: Chirurgi canulũ quendam ſemilunarem inueſtigarunt, à Græcis piulca, ab Arabibus clapſedra, & à Latinis ſaniei eductor nominatur, quo in medicationibus variarum humiditatum copia expurgari à clibano pectoris valeat, forma talis eſt.



Gal.5.meth.ca.8. 2.ad Glau. Paul.lib.3. cap.59.


PIVLCA.

Vt verò, non ſolum tempore medelæ, ſed vt continue defluant ſucci extrauenati, qui febres, tuſſes, ac anhelitus difficultates, dum in pectore perſiſtunt, producere ſolent: canulum rectum, teres, pluribus in locis perforatum inuenere, eumq; ſemper in vulnere conſeruant: variæ ſunt eorum effigies.




Porrò cum ſanguis conglobatus, aut aliqua materia craſſa, aut quæuis alia humiditas in thorace cõtenta eximi debet, aut ſi qua ablutio opportuna fuerit, aut ſi ſaniem in imo delapſam, bis terue in die extrahere volueris: ſimile paratum ſit tibi inſtrumentum: multiſq; alijs paſſionibus accommodatum, fabricatur ex argento, aut auricalco, & diuerſimode vocatur.

COTENCHITAS.



Cliſt oriculariũ Cel.li 5. cap. de fiſtula. lib 6. c.17 de celis morbi. lib.7. ca. 26. & 27. Gal.5 meth.ca. 7. & 11. Aet.li.15.ca.86. Paul.lib.6.c.59. Piulca. Gal.2. ad Glau. cap. de ſinu. 5. meth. cap.8. Pau.lib 3.c.59. Clapſedra. Albu li.2.c.59. Raſis 13. conc. cap. 23. Iniectorium. Auic.4. 4.tract. 3. cap.5. Cotenchitas, ſiue cliſt.oricul. Metrenchitas, ſiue cliſt.vterin. Gal.5.meth.ca. 7. & 11.

METRENCHITAS.



Sæpe etiam cum claplydra affuerit, & inijcere aliquod medicamentum deſideramus, veſica bubula, aut ſuilla, canulo, aut cornu alligata vtimur, præſertim in paſſionibus ani, aut ſinuoſis vlceribus.

VESICA CANVLO ALLIGATA.



Hipp.lib.de fiſt. Gal 5 meth.ca. 7. 2.ad Glau. cap. de ſinu. 2. Techni. vbi de abſtergẽtib. Pau lib. 4. c.48. Albu.li.2. c.59.

INSTRVMENTA, QVAE MORBIS INFIMI VENTRIS CONVENIVNT.

IN SVMINE.

Meges. Leonidas. Antilus.

Aquàm his,qui hydropici ſunt,emitti oportere manifeſtum eſt: quare quidam ſub vmbilico fere quatuor interpoſitis digitis, à ſiniſtra, aut dextera parte perforare conſueuere: optimum quippe in craſſis abdominibus illud inſtrumentum eſt, cuius fere tertiam digiti partem latitudinis mucronis impleat, ex dimidio ſpatam refert; eius imago talis eſſe debet.

BEZEL.


Manubriolum. Cel li.7. cap. 15 & 19. Culter hydrocelicus. Paul lib.6.c.62. Bezel gradatū. Auic 22 3 trac. 1.cap 6. Spatumen latū. Albu.li.2.c.62.



Quia facillime bezel inteſtina attingere poſſet, ſecuriorem inſtrumentum recentiores excogitarunt: aciem vtrinq; habet; acutum longitudinis medietatis digiti: in quo eminet breue quodam defenſaculū, quod mergi non ſinit: fit ſub hac forma, & valet in tenui mirach.


SPATVMEN SPINOSVM.

Spatumē acutū. Albu.li.2.c 54.



Cum aquam extrahere volueris, eo tum perforato abdomine, plumbea, aut argentea, aut ænea fiſtula conjicienda eſt, vel recuruatis in eſteriorem partem labris,vel in media circunſurgente quadam mota, ne tota intus delabi poſſit, huius ea pars quæ intra, paulo longior eſſe debet, quam quæ extra vt vltra valentiorem membranam procedat: per hanc effundendus humor eſt, atq; vbi maior pars eius euocata eſt, cludenda demiſſo linteolo fiſtula eſt, ac in vulnere relinquenda: ambarum fiſtularum ſimilitudines hæc ſunt.

Cel.lib.7.c.15.



Altera fiſtula ad hoc opportuna reperitur; hæc non ſemper, ſed ſolum tempore medicaturę in vulnere imponenda eſt, fit ex argento lenis, & terſum, teres in extremo vno tantum orificio perforata, & in lateribus diuerſis, vt facillime aqua delabi poſſit: interdum ex magna auis penna fabricatur.

PINNA AVIS.


Occurrunt in hac parte affectus varij, veluti ſolutiones continui, abſceſſus, vlcera, & aliæ paſſiones, quæ inſtrumentorum varietate egent, attamen, quia talia alijs locis male affectis opitulantur, communiter de eis vno in loco hiſtoria enarrata eſt.

IN TESTIBVS.


Interdum teſtes, cum male affecti ſunt, egent Chirurgia,vtpote cū ſeroſo humore replentur, à Græcis hydroceles, ab Arabibus hernia aquoſa, & à Latinis ramex aquoſa vocitatur: fit interdum ex prauo loci temperamento, nonnunquam ex iecore male affecto, vt in aſcite, & reliquis aquę inter cutem generibus: euacuatur hic humor potiſſimum apertione: quare illud opportunum eſt inſtrumentum, quod à tali operatione hydrocelicum Græce vocatur.

CVLTER HYDROCELICVS.

Cel.lib.7.c.18. Gal lib de tum. cap.18. Aet.lib.14.c.21 Pau lib 6.c.62. Aui.22.3.tract. 1 cap.6. Albu.lib.2.c.62



FLOBOTHOMVM MIRTHINVM




Anti-

Antiquiſsimi Medicorum ignitis cauterijs, has celebrabant ſectiones, argumẽto ſumpto à forma inſtrumentorũ: nullã tamen adhuc in eis vtilitatem percipere potui: videatis tñ aliquorum delineationes.


Hipp.li.de locis in homine. Meges. Leonidas. Antilus.

CVLTELLARE COMMVNE. CAVTERIVM PAV. CAVTERIVM ALBV.



Caro quoq; inter tunicas, quas Græci oſcheon, Arabes barichem, & Latini ſcrotum vocant concreſcit, vnde oritur durities quędam carnoſa, à Græcis ſarcocelem, ab Arabibus burum, & à Latinis hernia carnoſa dicta. ex toto præter naturam eſt, quare æger ablatione: verum ſi didimo, aut annexa, aut auoluta fuerit fiat caſtratio, ad quod opus quatuor requiruntur inſtrumenta, caſtrator, nouacula, filus, & cauteria.


CASTRATOR.



Cum reddendi vrinam difficultas apparet, aut quia ſenectute inter collapſum eſt, aut quia calculus, vel concretum aliquid ex ſanguine, aut puris, aut carnis, intus ſe oppoſuerit, aut mediocris inflammatio eam prohibet, aut exterior cauſa obturauerit, aut præputium aliqua ex re coierit, manus operã moliemur, idq; non in viris tantũmodo, ſed in fœminis quoq; interdum neceſſarium eſt, quod opus Græce catheteriſmon vocatur: vt ergo lotiũ reddatur, Chirurgus inſtrumenta diuerſarum materierũ quantitatum, ac formarum penes ſe continuo parata habere tenetur. Hæc apud vetuſtiores Medicos ex piſcium corio, aut pelle quorundam auium formabantur: Nunc verò ex auro, aut argento, aut auricalco, pro viris fabricantur: pro mulieribus interdum ex plumbo, nec nimis plena, nec nimis tenuia, ſed lenia, leuia, rotunda, æqualia, inania, groſſitiei ſicut penna auis, & aliquantiſper curua eſſe debent, ſed magis in viris, quam femelis: ad mares tria, ad fœminas duo, Medico habenda ſunt: ex virilibus maxima decem, & quinq; eſt digitorum, media duodecim, minima nouem: ex mulieribus maior nouem, minor ſex: ſint pluribus in locis perforata, ne à conglobato ſanguine, aut craſſo pituita, vel arenibus, aut calculo obturentur, diuerſimode nominantur: communiter tamẽ à Græcis catheter, ab Arabibus cathatir, à Latinis fiſtula veſicaria, & Vulgari ſermone ſiringa. hæc ſunt eorum lineamenta.

Aenea fiſtula. Cel.lib.7.c.26. Catheter. Gal.5.meth.ca. 11. Aet lib.11.c.5. Argalia. Gal.6.inter c.3. Rectus ſiphon. Gal.5.meth.c. 7. & 11. Paul. li. 6. c.59. Fiſtu.veſicaria. Aet.lib. 16.c.78. Alchartir. Auic.19. 3. tract. 1. c.5. & tract. 2. cap.9 Siringa. Albu.li. 2.c.58.


CATHETER.




Medi-

Medicamentorum genera, quæ ad veſicam, vterum, inteſtina, & pulmonem idonea ſunt, ab ipſa cu randarum partium ſubſtantia deſumi debent, quæ cum in occulto exiſtit, extimato prius affecto, eorũ vtendi modum, tum à forma, tum à ſitu contemplare oportet: hinc nanq; excogitati ſunt antiqui, & vteri cliſteres, quos metrenchitas, & oricularij cliſteres, quos cotenchitas, & recti ſiphones, quibus in veſica aliquid infunditur, quos catheteras Græci dicunt: ob hoc igitur cum fœmina breuius meatũ vrinæ ſimiliter, & rectius iter habet, breuiori, ac rectiori catetheri auxilio eget; forma catetheri mulierũ.

Gal. 5. meth. cap. 11.




Interdum non calculus, nec arenula, ſed craſſus, ac viſcidus humor, liberum lotij exitum prohibet: vnde admodum ſæpe ſola cereæ candellulę impoſitione vrina expurgatur, fit ex cera alba, vt firmior ſit, & diuerſę longitudinis, ad commodum coli veſicæ penetrationes: ſuſtragantur pariter ſummopere ad carunculas, quæ ceruicem infeſtant, acri medicamento remouendas: huiuſcemodi factę ſunt.




☞ In vrinaria fiſtula multotiens calculus ſic infigitur, vt inde nullo modo euelli poteſt, aut manibus, aut vi alicuius medicamenti: quare aliquo inſtrumento eum extrahere tentare decet, & illud opportunum eſt, quod à ſui forma curuatum roſtrum vocitatur: ab aliquibus ob id, quod roſtro auis Arcadię aſſimilatur, Arcadinum dicitur, Aet. anguſtam volſellam, & Albu. traiectoriũ vocant: ſic facta eſt eius forma.

ARCADINVM.



☞ Si verò arcadicum iuuamentum non præſtat, facta ſub calculo laqueatione, ne ad veſicam redeat, ex ferro alferico, aut indo, ſpecillum palmi longitudinis habere expedit; cuius extremitas, aut triangulata, aut terebri more, quo lignarij fabri utunrur, eſſe debet: cum eo quippe calculus, aut perforatur, aut frangitur, aut extrahitur.

Cel. lib. 7. cap. de ſignis calculorum. Aet. lib. 11. ca. 5. & 14. Albu. li. 2. c. 60.



Nonnunquam etiam prolapſus in fiſtulam calculus, nõ longe ab exitu inhæreſcit, eum ſi fieri poteſt euellere oportet, ſi verò non, cutis extrema quamplurimum attrahenda, & condita glande lino vincienda eſt: deinde à latere recta plaga coles incidendus, & calculus eximendus eſt: tum cutis remittenda: ſic enim fit, vt inciſum colem integra pars cutis contegat, & vrina naturaliter profluat; vtilis eſt infraſcriptus cultellus.


Calcu-

AD CALCVLOS EX VESICA EVELLENDOS.

Calculi vbiq; in homine generantur, ſæpè verò in renibus, & veſica, in tunica hepatis reperti ſunt: ab inteſtinis proiecti, tuſſicula expulſi, ac in pellicula felis viſi, & à me bis in pãniculo pleura ex anatome inuenti. Nicolao Maſſa Veneto omni literarum genere clariſſimo aſſiſtente: porrò cum in veſica reperit, & ſub morbo in numero eſt, ac res omnino præter naturã ablatione eget, quod fieri ſolet à perito Chirurgo, varietate inſtrumentorum: & quod primo occurrit nouaculum eſt, ſub hac imagine factum.

Gal. Gal.li.1.de not. luc.affect. Gal.li.6. de int. cap.1. Gal.li. 4.de loc. affe. cap. 8. Gal.li.9.de ſ.m. tract.2.cap.3.


CVLTER RASORIVS.



Cel.lib.7. c.26. Gal.3. tegni.ca. 54. Aet.li. ca. Pau. li.6. c.60. Auic.19.3.tract. 1. cap.5.6. & 7. Albu.li.2.c.60.


Cum ſuperiori inſtrumento, locus qui à Græcis perineon, ab Arabibus fiterim, & à Latinis fæmen dicitur, primò à pilis denudatur: deinde tota ceruix aperitur, donec calculus in conſpectu venit: dimiſſo prius catethere cum ſuo aperto canaliculo, à media regione fere vſq; ad imum: in quo ſecãdo acies nouaculæ ingredi poſſit: eſt eius exemplar ſimile, & communiter itinerarium nuncupatur.

ITINERARIVM.




Quamprimum in vulnere calculus ſe obiecerit, ſi exiguus eſt, digitis ab altera parte propelli, ab altera protrahi poteſt, ſi minus vulſella, aut tenacula huic operationi accommodata eximetur.

TENACVLA.




Si magnus calculus eſt teres, & lenis, à ſuperiori eius parte vncus inijciendus eſt, eius rei cauſa factus, ideſt ad extremum tenuis in ſemicirculi ſpecie, retuſæ latitudinis ab exteriori parte leuis, qua corpori iungitur, ab interiori aſper, qua calculum attingit; tale eſt hoc inſtrumentum.

VNCVS CEL. BROCVS COMMVNIS.




Solet interdum calculus adeo magnus eſſe, quod per anguſtũ calem exire nequit, ſed latiſſima eget apertione, quę periculo non vacat; quare tunc melius eſt quieſcere, quàm cum errore vlterius procedere, quippe aut moritur patiens, aut continuo fiſtulam patitur, quam Græci coriadam vocant, quod magis verendum eſt, ſi calculi forma, aut inæqualis, aut aſpera, aut ſpinoſa fuerit, ob hoc igitur, vt calculus appareat, ac vulnus amplietur, inſtrumẽtum quoddã ad hoc idoneum fabricatur: porro ſpecilli duo ſunt ſolidiores, craſſioreſuè communi exploratorio, teretes, lenes, ac in imo per duos digitos aliquãtiſper reflexi, longitudinis palmi, adinuicem, vt infra vniti, hi cum veſicam introierint, viam aperienti inſinuant, eamq; aliis inſtrumentis præparant: quare ductores communiter appellantur.

DVCTORES.



Ductorum ſolidiora capita in veſicæ cauitatem locantur leuiter quidem: oppoſita verò aliqualiter, & moderate ſtringuntur. ſic enim vulnus dilatatur, & inter ingreſſos ſpecillos, tenaculæ, forcipes, frãgentes aliuduè opportunum inſtrumentum tuto interponi poteſt: at ſi robuſtiori ingenio fuerit opus, quo æqualiter partes amplientur, ac ampliate conſeruentur, vt lapis amplecti poſſit, hoc vtaris inſtrumento, quod ab eius operatione aperiens denominatur.


APERIENS.




Ampliato vulnere ſat eſt, ſi vnco calculum extraheris, ſi verò non, forcipe amplexo eum perducas: amplexus autem talis ſit ne fugiat, nam ex longa inquiſitione læditur veſica, & inflammationes mortiferę citantur, ſit forceps, aut tenacula, roſtro anſerino ſimilis, vt hæc.

Recu-

FORCEPS DVPLICATA.




FORCEPS ANSERINA.




Recuſat interdum calculi forma, aut magnitudo, dilatationem, aut nouam ſectionem, vt integer extrahatur. præſertim cum ductores, aut dilatatores inijci minime poſſunt; quare debet, vt frangẽte inſtrumento apprehendatur, & minutim diſſipetur, ac quod fractum eſt aſſumatur, ne aliquid in veſica reſideat: nam denuo vnietur, & magnificabitur: formæ inſtrumentorum frangentium ſimiles ſunt.

FRANGENS MAGNVM.




Si conteritur calculus id ſatis eſt, ſi minus ſcalpello, & malleolo diuidatur, & ne fugiat, firmiſſime in ſecundo frangente ſituetur: ſcalpelli verò ſic eſſe debent.

SCALPER ACIATVS.




SCALPER ACVTVS




Fracto lapide fragmenta abducere oportet, ne veſica iterũ lædatur, ne ve intus aliquæ diſſipatæ reliquię reſideant: quicquid igitur remanſerit, aut arenulæ, aut calculi, aut concretus ſanguis ſimili coclearis, quod ſibi Chirurgus præparauerat, à veſicæ cauitate denudet: coclearis imitatio talis eſt.

COCLEAR:



Solent diligentes operatores lapillo à veſica euulſo, accuratè eius cauum inueſtigare, ſi quid abſconſi remanſerit, ac ſuperflua omnia ad vulneris orificia vertere: quare eo vtuntur inſtrumento, quod à vertendo, verticulum nominare ſoliti ſunt: vulgo bucton dicitur.

VERTICVLVS.



Quoddam inſtrumentum magiſterio fabricatum, quod forpicis officio fungitur, aliàs vidi, ideò eũ delineare decreui, quamuis egregij huius ætatis operatores, nec eo, nec ductoribus, nec aperientibus, nec frangentibus vti ſoliti ſunt, ſed aut digitis, aut ſolo anſeris roſtro adhibita opportuna ſectione: omnes prædictas operationes celebrant.





IN AFFECTIBVS VTERI.

Vteri paſſiones, quia in abſconſo reſidet, non de facili ſenſibus dignoſcuntur: egent porrò interdum alicuius inſtrumenti auxilio, & quod ad varias huius loci diſpoſitiones dignoſcendas conducit, illud in vſum habetur, quod à Græcis dioptæra, & à Latinis ſpeculum matricis vocatur.


DIOPTAERA.

Dioptæra.
Aet.li.15.c.86.
& 88.
Pau.lib.3.c.66.
Speculum.
Aui.21.3.tract.
4.cap.3.
Vertigo.
Albu.li.2.c.77.






SPECVLVM VTERINVM.



SPECVLVM ANO ACCOMMODATVM.



Cel.lib.7.c.28. Aet li.16.c.97. Paul.lib.3.c.73. lib.6.cap.71. & 72. Aui.21.3.trac. 4. cap. 1. Albu. li.2.c.72.

Morbi quidã maribus, & fœminis cõmunes eſſe poſſunt; quidã verò propriè ad fœminas pertinent, vt in primis, quod earum naturalia, nonnunquam inter ſe glutinatis oris concubitum non admittant, idq; interdum euenit protinus in vtero matris, interdum exulceratione in his partibus facta, & per malam curationem his oris ſaneſcendo iunctis: ſi ex vtero eſt, membrana ori vuluæ oppoſita eſt: ſi ex vlcere caro id repleuit: oportet autem membranam duabus lineis inter ſe tranſuerſis incidere: magna cura habita ne vrinæ iter violetur, hæc paſſio à Græcis phimus, ab Arabibus alratica, & à Latinis clauſura vocatur: commune inſtrumentum ad talem ſectionem illud eſt, quod ex dimidio ſpatam refert, à Principe alcabid nominatur: talis eſt eius forma.

ALCABID.




IN MORTVI FOETVS EXTRACTIONE.

Hipp.lib.de fœtus extractione. Cel. li 7. ca. 29. Aet.li.15.c.23. Paul.li.6.ca.74. Aui.21.3.tract. 2 cap. 14. Albu.li. 2. c.76. & 77.


Si iam prope maturum partum, intus fœtus emortuus eſt, neque excidere per ſe poteſt, adhibenda curatio eſt, quæ numerari inter difficillimas debet. Nam & ſummam prudentiam, moderationemq; deſiderat, & maximum periculum affert: igitur mortuo fœtu cum cetera ingenia nihil proficiſci videantur, à violenta manuum opera curatio expectanda eſt: porrò cum partum mortuum eſſe certus fueris, diligenter quęre an in caput, an in pedes, an in tranſuerſum iaceat, vt ſcias vbi vncum quo fœtus extrahi poſſit, defigi conueniat.

Extrahi-




Extrahitur fœtus emortuus adaperto vteri ore,ſed magis eius collo, quod fit dioptæris auxilio, attamen quoddam inſtrumentum ab Albuc. deſcribitur, non diſſimile ab æquatore, quo libri æquantur, ab eo vertigo vocitantur: fortaſſis non ab re, cum longa, difficilis, laborioſa, & non ſine periculo ſit talis operatio: Notate quæſo huius vertiginis effigiem.

VERTIGO ALBVC.




Adaperta vulua, Medici propoſitum eſt, vt puerulum manu dirigat, vel in caput, vel in pedes, ſi forte aliter compoſitus ſit: quare ſi nihil obſtat, manus vel pes apprehēſus, corpus rectius reddatur, ſi nō autem, ramificato inſtrumento, quod implens dicitur conuertatur.

IMPELENS.



Si manus, aut pes tantum egreditur, aut caput ſolum appareat, nec eius datur remeatio, eo meliori modo quo poteſt tale membrum abſcindatur: aut ſpatumili Albuc. aut cultello Auic. quo naſi hæmorrhoydes ſecantur, aut vnco Cel. in interiorem partem tantum per totam aciem exacuto.


CVLTER LVNATVS.



Caput interdum aqua repletur, & ea fit paſſio, qui hydrocephalica dicitur, aut corpus tanto humore diſtenditur, aut nimia flatus copia tumeſcit, quod egredi nequit: quare aut digito, aut cultello, aut extenuetur perforare expedit: ne autem vterus lædatur cultellus acutus non ſit.


Si autem fœtus adeò magnus fuerit, aut caput Nicomachi, aut oſſa per tranſuerſum ſteterint, aut bini fuerint gemelli, aut corpus ſic diſpoſitum, quod machina exire non poteſt: craneum ſcindatur, aut oſſa frangantur, aut gemelli ſeparentur: porrò ad oſſa frangenda, almiſdac Albu. opportunum eſt.

ALMISDAC PARVVM.



Oſſa verò in propatulo poſita, aut in intimis àbſconſa, almiſdac magno facillime franguntur.


ALMISDAC MAGNVM.



IN MORBIS, QVI ANO CONTINGVNT.


Affectus varij rectum inteſtinum à Grçcis longanum dictum infeſtare ſolent, nec videri poſſunt, niſi auxilio illius inſtrumenti, quòd Hipp. catopter, & leonidas, ac Paul. dioptrion vocant, Latini verò ani ſpeculum nominant: tales ſunt eorum imagines.

CATOPTER. DIOPTRION.



Hip. li. de fiſtulis, & lib. de hemorrhoidibus. Cel lib. 7. ca. 4. & 30. Aet.lib. 14.c.11. Pau.lib. 6.c.52, & 78. Aui.17. 3.c. 19. Albu. li. 2.c. 80.


Ani plura vitia ſunt, quę vbi medicamentis non vincuntuur, manus auxilium deſiderant; fiſtulæ præſertim, quæ à Græcis ſiringæ nuncupantur: hæ dum antiquantur, callum contrahunt, & niſi ſecãtur non ſaneſcunt, quippe aliqui aduſque inteſtini corpus penetrant, multę illud perforant, & aliæ varios, ac diuerſos anfractus procreant: quæ verò vſque ad inteſtinum perueniunt, ſcolopomacherio aperiri ſolent: eo autem quæ illud perforant, falſicula huius formæ diuiduntur.




Siringotoma. Hipp. lib. de fiſtulis. Cel.lib. 7. c.19. Gal. 6. meth. cap.4. Paul. li.6. c.52. Accicula. Aet. lib. 15. ca. Culter fiſtularis Paul.lib.6.c.78. Spatumen ſpinoſum. Albu.li. 2. c.80. Falſicula.


Ne autem aut inteſtinum, aut operantis digitum lædatur, fabricantur falſiculæ cum radij extrema acutie ſpherulata: eorum effigies ſic patent.

FALSICVLA.



Solent nimirum prope anum, & in extremitate recti inteſtini, nonnullæ carnoſæ excreſcentiæ oriri, quæ à Græcis thimi, ab Arabibus alhaſce, à Latinis morum,& Vulgari ſermone porrofico vocitantur, alibiq; etiam in membris raris naſcuntur; additamenta ſunt pręter naturam mollia, rubicunda, ac ſpõgioſæ ſubſtantiæ, quare ablatione egent, aut ſimplici ſectione, aut ignito cauterio, ſed ut firmiter teneantur, ac vt ceterę partes à noxa immunes permaneant; varia inſtrumenta à diligenti Chirurgo parata tenentur.






AD SAGITTAS DE CORPORE EXTRAHENDAS.

Vt ſagittas in corpus defixas ſecundum rationem, & ex arte eximere poſſis, inueniendum tibi primum eſt quo inſtrumento id efficere queas: modus autem inueniendi inſtrumenta habetur ex contemplatione naturæ, ac diuerſitatis tum læſarum particularum, tum rerum defixarum, ex quo poſtea ſequitur, modus eas euellendi, qui varius, ac multiplex eſt. cum differentiæ telorum, ac rerum in corpus defixarum infinitæ ſint: differunt nempe materia, figura, magnitudine, numero, habitu, & viribus: materia quidem quatenus haſtilia, aut lignea ſunt, aut arundinea: ipſa verò tela, aut ferrea ſunt, aut ærea, aut ſtannea, aut plumbea, aut cornea, aut vitrea, aut oſſea: figura quatenus alia rotunda, alia lata, alia anguloſa, alia triãgulata, alia ſulcata, alia triſulcata, alia ſpiculata, & ex ſpiculatis. hæc poſteriora ſpectantibus ſpiculis muniuntur, vt dum extrahuntur contra defigantur, illa in ateriora vergentia habent ſpicula, vt propulſata idem faciant, hoc eſt infigantur, & lanient aliæ vtroq; modo. Magnitudine quatenus alia magna, alia parua ſunt: numero quatenus vna, aut plures, aut ſimplex, aut compoſita, ideſt ex duplici parte fabricata: habitu quatenus à ſuo aſtili ſeparatur, aut firmiter infigitur, nec vllo modo dimouetur; viribus quatenus veneno quædam ſunt oblita, alia verò non: Hæc quidem ſunt telorum


diffe-

differentiæ, quæ vt ſenſate intelligantur, videatis eorum imagines : deinde inſtrumenta extractioni accommodata delineabo.


FERRVM SAGITTAE ROTVNDVM.




LATVM.




ACVTVM.




TRIANGVLATVM.




SPICVLATVM.




BARBVLATVM.




CVSPIDATVM ANTERIVS.




CVSPIDATVM POSTERIVS.




CVSPIDATVM VTROQVE MODO.



DVPLICATVM.




TORCVLATVM.



FAL-


FALCATVM.



ANGVLOSVM.




SAGITTA ASTILI MVNITA.



Hipp. lib. de telorum extractione. Cel. l.b 7. ca. 5. Paul li. 6 c 88. Raſis 7. ad Alm. cap. 25. Auic. 4 4. tra. 2 cap. 10. Albu. li. 2. c. 96.

Omne telum extrahitur, aut ab ea parte qua venit, àut ab ea in qua tetendit, extrahitur autem aut vi quadam, aut quiete, aut longo tempore, & inſtrumentorum auxilio ab ea parte in qua tetendit, dum altæ infigitur, aut ſpiculis, vel inuerſis alis cingitur: quare ſi ferrum aſtili priuatur, & concauum fuerit, eo inſtrumento propulſatur, qui à ſagittæ aſtili non variat, aut ſaltim propria ſagitta: teres, & acutum eſt, vt ferri cauum inijci poſſit, donec in oppoſitam propellatur partem: vnde propulſorium mas appel latur, ab aliqaibus ſurdus impelleris dicitur, & ab Auic. impellens acutũ nominatur: eius effigies hæc ẽ.

PROPVLSORIVM MAS. ZVGI CANNVLATVM. AVI.







7. Guidonis inſtrumentum.

Aliud ſimile inſtrumentum, ſic cauum vſitatur, & ob hoc propulſorium fœmina vocatur, ab aliquibus cauum impellens, & ab Auic. impellens cãnulatum dicitur: cum his igitur tela caudata propelluntur, donec ab altera parte apprehendi, ac extrahi poſſint: huius ſecundi inſtrumenti imago hæc eſt.


ZVGI CAVDATVM. AVI. PROPVLSORIVM FOEMINA.






Cum verò ab ea parte, qua venit ſagittæ ferrum illud euelli poteſt, quæratur id manibus efficere, ſi verò non eo vtamini inſtrumento, quod Albuc. attractorium torculatum, & magnus Guido terebrum inuerſum vocant: ſub duplici forma hæc inſtrumenta fabricantur, quorum vnum integer eſt, alterum verò diuiſum: ecce eorum delineatio.

TEREBRVM TORCVLATVM INTEGER.




4. Guidonis in- ſtrumentum.

TEREBRVM TORCVLATVM DIVISVM.



Si ſagitta firmiter in oſſe, aut alibi compacta extiterit, & opus ter ebris perfici poterit, ad alia inſtrumenta deuenire non decet: ſi verò non, ad fortiora confugiendum eſt: inter quæ roſtra varia enumerantur, veluti coruinum, gruinum, & anſerinum, quibus ſagittæ ferrum apprehenditur: quare eorum effigies ſic delineare decreui.

CORVINVM.




Albu. li 2. c. 39. 2. Guidonis inſtrumentum.

GRVINVM.



Albu. li. 33. c. 39.


ANSERINVM.



Quia perſæpe tela ſpiculata, aut barbulata, aut alterius figuræ exiſtunt, ideo prædicta inſtrumenta accommodata non iudicantur: vnde ad tenaculas cannulatas, aut dentatas confugere oportet: quę porrò fortiſſimæ, ac tutiſſimæ operationis reperiuntur: formantur hoc modo.

TENACVLA DENTATA.

1.Guid.inſtr.



TENACVLA CANNVLATA.

3.Guid.inſtr.




Graſiſcum. Hipp.lib.de ſagit.extract. Diocleum. Cel.li.7.ca.5. Belulcũ. Gal. Pau.li.6.c.88.

Solent nimirũ ſagittæ ob eorum varietatum magnũ negotium Medico faceſſere: antiqui tamẽ quoddam inſtrumentũ obſeruabant, quod à ſagittarum extractione belulcũ Græce, & Diocleum Latine, à Diocle eius inuentore vocitatur: cuius deſcriptio obſcuriſſimè à Cornelio Celſo legitur: ecce imago.

DIOCLEVM.


Hoc vnum ex tot Chirurgicorum ferramentis, cum nunquam capere potuerim, delineare datum nõ fuit, quemadmodum etiam in ſecundo libro teſtati ſumus; quare ſi quis effigiem organi iſtius in lucem aliquando protulerit, ab omnibus medicinæ ſtudioſis ſummo ſemper in honore habebitur. Loco autẽ Dioclei inſtrumenti ego vti ſoleo hoc altero.

BELVLCVM.



Occurrit ſæpe, quòd ex vulneris anguſtia prædicta inſtrumenta ingredi nequeunt, quare expedit vulnus interdum vſque ad imum dilatare, & hæc duo inſtrumenta ſatis opportuna ſit: primum vocatur forceps deceptoria: ſecundum cultellus ſimplex.


FORCEPS ECCISORIA AD VVLNERA IN CARNE AMPLIANDA.



Ypſiloides. Cel.

6. Guid. inſtr.

CVLTELLVS SIMPLEX.



AD GLOBVLOS, SIVE PLVMBEAS GLANDES, AVT SPHERVLAS EVELLENDAS.

Nullam antiqui de ſclopetorum, ſiue archibuſorum vulneribus notitiã habere, igitur ullum quidem verbum ab eis habetur. Celſus tamen in tertio telorum genere plumbeam glandem aſſignat, quam mo derni Chirurgi clariſſimi globulum, pillam, & ſpherulam plumbeam vocant: telum eſt quod perrupta cute, & carne integrum intus inſedit, quare & integrum euelli debet: euellitur autem aut ab ea parte qua venit, aut ab oppoſita diſrupta cute ſi tenuis fuerit: & quia varia ſunt, quæ à tormentis bellicis in corpore inijciuntir, ea quippe imprimis delineare decre ui.


Alphonſus Ferus Neapolit. Bartholomæus Magg. Bonon. Leonardus Botalus Aſtenſis.

Pilla integra. Pilla diuiſa. Cathena. Sacculus ſquammarus plenum. Partes loricæ.



Tela omnia, quæ ſenſui obijciuntur, ſæpe manibus extrahuntur: quæ verò in abſconſo deliteſcunt, partę anguſtiori, tereti, & recta, ſpecilli inquirenda ſunt: vtpote dum dignoſcuntur illius latiori, & cu ra euelluntur.


SPECILLVM ANGVSTI, ET LATI CAPITIS.



Cumq; ſpecillum lati capitis nihil egerit, aliud in medium adducatur, anullare dictum: cuius ope-atio laudatur, ſi pilla in ſinu aliquo, aut magna cauitate perſtiterit: eius effigies talis eſt.


Globulus. Anulus.

SPECILLVM ANVLLARE.




Si verò firmiter globulus alicui parti adhærerit, illud inſtrumentum opportunum eſt, quod hamuli piſcatorij effigiem præſefert : quod hercle non mihi multũ placet: attamen ſub duplici forma videri ſolet.

HAMVLI.




Et ſi hamuli interdum opportune in cathenæ, aut diuiſæ pillæ, aut partis loricæ extractione opereur, nihilhominus tutiorem operationem à cicognino meo, aut à celebre illo anſerino inſtrumento ad pillas euellendas expectare oportet ; & quòd verum ſit, inſtrumenti effigies hoc declaratur.


CICOGNINVM.



ANSERINVM.




GRVINVM ORBICVLATVM.



Non deſunt quamplurima alia inſtrumenta ad hoc opus maxime accommodata, veluti alphonſinum, inuentore Alphonſo Ferro Neapolitano, inſtrumentum eſt tribus alis, ab vno trunco ortis munitum, quæ anulo quodam mobili aperiuntur, & clauduntur : quare apprehenſa pilla firmiter eãretinent, anulo recurrente adiutore, ſi cuſpidem verſus trahas aperitur ſi contra : hoc enim pacto figuratur.


ALPHONSINVM CLAVSVM.

ANVLVS.




ALPHONSINVM APERTVM.

ANVLVS.



ALPHONSINVM CVM PILLA.

ANVLVS.




Apud Teutones ad pillas euellẽdas aliqua ſatis accommodata inſtrumenta abſque anulo in vſu obſeruantur, quæ mihi à magno Matthiolo donata fuere, ea certe habeo, conſeruo, & cordi teneo: eorũ effigies hæc eſt.


CANNA FERREA.




ASTA FERREA QVATVOR ALIS MVNITA.




ASTA CVM SVA CANNA.




ATTRACTOR SIMPLEX.




ATTRACTOR CANNVLATVM, SINE TEREBRO.



TEREBRVM.




ATTRACTOR CANNVLATVM CVM TEREBRO.




Si telum oſſi adeo impactum fuerit, quòd inde prædictis inſtrumentis euelii nequit, decet quippe altero infraſcriptorũ vti, quæ porrò apud Chirurgos caſtra, claſſeſq; ſequentes continuo circunferri debent: fabricatur inſtrumentum cannulatum teres diuiſum, per quod medium terebrum, ſiue torculum rectum percutem recto tramite pertranſit. cumque igitur canulum pillæ firmiter apodiatur, & terebrũ auoluitur pilla perforatur cuſpide torculata terebri, ac illi inſeritur: cãnulum verò carnis latera tuetur, nec illis noxam inferre permittit, & ſic pilla ſecure extrahitur: hæc eſt huius primi terebri forma.

CANNVLVS ACVTVS CVM TEREBRO.



Alterum ſimile fabricatur, prætęrquam in eius extremitate, quàm exterius torculatam videre poteritis. facit hoc inſtrumentum ad duo, nempe quidem ad ferrum ſagittæ euellendum, & ad pillam extrahendam: diuiſum eſt vſque ad medium, ſicut primum, ſed non acutum: ecce eius propria delineatio.

CANNVLVS TORCVLATVS CVM TEREBRO.




Non multum diſſimile inſtrumentum teretem ad hunc finem fabricatum, ſed integrum, & abſq; torculo reperitur, per cuius cannulũ tranſit torculum acutũ; eius forma his tribus inſtrumentis manifeſtat̃.

CANNVLVS SIMPLEX.



TEREBRVM.

CANNVLVS SIMPLEX CVM TEREBRO.



Hactenus de inſtrumentis cõmunibus, ac aliquibus membris appropriatis, nonnulla diximus, eaq́; delineauimus, quæ porrò vſque ad huc videre potuimus: nunc reſtat, vt cauteriorum, quæ igniri poſſunt, vnde actualia vocantur, imagines deſcribamus.

TYPIS EXTRACTIONIS SAGITTARVM.






CAVTERIA ACTVALIA.

Veteres Medici in cauteriorum adminiſtratione, audatiores, ac diligentiores his, qui hac tempeſtate à manuum operatione Chirurgi vocitantur, ſemper fuere, ac præſidium hoc cunctis alijs præpoſuere: & quia huius actionis finis varius, ac diuerſus eſt, tum ratione affectus, cum ratione loci affecti igitur hæc inſtrumenta, quæ cauteria, ſiue clauilia vocantur, diuerſarum formarum, ac materierum fabricari debent: nempe quidem ex auro, quòd magis laudatur, aut ex ferro, quòd magis valet: interdum ex ære, aut plumbo, aut auricalco fiunt: interdum ex feruenti oleo, aut xillo accenſo, aut cucurbita aduſta, aut carta auoluta, & ignita, aut ſimilibus rebus adminiſtrantur: ſortiuntur eorum nomina ab effigie, aut forma, vt ad vnguem infra videre poteritis.

Hip.8.par.aph. in fine. & 7. de mor. popu. Cel.lib.8.c..2. Dioſc. li. 7.c.3. Gal.lib. ar. par. m.cap.96. & li. de dinamidijs. Aet li.12.c.25. Pau.li.6.in pric. Auic. 4. 1.c.29. Raſis li. de cauterijs. Albu.lib. 1. per totum.

CVLTELLARIA.

Albu.lib.1.c.7. & 20.




LVNARIA.

Albu.lib.2.c.16




SCV-

SCVTALIA.




Albu.li.1.c.45

MALLEARIA



Albu.lib.2.c.15

SPHERICA.




Albu.lib.1.c.26.

TRIAN-


TRIANGVLATA.

Albu.li.1.c.47.




QVADRATA.

Albu.lib.2.c.




OLIVARIA.

Alb.li.1, c.2.10. & 56.




LINGVALIA

Albu.lib.1.c.



RADIO-

RADIOLATA.




Albu.lib.1.c.18.

CANNVLATA.

Sæpe periti Chirurgi ne latera, aut partes carnoſæ ſenſibiles ab ignito cauterio lædantur defenſacula, quædam aut ænea, aut ferrea, aut alterius modi præparare ſolent: hæc quippe formas varias ſeruant: nam ſub cannuli recti, aut obliqui effigie multa fiunt: alia verò plana, quadrata, aut rotunda fabricantur, vt ignitum clauilium recipiant: hæc porrò clarè infra videre poteritis.


CANNVLVM OBLIQVVM.


CANNVLVM RECTVM.




Albuc. li.1.ca. 28.

CAMAHAM AVIC.








IN MORBIS EXTREMIS.

Hipp. 1. aph. 6.
8. aph. in fin.
7. epidemiarũ.
Ce. lib. 5. ca. de
cura gangrenæ.
Gal. 7. de aggre.
anat.
Pau. li. 6. ca. 84.
Alb li. 2. c. 89.
Auic. 3. 1. Doct.
5. cap. 5.
4. 1. cap. 27.
3. 4. cap. 16.
4. 4. tra. 4. c. 12.


Sæpe quidem ſphacellantur, aut corrumpuntur membra, interdum veneno affliguntur, ac multotiēs oſſa teredine, ſue carie vexantur, quod nec medicamentis, nec igne ſuffragantur, quare vnicum, ſed miſerum remedium reſtat, vt corporis cæterę partes à noxa liberentur. membrum putridum, aut quòd paullatine emoritur amputare: quòd opus adeo crudele infraſcriptis inſtrumentis fieri ſolet.

CVLTER EXCISORIVS. CAVTERIVM CVLTELLARE.




SER-


SERRVLA.



SERRA.



SERRA MAGNA.



INSTVMENTA ANATOMICIS ADMINISTRATIONIBVS OPPORTVNA.


In ſuperioribus figuris aliquorum inſtrumentorum delineationes, quæ in male affectis corporibus Ariſt. 1. de nat.
viuentibus apprime ſpectant, finximus: nunc verò de aliquibus, quæ in cadaueribus, & anatome opem ani. cap. 8.
ferunt, imagines deſcribere expedit; ab his porrò, quæ magis communia ſunt, incipiendo: animalia verò anatome opportuna hæc ſunt. Homo, cebus, ideſt Simia caudata, Simia ſine cauda, canicipes, ideſt cinocephalus, vrſus, ſues, & canes, cæteraq; animalia dentibus ſerratis prædita.

DIVERSAE NOVACVLARVM FORMAE.


Gal. 7. de aggre. onat.

Primum inſtrumentum ſuper quod locantur corpora anotomiæ parata, eſt aſſer. Secundò præparandi ſunt cultri, quibus tonſores in abradendis pilis vtuntur, & quos vulgo nouaculas dicimus: harũ quædam acuta eſſe debent: quædam verò retuſiores: aliqua in manubriolo firmiter locantur: multæ mobilis ſunt, vt leui quaque occaſione in membranis, aut tendinibus, ligamentiſq; findendis aptari poſſint.

ASSER.



NOVACVLVM RETVSVM. NOVACVLVM ACVTVM.




Gal. 8. de aggre. onat.


Prædictis inſtrumentis cultellos, quibus calami adaptamus addere expedit, quorum aliqui orbiculato cuſpide multi recto, acutoq; eſſe conueniunt: ſint porrò ex ferro indo, vt commodè arterię, venę, nerui, ac cætera ſimilia membra inter ſe, & à pelliculis ſeparentur.

CVLTELLI, QVIBVS CALAMI ADAPTANTVR.


VALDE ACVTVS.



MIRTVS CVRVATA.




NEQVE ACVTVS, NEQVE OBTVSVS.



Non ab re adſunt interdum duo cultri, quibus menſa paratur, quorum vnus altero maior, ac firmior eſſe debet, ad varia oſſa ſeparanda, aut artus diuidendos: horum imago hæc eſt.


Con-

CVLTELLI MAGNI.



Conuenit adhuc quamplurimos hamulos, ſiue vncinos paratos habere, ad ſuſtentandum, aut apprehendendum, quod minimum eſt, ne ſiniſtræ manus vmbra ſectionem obtenebret.


HAMVLI, SIVE VNCINI.



Gal. 8. de aggre. anat.

Inſuper ſtilos, ſiue ſpecillos longos, breues, craſſos, tenues, ex filo argenteo, aut æneo parare oportet, potiſſimum verò plumbeo, ad varios vſus præſertim, ad obliquorum ductuum, foraminumq; progreſſum, ac alicuius partis naturam inueſtigandam: ortumq; explorandum.


SPECILLI VARII.



Gal. 8. de aggre anat.


Iuuerit quoque ſyphones habere, vt per penem iter in veſicam agnoſcas, & in lotij per eum canalem extractione exercitatior reddaris: vario modo fabricantur, vt ſupra vidiſti.

SYPHONES, AVT CATETERAS, SIVE SIRINGAE.



Opportunè etiam ex arundinibus, oblungi, ac teres parantur calami, quibus miniſter aliquis, hoc illudue corpus concauum commodius, quàm folle inflare poſſit.


CALAMI ARVNDINEI.



Gal. 8. de aggre ganat.

Vt plicatura illa mirabilis, quam rectem mirabilem iſti vocant, in media cerebri regione ſituatam reperiatur: pariter vt neruorum paria ſex, qui ab eius ſubſtantia originem trahunt manifeſtentur, maximam cerebri portionem eleuare oportet: quare cultri valde tenues ex buxo parati ſumme conueniunt: quorum forma talis eſſe debet.

SPATVLAE BVXEAE.




Quia arundines in duris, aut exſiccatis pulmonibus, aut veſicis interdum idoneæ minime ſunt: igitur folle, ſiue flabello vti decet, vt ſimilia membra tumida reddantur.

FLABELLVM.



Serra verò, quam interdum operi adhibemus, ea conducet, qua ſphacelo, aut eiuſdem generis affectibus corrupta membra præſcindimus: altera verò ſemicirculum præſeferens ad cranei diuiſionem accommodata eſſe creditur.

SERRA.



Forficulã pro abſcindendis poſt ligationes funiculis opportunam, ac reſecandis aliquibus occultis, & profundis membranis: longioribus manubriolis fabricare oportet.

FORFICVLA.



Malleus ligneus ad grandiorem cultrum impellendum, ac profundandum, cum brutorum caluariã aliudue os magnum effrangere deſideramus paratus ſit.


MALLEVS.



Acus quaſdam habere conuenit, obliquatas, ac rectas, conduxerit quoque has magnas, paruás, vt filum gracilem, craſſumq́; tranſmittant: præter acutas retuſiori cuſpide etiam parentur: tales quoque ad manus ſint, quibus in conſuendis vulneribus vtimur.

ACVVM VARIETAS.

ACVS RECTAE. ACVS OBLIQVAE. ACVS TRIANGVLATAE.



Gal. 8. de aggre. enat.

Filum quo literarum faſciculos colligamus, ad varia vaſa laqueanda accommodatiſſimum eſt.

FILVM GLOMERATVM.


AENEVM. LINEVM. CANAPIVM.



Spongiæ etiam quamplurimæ ad detergendum, & exſugandas humiditates conueniunt.

SPONGIAE.


MAGNAE. MEDIOCRES. PARVAE.



Hactenus aliqua delineauimus inſtrumenta, quę ad diuidenda cadauera maximè conducunt: nunc reſtat, vt aliqua deſcribamus, quæ ad ſceleton cōnectendum neceſſaria ſunt, & quod primò occurrit, terebrum illud eſt, quo fabri vtuntur ad oſſa perforanda: cuius imago hæc eſt.

TEREBRVM QVO FABRI VTVNTVR


TEREBRVM QVOD HABENA AVOLVITVR. TEREBRVM, QVOD ARCV DVCITVR.



CAVVM IN QVO SVBVLAE IMPONVNTVR.

Ex ſe tantum terebrum nihil agit, niſi auxilio quarundam ſubularum, quæ diuerſimode parantur potiſſimum ex ferro indo, vt ſub his formis videre poteritis.

SVBVLAE DIVERSAE.



Oſſa ſecundum opportunitatem perforata, æneo filo inſimul coarctantur, quod opus non niſi àb expertiſſimo, ac diligentiſſimo Anatomiſta fieri ſolet: filum verò æneum omnibus notum eſt: eumq; ſupra finximus.


Forpex ad intorquendum filum æneū, huic operi ſummopere conuenit, pari modo & tenacula exciſoria ad ipſum filum amputandum: quorum imagines delineatæ videntur.

TENACVLA. FORPEX.

Gal. 8. de vſu part. Pau. lib. 6. c. 88.



Adhuc vaſa quædam terrea formanda ſunt, in quibus particulæ, quæ à cadaueribus in anatomæ quotidie ſeparantur locari poſſint: poſtremò capſam, in qua oſſa, cæteraq; diuiſa, ad matrem antiquam demandentur fingamus.



ANATOMES.

AD OSSA LVXATA, AVT FRACTA.

Oſſa aut luxata, aut fracta in ſuam ſedem tribus modis generalibus collocantur, & repònuntur, quibus alij fere omnes continentur. Vnus PALESTRICVS vocatur, ad quem tantum ſolas manus admouemus, atque hic vtpote imbecillis aptatur ad mollia corpora, muliebria nimirum, & puerilia modo recens vitium fuerit. Alter METHODICVS dicitur, ad quem inſtrumenta adhibemus, quorum vſus in communi vita eſt, hic omnibus ætatibus, ac ſeſſibus idoneus eſt, ac morbis, qui iam vetuſti ſunt. Tertius per ORGANA fit, & maius momentum habet. valet enim ad corpora athletarum, & ad prolapſa, quæ ſub methodico modo curari nequeunt, ac vbi malum diutius trahitur.

Hippócrates. Heliodorus. Appellides. Archimedes. Nymphodorus Nileus. Andreas. Oribaſius. Faber. Ruffus. Aetius. Paulus. Auicenna. Albucaſis.

PALESTRICVM modum, quia ſatis communis eſt, imprimis delineare expedit, & quia à Medico tantum exercetur: pauca quippe exempla de eo in humero, ac talo luxato adducamus, ſed quia tres ſunt modi reponendi, ſecundum hunc modum humerum luxatũ: quorũ primus per digitos, aut ægroti, aut Medici fieri ſolet: ſecundus verò per calcem experti Medici: & tertius per ſummum humerum miniſtri infirmo altioris: ideò primum modum, hac ſimplici figura fingamus.

HVMERVM LVXATVM, PER DIGITOS RESTITVENDI IMAGO.

Eſt, & alius reponendi modus, quo ſuper ſummum humerum alterius hominis humerum collocant, maior autem eſſe neceſſariò is debet, ſuper quem collocatur infirmus: hic autem apprehenſo brachio laborantis ſummum humerum ſuum excitatum alæ homini ſubijciat: vt in hac operatione apparet.

HVMERI EXTRALOCATI, PER HVMERVM REPOSITIO.


Qui per calcem articulum reponere nititur, hominem humi reſupinare debet, & in ſinum alę, aut pillam ex corio, aut aliquid aliud rotundum demittat: nam niſi tale aliquid indatur non poteſt calx ad humeri caput peruenire. Alter verò miniſter ab altera parte lato laqueo pillam contineat, ac pede ſpatulam repellat: exprimit enim figura hæc, negotium hoc.

HVMERVM DISLOCATVM, PER CALCEM RECONDITVM.

Modus qui per organa celebrantur, antiquiſſimus quippe eſt, & organorum ternas continet differen tias; nam alia ſunt tractoria, alia machinamenta, & alia quæ erecta, aut plana collocantur. Tractoria dumtaxat extendi facultatem habent: hæc vt ſuo munere fungantur, aduentitia quædam poſtulant, vt ſcamnum, lectum, aut ſcalam, eo quòd per ſe vſui eſſe minime poſſunt. Machinamenta ſunt organa tractorijs ampliora, quæ nō modo attractionem, ſed impulſionem quoq; pollicentur, ac præcipuè quorundam membrorum gratia componuntur. Erecta, aut plana organa humilis ſtructuræ ſunt, & conſtāt ex his, quæ & extendendi, & impellendi uim habent. Plana præcipue, vt homine illis inſidente recōdi, aut reſtaurari, quod elapſum, aut fractum eſt poſſit, quale eſt ſcamnum Hippocratis, aut polipaſton Archimedis


SCAMNVM HIPPOCRATIS.

Huius ſcāni inuentor fuit Paſicrates. Citat hoc ſcānū Hip. lib. 4 de articul. & lib. 2. de fracturis. Oribaſius ex Ruf. lib. de machinamentis.




Qnoniam tractoriã orgãna imperfecta ſunt, nec præſtare quidquam per ſe poſſunt, ſed alterius operam requirunt, puta ſcalæ, lecti, aut ſcamni, quę vbi non ſunt eorum vicem exibent pauimenta, feneſtræ, columnæ, & ſimilia loca; quare cum ſcalæ ſatis per ſe idoneæ ſunt, eas delineare oportet.


PLINTHIVM NILEI.




SCALA SIMPLEX.




PLINTHIVM HERODOTI.



PLINTHIVM ORIBASII.



SCALA ORGANO MVNITA.





FINIS.

Fuit emptus Recanati paut. xvi. mensis Februarij 1604